15 days.

FA

THEO'L SEMINARY.
REC'D FROM THE
AS. REF. SYNOD.

5. vol.

Sam. Bowles,

Edinburgh Merch.

JO. CHRISTOPHORI WOLFII
PAST. AD D. CATHARIN. HAMBURGENS. ET
SCHOLARCHÆ

NEWBURGH COLLECTION

CVRÆ PHILOLOGICÆ ET CRITICÆ IN IV. SS. EVANGELIA ET ACTVS APOSTOLICOS,

QVIBVS INTEGRITATI CONTEXTVS GRÆCI CONSVLITVR, SENSVS VERBORVM EX PRÆSIDIIS PHILOLOG. ILLVSTRATVR, DIVERSÆ INTERPRETVM SENTENTIÆ SVMMATIM ENARRANTVR, ET MODESTO EXAMINI SVBIECTÆ VEL APPROBANTVR VEL REPELLVNTVR.

EDITIO TERTIA.

HAMBVRGI,
SVMPTIBVS CHRISTIANI HEROLDI,
MDCCXXXIX.

NEWBURGH COLLECTION

VCLAS VBOSLOFICOS

ET

IN

CBFLICVE

ET

FHILOCOCICVE

CVRVE

VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO
ET JVRISCONSVLTISSIMO,
DOMINO
HENRICO DIEDERICO WIESE,
J. V. L.
CONSVLI REIPVBL. HAMBVRG.
MERITISSIMO ET CVM MAXIME PRÆSIDI

S. P. D.

JO. CHRISTOPHORVS WOLFIVS.

Jam diu est, VIR MAGNIFICE, quod demissum animi cultum, quo in TE ferri, totumque rapi me sentio, publico quodam argumento testatum facere, constitutum habui.

Quo minus vero id auderem, ſummum illud dignitatis faſtigium, in quod Divini Numinis provida cura evectus es, ſubtimidum prohibere videbatur. At timorem illum pudoremve non parum diminutum apud me ſenſi, poſtquam a ſplendore illuſtrium virtutum Tuarum meritorumque oculos nonnihil averſos in humanitatem Tuam facilitatemque penitius intueri juſſi. Et indignum omnino mihi videbitur, ſcripto id publice non profiteri, quod bonorum quorumvis vocibus & ſermonibus prædicatur. Quis enim eſt apud nos rerum adeo ignarus omnium, quin norit & celebret antiquam illam, qua Germanicæ gentis priſtinum decus refers, fidem, gravitatem & candorem, invictum animi robur, quod nec verborum lenociniis, nec blanditiis, nec largitionibus a recto tramite moveri, viciſſim autem ad optima quæque & ſalutaria Reipublicæ conſilia rerum argumentis, & æqui rectique ſtudio

duci

duci flectique possit; exquisitum in rebus perspiciendis acumen, in perficiendis alacritatem; &, quod plus valet, indefessum laborem, quem ad incrementum doctrinæ salutaris & Reipublicæ nostræ referre consuevisti? Hæ vero insignes animi dotes ac virtutes tanto illustriores merito habentur, quod non prohibent, quo minus vel æquales ferre possis, vel inferiores patrocinio, benevolentia, imo amore tueri, prosequi, complecti. Quod quidem si non alio mihi exemplo constaret, ut omnino constat, ego certe ita experiundo didici, ut nullo præterea argumento edoceri debeam. Multi enim jam anni sunt, ex quo complura favoris Tui prolixissimæque voluntatis documenta in me exstare voluisti. Cujus quidem rei recordatio efficit, ut non dubitem, quin præsentem animi in TE mei observantiæque & cultus significationem serena fronte & facilis susceperus sis, tanto magis, quod

hæc, quam Illuſtri Nomini Tuo inſcribo, opella ad divinioris Scripturæ, quam magni facis, illuſtrationem ſpectat. Faxit SVMMVM NVMEN, ut Inclyta Respublica noſtra TE, & præſidio & decore ſuo, permultos adhuc annos fruatur, TVque Præſidatum, in gubernanda Civitate optima, non minus feliciter ſuo tempore deponas, quam alacriter nuper ſuſcepiſti. Ita vale, VIR MAGNIFICE, & omni felicitatis genere una cum TVIS auctus cumulatusque rem ex voto age. Dabam e Muſeo X. Kal. Majas An. CIↃIↃ CCXXV.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
S.

Ante, quam ulterius progrediaris, de paucis te, Cordate Lector, admonitum velim. *Quatuor* potissimum sunt momenta, quæ in his Curis, quoad fieri posset, expedienda mihi sumsi. *Primum* fuit, ut contextus Græcus Novi Instrumenti, qualis veterum probatorumque Codicum ope in optimis quibusque editionibus, ex quibus *Curcellæi* illam inprimis secutus sum, hodie exstat, integritati suæ adversus vel veterum vel recentiorum calumnias & novitates vindicaretur. Constat enim, nostra inprimis ætate non defuisse, qui nunc paucorum, nec optimorum Codicum, imo interdum unius auctoritate innixi, nunc vero conjecturis immaturis & ingenio luxurianti temere indulgentes, scriptionem huc usque receptam passim deserendam esse contenderent. Inter hos non postremum locum occupat *Jo. Millius*. S. T. P. Is enim, cum industria non vulgari lectionum varietates ex Codicibus manu exaratis, versionibus item & veterum Ecclesiæ Doctorum scriptis in ea, quam ipsi debemus, N. T. editione collectas repræsentasset, id sibi negotii datum esse credidit, ut cum in notis additis, tum vero inprimis in *Prolegomenis*, a communi lectione recedendum esse frequenter disputaret, atque adeo, quod mireris, partim ingenio, partim una interdum versione in fraudem lectionis receptæ confidenter abuteretur. Eum igitur præ ceteris ad partes vocavi, iis scilicet in locis, qui vindice digni erant. Ubi enim varietates nullius momenti se offerebant, eas de industria prætermisi, ne vel Lectoris ingenio diffidere, vel eidem præter rationem tædium afferre, vel mihi ipsi operam non necessariam imponere viderer. Hoc consilio *Dan. Whitby*, S. T. P. & Ecclesiæ Sarisbu-

risburiensi. Præcentoris, *Examen Variantium Lectionum* Jo. Millii in N. T. *Londini* primum in folii forma an. 1710. editum, superiore vero anno *Lugd. Batav.* in octava recusum diligenter adhibui, Lectorem illuc nunc simpliciter ablegans, nunc, quæ ibi deficere videbantur, adjiciens. In hoc cum essem, usu didici, *Whitbium* in inscriptione *Examinis* sui vere affirmasse, primum, *Lectionum harum fundamenta incerta plane esse, & ad lectionem textus hodierni convellendam protinus inidonea:* deinde, *Lectiones variantes, quæ sunt momenti alicujus, aut sensum textus mutant, pauciſſimas esse, atque in iis omnibus lectionem textus defendi posse.* Quam itaque in examinandis *Millii* conjecturis operam collocavi, eandem similibus aliorum inventis, quibus nostra laborat ætas, impendendam esse censui, sive illæ obiter, & aliud quasi agendo, sive data opera, & cum aliquo eruditionis apparatu in medium prolatæ essent.

Altera mihi cura fuit, ut ea, quæ ex profanis Græciæ Scriptoribus Græcæ dictioni N. T. lucem fœnerari possent, quæve ex Hebræis, quorum loquendi morem Scriptores N. T. subinde referre pervulgatum est, huc pertinerent, quæ denique ex antiquitate sacra & profana, rebus ipsis illustrandis aut confirmandis inservirent, curate expromerem. Hæc vero opera eo inprimis spectat, ut de stylo Scriptorum Sacrorum rectum formetur judicium. Compertum enim est, alios hic *Hebraismos* hinc cumulasse, hinc penitus amolitos esse. Inter hos media via incedendum esse cordatioribus jampridem observatum est, idemque hac nostra commentatione ad liquidum perductum esse credere audeo. Subinde quoque apparebit, nonnumquam phrasin aliquam, quæ ex Hebraismo minus recte repetita & in pravum sensum detorta erat, ex Græ-

Græciſmo puriore genuino ſuo ſignificatui vindicatam eſſe. Conſtat præterea, alios *Barbarismos* & *Solœcismos* in vocibus ſimplicibus vel vocum ſtructura inveniſſe ſibi viſos. His rectiſſime occurritur prolatis veterum locis ſimilibus, quorum auctoritas in dubium vocari non poteſt. Nec parvam omnino voluptatem cepi, cum intellexi, nullam N. T. dictionem vel φράσιν in ſuſpicionem ejusmodi vocatam unquam eſſe, quæ idoneorum Scriptorum exemplis tueri ſe non poſſit. Nonnunquam, fateor, externorum Auctorum phraſes cum illis Sacrorum comparavi, in quas adhuc quidem ſuſpicio ejusmodi non cecidit. Id vero eo feci conſilio, ne audaciores, vel, ut appellari malunt, delicatiores impoſterum ſimile quid in easdem auderent. Fortaſſe nimius nonnullis fuiſſe exiſtimabor in comparandis Scriptorum Sacrorum ſententiis cum ſimilibus profanorum aſſertionibus. Hic vero nihil me temere egiſſe largientur, qui intelligent, me id omne feciſſe ad retundendam inconſultam eorum hominum libidinem, qui, ubi in ſacris vel morum, vel alius generis, doctrinas legunt, quæ præjudiciis ſuis non reſpondeant, adunco eas naſo ſuſpendere audent, ignari ſcilicet, ſanioris rationis judicium vel ipſos Gentiles easdem docuiſſe.

Tertium, quod in his Curis propoſitum mihi habui, eo ſpectat, ut diverſæ locorum vexatiorum interpretationes conſpectui legentium exhiberentur. Hoc inſtitutum & antiquitati ſe olim probavit, & noſtræ ætatis calculum promeruit. Veteribus id arriſiſſe *Catenæ* manifeſtum faciunt, in quibus concinnandis complurium induſtria olim ſe ita exercuit, ut recentiores eas dignas cenſerent, quas ex tenebris in lucem protraherent. Noſtra vero memoria *Matthæus Polus* edita Synopſi Criticorum ab iis gratiam iniit, qui uſu edo-

cti norunt, quo labore imo & quo tædio voluminosa diversorum Commentatorum opera excutiantur, quamque & proficuum & jucundum sit, potiora eorum cogitata in summam relata legere posse. Ea vero opera nostro sæculo inprimis opus esse, nemo, credo, diffitebitur. Intra paucorum annorum spatium eruditi & elegantioris ingenii homines, impetu quasi facto, & suscepto liberali certamine, industriam suam in eo collocarunt, ut edit. *Observationum*, *Annotationum*, *Animadversionum* &c. vel libellis vel voluminibus, variis N. T. locis lucem ex Philologia accenderent. Qua in re nunc librorum sacrorum ordinem secuti sunt, nunc, prout fors & occasio ferebat, cogitata sua exposuerunt. Alii vero, in argumentis longe aliis versantes, obiter interdum in explicationem locorum dubiorum excurrerunt, eo in loco, ubi tale quid lector exspectatione præcipere non poterat. Ejusmodi itaque commentationes evolvendas mihi sumsi, ut, instructa quasi acie, comparerent uno loco, quæ hinc inde dispersa plerorumque oculis se alioquin subducunt. Ex his, Lector, intelligis, quibus præsidiis instructus ad hanc commentationem accesserim. Scilicet Interpretes vel universales in totum N. T. vel speciales in unum alterumve ejus librum data opera non adhibui, quippe quos facili opera ab unoquoque inspici & consuli posse non ignoras. Tale olim erat *Poli* consilium, a quo meum deflectit. Nonnunquam equidem & ejusmodi commentatores ad partes vocavi, ubi scilicet in loco difficiliori versari me intelligebam; vel ubi confutatio eorum a recentioribus Scriptoribus, qui ad institutum meum propius accedebant, facta id requirebat. Hinc factum est, ut *Heinsii*, *Clerici* & similium labores frequentius excitarem. Præterea nec ullum eorum Scriptorum, quos *Polus* excerpsit,

pſit, in circulos meos retuli, niſi eædem, quas modo dixi, rationes id poſtularent. Neque vero ipſa Auctorum verba prolixius afferenda cum *Polo* putavi, ſed ſatis habui, ſi eorum ſententiam clare & fideliter exponerem. Alioquin enim nec brevitati, quam inſtitutum meum poſcebat, nec amoliendo Lectoris tædio conſuli ſatis poſſe videbam. Interdum tamen ipſa quoque Scriptorum verba ſolicite deſcripſi, quando nempe ſententia eorum brevius exponi non poterat, vel libri ipſi rarius erant obvii, ut agnavioribus & induſtriis non facile inſpici poſſent. Hæc ratio eſt, cur v. c. *Jo. Boiſii Collationem Veteris Interpretis cum Beza aliisque recentioribus* accuratius legentis conſpectui ſtiterim. In diverſis Interpretum, ubi plures eſſent, ſententiis enarrandis ita verſatus ſum, ut, quoad fieri poſſet, ſeries quædam orationis inde naſceretur, legentisque tædium caveretur. Hoc enim facile oboriri perſpexi, ſi ea ratione, quam *Polus* hic ſectatus eſt, res inſtituatur.

Hac itaque ratione uſus ſum iis Scriptoribus, quorum indicem mox conſpicies. De his ſigillatim non dicam, ubi pauciſſima monuero. Vides inter eos *Scaligeri*, *Salmaſii*, *Caſauboni*, *Voſſii* &c. magna volumina. Hæc ut olim in adverſaria mea ſacra retuli, ſi quid ad ſacrarum literarum illuſtrationem promerent; ita nunc repetita induſtria percurrenda mihi eſſe putavi, quod in illis, loco ſæpe alieniſſimo, non contemnenda exſtare deprehenderem, quæ plerorumque induſtriam ita fallunt, ut fere in uſum non convertantur. *Balduinum* quidem *Walæum* video in Commentario ſuo ſuper libros Hiſtoricos N. T. idem ſibi propoſitum habuiſſe. Sed is unius fere Salmaſii opibus, hinc inde conquirendis,

contentus fuit, neque præterea, quod inprimis fieri par erat, libros *Salmasii*, in quibus singula suo loco legerentur, appellavit, sed inquirendi laborem fallacem & tædii plenum lectori reliquit. De ceteris, quos adhibui, Scriptoribus non dicam. Honoris tamen causa appellandum censeo Rev. *Georg. Raphelium*, Pastorem hodie apud Luneburgenses meritissimum, cujus Annotationes in N. T. ex *Xenophonte*, *Polybio* & *Arriano* haustas frequentissime a me commemoratas videbis. Scilicet non vidi facile quenquam, qui reverentius & modestius hæc sacra tractaret, quique in phrasibus externorum Scriptorum ad dictionem N. T. accommodandis & in lucem ejus proferendis diligentius & felicius versaretur. Adjunxi his *Disputationes* singulares, quæ vel ad unum, vel ad plures N.T. locos, ex literis præcipue elegantioribus illustrandos, referuntur. Eas per copiam in Indicem non retuli, sed auctores tamen suis singulos locis gratus allegavi. Cura hæc nemini minuta vel supervacua videbitur, qui meminerit, eas interdum non indiligenter, nec frustra, in difficillimis momentis expediendis versari, & temporis injuria hominum oculis ita sensim subduci, ut memoria vix superstit. In Opere ipso aliorum quoque eruditorum scripta copiose appellata invenies, quorum mentio facta est frequentius, additis singulorum editionibus, quibus ipse usus sum. Inter eos nonnullos ex parte tantum adhibere mihi licuit, ideo quod eo demum tempore lucem viderunt, quo Curæ meæ ex dimidia parte formis jam erant exscriptæ. Huc pertinent VV. CC. *Henr. Bened. Starckii* Notæ Selectæ in loca difficiliora N. T. & *Jo. Alberti* Observationes Sacræ. Quæ itaque hinc deficiunt, ea, si Deus annuerit, olim cum aliis in Supplementis locum occupabunt. Ita B. *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates

Novi

Novi Teſtamenti rarius advocavi, ideo, quod intelligerem, Virum præſtantiſſimum de ſingulis fere vocibus N. T. commentatum eſſe, atque adeo crederem ſufficere, ſi lector ſemel iterumque de eo, proprio ſtudio conſulendo, admoneretur. Hoc vero tanto erit facilius, quod ad Lexici formam inſigne opus conformatum eſt. *Jo. Henr. Suiceri* Theſaurum Eccleſiaſticum laudavi frequentius. In eo enim difficiliores tantum voces phraſesque ita illuſtrantur, ut eadem opera ex veteris Eccleſiæ Doctoribus de difficilioribus vel locis vel argumentis diſputetur. Omiſeram fere monere, V. C. *Dan. Wilhelmi Trilleri*, Philoſ. & Med. Doctoris Merſeburgenſis, notas manu exaratas ſubinde a me afferri. Eas ſcilicet Vir elegantis ingenii & doctrinæ, cui inter reliqua *Hugonis Grotii* Chriſtum Patientem, carmine Germanico ſcite expreſſum, notisque egregiis illuſtratum, debemus, pro ſuo in me ſtudio ſponte ſua mecum communicavit. Sed iis tamen per brevitatis legem, quam mihi ſtatui, ita uti non potui, quin optandum ſit, ut integræ in lucem proferantur: quemadmodum & *Jo. Dougtæi* Analecta Sacra ab eodem recognita & acceſſionibus aucta, nec non *Lamberti Boſii* Exercitationes Sacræ, novis obſervationibus amplificatæ, dignæ ſunt, quæ prelum exerceant, & in communem uſum cedant.

Supereſt, ut *quartum* momentum commemorem, quod curas meas exercuit. De eo itaque ſic habe. Diverſas Interpretum ſententias non nude recenſendas eſſe credidi, in qua opera *Polum* acquieviſſe conſtat, ſed examini qualicunque eas ſubjeci. Inſtituti hujus eam habui rationem, quod intelligerem, ætatem noſtram non ſolum in proferendis novis & inſolentibus interpretationibus, ſed & in iisdem amplectendis luxuriari, non ſine periculo quodam & fraude, quæ

illis fieri ſolet, qui ad hæc ſacra tractanda & intelligenda crudo quodam & immaturo ſtudio, nec ſatis inſtructi, accedunt. In eorum itaque gratiam interpretationes alieniores, & quæ non niſi affectata novitate commendare ſe ſolent, ita enarravi, ut ex ipſa recenſione de pretio earum judicium formari poſſet; vel, ſi hoc non ſufficeret, in Auctorum argumenta curatius inquiſivi, ſed ea brevitate, quæ inſtituto meo ejusque cancellis fraudi non eſſet. Cum vero mihi verendum eſſet, ne brevitas pareret obſcuritatem, operam dedi, ut ſaltem afferentur ii, qui in eodem argumento ante me diligentius verſati ſunt. Eo fine provocavi paſſim tum ad alios Commentatores, tum inprimis ad *Abrah. Calovium* τὸν μακαρίτην, qui ex noſtratibus in Bibliis Illuſtratis docti ſolertisque Interpretis partes præ cæteris implevit. In argumenta Theologiæ Dogmaticæ rariſſime diverti, quippe quæ aliis præſidiis quam Philologicis, opus habent. Neque tamen eorum tractationem penitus omiſi, ſed ingreſſus potius ſum, ubi Philologiam ipſis opem ferre perſpexi. Verſionis Germanicæ, quam B. *Lutheri* noſtri incomparabili induſtriæ debemus, rationem inprimis habui, & vindicias ejus ſubinde ſuſcepi, vel *Raithii*, aliorumque, qui in hoc negotio ante me occupati fuerunt, opera, vel meis cogitatis, uſus. In examinandis autem interpretationibus ea vel modeſtia, vel æquitate uſus ſum, ut diſſentientes ipſos nihil in me aliud deſideraturos eſſe confidam, quam quod diſſenſerim. Hoc autem neminem cordatiorum male habebit, qui eandem ſibi libertatem integram velit & optet, & a me fieri ſciat. Eam vero æquitatem ut humanitas ipſa, ita vel potiſſimum ſacra, quæ tractabam, requirere videbantur. Propterea etiam doctrinam & eruditionem in illis cum honoris præfatione laudavi, qui aliis de cauſis nec mihi, nec aliis probantur, imo quorum nonnulli, exemplo prorſus contrario, vel conviciis vel durioribus ſententiis graſſari in alios ſolent. Hæc volui, Benevole Lector, ne neſcires. Si Deus vitam & vires largiatur, curas has in reliquos Novi Inſtrumenti libros proxime accipies. Faxit vero Summum Numen per CHRISTVM, Dominum noſtrum, ut opera hæc in Nominis ſui gloriam, & ſacrarum literarum incrementum vergat. Ita vale, & conatus meos benigne interpretare.

INDEX

INDEX SCRIPTORUM ET INTERPRET.

qui in his Curis frequentius allegantur.

Acta Erudit. Lipsienſ. Latin. ab an. 1682. ad 1724.

Acta Erudit. Lipsienſ. German. ab an. 1712. ad 1724.

Adami (Cornel.)
Obſervationes Theologico - Philolog. Groning. 1710. 4.
Exercitationes Exegeticæ. ib. 1712. 4.

Alba (Jo.)
Selectæ Annotationes & expoſitiones in varia utriusque Teſtamenti difficillima loca. Valent. 1613. 4.

Alberti (Jo.)
Obſervationes Philolog. in ſacros Novi Fœderis libros. Lugd. Bat. 1725. 8.

Alethæi (Theoph.)
i. e. *Laur. Mulleri* & nunc *Jeremiæ Friderici* Gründliche Erläuterung der dunckelſten Oerter und Steine des Anſtoſſens A. und N. Teſtaments. Lipſ. 1714. ſqq. 8. Tomi IV.

Allixii (Pet.)
Ausſpruch der Jüdiſchen Kirche wider die Unitarios. Berlin 1707. 4.
Vernünftige Betrachtungen über die Bücher der H. Schrift. Nürnberg 1702. 8.
Diſſertatio de Anno & menſe natali Jeſu Chriſt. Lond. 1710. 8.

Altingii (Jac.)
Operum Tomus II, ubi Parallelismus Vaticiniorum V. & N. T. Tomus IV, ubi commentationes ſpeciales ſuper locos quosdam Nov. T. tum vero inprimis Tom. V, quo Philologica, ut *Schilo* &c. & epiſtolæ continentur.

Amelii (Theophili) i. e *Pet. Zornii*,
Erörterung der dunckelſten und ſchwerſten Schrifft-Stellen im N. T. Cölln (Hamburg) 1711. 1712. 8. Tom. II.

Andalæ (Ruard.)
Exegeſis illuſtrium locorum. Franequer. 1720. 4.

Anonymi Angli Annotatt. in ep. ad Epheſ. a Rhenferdio ed. Franequ. 1704. 8.

Anonymi epiſtolæ duæ ad celeb. doctiſſ. que Virum F. V. Profeſſ. Amſtelod. quibus Rich. Bentleji conjecturæ de ſacro textu adhuc in lucem emiſſæ examinantur, & novæ afferuntur. *Lond.* 1721. 4.

Anon. (i. e. Caſp. Ern.) *Trilleri*
Unterſuchung etlicher Oerter des N. T. die wegen bißher übler Uberſetzung die Wahrheit aufgehalten haben. Leipz. 8. cum H. A. Franckii Anmerckungen über einige Oerter der H. Schrifft.

Arnaldi (Anton.)
Nouvelle Defenſe (avec la Continuation) de la Traduction du N. T. contre le livre de Mr. Mallet. a Cologne 1682. 8.

Arndii (Joſuæ)
Miſcellan. Sacrorum liber unus. Hafn. 1648. 8.

Baccii (Andr.)
de conviviis antiquorum Tom. IX. Antiquitt. Græcar.

Baelii (Pet.)
Nouvelles de la Republ. des lettres. Roterod. 1684-1698. 12.
Commentaire Philoſophique.

Balduin

Balduin. (Benedict.)
de calceo antiquo & *Jul. Nigronus* de caliga cum notis *Jo. Frid. Nilant, Lugd. Bat.* 1711. 8.

Barthii (Casp.)
Adversaria Sacra. Francof. 1648. fol.

Barthii (Jo. Henr.)
Primitiæ Academicæ. Arg. 1714.

Bartholini (Casp.)
de tibiis veterum. *Amstel.* 1679. 12.

Bartholin. (Thom.)
de morbis Biblicis, in Fasciculis Opusculorum, quæ ad historiam & Philologiam Sacram spectant, Tom.
de Puerperio veterum, Amstelodam. 1676. 12.
de Cruce Christi hypomnemata. ib. 1670. 12.
de Sanguine vetito disquisitio. Francof. 1673. 8. &c.

Bashuysen (Henr. Jac. van)
Animadversiones selectæ in diversa loca Scripturæ Sacr. Delph. 1723. & Disputationes variæ, itemque Clavis Talmudica Maxima, Hanov. 1714. 4. &c.

Basnage (Henr.)
Historie des Ouvrages des Savans. Roterod. 1687. ad 1709. 12.

Basnage, (Jac.)
Histoire des Juifs. Roterod. 1707. 8. Tom. V.

Basnage (Sam.)
Exercitationes Historico-Criticæ de rebus Sacris & Ecclesiast. adversus Annales Baronii, *Ultraj.* 1692. 4.

Bayfius (Lazar.)
de re vestiaria Tom. VI. Antt. Rom. Grævii.

Beausobre V. *Lenfant.*

Bentley (Rich.)
de Stultitia Atheismi. Berol. 1696. 8. Epistola ad Jo. Millium, Malalæ Chronico subjecta.
Animadversiones Anglice scriptæ in lib. de libertate cogitandi. Lond. 1713. 8. &c.

Bergierius (Nic.)
de publicis Viis Populi Romani in Thesauro Antt. Roman. Tom. X.

Bernardi (Jac.)
Nouvelles de la Republique des Letters. Amstelod. 1698-1710. 12.

Bernardi (Eduard.)
de mensuris & ponderibus antiquis. Oxon. 1688. 8.

Berthaldus (Pet.)
de Ara, Tom. VI. Antt. Rom.

Beveregii (Wilh.)
Conciones Anglicanæ. Lond. 1716. 8. 12. Voll.

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica *Bremensis.* Brem. 1718. sqq. 8. Classes VI. Voll. VI.

Bibliotheque Angloise, ou Histoire Liter. de la Grande Bretagne per *de la Roche.* Tom. V. 12. quæ deinceps continuata est usque huc per eundem sub titulo: Memoires Literaires de la Grande Bretagne. Hagæ 12.

Bibliotheca Literaria being a Collection of Inscriptions, Medalls, Dissertations &c. Lond. 1722. & 1723. 4. Fasciculi IV.

Bocharti (Sam.)
Operum Tom. II. quæ in eo præter Geographiam Sacram exstant. Lugd. Bat. 1692. fol.

Boeclerus (Jo. Henr.)
de Legione Romana, Tom. X. Antiquitt. Roman.

Boisti

Boiſii (Jo.)
Veteris Interpretis cum Beza aliisque recentioribus Collatio in IV. Evangeliis & Apoſtolorum Actis. Lond. 1655. 8.

Borremanſii (Anton.)
Variæ Lectiones. Amſtelod. 1676. 8.
Dialogus de Prophetis & Poetis. ibid. 1678. 8.
Veſperæ Gorinchemenſes. ib. 1687. 8.

Bos (Lamb.)
Obſervationes Miſcellaneæ ad loca quædam tum N. T. tum exterorum Scriptorum Græc. cum *Horatii Vitringæ* Specimine Animadverſionum ap. Jo. Vorſtii Philolog. Sacr. Franequ. 1706. 8.
Exercitationes Philolog. in N. T. cum Diſſert. de Etymologia Græca, Franequ. 1713. 8.
De Ellipſibus Græcis, cum notis *Chriſtian. Schoetgenii*. Lipſ. 1713. 12.

Boiſii (Jo. Andr.)
Exercitat. ad 2. Timoth. II. 22.
De Pontifice maximo veteris Romæ, &c. quæ recuſa exſtant in Opuſculis ejus cum Introduct. in notitiam Scriptorum Eccleſiaſticor. Jen. 1723. 8. editis.

Boſc (Pet. du)
Vita cum annexis Diſſertatt. Gall. ed. Roterod. 1694. 8.

Boyſen (Pet. Adolph.)
Diſſertatio Critica & Theolog. de Codice Græco N. T. & conſilio, quo uſus eſt B. Lutherus in conficienda interpretatione Bibl. Germanica, Lipſ. 1723. 4.

Brais (Steph. de)
Comm. in ep. ad Roman. cum Diſſ. ad Luc. VI. 1. & 1. Cor. XV. 29. Lipſ. 1707. 4.

Braunii (Jo.)
de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum. Amſtelod. 1680. 4.
Selecta Sacra ibid. 1700. 4.
Commentar. in Epiſt. ad Hebræos. ib. 1705. 4.

Briſſonii (Barnab.)
Comm. ad L. Dominic. de Spectaculis & Feriis, Tom. VI. Theſauri Antiquitt. Græc.

Brown (Thom.)
Miſcellan. Tracts. Lond. 1684. 8.

Bücher-Saal (Ephemerides Literariæ German.) Lipſ. 1710. ad 1717. Partes LX. 8.

Buddei (Jo. Franc.)
Parerga Hiſtorico-Theologica. Hal. 1703. 8.
Introductio ad Hiſtoriam Philoſophiæ Hebræorum. Hal. 1720. 8.
Diſſertation. Theologic. Syntagma.
Inſtitutiones Theologiæ Dogmat. Lipſ. 1723. 4.
Variæ Diſputationes ſeorſim editæ, &c.

Bulengeri (Jul. Cæſ.)
de Theatro. Tom. IX. Theſauri Antt. Rom.
de Convivis. ibid. Tom. XII.
de Pictura & Plaſtice. Tom. IX. Antiquit. Græcar.

Butii (Vinc.)
de potu antiquorum Tom. XII. Antiquit. Græc.

Bynæi (Anton.)
De Natali Jeſu Chriſti. Amſt. 1689. 4.
de morte Jeſu Chriſti libri III. ib. 1691. ſqq. 4.
de Calceis Hebræorum ed. 2. Dordrac. 1715. 4.

Calmeti (Auguſt.)
Diſſertationes variæ, Commentariis in libros Biblicos præmiſſæ, & deinde junctim editæ.

Calovii (Abrah.)
Biblia Illuſtrata in N. T. Francof. ad Mœn. 1666. fol.

Cappelli (Ludov.)
Commentarii & notæ Criticæ in V. T. Amſtelod. 1689. fol.

Carpzovii (Jo. Bened.)
Diſputationes Academicæ. Lipſiæ 1699. 4.
Ej. Animadverſiones & Notæ in *Wilh. Schickardi* Jus Regium Hebræorum, Lipſ. 1674. 4.

Caſalius (Jo. Bapt.)
de Tricliniis, &c. Tom. IX. Antt. Gr.

Caſauboni (Iſaaci)
de rebus Sacris & Eccleſiaſt. adverſus Baronium Exercitt. XVI. Genev. 1655. 4.
Ejusd. Animadverſiones in Athenæum. Lugd. 1621. fol.
item in Theophraſti Characteres. Lugd. 1593. 8.
Epiſtolæ ab Almeloveenio ed. Roterod. 1709. fol.
Caſauboniana, c. notis meis, ed. Hamb. 1710. 8.

Caſauboni (Merici)
Opuſcula cum Iſaaci Parentis epiſtolis l. c. edita in fol.

Caſtellionis (Sebaſt.)
Defenſio verſionis N. T. contra Theod. Bezam, prout edita eſt in calce verſionis ipſius Bibliorum Lat. Francof. 1697. 4.

Cellarii (Chriſtoph.)
Diſſertationes Academic. Lipſ. 1712. 8.
Notitia orbis antiqui. Lipſ. 1701. & 1704. 4. Tomi II.

Le Cene (Carol.)
Projet d'une nouvelle Verſion Françoiſe de la Bible. Hag. 1705. 8.

Cerda (Lud. de la)
Adverſaria Sacra. Lugd. 1626. fol.

Cheitomæus (Mart. Pet.)
de Vocibus Græco-Barbaris N. T. Amſt. 1649. 12.

Chimentellii (Valer.)
Marmor Piſanum de honore Biſellii Tom. VII. Antiquitat. Roman.

Ciacconius (Pet.)
de Triclinio, cum *Fulv. Urſini* Append. & *Hier. Mercurialis* Diſſ. de Accubitu. Amſtelod. 1689. 12.

Clerici (Jo.)
Bibliotheque Univerſelle. Amſtelod. 1686-1693.
Bibliotheque Choiſie 1703-1713.
Bibliotheque Ancienne & Moderne 1714 usque ad 1724.
Ars Critica Part. III. Lipſ. 1713. 8.
Notæ in Paraphraſin Hammondi ſuper N. T. edit. ultimæ in fol.
Notæ in Nov. T. Gallice ab ipſo verſum. Amſtelod. 1703. 4.
Notæ in *Heſiodum* &c.

Clerici (Dav. & Stephani)
Quæſtiones & Diatribæ Sacræ, cum annotatt. *Jo. Clerici.* Amſtel. 1685. 8.

Cocceji (Jo.)
Operum Tomus VI. ubi habentur epiſtolæ & Philologica alia. Francof. ad Mœn. 1689. fol.
item Opera Anecdota. Amſtel. 1706. 2. Tom. fol.

Colomeſii (Paul.)
Opera, & inprimis Obſervationes Sacræ. Hamb. 1709. 4.

Coptica verſio N. T. cum Prolegom. *Dav. Wilkinſii.* Oxon. 1716. 4.

Cocquii

Cocquii (Adrian.)
Phytologia Sacra. Vliſſing. 1664. 4.
Cotelerii (Jo. Bapt.)
Monumenta Eccleſ. Græcæ cum notis. Pariſ. 1677. ſqq. 4. Voll. III.
Coulan (Ant.)
Examen de l' Hiſtoire Critique du N. T. Amſtel. 1696. 8.
Crenii (Thomæ)
Animadverſiones Philolog. & Hiſtoricæ Pars I.-XVIII. Lugd. B. 1698. ſqq. in 8.
Criticorum Sacrorum Supplementum, Francof. ad Mœn. 1700. 2. Tom. fol.
Croji (Jo.)
Obſervationes Sacræ. Genev. 1644. 4.
Cudworth (Radulph.)
The true intellectual Syſteme of the Univerſe. Lond. 1678. fol.
Cuperi (Gisbert.)
Obſervation. libb. 3. Ultraj. 1670.-8.
Curtius (Cornel.)
de Clavis Dominic. Antw. 1670. 12.
Dannhaueri (Jo. Conr.)
Diſputatt. Theolog. Lipſ. 1707. 4.
Danzii (Jo. Andr.)
Sinceritas Scripturæ V. T. eluctans, Jen. 1717. 4.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.
Daſſovii (Theod.)
De Emphaſi Sacrarum vocum. Kilon. 1703. 4.
Diſputationes variæ alias ſeorſim editæ.
Prælectiones *ἀνέκδοτοι*.
Devarii (Matthæi)
de Græcæ Linguæ particulis. Norib. 1700. 8.
Deuſingii (Herm.)
Allegoria hiſtoriarum Evangelico-Prophetica. Embd. 1711. 4.
Deylingii (Salom.)
Obſervationes Sacræ, Pars I. Lipſ. 1708. II. ibid. 1711. & III. ibid. 1715. 4.
Dieterici (Jo. Conr.)
Antiquitates Biblicæ ſive Lexicon Philologico-Theologicum Græco-Lat. Francof. ad Mœn. 1680. fol.
Dilherri (Jo. Mich.)
Diſputationum Academic. præcipue Philologicarum, Tom. II. Norimb. 1652. 4.
Farrag. rituum Sacrorum, ſive Electorum libri III. ibid. 1645. 12.
Dodwelli (Henr.)
Lettres of Advice. Lond. 1691. 8.
Uſe of Incenſe. Lond. 1711. 8.
Epiſtolary Diſcourſe that the Soul is a principale naturally mortal. Lond. 1706. 8.
Diſſertationes Cyprianicæ cum Cypriani Opp. Bremæ 1690. fol. & alia.
Dorſchei (Jo. Georg.)
Semeſtre Tiburtio-Dionyſianum, ſive Miſcellanea Hiſtorico-Theol. Roſt. 1669. 4.
Dougtæi (Jo.)
Analecta Sacra Nov. Teſt. Amſtelod. 1693. 8.
Dounæi (Andr.)
Prælectiones ad Demoſthenis Philippic. de Pace. Lond. 1621. 12.
Druſius (Jo.)
De Sectis &c. prout exſtant in Syntagmate trium illuſtrium Scriptorum de Judæorum Sectis, a Jac. Triglandio ed. Delphis. 1703. 4.
Eckhard (Tob.)
Technica Sacra, ſive de origine & uſu verborum & phraſium ſenſibus myſticis accommodatarum. Quedlinb. 1716. 4.

Edwardi (Jo.)
Exercitations Critical, Philoſophical, Hiſtorical, and Theological on ſeveral important places in the writings of the Old and New Teſtament. Lond. 1702. 8.

Edzardi (Georg. Eliezeris)
Animadverſiones ad Advoda Sara cap. I. Hamb. 1705. 4. ad cap. II. ibid. 1710. ad Berachoth cap. I. ibid. 1713. 4.

Elsneri (Jac.)
Obſervationes Sacræ in libros Hiſtoricos N. T. Ultraj. 1720. 8. Tom. I.

Ens (Jo.)
Bibliotheca Sacra ſive de librorum N. T. Canone. Amſtel. 1710. 8.

Epiſcopii (Simon.)
Operum Theologic. T. I. Pars II. ubi Reſponſio ad Quæſt. Theolog. LXIV. exſtat.

Eraſmi (Deſid.) Roterodam.
Opera, Lugd. Bat. 1703. ſqq. fol. inprimis Tom. III. & IX.

Erkuche (Jo.)
Miſcellanea Sacra. Embd. 1710. 8.

Fabri (Pet.)
Semeſtrium lib. I. & II. Gen. 1560. 4. lib. III. Lugdun. 1595. 4.

Fabri (Tanaqu.)
Epiſtolar. Partes II. Salmur. 1674. 4.

Fabricius (Jo. Alb.)
Bibliographia Antiquaria, Hamb. 1713. 4.
Bibliothec. Græc. Vol. I. ibid. 1705. ad Vol. XII. ibid. 1724. 4.
Codex Apocryphus N. T. cum notis Pars I. & II. Hamb. 1703. 8. Pars III. ibid. 1719. 8.
Codex Pſeudepigraphus V. T. Vol. I. ibid. 1713. 8. Vol. II. 1723. 8.
Obſervationes Selectæ in varia loca N. T. Ramireſ. de Prado, Alex. Mori & Pet. Poſſini. Hamb. 1712. 8.
Obſervationes & Notæ ad Hippolytum. Hamb. 1716. & 1718. fol. II. Voll.
Notæ ad Sextum Empiricum. Lipſ. 1718. fol.

Fama erudita (Gelehrte Fama)
recenſens Diſputationes Academicas inde ab an. 1711. ad 1717. Partes LX. 8.

Faſciculi Opuſculorum, quæ ad Hiſtoriam & Philolog. Sac. ſpectant Tom. X. Roterod. 1693. 1700. in 8.

Fechtii (J.)
Schediaſmata Sac. Roſtoch. 1706. 8.
Philocalia Sacra. ibid. 1707. 4.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.

Ferrarii (Bernh.)
de veterum Acclamationibus & Plauſu. Mediol. 1627. 4.

Ferrarii (Octav.)
de Re veſtiaria, Tom VI. Antt. Roman.

Feſſelii (Dan.)
Adverſaria Sacra Tom. I. Witteb. 1650. Tom. II. ibid. 1658. 4.

Feuſtelii
Miſcellanea Sacra & Erudita. Lipſ. 1715. 8.

Flemingii (Rob.)
Chriſtology Vol. I. Lond. 1705. 8. & II. ibid. 1708. 8.

Foertſchii (Michael.)
Diſſertationum Selectarum Decas. Jen. 1708. 4.
Diſſertationes aliæ

Franckenſteinii (Chriſtian. Frider.)
Obſervationes in Epiſt. ad Philemonem. Lipſ. 1665. 12.

Franckii (Aug. Herman.)
Anmerckungen über etliche Oerter H. Schrift, Lipſ. 8. quæ una cum continua-

tinuatione recuſæ exſtant in ejusdem öffentlichen Zeugniſſe vom Worte GOttes. Halle. 1702. 4.

Franzii (Wolfg.)
de Interpretatione Scripturæ Sacræ. Witteb. 1708. 4.
Freywillige Heb-Opffer von allerhand in die Theologie lauffenden Materien. Berlin 1715. ſqq. Tom. IV. in 8.

Gale (Thom.)
Notæ ad Jamblichum, de Myſteriis. Oxon. 1678. fol.

Gatakeri (Thom.)
Diſſertat. de Stylo Nov. Teſt. Lond. 1648. 4.
Notæ ad Marc. Antonini libros ad ſe ipſum. Cantabrig. 1652. 4.

Geieri (Mart.)
Opuſcula Philolog. Francof. 1691. 4. ubi ſpeciatim de Luctu Hebræorum &c.

Germon (Barthol.)
de hæreticis Codicum Eccleſ. corruptoribus. Pariſ. 1713. 8.

Glaſſii (Sal.)
Philologia Sacra. Jen. 1668. 4.

Gœtzii (Georg. Henr.)
Meletemata Annæbergenſia. Lubecæ. 1706. 8.
Diſſertatt. variæ ſeorſim editæ.

Gouſſeti (Jac.)
Veſperæ Groninganæ, ſive amica de rebus Sacris colloquia, ed. 2. Amſtel. 1711. 8.
Commentarii ſive Lexicon Linguæ Hebraicæ. Amſtel. 1702. fol.
Confutatio libri Judaici *Chiſſuck Emuna*. Amſtel. 1712. fol. cum Diſputatt. in Epiſt. ad Hebr.

Grævii (Jo. Georg.)
Theſaurus Antiquitatum Romanarum. Lugd. Bat. XII. Voll. fol.
Ejusd. Syntagma variarum Diſſertationum rariorum, Ultraj. 1702. 4.
Ej. Notæ ad Heſiodum.

Gronovii (Jac.)
Theſaurus Antiquit. Græcarum L. Bat. XII. Voll. fol.
Ej. Exercitationes de Nece Judæ. Lugd. B. 1712. 4. & 1703.
Ej. Decreta Roman. & Aſiatica pro Judæis. Lugd. B. 1712.

Grotius (Hugo)
Operum Tomus III. quo varia huc ſpectantia continentur. Amſtelod. 1679. fol.

Gruteri (Jan.)
Lampas ſive Fax Artium Liberal. h. e. Theſaurus Criticus Tomi VI. Francof. 1602. usque ad 1612. 8.

Gurtleri (Nic.)
Diſſertationes de Jeſu Chriſto in gloriam evecto fatisque populi ipſius. Franequ. 1711. 4.

Hackſpanii (Theodoric.)
Notarum Philologico-Theologic. in varia & difficilia Scripturæ S. loca, Pars III. in SS. Evangelia. Altorf. 1664. 8.
Miſcellaneorum libri II. ibid. 1660. 8.
Sylloge Diſputationum Theolog. & Philolog. Altorf. 1663. 4.
De uſu librorum Rabbinic. cum Lipmanni Nizzachon. Nor. 1644. 4.

Hanſenii (Jo. Bapt.)
liber de Jurejurando veterum, Tom. V. Antt. Roman.

Hardt (Herman. von der)
Ephemerides. Helmſt. 1693. 4.
Ænigmata Priſci Orbis, Jonas in Luce &c. Helmſt. 1723. fol.
Diſſertationes variæ ſpeciales.

Harduini (Jo.)
Opera Selecta. Amſtel. 1709. fol.

Heideggeri (Gotthard.)
Recreationes Sacræ. Tigur. 1711. 8.
Henningii (Jo.)
Dissertationes Exeget. in selecta Scripturæ S. Oracula. Helmst. 1712. 8.
Heumanni (Christoph. Aug.)
Parerga Critica. Jen. 1712. 8.
Ejusd. Pœcile sive Epistolæ miscellaneæ, Tom. I. Lib. I. Hal. 1722. 8. lib. II. ibid. 1723. 8.
Heupelii (Georg. Frider.)
S. Marci Evangelium Notis Grammatico-Historico-Criticis illustratum. Argentor. 1716. 8.
Hilleri (Matth.)
Syntagmata Sacra. Tubing. 1711. 4.
Onomasticon Sacrum. ibid. 1706. 4.
Histoire de l'Academie des Inscriptions &c. Paris. 4. Tom. IV.
Histoire Critique de la Republique des lettres, per *Jo. & Philip. Massonum* ab an. 1712. usque ad ann. 1718. Tom. XV. 12.
Histoire des Ouvrages des Savans (v. Henr. Basnage.)
Hombergii (Joh. Frider.)
Parerga Sacra, seu Observatt. quædam ad N. T. Ultraj. 1712. 4.
Honert (Taco Hajo van den)
Syntagma Dissertatt. de Stylo N. T. Græco. Amstel. 1702. 4.
Hottingeri (Jo. Conr.)
de decimis Judæorum. Lugdun. Batav. 1713.
Hottingeri (Jo. Henr.)
Discursus Gemaricus de Incestu, Creationis & Currus Opere, cum notis. Lugd. Bat. 1704. 4.
Hottingeri (Jo. Jac.)
Pentas Dissertationum Biblico-Chronologic. Ultraj. 1723.
Huberi (Zachar.)
Dissertatt. Juridicæ & Philolog. Franeqv. 1702. 4.
Jensii (Jo.)
Ferculum Literarium. Lugd. Batav. 1717. 8.
Joncourt (Pet.)
Lettres Critiques sur divers sujets importans de l'Ecriture S. Amstel. 1715. 8.
Ittigii (Thom.)
Selecta Capita Historiæ Eccles. Sec. I. Lipsi. 1709. & Sec. II. ibid. 1711. 4.
Enneas Exercitatt. Theologic. ibid. 1702. 8.
Dissert. de Hæresiarchis Ævi Apostolici. Lipsi. 1690. 4. cum Append. ibid. 1696. 4.
Opuscula varia, ibid. 1714. 8.
Keuchenii (Pet.)
Annotationes in N. T. i. e. Evangelia & Acta. Amstel. 1689. 4. & cum præfixo novo titulo, ibid. 1708.
ad quam edit. nonnulla in reliquos N. T. libros ex Grotio maximam partem petita accedunt.
Kidderi (Rich.)
Demonstration of the Messie. Londin. 1684. 8. 3. Voll.
Klingleri (Anton.)
Dodecas Exercitationum Academic. Tigur. 1690. 8.
Koch (Jo. Christoph.)
Observationes Miscell. Lipsi. Tom. I. 1713. II. 1715. III. 1715. 1716. 8. Ger.
Kuhnii (Joach.)
Pentas Quæstionum Philologic. Argentor. 1689. 4.
Kusteri (Ludolphi) alias *Neocori*
Bibliotheca Novorum librorum Traj. ad Rhen. 1697. sqq. 8. Voll. III.
Editio N. T. Milliani repetita cum epistola præmissa. Amstel. 1710. fol.

De

De vero usu verborum mediorum apud Græcos. Lugd. Bat. 1717. 12.

Notæ ad Suidam. Cantabrig. 1705. fol. Vol. III.

Lamy (Bernh.)

Harmonia 4. Evangelistarum cum Commentario. Paris. 1699. 4.

Apparatus Biblicus. Lugdun. Batavor. 1711. 8.

Lampe (Frider. Adolph.)

de Cymbalis Veterum. Traj. ad Rhen. 1703. 12.

Exercitationes XII. in Psal. XLV. Brem. 1714. 4.

Commentarius in Evangelii Johannis capita IV. priora. Amstelodami 1724. 4.

Langii (Joach.)

Commentatio Historico-Hermeneutica de Vita & Epistolis Apostoli Pauli. Hal. 1718. 4.

Langii (Wilh.)

de Annis Christi Libb. II. Lugd. Batav. 1699. 4.

Langii (Jo. Michael.)

Disputationes Theologico-Exegetico-Practicæ. Dec. I. & II. Altorff. 1703. 4.

Lauñoji (Jo.)

Epistolæ. Cantabrig. 1689. fol.

Lempereur (Constantin.)

Notæ ad Codicem *Middoth*. Lugd. Bat. 1630. 4.

Notæ ad Codicem *Bava Kamma*. ibid. 1637. 4.

Lenfant (Jac.) & *Beausobre*.

Nouveau Testament avec des Notes Literales. Amstel. 1718. 4.

Lipsius (Just.)

de Cruce, cum notis. Amstelodami 1670. 12.

Leydeckeri (Melchior.)

de Republic. Hebræorum, libb. XII. Amstelod. 1704. fol.

de vario Reipubl. Hebræor. Statu. ibid. 1710. fol.

Læscherus (Val. Ernest.)

Decimæ Evangelicæ sermone vernaculo. Magdeburg. 1710. sqq. 8. Partes VI.

Stromateus, sive Dissertationes Sacri & Literarii Argumenti. Witteberg. 1724. 4.

Comment. de Causis Linguæ Hebraicæ. Lipsi. 1706. 4.

Initia Academica. Witteb. 1707. 4.

Dissertationes variæ seorsim editæ.

Lomeieri (Jo.)

Dies Geniales. Daventr. 1694. 8.

Observationes in Luc. XVI. Ultraj. 1683. 12.

de Lustrationibus veterum Gentilium. Zutphan. 1700. 4.

Lorimer (Guilielm.)

Plain Explication of the first 18. verses of the first Chapter of the Gospel written by S. John. Lond. 1713. 8.

Lydii (Martin.)

Agonistica Sacra. Roter. 1657. 12.

Cœna Domin. Literatorum. Dordr. 1669. 12.

Florum Sparsio ad Histor. Passionis J. C. & Analecta ib. 1672. 12.

Syntagma de re militari & de Jure jurando. ib. 1698. 4.

Magius (Hieron.)

de Tintinnabulis, & Eqvuleo. Amstelod. 1664. 12.

Maji (Jo. Henr.) Patris.

Exercitationes Selectæ Philol. & Exeget. Tom. II. Francof. 1711. 4.

Histo-

Hiſtoria Animal. in S. Codice memoratorum. Francof. 1685. 8.

Examen Hiſtor. Criticæ Rich. Simonis Francof. 1708. 4.

Introductio ad Studium Philolog. ibid. & alia.

Maji (Jo. Henr.) Filii,

Obſervationes Sacræ, quibus diverſa utriusque Teſtamenti loca ex linguarum indole & antiquitatibus illuſtrantur. Francofurti ad Mœnum Lib. I. & II. 1713. III. 1714. & IV. 1715. 8.

Catalogus Bibliothecæ Uffenbachianæ quoad Part. I. & II. Hal. 1720. fol.

Diſputationes variæ.

Majoris (Jo. Dan.)

Exercitationes variæ. Kil. 4.

Scrutinium Satanicæ Coſmodixeos. Kilon. 1686. 4.

de Numis Græce inſcriptis. Kilon. 1685. 4. & Diſſertationes aliæ.

Marckii (Jo.)

Exercitationes Juveniles. Groning. 1686. 8.

Analyſis Exegetica Jeſ. LIII. cum mantiſſa Obſervationum Textualium in loca nonnulla alia. ibid. 1687.

Exercitationes Textuales ad L. ſelecta loca V. & N. T. Amſt. 1694. 4.

Exercitationes Exegeticæ ad L. ſelecta loca V. & N. T. ibid. 1697. 4.

Exercitatt. Biblicæ ad L. ſelecta loca V. & N. T. ibid. 1707. 4.

Exercitatt. Scripturariæ ad XXV. ſelecta loca N. T. ibid. 1710. 4.

Sylloge Diſſertationum Philologico-Theolog. ad ſelectos quosdam Textus N. T. Roterod. 1721. 4.

Mareſchalli (Thom.)

Obſervationes in verſiones Gothicam & Anglo-Saxón. IV. Evangeliorum. Dordrac. 1665. 4.

Martianæi (Jo.)

Eſſay de Traduction, ou Remarques ſur les verſions Françoiſes du N. T. Pariſ. 1710. 4.

Maſii (Hector. Godofr.)

Diſſertationes Academicæ, Tomi IV. Hamb. 1719. 4.

Maſſoni (Jo.)

Templum Jani, naſcente Chriſto, reſeratum. Roterod. 1700. 8.

Conf. ſupra *Hiſtoire* de la Republ. des Lettres.

Mayeri (Jo. Frid.)

Diſſertationes ſelectæ Kilonienſ. & Hamb. Francof. ad Mœn. 1692. 8.

Diſputatt. variæ, ſeorſim editæ, inprimis Eclogæ Evangelicæ.

Mede (Joſeph.)

Worcks. Lond. 1672. fol.

Diſſertatt. Eccleſ. Triga, cum Fragmentis Sacris in Opuſculis ad Hiſt. & Philolog. Sacr. ſpectantibus, Faſcic. X.

Memoires Literaires de la Grande Bretagne. Vide ſupra *Bibliotheque Angloiſe.*

Memoires pour l' Hiſtoire des Sciences ou de beaux Arts, *a Trevoux* 1701. - 1720. Illæ a me ſub titulo *Memoriarum Trevoltinarum* allegari ſolent. Auctores ſunt potiſſimum ex Ordine S. I.

Menſes Reſervati, Erklärung Bibliſcher Sprüche. Lipſ. 1706. 8. 12. Offerten.

Mercken (Jo. Caſp.)

Obſervationes Criticæ 532. in Paſſionem Jeſu Chriſti. Duisb. 1722. 4.

Mercu-

Mercurialis (Hieron.) v. *Urſinus.*
Merilli (Edmundi)
Notæ Philolog. in Paſſionem J. C. in Opuſcul. Hiſt. & Philol. Faſc. III.
Millii (Dav.)
Diſſertationes Selectæ, varia SS. literarum & Antiquitatis Orientalis capita exponentes, & illuſtrantes. Traj. ad Rhen. 1724. 8.
Millii (Jo.)
Novum Teſtam. Græc. cum Lectionibus Variantibus, Notis, & Prolegomenis. Amſtel. 1710. fol.
Miſcellanea Lipſienſia, Lipſ. 1716. ſqq. 8. Tomi XII.
Morelli (Andr.)
Specimen Rei Nûmariæ. Lipſiæ 1695. 8.
Mori (Alex.)
Cauſa Dei ſive Exercitatt. de Scriptura Sac. Medioburg. 1653. 4.
Notæ ad Jeſaiæ cap. LIII. Amſtelod. 1658. 4.
Notæ in N. T. in Collectione Jo. Alb. Fabricii. Hamb. 1712. 8.
Mori (Henr.)
Opera Theologica Latina. Lond. 1675. fol.
Diſcourſes on ſeveral Texts of Scripture. Lond. 1692. 8.
Morini (Jo.)
Exercitationes Biblicæ. Pariſ. 1686. fol.
Antiquitates Eccleſiæ Oriental. Lond. 1682. 8.
Morini (Steph.)
Exercitationes de Lingua primæva. Ultraj. 1694. 4.
Diſſertationes VIII. Dord. 1700. 8.
le Moyne (Steph.)
Obſervationes ad Varia Sacra. Lugd. B. 1685. 4.
Diſſertat. ad Jer. XXIII. 6. de Jehova, juſtitia noſtra. Dordr. 1700. 8.
Mosheim (Jo. Laur.)
Vindiciæ antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ adverſus Tolandum. Hamburg. 1722. 8.
Obſervationes Sacræ lib. I. Amſtelod. 1721. 8.
Primitiæ Juliæ. 1723. 4.
Diſputatt. aliæ ſeorſim editæ.
Neocorus vid. *Kuſter.*
Neumann (Jo. Georg.)
Primitiæ Academic. Diſſertatt. Witteb. 1700. 8.
Programmata Academica ibid. 1707.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.
Niederſtedt (Burchard.)
de inſula Melite, Tom. VI. Antt. Græc.
Nigronus vid. *Balduinus.*
Niqueti (Honorati)
Titulus S. Crucis, & myſterium ejus. Antw. 1670. 12.
Noldius (Chriſtian.)
Concordantiæ Particularum Hebraic. Hafn. 1679. 4.
Nouvelles de la Republique des lettres. V. *Bælius & Bernard.*
Nova Literaria Lipſienſia Lat. & German. Lipſ. 1715-1724. 8.
Obſervationes Select. ad res literarias ſpectantes. Halæ 1700-1705. Tomi XII. quas Obſervationes Halenſes appellare ſoleo.
Obſervationes Miſcellan. oder vermiſchte Gedancken über allerhand Theologiſche Materien &c. Lipſ. 1713-1717. Tom. III. auctore *Jo. Chriſtoph. Kochio*, V. D. M.
Oederi (Georg. Ludov.)
Obſervationes Sacræ Pars I. Lipſ. 1715. II. 1716. 8.

Olearii (Gottfried)
Obſervationes Sacræ in Evangelium Matthæi. Lipſ. 1713. 4.
Notæ ad Philoſtratorum Opera. Lipſ. 1709. fol.
Jeſus der wahre Meßias. ib. 1714. 8.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.

Olearii (Jo.)
de Stylo Novi Teſtam. cum animadverſionibus & notis *Jo. Conr. Schwarz.* Coburg. 1721. 8.

Oſtermanni (Jo. Eric.)
Poſitiones Philologicæ Græcum N. T. contextum concernentes, Witteberg. 1694. 4.

Outrein (Jo. d')
Bibliſche Keurſtoffen. Amſt. 1702. 8.
Proefſtucken der Heilige Sinnebeelden Tom. I. & II. ibid. 1700. 4.
Diſſertatio Philolog. Theologica de Melechiſedeco non Henocho, & Obſervationes Miſcellan. in Selecta Sacri Codicis loca. Amſtelod. 1713. 8. & alia.

Pearſonii (Jo.)
Opera poſthuma. Lond. 1688. 4.
Expoſitio Symboli Apoſtol. Lat. Francof. ad Viadr. 1691. 4.
Notæ in Epiſtolas Ignatii. Oxon. 1709. 4.

Perizonius (Jac.)
Notæ in Ælianum. Lugd. B. 1701. 8.
Diſſertat. de morte Judæ, & verbo ἀπάγχεσθαι. Lugd. Bat. 1702. 8. & Reſponſ. ad Notitiam nuperam. ibid. in 8.
Ægyptiarum & Babylon. Originum inveſtigatio. ibid. 1703. 8.

Petavii (Dionyſ.)
Dogmata Theolog. Antw. 1700. fol. Voll. III.

Petiti (Sam.)
Obſervationum libri tres. Pariſ. 1642. 4.

Pezron (Paul.)
Antiquite des tems retablie & defendue. Pariſ. 1685. 4.

Pfaffii (Chriſtoph. Matthæi)
Diſſertat. de genuinis librorum N. T. lectionibus. Amſtelod. 1709. 8.
Irenæi Fragmenta Anecdota, cum variis Diſſertt. Hag. 1715. 8.
Primitiæ Tubingenſes. Tubing. 1718. 4.
de Originibus Juris Eccleſ. ibid. 1719. 4.
Notæ Exegeticæ in Evangelium S. Matthæi. Tubing. 1721.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.

Pfeifferi (Auguſt.)
Opera Philologica. Ultraj. 1704. 4.

Pfochenii (Sebaſt.)
Diatriba de Linguæ Græc. N. T. puritate. Francof. ad Oder. 1691. 4.

Picinelli (Philipp.)
Lumina Reflexa, ſeu omnium veterum Claſſicorum ac Ethnicorum Auctorum exactiſſimus conſenſus cum ſingulis capitibus ac ſingulis pene verſiculis Sacrorum Bibliorum. Francof. ad Mœn. 1702. fol.

Pignorius (Laur.)
de Servis. Amſtelod. 1674. 12.
Symbolæ Epiſtolicæ. Patav. 1619. 8.

Pitſchmann (Chriſtian. Gottlob.)
Dubia Vexata Hiſt. Eccleſ. Sec. I-IV. Zittav. 1717. 8.

Pocockii (Eduard.)
Notæ miſcellan. in Portam Moſis. Lipſ. 1705. 4.

Poſſini (Pet.)
Spicilegium Evangelicum: in Collectione

lectione Obſervationum in N. T. Fabriciana. Hamb. 1712. 8.

Prado (Laur. Ramireſ. de)
Pentecontarchus, ſive Liber in L. capita diviſus, quibus varia Sacrorum aliorumque Scriptorum loca illuſtrantur: ex Collectione Obſſ. in N. T. Fabriciana. Hamb. 1712. 8.

Quenſtedii (Jo. Andr.)
de Sepultura Veterum. Tom. XI. Antiqu. Græcar.

Raithii (Balthaſ.)
Vindiciæ Verſionis Lutheri German. Tubing. 1676. 4.

Raphelii (Georg.)
Annotationes in N. T. ex Xenophonte. Hamb. 1709. 8.
Annotationes in N. T. ex Polybio & Arriano. ibid. 1715. 8.
Semicenturia Annotationum Philol. in N. T. Roſtoch. 1701.

Raynaudi (Theophil.)
de Pileo ceterisque capitis tegminibus, Tom. VI. Antiqu. Rom.

Rechenbergii (Adami)
Exercitationes in N. T. & Hiſtor. Eccleſ. Lipſ. 1707. 8.
Diſputationes aliæ.

Reinhardi (Mich. Henr.)
Pentas Conatuum Sacrorum. Lipſ. 1709. 8.

Relandi (Adriani)
Antiquitates Hebraicæ. Traj. 1712. 8.
Diſſertationes Miſcellaneæ. Traj. 1706. ſqq. 8. Part. III.
Diſſert. de Spoliis Templi Hieroſol. in Arcu Titiano. ibid. 1716. 8.
Diſſ. de Galli cantu Hieroſol. audito. Palæſtina ibid. 1714. 4.

Remarks on ſome Books lately publiſhd. Lond. 1709. 8.

Reyheri (Sam.)
Matheſis Moſaica. Kilon. 1679. 4.

Rhenferdii (Jac.)
Diſſertationum de Stylo N. T. Syntagma. Leovard. 1702. 4.
Diſſertat. Philolog. de Decem Otioſis Synag. Franequ. 1686. 4.
Archiſynagogus Otioſus. ibid. 1687.
Specimen Animadverſionum in V. C. Decemviros otioſos. ibid. 1688.
Inveſtigatio Præfectorum Synagogæ. ibid. 1701.
Diſſertationes variæ ſeorſim editæ, quæ cum ſuperioribus illis uno volumine an. 1723. 4. prodierunt.

Rittershuſii (Conr.)
Lectionum Sacrarum Libri VIII. Norib. 1643. 8.
Notæ in Oppianum de Venatione & Piſcatu. Lugd. Bat. 1597. 8.

Rittmeieri (Chriſtoph. Henr.)
Diſquiſitiones de variis locis Scripturæ Sacræ.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.

Roa (Mart. de)
Singularium locorum ac rerum libri V. Lugd. 1604. 8.

Robinſoni (Jo.)
Endoxa, ſive Quæſtionum miſcellanearum Examen probabile. Londin. 1656. 8.

Sagittarius (Caſp.)
de Lanceis Veterum Tom. IV. Antiquitt. Roman.

Saldeni (Guilh.)
Otia Theologica. Amſtel. 1664. 4.

Salmaſius (Claud.)
Exercitationes Plinianæ in Solinum. Traj. 1689. fol. 2. Voll.
de Primatu Papæ cum Apparatu. Lugd. Bat. 1645. 4.
Reſponſio ad Miltonum. Lond. 1660. 8.
Comment. de Lingua Helleniſt. Lugd. B. 1643. 8.

Funus & Offilegium Linguæ Hellenift. ibid. 1643. 8.
de Uſuris. ibid. 1638. 4.
de Modo Uſurarum. ibid. 1639. 8.
de Fœnore Trapezitico libb. III. 1640. 8.
Diſquiſitio de Mutuo. ibid. 1645. 8.
de Epiſcopis & Presbyteris. ibid. 1641. 8.
de Transſubſtantiatione. Hag. 1646. 8.
Epiſtola de cæſarie virorum, & coma mulierum. Lugd. B. 1644. 8.
de Annis Climactericis. ibid. 1648. 8.
Epiſtolæ. ibid. 1656. 4.
Defenſiones miſcellæ de variis obſervationibus & emendationibus ad Jus Aticum & Romanum pertinentibus. ib. 1645. 8.
Confutatio Animadverſionum Cercöetii ad Tertullianum de Pallio.
Notæ ad Scriptores Hiſtoriæ Auguſtæ. Lugd. Bat. 1671. 8.

Sandhagen (Caſp. Herm.)
Theologiſche Send-Schreiben. Decas I. Slesvici. 1692. 12.
Decas II. 1700. 12.

Saubertus (Jo.)
Palæſtra Theolog. Phil. Alt. 1678. 4.
Opera Poſthuma, ſive explicatio ſelectiorum Scripturæ Sacræ locorum & Comment. de Sacerdotibus & ſacris Hebræorum perſonis. ibid. 1694. 4.
Collectanea Hiſtorico-Philolog. de Sacrificiis veterum. L. B. 1699. 8.

Scaliger (Joſeph.)
de Emendatione Temporum. Lugd. B. 1598. fol.
ad Euſebii Chronicon ibid. 1606. fol.
Epiſtolæ. ibid. 1627. 8.
Elenchus Trihæreſii ex Syntagmate Scriptor. de Trihæreſio Trigland.
Notæ ad N. T. Bezæ ex MS. ab Henr. Leonh. Schurtzfleiſchio in Actis Literariis editæ. Vitemb. 1714. 8.
Scaligerana. Colon. 1695. 8.

Scharbau (Henr.)
Parerga Philolog. Theol. Pars I. Lubec. Pars II. ibid. 1721. 8. III. ibid. 1723. 8. IV. ibid. 1724.

Scherzeri (Jo. Adami)
Faſciculus Diſſertationum Theologic. Lipſ. 1683. 4.
Programmata cum Orationibus. ibid. 1679. 8.

Schickard (Wilhelm.)
de Jure Regio Hebræorum cum Notis J. B. Carpzovii. Lipſ. 1674. 4.

Schmidii (Eraſmi)
Annotationes in N. T. Norib. 1658. fol.

Schmidii (Jo. Andr.)
Diſſertationes Hiſtorico-Theologic. Helmſt. 1714. 4.
Pentas Diſſertatt. Academ. Jen. 4.
Diſputt. aliæ ſeorſim ed.

Schmidii (Sebaſt.)
Faſciculus Diſputationum Philologico-Theologicarum. Arg. 1676. 8.
Diſſertationes Theolog. XIII. Argentor. 1682. 4.
Collegium Biblicum Prius & Poſterius. Argent. 1676. 4.
Myſterium Gratiæ Divinæ. Hamb. 1691. 4.

Schönlandi (Sam. Theod.)
Beweiß, daß Lutheri Verſion des N. T. wegen vermeinter üblen Uberſetzung etlicher Oerter die Wahrheit bißher mit nichten auffgehalten. Dreßden 1702. 8.

Schotti (Andreæ)
Adagialia Sacra N. T. Græco-Lat. Antwerp. 1629. 4.

Schulzii (Jo.)
Florum Sparſio ad loca quædam, in re literaria controverſa. Francof. ad Mœn. 1707. 12.

Schwarz (Jo. Conr.)
Miſcellanea Philolog. & Theologica. Coburg. 1715. 8.
Notæ ad Jo. Olearium de Stylo N. T. vide ſupra *Jo. Olearium.*

Schurmannia (Anna Maria)
Opuſcula. Lugd. Bat. 1650. 8.

Seelen (Jo. Henr. a)
Notæ ad Guilh. Burtoni λείψανα veteris linguæ Perſicæ. Lubec. 1720. 8.
Programmata & Diſputatt. variæ ſeorſim editæ.

Seldeni (Jo.)
Syntagmata de Diis Syris. Lipſ. 1668. 8.
de Jure Naturæ & Gentium ſecundum diſciplinam Hebræorum. Argent. 1665. 4.
de Synedriis Hebræorum. Francof. 1696. 4.
Uxor Hebræa. Lond. 1646. 4.
De anno civili Judæorum vett. ibid. 1644. 4.
Θεάνθρωπος. ibid. 1661. 8.

Serarii (Nic.)
Trihæreſium cum aliis ejusdem huc pertinentibus in Syntagmate Trig'andino de tribus hæreſibus. Delph. 1703. 4.

Simon (Richard.)
Hiſtoire Critique du texte de N. T. Roterod. 1689. 4.
- - - des Verſions du N. T. ibid. 1690. 4.
- - - des principaux Commentateurs du V. Teſt. ibid. 1693. 4.
Nouvelles Obſervations ſur le texte & les Verſions du N. T. Pariſ. 1695. 4.
NB. Tria priora Volumina allegare conſuevi ſub titulo Tom. I. II. & III.
Nouveau Teſtament avec des Remarques literales & Critiques. a Trevoux 1702. 8.
Bibliotheque Critique ſub nomine Sainjore. Pariſ. 1708. 8. Voll. IV.
Lettres Choiſies Tom. I. ex ed. 2. Roterod. 1702. Tom. II. ib. 1704. & Tom. III. 1705. 8.

Smithi (Thom.)
Miſcellaneorum Partes II. London. 1690. 8.
Notæ in Epiſtolas Ignatii. Oxon. 1709. 4.

Soucieti (Steph.)
Recueil des Diſſertations ſur des endroits difficiles de l'Ecriture Sainte. Pariſ. 1715. 4.

Spanhemii (Ezech.)
Notæ ad Juliani Orationes. Lipſ. 1696. fol.
Notæ ad Callimachum. Ultraj. 1697. 2. Voll. 8.
Notæ ad Ariſtophanem ex edit. Lud. Kuſteri.
De uſu & præſtantia Numiſmatum partim ex edit. Amſtel. 1671. in 4.
partim ex auctiore Tom. I. Lond. 1706. & II. Amſtel. 1717. fol.
Orbis Romanus Tom. X. Antt. Roman.

Spanhemii (Frid.) Patris,
Dubia Evangelica. Genev. 1658. 4.

Spanhemii (Frid.) Filii,
Opera omnia Tomi III. Lugd. B. 1701. fol.

Speneri (Guilielm.)
Notæ ad Origenis libros contra Celſum. Cantabrig. 1677. 4.

Spencerus (Jo.)
de Legibus Hebræorum ritualibus. Lipſ. 1705. 4.

Sperling (Othon.)
de Baptiſmo Ethnicorum. Hafn. 1700. 8.

Stade (Dieteric von)
Erläuterung und Erklärung der vornehmſten Teutſchen Wörter der Teutſchen Uberſetzung Lutheri. Bremen. 1724. 8.

Starckii (Henr. Bened.)
Notæ Selectæ Criticæ Philolog. Exegeticæ in loca dubia aç difficiliora N. T. Lipſ. 1724. 4.

Stolbergii (Balthaſ.)
Exercitationes de Solœciſmis & Barbariſmis Græcæ N. T. dictioni falſo tributis. Witteb. 1681. 4.
Notæ in Ajacem Sophoc. ibid. 1684. 8.

Storrii (Jo. Phil.)
Decas Exercitatt. Exegetic. in difficiliora Scripturæ loca. Ulm. 1711. 8.

Suiceri (Jo. Caſp.)
Theſaurus Eccleſiaſticus. Amſtelod. 1682. fol.
Obſervationes Sacræ. Tigur. 1665. 4.

Surenhuſii (Guilielm.)
Βίβλος καταλλαγῆς, in quo ſecundum veterum Theologorum Hebræorum formulas allegandi & modos interpretandi conciliantur loca ex Vet. in N. T. allegata. Amſtel. 1713. 4.
Corpus Miſchnicum. ibid. 1698. fol. Voll. III.

Terne (Gabriel.)
Sylloge Programmatum Exegeticorum in Academiis & Scholis illuſtrioribus hactenus editorum. Sylloge I. Lipſ. 1720. 8.

Theſaurus Theologico-Philolog. ſive Sylloge Diſſertationum elegantiorum ad ſelectiora Vet. & Nov. Teſt. loca a Theologis Proteſtantium in Germania ſcriptarum. Amſtelod. 1701. fol. Voll. II.

Til (Salom. van)
Comment. de Tabernaculo Moſis & Zoologia Sacra. Dordr. 1714. 4.

Tilladet Abbas.
Diſſertations ſur diverſes Matieres de Religion & de Philologie. a la Haye 1714. 8. Tomi II.

Tillotſon (Jo.)
Works containing 200. Sermons. Lond. 1712. fol. II. Voll.

Triglandii (Jac.)
Syntagma Scriptorum de tribus Sectis Judæorum. Delph. 1703. 4. cum Diatriba de Karæis.

Trilleri (Caſp. Ern.)
Unterſuchung etlicher Oerter N. T.
Vide ſupra Anon.

Trilleri (Dan. Wilh.)
Grotii leidender JEſus ins Teutſche überſetzet, mit Anmerckungen. Leipzig. 1723. 8.
Notæ MSS. in Libros Hiſtoricos N. T. de quibus in Præfatione dixi.

Turnebi (Adriani)
Adverſaria. Aureliopoli. 1604. 4.

Vavaſſoris (Franc.)
Opera omnia. Amſtel. 1709. fol.

Vechneri (Georg.)
Palus Pauli, & de Sinu Abrahæ. 1678.

Verſtege (Hermann.)
Comment. Philol. in Paſſionem J. C. Amſtel. 1710. 4.

Vigerius (Franc.)
de Idiotiſmis Græcæ dictionis. Argentor. 1708. 8.

Vitringa (Horat.)

Speci-

Specimen Animadverſionum in Vorſtium. vid. *Lamb. Bos.*

Vitringæ (Campeg.)
Obſervatt. Sacrar. Lib. I. & II. Leovard. 1689. lib. III. Franequ. 1691. lib. IV. ib. lib. V. & VI. ib. 1708. 4.
Archiſynagogus Obſervationibus novis illuſtratus. ib. 1685. 4.
de Decemviris otioſis. 1687. 4.
de Synag. vetere Libb. III. ib. 1696. 4.
Comment. in Jeſaiam Tomi II. fol.
Diſputationes nonnullæ.

Unſchuldige Nachrichten von alten und neuen Theologiſchen Sachen. Anno 1701 - 1719. Hinc ab Anno 1720. usque huc continuatæ ſub tit. **Fortgeſetzte Sammlung von Alten und Neuen**, usque ad Ann. 1724. 8.

Voglerus (Valent. Henr.)
de Rebus naturalibus & Medicis, quarum in Scripturis Sacris fit mentio: cum Phyſiologia Hiſtoriæ Paſſionis Chriſti. Helmſt. 1682. 4.

Vogtii (Albert.)
Miſcell. Biblica. Gryphisw. 1670. 4.

Vorſtii (Jo.)
Diſſertationum Sacrarum Libb. III. Clivis. 1662. 4.
Philologia Sacra, ſive de Hebraismis N. T. cum Diſſertat. de Adagiis N. T. Lipſ. 1705. 4.

Voſſius (Gerh. Jo.)
Operum Tom. V. & VI. Amſtelod. 1701. fol.
Epiſtolæ a Colomeſio editæ, cum Epiſtolis Virorum Doctorum ad ipſum. Auguſt. Vindel. 1691. fol.

Urſinus (Fulv.) vid. *Ciacconius.*

Urſinus (Jo. Henr.)
Vindemiolæ Adverſariorum Sacrorum. Francof. 1651. 8.
Miſcellaneorum libri VI. Norimberg. 1666. 8.
Paralipomena Miſcellaneorum, Libb. V. ib. 1677. 8.
Analectorum Sacrorum Voll. II. Francof. 1658. 8.

Wagenſeil (Jo. Chriſtoph.)
Annotatt. in Codicem *Sota.* Altorf. 1674. 4.
Tela Ignea Satanæ. ib. 1681. 4.
Diſputationes variæ ſeorſim editæ.

Wall (Wilh.)
Hiſtory of Infant-Baptiſm. London. 1707. 4.

Wandalinus (Jo.)
de Feria Paſſionis & triduo mortis Chriſti adverſus Wilh. Langium: in Syntagmate Diſſertationum Græviano. Franeq. 1693. 4.

Waeyen (Jo. van der)
Varia Sacra, Franequ. 1693. 4.

Wedelii (Georg. Wolffg.)
Exercitationum Medico-Philologicar. Centuria I. Jen. 1701. Centuriæ II. Decades V. inde ab An. 1704. ad 1719. ibid. ed. in 4.
Exercitatio de Uſu Rationis in Sacris.

Wegneri (Godofr.)
Diſſertationes Sacræ.
Annotata in VI. priora capita Matthæi. Regiom. 1705. 4.

Werenfelſii (Sam.)
Sylloge Diſſertationum Theologic. Baſ. 1709. 8.

Weſſelii (Jo.)
Diſſertationes Sacræ Leidenſes ad ſelecta quædam V. & N. T. loca. Lugd. B. 1721. 4.

Wetſteinii (Jo. Rudolph.)
Orationes pro vera Gr. Linguæ pronunciatione, Baſil. 1686. 8.

Whiſton

Whiſton (Wilh.)
Sermons and Eſſays upon ſeveral Subjects. Lond. 1709. 8.
Accomplishment of Scripture Prophecies. Cantabrig. 1708. 8.
Eſſay towards reſtoring the true Text of the Old Teſtament. Lond. 1722. 8.

Whitby (Dan.)
Examen Variant. Lectionum Nov. T. Milliani. Lond. 1710. fol.

Witſii (Herman.)
Meletemata Leidenſia, i. e. Prælectiones de Vita & rebus geſtis Pauli & Exercitatt. XII. Theolog. Lugd. Batav. 1703. 4.
Miſcellanea Sacra Tom. I. Amſtelod. 1695. 4. Tom. II. 1700. 4.
Ægyptiaca, & Diſſ. de X. Tribubus Iſraëlis. Amſtel. 1696. 4.

Woergeri (Franc.)
Triga Diſſertatt. Sacrarum. Kilon. 1679. 4.
Primitiæ Diſſertt. Sacrar. Lubec. 4.
Diſſertationes variæ ſeorſim ed.

Wokenii (Franc.)
Pietas Critica, Pars II. contra Synchyſes. Witteb. 1720. 8.
Meditationes Theologico - Philolog. Criticæ Tom. I. Lipſ. 1716. 4. Tom. II. ibid. 1718. 4.

Wolfburgii (Mart. Caſp.)
Obſervationes Sacræ in Nov. T. ſeu Annotationes Theologico - Criticæ in voces plerasque N. T. ordine Alphabetico. Flensburg. & Lipſ. 1717. 4.

Wolfii (Jo. Chriſtoph.)
Pſeudo - Origenis Philoſophumena. Hamb. 1706.
Caſauboniana, cum Notis. Hamb. 1710. 8.
Libanii Epiſtolarum Centuria. Lipſ. 1711.
Notitia Karæorum. Hamb. 1714. 4.
Bibliotheca Hebræa, ibid. Pars I. 1715. II. 1721. 4.
Anecdota Græca, ibid. Tomi IV. 1722-1724. 8.

Wulferi (Jo.)
Notæ ad Tract. Talmudic. *Schekalim*. Altorf. 1680. 4.

Zahn ( )
Gründlich-erklärtes Evangelium Matthæi. Faſciculi V. usque ad Cap. III. Hamburg. 1717. 4.

Zeibichii (Chriſtoph. Henrici)
Des Herrn JESU Heilige Paßions-Stunden. Leipzig. 1713. 8.
Diſputatt. variæ ſeorſim editæ.

Zeltnerus (Guſtav. Georg.)
Ternio Diſputationum de Hora Crucifixionis Chriſti. Altorf. 1724. 4.
Diſputatt. variæ ſeorſim editæ.

Zieroldi (Jo. Wilh.)
Deutliche Erklärung der Heil. Schrifft. Leipzig. 1713. ſqq. 8. XXIV. Vorſtellungen.

Zimmermanni (Matthiæ)
Commentatio ad Dictum Tertulliani: *Fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*. Lipſ. 1662. 4.

Zornii (Pet.) Conf. Amelius,
Opuſcula Sacra, h. e. Programmatum, Diſſertt. Orationum, Epiſtolarum & Schediasmatum ad illuſtrationem Hiſt. Eccl. & Scripturæ S. ſpectantium, Tom. I. Hamburg. 1723. 8.
Bibliotheca Antiquaria & Exegetica. Berolini Tom. I. Pars I. II. III. Frf. & Lipſ. 1724. 8.
Diſſertatt. & Programmata ſeorſim edita.

IN EVAN-

IN EVANGELIUM S. MATTHÆI.

INSCRIPTIO.

Τὸ κατὰ Ματθαῖον ἅγιον Εὐαγγέλιον) Sic habet inscriptio Evangelii D. Matthæi, quam *Grotius* olim ita comparatam fuisse statuit: Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ Ματθαῖον, ad veterum Codicum auctoritatem provocans, in quibus ita legatur. Cum vero antiquum exemplar Latinum *Cantabrigiense* cum lectione communiori conspiret, nec Codd. Græci, si illum excipias, quo B. *Hieronymus* in versione sua usus est, varietatem hic exhibeant, *Millio* non præter rem veri videtur simile, ea, quæ accedunt, ex limine S. *Marci* petita esse. Sed de hoc disputare nihil attinet, cum certo definiri non posse videatur, titulum hunc ab ipso S. Matthæo profectum esse. Negant id omnino *Rich. Simon* in Histor. Critica de Textu N. T. p. 19. & *Jo. Millius* in Prolegomenis §. 67. & in Notis, item *Car. le Cene* in Projet d'une nouvelle Vers. p. 736. & *Vitringa* lib. I. Obs. Sacr. p. 32. hoc usi argumento, quod eo nihil fuerit opus, cum Christianis illius ætatis de auctore satis constiterit. Opposuit se Simonio *Anton. Coulan* in *Examine Historiæ Crit.* lib. II. p. 243. seq. ubi inprimis ad *Chrysostomi* locum Homil. I. in Epist. ad Roman. a Simonio allatum respondet, observans, Divum Patrem suam hanc de tituli novitate opinionem instar conjecturæ proposuisse. Satisfacere idem conatur ceteris argumentis jam ante a *Maldonato* allatis. Alii nihil hac in causa pronunciant, sed rem in medio relinquunt. Mihi quidem cum temperamento ea videtur decidenda. Nomen Matthæi ipsum a S. Scriptore additum non dixerim, certe dubitem. At *Evangelii* appellationem ab ipso profectam crediderim, quod & *Chrysostomus* diserte affirmat in limine Commentar. in Matthæum, eum scilicet Εὐαγγέλιον τὴν πραγματείαν αὐτὸ καλέσαι. Conf. B. *Gottfr. Olearium* in Observ. ad Matthæ-

um p. 2. Nec obstat, quod in limine libri legitur: *βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*. Hunc enim non totius voluminis, sed capitis tantum primi, esse nonnulli putant, qua de re paulo post dicemus. *Matthæi* vero nomen eo tempore a Christianis additum puto, quo cetera *Marci, Lucæ* & *Johannis* accesserunt, ut scilicet illud ab his, & hæc a se invicem, distingui possent. Hinc & factum est, ut *Evangelii* nomen Scriptoribus antiquissimis, Græcis & Latinis, nominatim *Ignatio* ep. ad Philadelph. c. V, *Justino Martyri* Apol. I. p. 98. & *Tertulliano* Lib. II. adv. Marcion. frequentaretur, quo legi potest Olearius l. c.

De nomine Εὐαγγέλιον, variisque notionibus ejus, soliciti hoc loco esse non debemus. Collegerunt eas ex profanis, Sacris & Ecclesiasticis Scriptoribus *Erasmus Schmidius* in limine Commentarii sui in N. T. *Jo. Conrad Dietericus* in Antiquitatibus N. T. p. 336. *Jo. Casp. Suicerus* in Thes. Eccl. T. I. p. 1220. sq. *Alex. Morus* initio Notarum ad Matth. p. 1. sq. *Ezech. Spanhemius* in Notis ad Aristophanis Plutum v. 764. *Jo. Alb. Fabricius* in lib. IV. Bibl. Græc. p. 127. & novissime *Jo. Jensius* in Ferculo Literario p. 1. sqq. Atque hic postremus quidem observat, nulla voce, quam τῷ, Εὐαγγέλιον plenius clariusque doctrinam Christi declarari potuisse, quia summæ cujusque sortis & felicitatis annunciatio εὐαγγελία & τὸ εὐαγγελίζεσθαι dicta sit. Memorat etiam tria, quæ putat, summæ felicitatis genera hæc: *prolem masculam primum genitam, absolutionem in causa capitali, & victum debellatumque hostem.* Atque de his vocem, de qua agimus, a Græcis adhiberi, idoneis locis ostendit. Quæ quomodo ad præsens negotium accommodari possint, per se patet.

Atque ad has res, non autem ad nominis ipsius originem primariumque significatum *Henr. Hammondus* & *Rich. Simonius* in notis ad versionem suam Gallicam N. T. respexisse videntur, quando τὸ Εὐαγγέλιον, ubi historiam Evangelistarum denotat, affirmant, totam vitæ & rerum gestarum JEsu Christi, mortis, resurrectionis & adscensionis seriem significare. Nec video admodum, cur illis se opponat B. *Olearius*, l. c. p. 5. contendens, Εὐαγγέλιον significare ipsam doctrinam Christi ore propositam, exemplo, miraculisque firmatam, quemadmodum, eum κηρύξαι τὸ Εὐαγγέλιον, passim apud Scriptores Sacros legatur. Concesserint omnino hoc uterque Virorum, sed vel sic tamen ampliorem nominis hujus notionem esse recte contenderint, cum in Narrationibus Evangelistarum, quas titulo Evangeliorum insigniri non negat vir doctus, non tantum ea afferantur, quæ Christus prædicavit, & prædicata firmavit, sed & quæ alii in ipsum machinati & moliti sunt. Non negaverim, restrictam hanc significationem fortasse obtinere in *Marci* I. 1. At ibi memoratur Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ, quod recte verteris *Evangelium JEsu Christi*, quod scilicet ipse annunciavit. Hic vero explicanda est formula loquendi: Εὐαγγέλιον κατὰ Ματθαῖον, quod certe minus recte verteris *Evangelium JEsu Christi secundum Matthæum*: sed potius *Evangelium S. Matthæi de JEsu Christo*, h. e. de *origine, vita, miraculis* &c. quemadmodum & ipse vir doctus p. 5. ita verti vult.

Et

Et sic commode ducimur ad inquirendum, quomodo verba: τὸ κατὰ Ματθαῖον Εὐαγγέλιον, vertenda sint. *Seb. Castalio* verterat *Evangelium, auctore Matthæo*, reprehensus ideo a *Beza*, quia Spiritus S. pro auctore habendus sit. Defendit se *Castalio* in Vindiciis suis p. 429. idque forte rectius, quam *Rich. Simon* de Textu N. T. p. 19. hac opera defunctus est, ceu probe observavit *Olearius* p. 5. Destinato consilio hic non τῷ Ματθαίῳ, sed κατὰ Ματθαῖον scriptum esse, sunt, qui statuunt, non recogitantes, eandem esse utriusque formulæ vim & notionem, quod pridem monuit *Jo. Drusius* in Præteritis & lib. I. Qu. Hebr. c. 23. cumque eo *Cl. Fabricius* lib. IV. Bibl. Gr. p. 127. & recentissime *Jac. Elsnerus* in Observatt. suis ad N. T. p. 1. qui, quemadmodum Polybio lib. 3. c. 6. p. 225. αἱ κατ' Ἀννίβαν πράξεις, *res gestæ Annibalis*, vocantur; ita Evangelium κατὰ Ματθαῖον recte dici censet *Evangelium Matthæi*, aut a *Matthæo scriptum*.

Quæ hic de Matthæo ipso, & Evangelii ab ipso scripti tempore, aliisve capitibus, huc pertinentibus, dici poterant, ea legi apud istos velim, qui de Scriptoribus Sacris data opera commentati sunt, in Bibliotheca Hebr. Part. II. p. 257. sqq. a me memorati. Illis adde Cl. *Fabricium* nostrum in Biblioth. Græca lib. IV. cap. V. p. 126. seq. & *Salomon van Til* in Prolegomenis ad Commentarium in Evangelium Matthæi. Temporis ordinem in texenda narratione ab eo observatum fuisse, statuit *Guil. Whistonus* in his *Short View of the Harmony of the four Evangelists* p. 100. sqq. quem tamen hodie in tredecim prioribus capitibus, disjectis scilicet hinc inde sectionibus, turbatum esse opinatur. Sed vide in contrarium disputantes B. *Gottfr. Olearium* Observat. sacris in Matthæum p. 7. sqq. & *Jo. Clericum* in Bibliotheca Vetere & Nova Tom. II. Part. II. p. 336. De voce Εὐαγγελιστὴς vide, quæ differit celeb. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 447.

CAP. I.

AD Caput I. & sequentia lege Annotationes, ex versione Syriaca & Neo-Græca factas, im Freywilligen Heb-Opfer VII. Beytrag p. 629. sqq. Idem est institutum *Thom. Haueri* in Matthæo Syro cum Græco collato, *Witteberg* 1688. 4. & post ipsum *Rich. Simonis* in Hist. Critica de Version. N. T. p. 178. sqq. Caput I. totum Philologicis & Practicis observationibus, per Fasciculos editis, illustrat *Zahnius*, in dem gründlich erklärten und wohl angewandten Evangelio Matthæi, Hamb. 1717. Priora capita VI. commentando persequitur B. *Godofr. Wegnerus* in *Annotatis in Matthæum*, Regiomonti 1705. 4. editis, quibus Dissertatio bene longa de idiomate Matthæi præmissa est.

Vers. 1. Βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ) His verbis alii Genealogiam JEsu Christi tantum, adeoque argumentum capitis I. vel priorum tantum ejus commatum 17, alii historiam vitæ rerumque a Christo gestarum, & sic totius li-

bri materiam innui cenſent. A priorum parte ſtant poſt *Bezam*, *Grotium*, *Spanhemium* in dubiis Evangelic. & *Eraſmum Schmidium*, *Alex. Morus* ad h. l. *Jac. Guſſetus* in Commentariis Linguæ Hebrææ p. 327. *Richard. Simonius* in notis ad verſ. ſuam Gall. *Jo. Clericus* ad notas Hammondi, *Guil. Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 113. *Jo. Buxtorf.* in Catalectis p. 150. ex noſtratibus *Jo. Henr. Majus* lib. IV. Obſerv. Sacr. p. 81. B. *Godfr. Wegnerus* in Annotat. ad Matth. p. 1. *Georg. Raphel* in Notis ad N. T. ex Polybio p. 1. alii. Poſterioribus ſe jungunt cum *Jac. Altingio* in Paralleliſmo Vaticiniorum V. T. cum Novo p. 4. T. II. Opp. & *Hammondo* in Notis ad N. T. *Jo. Martianæus* in Eſſais d' une nouvelle traduction p. 2. *Carolus le Cene* dans ſon Projet p. 735. ſq. *Campeg. Vitringa* lib. I. Obſerv. Sacr. p. 31. *Aug. Calmetus* ad h. l. *Bernh. Lamy* in Harmonia Evangeliſtarum p. 22. *Lenfant* & *Beauſobre* in notis ad Verſ. ſuam Gall. & ex noſtratibus *Gottf. Olearius* in Obſſ. ad Matth. p. 23. Nonnulli nihil fere definiunt, ad quos pertinet *Pet. Keuchenius* in Annotatis ſuis ad IV. Evangeliſtas p. 1. ſq. qui tamen in priorem ſententiam propendet. Nec multum, quod ad rem ipſam, refert, utram ſententiam eligas, quarum neutra fulcris ſuis deſtituitur. *Olearius* verti vult *librum de Originibus JEſu Chriſti*, voce *originum* eo ſenſu accepta, quo Cato Cenſorius accepit, qui libris ſuis, quibus antiquiſſima populorum Italiæ atque Romani inprimis geſta deſcripſerat, *Originum* nomen præfixit. Rationes ita ſentiendi affert has, quod Suidas vocem γένεσις interpretetur per ἀρχήν, unde βίβλος γενέσεως nihil aliud eſſe poſſit, quam ἀρχαιολογία, deinde quod Græci Hebraizantes vocem γένεσις, qua librum Moſis primum inſigniverunt, tam lato ſenſu accepiſſe merito cenſeantur, ut non ſolum mundi origo, ſed & res ceteræ antiquis temporibus geſtæ indicentur: quæ notionis latitudo ipſi manifeſta videtur ex *Geneſ.* XXXVII. v. 1. & II. 4. Non afferam hic, quæ argumentis his regeſſit *Clericus* in Biblioth. Vet. & Nova Tom. II. Part. II. p. 338. ſq. & Tom. XVIII. Part. I. p. 152. Potiora commemorabo, quæ huic ſententiæ adverſari mihi videntur. Primo enim tanquam certum & exploratum præſtruitur, non habuiſſe hunc Matthæi librum aliam inſcriptionem quam iſtam: βίβλος γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ, quem tamen ab ipſo Evangeliſta *Evangelii* titulum accepiſſe poſt Chryſoſtomum non præter rem credideris. Si vero talis titulus fuit, quem non fuiſſe nemo pro certo affirmare auſit, quomodo novo, eique ad totum librum pertinenti, locus eſſe poſſit? Deinde libro Moſis I. æque Geneſeos nomen imponi potuit a τοῖς LXX. reſpectu habito ad primam & potiorem ejus partem, quæ de origine mundi exponit, quam libro II. *Exodi* nomen indiderunt, qui tamen exigua ſui parte, & tantum in ingreſſu, exitus illius hiſtoriam perſequitur. Mihi quidem illi γενέσεως appellatione primam vocem Hebr. בראשית, initium rerum inferentem, ſubindicare voluiſſe, non autem res Patriarcharum geſtas ſpectaſſe, videntur. Porro quod ad Geneſ. II. & XXXVII. attinet, ubi vox Hebr. תולדות, cui reſpondet Græca γένεσις, non *ortum* tantum, ſed fata & res poſtea geſtas indicare creditur

ditur Oleario; existimaverim potius cum Cl. *Jo. Henr. Majo* l. c. p. 81. istam vocis illius significationem ex aliquibus illorum locorum, quæ vulgo proferuntur, Geneseos puta II. 4. & V. 1. non modo non probari, verum contrariam etiam & usitatam *originis* notionem evinci posse. Imo ponamus, tam latam esse vocis notionem alicubi, quod de Genes. XXXVII. adstipulante etiam *Aben Esra*, negare nolim, vel sic tamen vicissim concedendum fuerit, alibi, & inprimis Genes. V. 1. alteram significationem restrictiorem locum obtinere. Et sic dubium saltem fuerit, quis significatus, si ex Hebraica voce repetendus sit, hoc loco sit præferendus. Cum itaque in capite I. post titulum hunc proxime de stirpe & origine Christi humana agatur, malim omnino inscriptionem istam ad eam unice, quam ad totum Matthæi volumen, referre.

Denotabunt itaque verba hæc *genealogiam* sive *indicem* aut *catalogum* majorum JEsu Christi hominis, ceu recte monuit *Morus* ad h. l. qui cum aliis pluribus phrasin hanc ex Genes. V. 1. ספר תולדות petitam arbitratur. Unde etiam patet, eam ab Hebraismo liberari vix posse, quem Vir doctus, a nobis antea laudatus, in limine Novi Fœderis admittendum esse negat. Quamvis enim vox γένεσις probis idoneisque Auctoribus *originem* declaret, quod & *Raphelius* variis *Arriani* locis l. c. demonstravit, non tamen crediderim, vocem βίβλος in profano Scriptore pro *catalogo* aut *indice* brevi occurrere, quæ notio vocis Hebr. ספר frequentissima est, multo minus phrasin βίβλος γενέσεως apud ullum τῶν ἔξω observari. Hinc nec *Sebast. Pfochenius*, aut alius quisquam dictionem istam pro pure Græca venditavit. Confer pro nostra sententia *Suicerum* T. I. Thesauri Eccles. p. 687. & *Vorstium* Part. I. Philolog. Sac. p. 21.

Singularis, sed non probanda, sententia est *Jo. Harduini*, qui in Operibus Selectis p. 619. phrasi ista non ipsam Matthæi commentationem, sed adservatum in Templo codicem Genealogiarum, ex quo divus scriptor sua hauserit, indicari censet, in eo cetera nobiscum conspirans, quod verba illa non nisi ad caput I. ejusque v. 18. pertinere censet. Ex ingenio magis quam rerum argumentis hæc derivari, res ipsa docet, nec phrasis ipsa opinioni huic patrocinatur, quippe quæ, monente contra *Clericum, librum Originis Christi* hic allegari putantem, *Fabricio* in Codice Apocrypho N. T. p. 346. non magis est allegantis scriptum alienum, quam apud Marcum ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου & in Libro Tobiæ βίβλος λόγων Τωβίτ. Simile quid suspicatus tamen est *Bernh. Lamy* in Harmonia Evangelica p. 22. Matthæum hanc genealogiam ex publicis tabulis exscripsisse autumans.

In eodem commate Χριστοῦ nomen omittendum vult *Millius*, eo quod in versione Æthiopica non extet, nec opus eo sit, quia Matthæi scopus sit, ostendere, non quidem, *JEsum Christum* a Davide genus ducere, quia Messiam ab ipso oriturum notum fuerit omnibus; sed JEsum Nazarenum e stirpe Davidis ipsiusque Abrahami fuisse (vide Prolegom. ejus §. 1213.) Enim

vero uni verſioni, eique minus accuratæ plus quam authentico & tot aliis interpretationibus tribuere, minus eſſe conſentaneum, recte monuit *Reinhardus* in Examine Variant. Lect. ad cap. I. Matthæi §. 7. & ratio addita videtur ſubtilior, quam ut fidem rei faciat. Si conjecturis ſtandum ſit, majori jure audietur *Guil. Surenhuſius*, qui in Libro καταλλαγῆς p. 114. obſervat, Matthæum hic in genealogia recenſenda utriusque nominis Jeſu Chriſti rationem habere, cum aliis in locis alterutrius nominis tantum mentio fiat, quia, cum genealogia alicujus ducenda eſt, omnia illius nomina, a parentibus data, recenſenda ſint, id quod idem p. 91. oſtenderat. Imo utriusque nominis hic facienda erat mentio, ut pateret, eum hic innui, qui nunc CHRISTI, nunc JESU, nomine ſimpliciter appellari ſoleat.

Υἱῷ Δαβὶδ) *Filium Davidis* Servatorem hic appellat Matthæus, judice *Jenſio* in Ferculo Literario p. 4. υἱὸν ſumens pro aliquo ex ſeris poſteris, quemadmodum *Lucianus* in dialogis Mortuorum p. 206. C. υἱὸν pro nepote habet. Quod ut non negem, ita Davidis & Abrahami hic mentionem factam putem, ob promiſſionem, illis ſpeciatim & frequenter de JEſu, ex ipſorum ſemine prodituro, datam.

Commate 2. & ſequentibus fuſius ediſſeritur Genealogia Chriſti, circa quam, cum hiſtoria V. T. & S. *Luca*, tam in methodo, quam in ſpecialibus nonnullis capitibus, a Matthæo abire viſo, collatam, varia dubia eruditis & inprimis diſſentientibus Judæis, nata eſſe, nemini non conſtat. Atque illa quidem omnia ſigillatim hic examinari non poſſunt. Itaque de his tantum monuiſſe ſuffecerit, quæ ad hanc cauſam dijudicandam in univerſum faciunt. Non contemnendam eſſe hanc diſputationem, vel ex eo patet, quod *Nic.* quidam *Antonius*, Gallus, primum Pontificius, deinde Calvinianus, Judæorum tandem ſuperſtitionem amplexum ſe eſſe profeſſus eſt, eo quod ſatisfacere non poſſet dubiis ex collatione Genealogiæ Chriſti, a Matthæo & Luca diverſimode textæ, ſibi obortis. Teſtatur id *la Roche* in *Memoirs of Literature* an. 1713. Vol. 3. p. 17. ſq. ubi vita hominis legitur.

Quomodo *Matthæus* cum *Luca* in hoc negotio conciliandus ſit, oſtendere inprimis conati ſunt ex recentioribus *Pontificiis Pet. de Marca* diſſert. ſingulari de Stemmate Chriſti, quæ in Opuſculis ejus exſtat, P. *Mauduit* de Genealogia Chriſti, *Tillemont* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. not. 1. ad vitam Joſephi T. I. p. 502. *Aug. Calmetus* in limine Commentarii ſui ſuper Lucam, & *Jo. Harduinus* in Operibus ſelectis p. 619. Poſtremus hic ſpeciatim obſervat, doceri nos debuiſſe, Meſſiam ex ſemine Davidis eſſe, eundemque poſtremum Davidici regni heredem: alterum oſtendiſſe Lucam, cum ex Maria prognatum docuit, quæ eſſet ex ſemine Davidis & Salomonis per Zorobabelem: alterum confeciſſe Matthæum, oſtendentem, quod ſit filius David κατ' ἐξοχήν, quippe filius, ut putabatur, Joſephi, qui erat etiam ipſe κατ' ἐξοχήν filius David, juxta illud, *Joſeph, fili David*, Matth. I. 20. i. e. ſolus tunc

mia-

masculus superstes ex stirpe David, atque propterea regni Davidici solus heres, cujus proinde ex conjuge decuerit, & oportuerit Jesum nasci. Ex Reformatis operam suam huc retulerunt præ ceteris *Gerhard. Joh. Vossius* T. VI. Opp. p. 49. sq. *Frideric. Spanhemius* in dubiis Evangel. *Jac. Altingius* T. V. Opp. in Tractatu de Schilo Lib. II. c. 6. *Jac. Gaillardus* in dissert. Gallica de Genealogia J. C. Lugd. 1683. 8. p. 39. sq. ut omittam, quæ *Anton. Klingerus* in Dodecade Exercitt. Academic. Qu. 70. p. 243. sq. & *Sam. Basnage* in Exercitatt. adversus Baronium p. 373. sqq. hanc in rem strictim monuerunt. Ex *Anglis Guil. Whistonus* in Harmonia IV. Evangelistarum p. 168. sqq. cujus singulares quasdam opiniones confutatas dedit *Olearius; Jo. Edwards* in *the discurse concerning the authority stile and perfection of the books of the old and new Testament*, quo confer Historiam Operum Eruditorum an. 1695. Junio p. 460. sqq. & *Guil. Reading* in Historia Domini nostri JEsu Christi, nonnulla huc conferunt diligentiori examine digna. *Readingius* quidem *Matthæum*, utpote Judæum, Judæis scribentem, putat, *politicam* Christi originem ex Abrahamo & regia Davidis familia deduxisse, ut illum jure nativitatis & hereditatis legitimum Judæorum Regem fuisse demonstraret: *Lucam*, utpote gentilem, Gentilibus scribentem, *naturalem* successionem eorum, a quibus Servator carnem & sanguinem assumsit, repræsentasse, & usque ad Adamum ascendisse, ut illum velut semen mulieris, gentibus æque ac Judæis promissum, exhiberet. Confer Acta Erudit. Lipsiens. An. 1717 p. 303. Nuper quoque Cl. *Thom. Mangey* in Observationibus suis ad *Tolandi* Nazarenum, Anglice editis, c. VI. Genealogiam Christi, a Matthæo traditam, ab exceptionibus profani hominis diligenter vindicavit. Conf. Acta Erudit. Lipsiens. Tom. VIII. Supplement. p. 109. sq. Ex nostratibus noviſſime hoc argumentum illustravit, atque eadem, quæ ex *Readingio* breviter attulimus, uberius deduxit *Gottfr. Olearius* in libro Germanico, quem inscripsit de *JEsu vero Messia* p. 232. sqq. nec non in Observat. IV. ad Matthæum de Genealogia Christi p. 27. sqq. cujus observata suo loco legi, quam hic a me repeti, præstat. Nec omittendæ hic sunt B. *Joh. Pet. Grünenbergii* Tabulæ Sacræ Genealogicæ ex integro S. Scripturæ utriusque Testamenti Codice Rost. 1707. 4. fol. quibus præmittitur præfatio de studio Sacræ Genealogiæ & variis observatis Biblicis Genealogicis. Adde ejusdem Matthæum εὐγενεαλογον Rostoch. 1699.

Quæ a Judæis in *Nizzachon* & *Chissuk Emuna*, item libro *Ikkarim* motæ hinc sunt difficultates, eas, ut ceteros Scriptores Anti-Judaicos taceam, expediverunt *Wagenseilius* in notis ad Tela ignea Satanæ, speciatim in Confutatione libri *Toldos Jeschu*, *Jac. Gussetus* in Refutatione libri *Chissuk Emuna* Amstelod. 1712. fol. *Rich. Kidderus* in Demonstratione Messiæ, Anglice scripta Part. II. p. 316. sqq. & *Guil. Surenhusius* in *Βίβλῳ καταλλαγῆς* lib. IV. & V. p. 89. & 140. Is primo quidem modum Genealogias texendi, ex sacro Codice V. T. & veterum Hebræorum scriptis Talmudicis, certis aphorismis compre-

prehendit, deinde vero recenſionem Matthæi & Lucæ Genealogicam ſigillatim perſequitur, atque illis aphoriſmis exacte reſpondere oſtendit, eademque opera Judæis os obdurat, qui aut ſua ipſi vineta cædere, aut ſcriptorum θεοπνεύστων auctoritatem illibatam relinquere debebunt. Contra eosdem inprimis ex *Oleario* de Jeſu vero Meſſia p. 230. ſeq. hæc generatim tenere ſuffecerit: primo quidem, vivo Salvatore noſtro, nihil unquam contra originem ejus ex ſtirpe Davidis allatum fuiſſe, ab adverſariis Judæis, in reliquis alias ſatis ad diſputandum proclivibus, quamvis eum Davidis filium vocari Matth. IX. 28. XII. 48. XV. 22. & alias frequenter audirent. Sic nec poſtea Apoſtolis, in ſermonibus ſuis, Chriſti genus ad Davidem referentibus, Rom. I. 8. & 2. Tim. II. 8. aliquid oppoſitum eſſe legimus, certiſſimo argumento, nihil ipſis in promptu fuiſſe, quod huc facere poſſe videretur. Præterea D. Lucas procul dubio Matthæi Evangelium, octo minimum annis ante exaratum, conſpexit, a quo diſcedere voluiſſe non videtur, niſi certus fuiſſet, ex ea, quæ inter ſe & Matthæum intercedat, differentia neminem offenſum iri, ſed omnia ex notis eo tempore circumſtantiis facile reſolvi & expediri poſſe. Denique mirum non eſt, ſi qua hic occurrant impedita, cum nobis, tam longe ab illa ætate remotis, plena & ſufficiens rituum & methodorum Genealogicarum notitia non ſuppetat. Hæc quidem pro inſtituto noſtro ſufficiant.

Alias non contemnendas obſervationes, ad Genealog. Chriſti pertinentes, lege in *Petr. Allixii* Conſider. librorum Scripturæ Sacr. Part. II. p. 303. ſq. Judæos in peſtilentiſſimis ſuis libris, quos ספרי תולדות inſcribunt, pro ſcurrili ſua & profligata impietate Genealogiam Chriſti pervertere & mendaciis ſuis onerare ſtuduiſſe, me non monente, palam eſt. Eisdem vero omnem veri ſpeciem alii detraxerunt, quos recitavi Tomo II. Biblioth. Hebraicæ. Iis adde præ ceteris *Wagenſeilium* in Confutat. libri *Toldos Jeſchu*, qui exſtat in Telis igneis Satanæ, p. 19. ſeq. *Alexand. Morum* ad N. T. p. 6. & J. H. *Majum* Obſ. Sacr. IV. p. 82. ſqq. Quæ in verſione B. Lutheri hic deſideravit *Dietenbergerus* & *Zangerus*, ea caſtigata vide a *Balth. Raithio*, in Vindiciis verſionis Lutheri p. 333. ſq.

Verſ. 2. Ἀβραὰμ ἐγέννησε) Repetitio illa crebrior verbi ἐγέννησε non præter rem ab Hebraica loquendi ratione derivatur à *Vorſtio* Philolog. Sac. Part. II. p. 147. Quæ de Nominibus Propriis, in hoc capite exſtantibus, dici poterant, de induſtria omitto.

Verſ. 4. Ἀμιναδάβ) Codd. nonnulli MSS. legunt Ἀμιναδάμ mendoſe & contra Hebræum fontem. Confer. *Reinhard* de Variant. Lect. cap. I. Matthæi §. 16. *Rev. Chriſtoph. Matth. Pfaffium* de Variantibus Lection. Nov. Teſt. p. 148. & *B. Joh. Ern. Gerhardum* Diſput. IV. ad Nov. Teſt. Syriacum Poſit. II. Tom. II Theſauri Philolog. Diſputat. p. 50. ubi etiam monet

monet, alibi per duplex μ ſcribi Ἀμμιναδάβ. In eodem commate nomen Ναασσὼν varie in variis vel Codd. vel verſionibus exaratur, quam in rem lege *Reinhard* l. c. B. *Lutheri* verſionem verſ. 3. & 4. contra maſtigas defendit *Raithius* l. c. p. 335.

V. 5. Ἐκ τῆς Ραχάβ) Quæritur hic, utrum *Rachab* hic memorata eadem ſit cum Raab Hierichuntina, de qua Joſ. II. 1. an ab ea diverſa? Eandem ſtatuunt Interpretes veteres & recentiores, tantum non omnes. Non ita pridem vero *G. Outhovius* ſingulari diſſertatione, Bibliothecæ Bremenſi Hiſtorico-Theologicæ Claſſ. III. p. 438. ſq. inſerta, diverſam eſſe probare ſuſcepit, his uſus argumentis, quod (1) mulier Hierichuntina tam in hiſtoria Joſuæ, quam a Paulo & Jacobo ſemper epitheto πόρνης exprimatur, quod in Genealogia Chriſti fruſtra quæras: (2) nomina diverſimode ſcribantur, alterum τῆς πόρνης apud LXX. Paulum & Jacobum per Ραάβ, alterum uxoris Salmonis apud Matthæum per Ραχάβ: nec (3) ex hiſtoria Joſuæ, aut aliunde probari poſſit, meretricem Hierichuntinam nupſiſſe Salmoni, patri Boaſi; ac denique; (4) difficultates inſuperabiles, ibidem recenſitæ, ex ratione temporum adverſentur, quæ effecerint, ut alii duos vel tres Boaſos numerarint, alii τὴν Raab anno ætatis 69. vel 86. peperiſſe ſtatuerint. Ita quidem *Outhovius*, qui pro ſua ſententia ex veteribus unum *Theophylactum* affert p. 453. cui p. 454. in notis ex recentioribus additur unus *Andr. Maſius* in comment. ad Joſ. II. 1. At jungi præterea poteſt *J. Harduinus* S. J. citante *Bernhardo Lamy* in Harmonia Evangeliſtarum p. 652. qui addit, hoc idem ante ipſum ſuſpicatos eſſe claros, quos non nominat, Interpretes. Mihi quidem allatæ *Outhovii* rationes, ſi ultimam exceperis, parum roboris habere videntur. Matthæus enim πόρνης epitheton εὐφημίας cauſa omiſiſſe dici poteſt, quod in epiſtola ad Hebræos & illa Jacobi expreſſum forte eſt, ut appareret, quæ ex quali tandem evaſerit. Utraque nominis ſcriptio Ραάβ & Ραχάβ reſpondet probe Hebræo רחב quia οἱ LXX. τὸ ח nunc per χ ut in חנך, notante Hieronymo Qu. in Geneſ. nunc ſine eo, idque nominatim in mediis dictionibus, per ſolam vocalem exprimere conſueverunt. Vide *Montfauconium* in Disquiſitione ad duo Lexica, quæ in Tom. II. Hexaplorum Origenianorum exſtant, p. 396. qui præterea monet, ſolam vocem אחינך Jeſ. XIII. 21. Symmachum legere ὠχεῖμ. Ita Ναασσὼν, de quo v. 4. a LXX. Intt. eodem modo ſcribitur *Exod.* VI. 23. omiſſo, quod in Hebræo eſt ח, qui iidem nomen אחז per Ἀχάζ exprimunt. Conjugii Salmonis cum Rachab mentio quidem non fit in literis V. T. ſed multo minus alia quædam Rahab ibidem memoratur. Præſtat itaque eam retinere, cujus nomen, ſicut & ipſius Boaſi, occurrit, cum nec alia deſint in Novo Fœdere memorata, eaque hiſtorica, quorum veſtigium in antiquis tabulis non exſtat. Difficultates Chronologicas fateor ex Outhovii hypotheſi melius ſolvi, at eædem etiam in altera ſic ſatis exſpirant, ſi dicimus, Boaſum non magis genitum eſſe aut genitum hic dici a Salmone, quam Oziam a Joram, de quo Matthæus v. 8. *Joram autem genuit Oziam*, inter quos

tamen tres generationes intercedunt. Nepotes enim pro filiis habentur in Sacro Codice. Confer huc *Lamium* l. c. cui verisimilius videtur, non aliam hic indicari ab Evangelista, quam quæ eo nomine nota esset, & inclaruisset, sicut Thamar & Uriæ uxor, quas tres mulieres aliqua vitæ similitudo conjungere videtur. Legatur etiam laudati *Gaillardi* dissertatio citata, p. 91. sq ubi pro nostra sententia pugnat. Ceterum temere, ut in multis aliis, agere merito videbitur *Guil. Whistonus*, quando in *Conatu textum Hebræum restituendi* p. 104. locum hunc inter eos numerat, qui ex V. T. sublati sint, cum hodie in illo Rahab tanquam mater Booz non memoretur. Unde enim ipsi constat, ejus mentionem factam esse unquam in libris sacris, qui hodie exstant, præcipue cum Matthæus ad eos hic non provocet?

Ωβήδ) Diversas nominis hujus scriptiones cum illa communiter recepta comparat, & communiorem ut genuinam adstruit *Reinhardus* l. c. §. 16.

V. 6. Δαβὶδ δὲ ὁ βασιλεὺς) Vocem βασιλεὺς hic ex initio hujus versus irrepsisse credit *Millius*, in Prolegom. §. 1245. quia in nonnullis Vulgatæ Codd. & alias deest. Sed adstruxit recte *Reinhardus* l. c. §. 10. & *Daniel Whitby* in Examine Variant. Lectionum Joh. Millii p. 36. Nec ratio idonea reddi potest, cur divus Scriptor Davidem semel, Regis nomine adposito, deinde vero, eodem omisso, memoret.

Quæ ex commate 6. & sequentibus usque ad v. 11. objici solent difficultates, eas non vulgari diligentia examinavit B. *Jo. Pet. Grünenbergius* in singulari disputat. de Matthæi fide Genealogica in media Tesseradecade, Rostoch. 1701.

V. 8. Omissos hic videmus tres omnino Reges, ad complendam successionis seriem pertinentes, *Achasiam*, *Joasum*, & *Amazjam*, ringentibus Judæis in *Chissuck Emuna*. Diversæ omissionis causæ apud alios legantur. Plerique ab impietate eorum, &, quæ eam secuta est, temporum calamitate, eam repetunt, quibus multa non inepte *Olearius*, Regum æque impiorum commemorationem factam inprimis urgens, obvertit p. 34. Nihilominus tamen & *Lamius* illis accedit in Harmonia Evangel. p. 24. Novam affert *Gussetus* contra *Chissuck Emuna* pag. 327. & in Commentariis Linguæ Hebr. p. 327. ex dignitatis regiæ respectu petitam. *Israele enim diviso dignitas illa tota penes Reges Judæ fuit, ut qui Regibus Israelis præcellere, etsi non imperitare solerent. Sed Jehu ejusque posteri, trium illorum tempore, primarium illum splendorem adepti sunt. Judices ac vindices in eos, Achabi causa, constituti sunt, diserte etiam thronus Israelis ipsis adsignatur. Cum igitur jam decem tribus, ut prædecessores sui, Jehu successoresque Ejus tenerent, promisso illo novo throni Israelis, certe fastigium alteri Israelis partis supereminens indicari necesse est. Illud certe a Judaicis Regibus ad alios translatum 2. Reg. XIV. 9. demonstratur. Merito itaque tres isti mutilam dignitatem ac secundariam regni vim, qualis non erat illa Christi, habentes, e catalogo regiorum filiorum Christi, expunguntur.* Ita ille. Mihi quidem cum *Oleario*

l. c.

l. c. p. 36. tutissimum videtur, statuere, Genealogias quandoque memoriæ causa contractas fuisse. Judæis sane hac in causa κατ' ἄνθρωπον communissima illa responsio, quam primo loco attulimus, satis esse debet, cum ipsorum doctores statuant, in Genealogiis diversas ætates interdum omitti solere, quod malæ essent & impiæ. Vide hanc thesin firmatam a *Surenhusio* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 97.

V. 11. Ιωσίας δὲ ἐγέννησε) Nonnulli Codices Græci hic legunt ita: Ιωσίας δὲ ἐγέννησε τὸν Ιακείμ. Ιακεὶμ δὲ ἐγέννησε τὸν Ιεχονίαν. Atque id quidem & editiones nonnullæ & versiones recipiendum judicarunt, non dissentientibus ex nostratibus *Chemnitio, Gerhardo, Brochmando, Suaningio, Calixto, Kromayero, Erasmo Schmidio, Dan. Fesselio* in Adversar. Sacr. p. 480. & novissime Rev. *Pfaffio* in Dissert. de Variis Lect. N. T. p. 232 & in Primitiis Tubingensibus p. 79. Vicissim communem lectionem recte adstruunt, tanquam antiquissimis optimisque & Codd. & versionibus conformem, *Rich. Simon* in notis ad vers. Gall. & in Histor. Crit. de versionibus N. T. p. 178. p. 262. contra *Flacium*, & p. 301. contra *Bezam; Lenfant* in notis ad N. Test. *Lamy* in Harmonia Evangelica, & ipse *Joh. Millius* ad N. T. qui intercalatione hac bis peccari observat, primo, quod a receptissima lectione recedatur absque causa, quia prior Jechonias is ipse Joachimus omnino videatur, quem insertum volunt; deinde, quod Jechoniæ posteriori fratres tribuuntur, qui, quantum ex Sacris literis colligitur, nullos habuit. Lectio illa nova, Lamio recte censente, videtur illata textui, ut tolleretur difficultas, in qua solvenda cum olim Patres pariter laborarint, argumentum est, lectionem vulgatam antiquam esse. Ex nostratibus novissime pro communi ista lectione pugnat *Reinhardus* in dissert. sæpe laudata §. 19. & *Heumannus* in Parergis Criticis p. 157. sq. contra Clericum. Conferatur quoque *Jo. Ernestus Gerhardus* in Dissert. V. ad N. T. Syriacum Posit. IV. Tom. II. Thesauri Philolog. p. 51. Reliqua, quæ ad examen causæ ipsius pertinent, pro instituto nostro a nobis afferri non possunt, apud laudatos auctores rectius legenda. Id unum adhuc tentatæ illi interpolationi objicere fas sit, quod, si illa admittatur, in secunda tesseradecade quindecim personæ occurrant, quas certe consilium Matthæi v. 17. expositum non admittit.

V. 12. Μετὰ δὲ τὴν μετοικεσίαν) Beza verterat per *transportationem*, reprehensus ideo a *Maldonato*, maligne simul & imperite, si credimus *Casaubono* in Casaubonianis p. 95. quem vide sis.

Ἰεχονίας hic memoratus diversus omnino est ab illo, de quo v. 11. Prior est *Jehojakim*, antea Eliakim dictus, filius Josiæ, posterior vero *Jehojachin*, filius ipsius, qui alias & *Jechonia* & *Chonja* pronunciatur. Utrumque scilicet LXX. Interpretes eodem illo nomine Ἰεχονίας nonnunquam indigitant. Ita recte *Gussetus* contra Chissuk Emuna p. 364. Sic constabunt

ſibi binæ illæ teſſeradecades. Rem ipſam in Majori luci collocat, producto Stemmate Genealogico filiorum Joſiæ, Regis Judæ, *Lamius* ad Harmoniam Evangelic. p. 24. qui præterea p. 25. ſcite obſervat, verba v. 11. ἐπὶ τῆς μετοικεσίας non ita capienda eſſe, ac ſi poſt transmigrationem geniti ſint, cum Jechonias captivus abductus atque adeo antea genitus ſit; ſed latius extendenda ex uſu Præpoſitionis ἐπὶ, quæ non ſtricte aliquod certum temporis intervallum deſignet, ſed cum latitudine aliqua multa & diſtincta tempora includat. Confer & B. *Grünenbergii* Diſſert. de media Teſſeradecade Quæſt. III.

V. 13. Ἀβιούδ) Eum ab אֲבִיהוּא, cujus 1. Paralip. III. v. ultimo eſt mentio, non eſſe diſtinguendum, ex ſignificatione utriusque nominis eadem, ſoni item & ſcriptionis vocum affinitate, aliisque argumentis nonnullis evincere conatur *Matth. Hillerus* in Syntagmatibus Hermeneuticis p. 361.

V. 16. Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσὴφ) Quæritur hic, cur Matthæus Joſephi majores hic recenſeat, qui Chriſti origines traditurum ſe promiſerat? Plerique, ac nominatim *Baronius*, *Voſſius*, *Spanhemius* veterum, *Hieronymi* & *Ambroſii*, reſponſionem amplectuntur, Mariam ſcilicet ἐπίκληρον fuiſſe, adeoque ex familia mariti de ejus quoque genere, & ipſis adeo Chriſti majoribus conſtare potuiſſe. At aliam hic rationem reddere inſtituit *Guil. Whiſtonus* in Harmonia ſua Evangelica, quam ſub examen revocavit *Olearius* p. 28. ſq. Cur Joſephus hic dicatur filius Jacobi, qui Lucæ III. 23. audit *Eli* filius, de eo dicemus ad Lucam. Quare idem in genealogia Chriſti præcipue memoretur, disquirit *Pitſchmannus* in Dubiis Vexatis H. E. Sec. I. p. 106. Joſephus hic vocatur ἀνὴρ Μαρίας, idque ex jure deſponſationis, quæ in populo Judaico efficiebat, ut alter alteri eſſet obnoxius, vide Deut. XXII. 23. 24. ubi per אשת רעהו i. e. *uxorem proximi*, intelligitur uxor viri tantum deſponſati. Conf. *Maimonides* in Hilchot Iſchut cap. 1. col. 3. & *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 137. Monent ipſi Judæi in *Schemoth Rabba* f. 160. col. 4. nomina perſonis ab educatione aut converſatione ita imponi ſolere, ac ſi ipſæ tales eſſent. Lege quoque *Philippi Limborchii* Collationem cum erudito Judæo p. 225. Confer infra ad v. 20.

Joſepho Mariam ſorte obtigiſſe, ſcribit Epiphanius contra Anti-dicomarianitas, in cujus verbis intelligendis poſt Caſaubonum Viros eruditos plures lapſos eſſe ex *Gatakero* monet *Colomeſ.* in Obſervatt. Sacris p. 83. & *Fabricius* ad Codic. Apocryph. N. T. p. 32.

Ad verbum ἐγεννήθη, de feminis uſurpatum, lege *Sebaſt. Pfocheniuin* de Puritate Linguæ Gr. N. T. §. 43. Adde *Jo. Fried. Hombergii* Parerga Sacra, p. 1. Hinc non opus eſt recurrere ad Hebraismum cum *Theodor. Hackſpanio* in Notis Philolog. Theologic. p. 2.

Vox

Vox λεγόμενος hic idem eſt, quod alias dicitur: ὃς λέγεται, obſervante *Jo. Boiſio* in Collatione Veteris Interpretis cum Beza, p. 1.

Nomen Χριστὸς cum hoc loco prima vice occurrat, excitabimus nonnullos, qui ejus vim & rationem delinearunt. Legendi itaque præ ceteris ſunt *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. T. II. p. 1549. ſqq. *Tobias Eckkardus* in Technica Sacra p. 104. *Ant. Bynæus* de Natali Jeſu Chriſti p. 157. ſqq. & Cl. *Mich. Roſſal* in Obſervatione de Chriſto per errorem in Chreſtum commutato, Groning. 1717. 8. ubi tum alia huc pertinentia cumulate invenies, tum inprimis illud evictum videbis, per *Chreſtum* & *Chreſtianos*, in Gentilium Scriptis memoratos, non alios, quam Sanctiſſimum Salvatorem noſtrum & ejus ſectatores fideles intelligendos eſſe. Nomen hoc Gentilibus non obſcurum fuiſſe oſtendit & *Huetius* in Demonſtratione Evangel. Prop. III. §. 12. p. 54. ſqq.

V. 17. Πᾶσαι ἓν αἱ γενεαὶ) per *generationes* vertit Vulgatus, adſtipulante *Boiſio* in Collatione &c. p. 1. qui monet, vocem hanc reſpondere Hebrææ תולדות. Infert autem hic, obſervante poſt alios *Jenſio* in Ferculo Literario p. 6. generationem, qua alius ex alio naſcitur, quo ſenſu ipſi etiam ab *Homero* ſumi videtur Iliad. Z. v. 145. Eadem is occaſione alias vocis hujus notiones, & inprimis eam, qua certam annorum 30, 33. &c. ſummam infert, proponit, qua opera etiam defunguntur *Grævius* p. 21. ad Heſiod. Interpretes ad Diogenem Laertium VIII. 45. & inprimis *Menagius* p. 374. *Steph. Morinus* in Exercitatt. de Lingua Primæva p. 180. & *Gottfr. Olearius* ad Philoſtratum p. 232. quos hic ſemel laudaſſe ſufficiat, alibi ad hujus vocis illuſtrationem non repetendos.

Idem *Jenſius* l. c. p. 4. de voce μετοικεσίας notat, eam alibi non inveniri, interim rei deſignandæ idoneam & propriam eſſe, cum μετοικεῖν Græcis dicatur is, qui in peregrina terra, patria pulſus, vivat. Vide ibi laudatos, iisque adde, quæ *Menag.* de vocibus μέτοικος, & μετοίκιον ad *Diog. Laertium* p. 171. poſt *Meurſium* ad Heſychium Mileſium, attulit.

In eodem commate divinus Scriptor conſilium ſuum de Genealogia Chriſti, per tres teſſeradecadas ſtructa, non obſcure ſignificat, in cujus cauſis reddendis nonnulli diligenter occupati fuerunt. *Guſſetus* quidem contra *Chiſſuck Emuna* p. 328. memoriæ ſoli eum conſulere hoc modo voluiſſe, atque inde legitimam quoque omiſſionum nonnullarum, ſubinde ibi ad veterum exemplum factarum, rationem reddi poſſe cenſet, remanente ſcilicet diligentibus lectoribus aditu libero ad ipſos fontes, unde prætermiſſa ſuppleant. Confer eadem fere tradentem *Hillerum* in Syntagmat. Hermeneut. p. 363. ſqq. Atque hanc ſententiam prætulerim omnino alteri a *Surenhuſio* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 143. allatæ, quæ ad Davidis nomen, literis Hebraicis דוד, numerum quartum & decimum conficientibus, conſtans, alludi contendit, quia ſcilicet Matthæus in eo ſit, ut Chriſtum

ſtum Davidis filium eſſe evincat. Subtiliora etiam videntur, quæ idem *Guſſetius* l. c. recitat, oſtenſurus, myſterium inſigne in hac triplicis generationum claſſis, propemodum æqualis, procuratione latere. Hæc quidem divinæ Sapientiæ relinquere, quam curioſius nos ſcrutari malim, quos de eo magis ſolicitos eſſe decet, quomodo illis teſſeradecadibus ſua ratio conſtet. Atque illarum quidem computationem non tam implicatam eſſe, quam eam nimia diligentia ſua fecerint eruditi, ſtatuit *Olearius* p. 30. Obſervatt. atque ita procedit, ut verbis Matthæi v. 17. preſſe inſiſtens affirmet, primam claſſem ducere Abrahamum, claudere Davidem: ſecundam ducere Davidem, claudere μετοικεσίαν, ſeu Joſiam, qui attigit μετοικεσίαν Βαβυλῶνος: in tertia ducere τὴν μετοικεσίαν, claudere Chriſtum. Cumque, ita pergit, ſecundæ claſſis finem conſtituat μετοικεσίας initium, tertiam incipiat μετοικεσίας finis, non ut in præcedentibus claſſibus, eadem, quæ prioris erat terminus, poſterioris initium poteſt eſſe perſona. Provocat eadem opera ad *Whiſtonum*, qui ſe in brevi ſuo Harmoniæ Evangelicæ examine p. 174. ita ſentientem confirmarit. Quæ quidem nos ſuo loco relinquimus, in iis, quæ paulo ante de Jojakimis duobus, quos *Olearius* de uno interpretatur, dicta ſunt, acquieſcentes. Ceterum integram JEſu Chriſti genealogiam 40. omnino perſonis abſolutam, ex ſacris tabulis texit & notulis illuſtrat *Hillerus* l. c. p. 362. ſq. atque ex hac, ita ſtructa, ceſſaturas eſſe difficultates, quas Doctores de Juris & ſanguinis ſucceſſione, de perſonarum numero, de confuſione nominum & aliis Genealogiæ hujus defectibus movere conſueverint, affirmat. Lege, & videbis, non vulgaria eo loco afferri.

V. 18. Τοῦ δὲ) Τὸ δὲ hic denotat *nempe, ſcilicet.* Vide *Raphel.* Notas in N. T. Xenophonteas p. 2.

Τοῦ δὲ Ἰησοῦ) JEſu nomen ex conſuetudine recitationis Eccleſiaſticæ hic additum eſſe, & in verſionibus quibusdam recte omiſſum, cum *Eraſmo* ſtatuit *Millius.* At cum nullus omnino Codex Græcus huic conjecturæ tibicinem afferat, viciſſim vero nomen JEſu Chriſti plenum in tot verſionibus legatur, temerarium merito judicium illud habetur *Whitbio* in Examine p. 36. & *Reinhardo* in Diſput. ſæpe citata §. 9. Adde *Bynæum* de Natali J. C. p. 157. ſq.

Γέννησις) Grotius mavult γένεσις, quia olim Codd. plerique ita legerint. At in iſtos ſe nunquam incidiſſe, imo nec ullum exemplar MS. Patrem aut tractatorem vidiſſe, qui ita legat, teſtatur *Millius.* Conf. *Reinhardum* l. c. §. 13. & *Anton. Bynæum* de Natali J. C. p. 165. ſq. qui poſterior obſervat, γέννησιν hoc loco non per *generationem*, ſed *nativitatem* verti cum *Eraſmo*, *Beza*, & aliis debere, præeunte etiam, ad quod *Caſaubonus* provocat, Gloſſario vetere, in quo γέννησις per *procreationem* & *nativitatem* convertatur. In alia tamen hic abit *Hombergius* in Parergis Sacris p. 2. *generationis* notionem hic a Matthæo magis, quam *nativitatis*, reſpici ideo putans, quod Evangeliſta hic non

non tam nativitatem aut partum Christi, de quo Lucas, quam conceptionem & ἐνσάρκωσιν exponere voluerit, eamque non eo modo, quo homo hominem generat, factam, sed a Spiritu S. processisse pronunciet. Et parum abest, quin ipsi adstipuler, inprimis si ad v. 20. respicio, ubi occurrit τὸ γεννηθὲν, *generandi* certe, non *pariendi* sensu, ex quo & scopus Matthæi præcipuus satis intelligitur. Consentit *Martianæus* in Essai p. 10. qui etiam particulas πρὶν ἢ vertit per *sans que*, ut omne commercium inter eos penitus tollatur.

Οὕτως ἦν) *Sic erat*, vertit *Vulg.* recte, judice *Boisio* contra Bezam, vertentem: *ita fuit*. Τὸ ἦν enim ἀορίστως capitur Græce. Adverbium hic ponitur pro Adjectivo ἄυτη, ut infra VII. 12. IX. 33. XIX. 10. &c. conf. *Hombergium* p. 2.

Μνηστευθείσης) *Desponsata* Vulg. Beza: *desponsa*. Utrumque recte, judice *Boisio*. Ita *Martianæus* in Essai p. 18. *ayant fiancée* i. e. ut explicat, *promise en mariage*, ubi simul eos confutat, qui vertunt, *ayant epousée*, quasi jam domum ducta fuisset, quod nec vis ipsius verbi, nec usus apud Patres obvius, nec mos Judæorum permittat, quippe qui inter sponsalia & domum ductionem intervallum temporis interjicere consueverint. Lux illi sententiæ, ni fallor, accedit ex Deuter. XX. 6. ubi οἱ LXX. ita: καὶ τίς ὁ ἄνθρωπος, ὅστις μεμνήστευται γυναῖκα, καὶ οὐκ ἔλαβεν αὐτήν;

Τῷ Ἰωσὴφ) De Josepho hoc nostro multi multa, quæ ad intelligendam etiam hanc narrationem ex parte faciunt. Lege tu inprimis *Tillemontium* in Memoriis Hist. Eccles. Tom. I. p. 25. sq. *Molanum* Histor. Imaginum III. 22. Rev. *Georg. Henr. Gœtzium* in dissert. de Cultu Josephi, in Meletematibus ejus Annæbergens. recusa p. 947. sqq. *Aug. Calmeti* dissertat. de S. Josepho in Collectione Dissertationum ejus junctim editarum, & fabulosam de Josephi vita commentationem, nuper a *Georg. Wallino* Arabice & Latine editam Lipsi 1722. 4. Eum sponsum ætate decrepitum fuisse, veteres pariter ac recentiores multi nimis præcipites crediderunt, quam in rem lege B. *Jo. Frid. Mayeri* Eclogam ad Dominic. post Festum Circumcis. Christi & *Phil. Rohr* in Pictore Errante Tom. II. Thesauri Disputat. p. 865. B. *Th. Ittigium* in Select. Capp. Hist. Eccl. Sec. I. p. 420. item *Fabricium* ad Codic. Apocryph. N. T. p. 32. & 104. ubi & de liberis Josepho attributis, quemadmodum de opificio ejus p. 87. differit.

Quamvis S. Matthæus & ceteri Evangelistæ satis professi sint, quo sensu Josephus Mariæ uxoris maritus, atque adeo Christi pater vocetur, fuit tamen, qui infelici non minus, quam vano, conatu, Josephum Parentem Christi naturalem fuisse, contenderet. Vide somnia ejus explosa in Relationibus Theolog. Innoxiis (Unschuldige Nachrichten) an. 1711. p. 622. sqq. Similes veterum quorundam ineptias post alios castigavit *Saubertus* in Palæstra p. 218. sq. Conf. & *Jo. Crausii* Exercit. Academicam de Josepho & Maria Salvatoris Parentibus, Jen. 1667. 4.

Πρὶν

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτὸς) Variorum de ratione hujus phraſeos ſententias collegit *Bynæus* de Natali J. C. p. 168. ſqq. Alii enim cum *Beza*, *Vatablo*, *Spanhemio*, *Lightfooto*, *Grotio* de domum ductione ſive domicilii conjunctione interpretantur, quos ex recentioribus ſequuntur *Eraſmus Schmidius*, *Saubertus* in Palæſtra p. 223. B. *Godofr. Wegnerus* in Annotatis ad h. l. B. *Olearius* p. 41. *Guil. Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 145. & *Lenfant* in not. ad verſ. Gall. Alii, de communione tori & uſu conjugii accipi volunt, cum *Eraſmo*, *Zegero*, *Abrah. Sculteto*, *Piſcatore*, *Pricæo*, quibus ſe jungunt ex recentioribus *Alex. Morus* ad h. l. *Rich. Simonius* in notis ad Verſ. Gall. *Cornel. Adami* in Obſervat. Theolog. Philolog. cap. III. p. 73. *Georg. Raphelius* in notis ex Xenophonte p. 3. & ex Polybio p. 8. J. H. *Majus* Obſervatt. Sacr. IV. p. 45. *Guil. Whiſtonus* in Sermons and Eſſays upon ſeveral ſubjets p. 184. & *Jac. Elsnerus* p. 2. Obſ. Alii utramque notionem conjungunt, nominatim *Druſius*, *Pareus*, *Calvinus* & ex noſtratibus *Feſſelius* Adverſ. Sacr. II. 16. §. 6. Non diſplicet *Bynæus* l. c. p. 172. ſtatuens, τὸ συνελθεῖν inferre hic conventum ad *nuptiarum ſolemnia*, quibus ſcilicet poſt facta ſponſalia, interjecto aliquo tempore, certus dies dici ſolebat ita, ut cum iis ipſa domum ductio eſſet conjuncta. Atque hanc conſuetudinem veterum Judæorum *Buxtorfius* in Diſſert. de Sponſalibus & Divortiis p. 68. & *Seldenus* in Uxore Hebræa lib. II. c. 8. ita evictam dederunt, ut nulli exceptioni ſit locus. Et merito altera illa de uſu conjugii mutuo ſententia repudiatur. Ille enim omnino ſupponeret domum ductionem. Eam vero factam nondum fuiſſe patet ex Angeli voce, ſuadentis, ne vereatur Joſephus ſponſam ſuam domum ducere, qui & poſtea demum monitis his obſecundavit. Nec forte præter rationem ſuſpiceris, apparitionem hanc Angelicam factam fuiſſe proxime ante eum diem, qui nuptiis celebrandis ſtatutus erat. Novi, quid opponant alterius ſententiæ patroni, nempe, uſum conjugii phraſi iſta a Scriptoribus pure Græcis ſæpius innui. Id enim, ut cum *Gatakero* de Stylo N. T. p. 75. & *Oleario* p. 42. negare non auſim, ob loca nimis luculenta; ita non video, qui hinc conſequatur, eundem ſignificatum etiam huic loco neceſſario convenire, niſi antea oſtenſum fuerit, alteram illam latiorem ſignificationem, quæ ad cujuscunque conventus ſolemnia extenditur, eidem verbo prorſus non competere. Taceo, non defuiſſe, inter quos ex veteribus nonnullos memorat *Bynæus* p. 177. ex recentioribus vero eſt *Whiſtonus*, (de quo deinceps,) qui ea hujus phraſeos notione eo abuſi ſunt, ut Joſephum vere deinceps liberos ex Maria ſuſcepiſſe affirmarent. Mireris vero merito, quomodo *Hyac. de Graveſon* in tractatu de myſteriis & annis Chriſti diſſert. I. affirmare potuerit, Mariam etiam ante Angeli apparitionem matrimonium cum Joſepho, quamvis ſine uſu conjugii, iniiſſe, & τὸ συνελθεῖν de *concubitu*, quamvis ſine copula carnali, explicare. Vide Acta Erudit. 1713. p. 534.

Εὑρέθη) ex Hebraiſmo repetit *Keuchenius* ad h. l. p. 3. qui conferri vult Exodi XXXV. 23. *Philip.* II. 7. 8. & *Luc.* XVII. 18. quibus *Olearius* ὁμόψηφος

ψηφος recte addit 1. Petr. II. 22. & Galat. II. 16. adeoque verti vult: *facta est gravida*, vel Germanice: ſie befand ſich ſchwanger vom Heil. Geiſt. Adde *Hombergii* Parerga p. 3. qui iisdem fere Scripturæ locis allatis τὸ εὑρέθη explicat per ἐμφανὴς ἐγένετο.

Ἐν γαστρὶ ἔχουσα ἐκ πνεύματος ἁγίου) Verba hæc illuſtrata vide a *Bynæo* p. 181. ſq. ubi ſpeciatim oſtenditur, τὸ ἐκ apud Sacros & profanos ſcriptores non ſemper de materia, ex qua aliquid fit, verum etiam de cauſa, cujus effectus prædicatur, uſurpatum inveniri. Conf. *Stolbergii* notas ad Sophoclis Ajacem p. 115. & Exercitt. Gr. L. p. 391. Adde, quæ dicentur ad v. 20.

Phraſi ἐν γαστρὶ ἔχειν, quam ex profanis quoque oſtendit *Elsnerus* p. 2. affinis eſt alia γαστρὸς ὥραν ἄγειν, quæ de partui proximis adhibetur apud *Philoſtratum* in Vita Apollon. II. 14. p. 65.

Verſ. 19. Ἰωσὴφ δὲ &c.) Comma hoc generatim interpretatur *Jo. Phil. Storrius* in decade Exercitationum Exerc. IX. ſtatuens, Joſephum ſciviſſe, Mariam ex Spiritu S. eſſe gravidam, adeoque voluiſſe eam dimittere, quod nefas putaret, uxorem habere eam, ex qua naſceretur Dei filius, & hactenus eum *juſtum* dici, ac fuiſſe. Eodem fere inclinat *Bartoloccius* Tom. IV. Biblioth. Magnæ Rabbin. p. 561. qui, poſtquam ex eo, quod Maria apud Eliſabetham per aliquot menſes commorata dicitur, collegerat, eam poſt deſponſationem non in poteſtate & domo Joſephi, ſed Parentum fuiſſe, ſtatuit, Joſephum, cognita Mariæ graviditate, noluiſſe eam παραδειγματίζειν, h. e. *domum ducere*, quia Vir juſtus erat, at juxta Hebræorum leges non licebat gravidam ex alio, niſi poſtquam peperiſſet, & infantem ablactaſſet, domum recipere. Itaque *infamiæ* notionem a verbo παραδειγματίζειν removet, ex eo, quod non conſonet literæ, & Joſephus, ſi Mariam occulte dimiſiſſet, re ipſa eam infamem redditurus fuiſſet. Enim vero huic expoſitioni contrariatur inprimis id, quod præſtruitur, Joſephum ſciviſſe jam antea, Mariam *ex Spiritu S. gravidam* eſſe, quod quo minus credamus, ſeries narrationis efficit, quæ manifeſtum facit, Angeli demum monitionibus hanc rem edoctum atque adeo a mala, cui indulſerat, ſuſpicione avocatum fuiſſe. Neque obſtat, quod v. 18. dicitur: εὑρ. ἐν γ. ἔχουσα ἐκ πν. ἁγίου. Verba enim: *ex Spiritu S.* magis rei veritatem, quam cognitionem Joſephi reſpiciunt. Taceo, verbo παραδειγματίζειν eum, quem Bartoloccius ipſi tribuit, ſignificatum nullo idoneo auctore vindicari poſſe. Præſtat omnino acquieſcere in *Photii* ſententia, quam diſcimus ex epiſtola ejus 181. ad Eulampium. Negat is, ſuſpicatum fuiſſe Joſephum, Mariam ex adulterio gravidam, quod & eximia eſſet deſponſatæ virtus, & diligens proci cuſtodia: alioquin eam ad ſupplicium rapturum fuiſſe. Neque tamen, eodem judice, cognitum habuit, conceptionem Spiritui S. acceptam ferri debere: itaque fluctuavit cogitabundus, donec Angelus rem doceret. Confer *Jo. Seldenum* de Uxore Hebræa lib. III. c. 23. & *Fabric.* ad Apoc. N. T. p. 97. Videamus nunc voces ſingulas.

Joſephus hic dicitur ἀνὴρ Mariæ, non notione *mariti* propria, ſed *ſponſi*. Prior quidem illa alias huic voci frequens eſt. Vide *Bynæum* p. 186. & *Gatakerum* de Stylo N. T. c. 12. ac ad *Antoninum* IV. 3. Poſterior vero itidem apud ſacros & profanos utriusque Linguæ ſcriptores occurrit. Exempla vide apud Bynæum p. 187.

Δίκαιος ὢν) Vocem δίκαιος alii de *juſto*, alii de *æquo, miti, leni, miſericorde*, interpretantur. Utriusque ſententiæ patronos antiquiores lege apud *Bynæum* p. 192. ſq. qui ipſe generaliori ſignificatu, facile utrumque illum comprehendente, utendum cenſet, idemque eſſe vult, quod *pius, bonus, honeſtus*. De *lenitate* hic primus, ni fallor, cogitavit *Chryſoſtomus*, quem poſt alios ex recentioribus ſequuntur *Knatchbull* in Animad. *Hackſpan.* in Notis p. 4. *Le Cene* in Projet. p. 22. R. *Simon* in notis ad verſionem ſuam. *Suicerus* T. I. Theſauri p. 908. & noviſſime *Outhovius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 37. At *Hombergius* in Parergis p. 3. communem juſtitiæ notionem tuendam cenſet, duo hic de Joſepho prædicari contendens, primo quidem juſtitiam, qua adductus retinere noluerit, quæ vi legum erat ejicienea, deinde vero *miſericordiam*, quam re ipſa exercuerit, eam non accuſans publice, ſed clam dimittere tentans. Atque idem ſtatuit *B. Godfr. Wegnerus* in Annotat. ad hunc Matthæi locum. Adde in eandem ſententiam *Lightfootum*, *Alphenum* ad Daniel. IX. 16. & *Herman. Reiners* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 410. Viciſſim *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 615. juſtitiæ Joſephi argumentum putat, quod de Maria nihil pravi ſuſpicari voluerit. Malim ego in B. *Lutheri* & *Bynæi* verſionibus perſiſtere, quarum illam obſcuritatis præter rem poſtulaſſe mihi videtur *Hombergius* p. 4. ad quam cavendam ex prudentis Interpretis officio poſterius illud aber, quod Vir doctus taxat, inſeruit. Conf. *Joh. Henr. von Seelen* ſchediasma de pietate Joſephi in Mariam, quo Lutherus data opera vindicatur, pluribus allatis, qui eandem interpretationem ſunt ſecuti. Ab Hebraismo ſatis hanc vocem vindicavit *Pfochenius* de Stylo N. T. p. 106. & *Outhovius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 36.

Παραδειγματίζειν) Diverſorum de hac voce ſententias diligenter affert *Bynæus* p. 197. ſqq. cui, quæ deſunt, hic ſubjiciemus. Legantur itaque inprimis *Suicerus* Theſ. Tom. II. p. 570. ſq. *Eraſm. Schmidius* ad h. l. *Lacerda* in Adverſ. p. 466. *Stephanus* diſſ. de Stylo N. T. p. 4. edit. Honertianæ, & *Dietericus* in Antiquitatibus Biblicis Tom. II. p. 89. *Cornel. Adami* in Obſervationibus Biblicis p. 74. *Guil. Saldenus* in Otiis Theologic. p. 105. *Andr. Acoluthus* de Aquis Amaris p. 206. *Alex. Morus* ad h. l. *Poſſin.* p. 153. *Arndius* in Miſcellan. p. 29. *Prado* in Pentecontarcho p. 134. & *Raphelius* in Notis Polybianis p. 2-7. Græci paſſim vertunt per φανερῶσαι, quod & fecit *Heſychius* & auctor Protevangelii Jacobi p. 97. edit. Fabricianæ, ubi ita Joſephus introducitur loquens: ἐὰν αὐτὴν φανερώσω τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ. Ibi deinde p. 111. ipſa Maria inducitur Joſephum obſecrans: μή με παραδειγματίσῃς, i. e. ut in notis vertitur: *noli in me exemplum facere*. Vulgatus vertit: *traducere*; recte quidem, ſi audimus

dimus *Boiſium* in Collatione, *Scaligerum* in Actis Literariis a Schurtzfleiſchio editis p. 23. & *Colomeſium* p. 122. Obſſ. Sacr. Mihi quidem non eſt dubium, per verbum hoc publicam hic ſignificari ignominiam, qua partim is, qui facinus commiſit, punitur, partim alii deterrentur, ne quid tale committant. Hanc notionem ex uno Polybio, qui frequenter iſta voce uſus eſt, ita evictam dedit *Raphelius* l. c. ut dubitationi non ſit locus. Adde G. *Outhovium* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 39. ſq. Inde & ſimul patebit, alios fruſtra Hebraismum in hac voce quæſiviſſe, quibus recte ſe oppoſuit *Pfochenius* & *Outhovius* l. c. B. *Lutherus* noſter accuſandi inprimis ſignificatum in verſione ſua per rügen expreſſit, de qua voce lege *Stadenii* explicat. Vocum Germanic. p. 120. ſeq. Adde G. *Outhovium* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 28. ſq. Si quæratur, quod tandem ignominiæ genus Mariæ inurere noluerit Joſephus, cenſuerim, libellum repudii, eumque publice datum, de quo *Deuter.* XXIV. 1. hic inprimis eſſe cogitandum.

Λάθρα ἀπολῦσαι) Id quidem *Camero* in Myrothecio per *clam* h. e. nullis teſtibus adhibitis, *repudiare* exprimit: hoc autem per leges Judæorum fieri non potuiſſe, poſt *Grotium* evincit *Bynæus* p. 191. ſqq. qui præterea oſtendit, clandeſtinam hanc dimiſſionem opponi tantum judicio publico, & inferre ſilentium cauſæ dimiſſionis. De phraſibus Græcis ἀπολύειν, ἀποπέμπειν, ἐκβάλλειν &c. γυναῖκα, ἀπολείπειν ἄνδρα lege G. *Outhovium* in Bibliothecæ Bremenſis l. c. p. 46. ſq. Non tam dimiſſionem Mariæ, quam diſceſſionem Joſephi hic innui, crediderunt *Eraſmus* & *Bruciolus*, vertentes: *clam diſcedere voluit.* Sed id quidem & ſignificatui vocis & contextui adverſatur. Confer, quæ iſti olim a *Lightfooto* oppoſita narrantur in præfatione ad Opera ejus * * * b.

* * *

V. 20. Integrum hunc verſum explicat *Bynæus* l. c. p. 206. ubi inprimis multa de apparitionibus Angelorum. De Angelis divinam voluntatem hominibus annunciantibus illuſtris eſt *Hieroclis* locus ad Carmina Pythag. p. 36. & *Porphyrii* libr. II. Sect. 38.

Ἄγγελος κυρίᾳ) Quia vox κυρίᾳ ab uno Codice Seldeniano, Chryſoſt. & auctore Operis imperf. abeſt, cauſam habere ſe putat *Millius*, cur eam ex v. 24. huc translatam cenſeat. Sed vide recte repugnantem *Reinhardum* de Var. Lect. §. 18.

Κατ' ὄναρ) *In ſomnio*: ita ſæpe τὸ κατὰ uſurpatur, vide *Suicerum* T. I. Theſauri p. 447. Alias vero τὸ κατὰ omitti oſtendit *Elsnerus* in Obſ. ſac. p. 3.

Υἱὸς Δαβίδ) Harduini judicio Oper. Select. p. 523. Joſephus Davidis filius vocatur, ut ſolus intelligatur fuiſſe filius & heres Davidis, ac proinde primogenitus ex primogenitis, vel ex iis, qui primogenitis ex jure ſucceſſiſſent.

Παραλαβεῖν) de ſponſa, quam maritus ſeu ſponſus recipit, a profanis adhiberi oſtendit *Raphelius* in notis Xenophonteis p. 5. & Polybianis p. 8. & *Elsnerus* p. 3. *Eraſmus* quidem hic nihil aliud præcipi putat, quam ut Mariam ſibi jun-

gat Josephus in consuetudinem vitæ, *Bynæus* vero p. 212. sq. Angelum hoc velle statuit, ut eam per nuptiarum solemnia & matrimonium rite contractum sibi copulet, quamvis sine ulla cohabitatione maritali. Malim ego prius, quia παραλαμβάνειν hic opponitur tantum τῷ λάθρα ἀπολῦσαι. Conf. *Erasmum Schmidium* ad h. l. & vide Actor. XXI. 24. 26. 32. ubi idem verbum de receptione in societatem vel tutelam aut custodiam usurpatur.

Γυναῖκα) Mariam hic per Hebraismum uxorem vocari contenderunt nonnulli, quibus recte se opposuit *Pfochenius* §. 39. frustra repugnante *Gatakero* c. 13. p. 135. Confer, quæ diximus ad v. 19. & adde *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 811. Lightfootus in Opp. Posth. p. 38. ex Talmude Hierosol. locum affert, in quo desponsata pro uxore haberi dicitur.

Μαριὰμ) Μαρία & Μαριὰμ non sunt diversa nomina, sed etiam de matre Christi promiscue usurpantur, quod patet ex v. 18. cum 20. collato. Adde *Pearsonium* ad Symbolum Apostolic. p. 301. qui idem varias ejusdem nominis etymologias p. 300. suppeditat, de quibus etiam legas, si placet, *Caninium* de locis N. T. *Gaulminum* ad Vitam Mosis p. 186. *Pfeifferum* in Quinquagena Locorum Ebraic. & Exotic. p. 486. Opp. *Scherzerum* in Programmatibus p. 194. & *Bynæum* p. 40. Judæis vocatur מרים ceu patet ex libro *Toldoth* Huldriciano p. 4. & Wagenseiliano, quorum pugnam in ceteris, quæ addunt, figmentis ostendit Huldricus l. c. *Lightfooto* in Centuria Chorograph. Matthæi c. 14. Diva mater videtur innui in Gemara Sanhedrin f. 44. b. ubi occurrit nomen מריים בת עלי.

Potiora, quæ huc de Maria dicenda pertinere possint, ex antiquitate ecclesiastica attulerunt B. *Ittigius* in Selectis Capitibus Hist. Eccles. Sec. I. p. 413. sq. qui & alios citat p. 417. *Suicerus* T. II. Thesauri p. 303. *Jo. And. Schmidius* in Prolusionibus Marianis, & *J. A. Fabricius* in notis ad Apocrypha N. T. passim. Vide etiam *Mart. Lipenii* diss. de ortu Mariæ, Sedini 1694.

Ἐκ πνεύματός ἐστιν ἁγίου) Non nisi Græcæ linguæ ignarus concluderet ex hoc loco, Christum spirituale corpus habere. Præpositio enim ἐκ non materiam solum, sed & causam denotat, quæ alicui rei ortum præbet, quo sensu apud Græcos sæpe occurrit. Ita *Hombergius* p. 4. allatis idoneis veterum locis. Confer dicta ad v. 18. Ceterum ad hæc verba ex antiquitate duo momenta edisserit *Petavius* Tom. V. Theol. Dogmatum p. 339. primum, an Christus dici possit filius naturalis Spiritus S. quam quæstionem movit hinc *Augustinus*: alterum, quomodo Christus, ut homo, sit naturalis Dei filius.

V. 21. Τέξεται δὲ) Vide hic *Bynæum* p. 214. sqq. & *Colomes.* p. 127.

Καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ) καλεῖν ὄνομα Vorstius de Hebraismis N. T. c. 13. p. 286. sq. per Hebraismum dici affirmat, adversa sibi habens varia Græcorum veterum loca, quæ collegit *Horat. Vitringa* specimine Animadversionum ad istum Vorstii librum p. 230. in calce Observat. Miscellan. Lamberti Bos. Adde *Homberg.* in Parergis p. 5.

Ἰησοῦν

Ἰησῦν) de nomine JEſu ejusque etymologia & uſu vide multa tradentes *Bynæum* p. 86-99. *Pearſon* ad Symbolum Apoſtol. p. 124. ſq. *Jo. Nicolai* de Vulneribus J. C. c. II. §. 9. *Pfeifferum* in Faſcic. Diſſertatt. p. 177. & in Quinquagena Locorum Ebraic. V. T. p. 467. Opp. *Mich. Hoynovium* in diſſertatt. II. de nomine JEſu, Regiom. 1689. & 1702. & *Hilligerum* in Diſſert. de ſcriptione Chriſti in terra §. 11. ſqq. Adde diſſertationes *Chriſt. Chemnitii* (in Theſauro Diſputatt. T. II. fol. 62. recuſ.) *Corn. Haſæi*, *Dav. Köpkenii*, *Jo. Michaelis*, *Bernh. Sandii*, *Chriſtoph. Sontagii*, *Conſt. Ziegræ*, & aliorum. Singularis hic eſt ſententia eorum, qui in eo nomen tetragrammaton יהוה quærunt cum *Galatino*, *Reuchlino* de verbo mirifico III. 12. *Adamo Oſiandro* in Harmon. Evangel. l. 6. & *Caſtalione*, quos confutatos vide a *Chriſtiano Chemnitio* in diſſ. de nomine JEſu, quæ exſtat Tom. II. Theſauri Diſſ. p. 62. ſqq. B. *Geiero* in Liebes-Sprüchen p. 62. & aliis ibi citatis. Digna eſt, quæ examinetur, *Hilleri* ſententia p. 336. Syntagmatum Hermeneuticorum ex יהי & שוע derivantis, eo ſenſu, ut denotetur: *is*, *qui eſt*, *ſalus eſt*. Græcæ Eccleſiæ doctores, Hebraice ut plurimum ignaros, ab ἰάεσθαι derivaſſe pervulgatum eſt. Lege *Suicerī* Theſaurum Tom. I. p. 1447. ſq. & *Milleſium* ad Cyril. Hieroſol. p. 125. Emphaſin nominis JEſu lege im Heb-Opfer Tom. II. p. 890. & 897. Hæc & alia ejusmodi perſecutus videtur *Joach. a S. Maria* libro ſingulari, quem inſcripſit, *Mirabiles excellentias ſive Grammaticam Theologicam*, *Annagrammaticas verſiones & divina attributa Auguſtiſſ. nominis JEſu*, *Mediol.* 1692. fol. ed. Confer Galleria di Minerva Tom. III. p. 380. Valentinianos nomen JEſu per ישו ſcripſiſſe, & dixiſſe, ſignificare Dominum, qui contineat cœlum & terram, teſtatur *Irenæus* lib. II. c. 41. ubi a non nemine obſervatum eſt, factum id eſſe per Notarikon, ſecundum quam Cabbalæ ſpeciem producuntur hæ voces יהוה שמים וארץ Vide *Clerici* Biblioth. Select. Tom. XXV. Part. II. p. 335. ſq.

Αὐτὸς γὰρ σώσει) Hinc factum eſt, ut Græcæ Eccleſiæ doctores JEſum σωτῆρα appellarent, quemadmodum *Juſtinus Martyr* τὸ Ἰησοῦς per σωτὴρ convertit Apolog. I. p. 70. Gentiles Scriptores ſuis quoque diis paſſim, inprimis Jovi, tum vero & aliis, idem nomen impoſuerunt. Vide *Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numismatum p. 380. ſq. ed. Amſtelod. in 4. ubi præter Jovem *Neptuno*, *Dioſcuris* (lege *Æliani* Var. Hiſtor. l. 30. & ibi *Perizonium*) *Apollini*, *Æſculapio*, *Baccho* & *Herculi* σωτῆρος nomen impoſitum, atque hinc ad conſervatores benefactoresve urbium aut populorum translatum eſſe oſtendit. Adde eundem ad *Ariſtoph.* Plutum v. 1176. *Steph. le Moine* ad Varia ſacra p. 127. & 134. *Pearſonium* ad Symbol. Apoſtol. p. 130. Rev. *Salom. Deylingium* Part. II. Obſſ. Sacr. p. 96. & *Theoph. Amelium* Parte II. Obſervationum in loca Scripturæ obſcura p. 859. ſ. Eorum nonnulli, quos citavi, imitatione & exemplo Gentilium id nominis adhibitum volunt, quod vix mihi perſuaſerim, cum ipſum nomen *JEſu* meliori ratione Græce exprimi non poſſit. Latine σωτῆρα alii per *Servatorem*, latinitatis ſtudio ducti, per *Salvatorem* alii, rem ipſam nomine expreſſam rectius ſic exprimi cenſentes,

reddiderunt. Posterius maluit *Beza* contra *Castellionem* & *Suicerus* in Thesauro T. II. p. 1220. sq. Adde omnino B. *Joh. Diecmanni* Specimen Glossarii MS. Latino-Theotisci p. 136. sqq. Neutros vim nominis adsequi, quæ, monente Cicerone, uno verbo Latino exprimi non possit, noviſſime obſervavit *Heumannus* in Biblioth. Theol. Bremensi Class. IV. p. 296. qui post B. *Baierum* recte monet, Christum σωτῆρα dici non solum, *quod servet nos & liberet*, sed &, *quod salutem nobis det*, nosque felices reddat. Ad priorem tamen notionem inprimis respectum haberi ipsa Angeli vox evincit.

Τοῦτο δὲ ὅλον) Verba hæc non Angeli esse, sed Evangelistæ, statuit *Gussetus* in Vesperis Groninganis p. 420. idque non præter rem, cum Angelus locutus sit de tempore futuro: τέξεται υἱὸν &c. quæ tamen nondum contigerant, ut dici posset: τοῦτο γέγονε, quæ verba vicissim Evangelistæ probe conveniunt, quippe rem jam gestam enarranti.

Πληρωθῇ) Ita & Græci scriptores: unde *Vorstius* de Hebraismis N. T. p. 148. recte ab Hebraismo vindicavit, quod & facit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 8. qui & τὸ *impleri* Latine pro *perfici* usurpari posse, luculento Ciceronis loco contra Erasmum evincit. De formula ipsa loquendi tanquam Judæis solenniſſima, nec ab iis temere nunc vexanda, lege *Morum* in Notis p. 16. sq. ubi etiam obſervat, eam interdum verti debere: *ita, ut impleretur*; qua tamen obſervatione cavendum est, ne cum nonnullis abutamur. Conf. quæ scribentur paulo post ad c. II. v. 15.

Vers. 23. Ἰδοὺ, ἡ παρθένος) Articulus ἡ hic nonnullis cum emphasi videtur positus, ut indicetur insignis illa inclytaque virgo, datura Servatorem. Sed adversatur *Hombergius* in Parergis Sacris p. 5. multa Scripturæ loca afferens, in quibus nulla adest certa rei demonstratio V. *Matthæi* VI. 22. VIII. 12. &c. Et habet causam ista statuendi, quemadmodum nec in Hebræo Jes. VII. הָעַלְמָה τὸ ה re ipsa emphaticum esse censeo, quia de virgine sermo est paritura, quæ certe nullam sibi vel habuerat, vel habitura erat similem, adeoque nec ab ulla altera distingui debebat. Hinc & recte B. *Lutherus* eine Jungfer: non die Jungfer.

Ἐν γαστρὶ ἕξει) de phrasi ipsa pure Græca diximus ad. v. 18. Hic monemus, eandem videri ellipticam, ut subintelligatur ἔμβρυον. Vide Cl. *Schoetgenium* ad *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 66 Adde *Arnaldi* Defensionem vers. Gall. Montensis lib. 5. p. 407. sqq.

Καλέσουσι τὸ ὄνομα) vide ad v. 21. Codices nonnulli, sed perpauci, habent καλέσεις, quod propius respondet Hebraico וקראת, sed merito altera illa lectio ut genuina retinetur, quam Chrysostomus ut talem jam vindicavit. Vide *Millium* ad h. l. & *Pfaffium* de Var. Lect. p. 407. Conf. *Drusium* Miscell. Centur. I. c. 72. Vicissim *Guil. Whistonus* in *conatu textum Hebræum restituendi* p. 321. Judæos in suspicionem vocat corrupti post Seculum a C. N. II. Hebræi contextus, ubi eandem, quam Matthæus hic habet, verbi formam

olim

olim exſtitiſſe pugnat, ideo, quod *Conſtitutt. Apoſtol.* V. 16. Ignat. epiſt. ad Epheſ. §. 18. & *Irenæus* III. 26. eadem prorſus ratione verba hæc allegent. Sed hinc quidem nihil aliud effeceris, quam illud, quod memorati auctores oraculum hoc non ex textu Hebræo, quod nec alias faciunt unquam, ſed ex Evangelio Matthæi attulerint.

Ἐμμανουήλ) de nomine hoc vide B. *Pfeifferi* Quinquagenam Locorum V. T. p. 468. Opp. Critic. *Huetium* p. 787. Demonſtrat. Evang. & *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris. *Kirſtenium*, in notis ad Matthæum, ex Arabica Lingua derivantem, recte caſtigavit *Læſcherus* de Cauſis Linguæ Hebr. p. 138. De nominis ipſius ratione legantur Interpretes ad Jeſ. VII. nec omittatur *Altingius*, qui in loci hujus interpretatione occupatus Tom. V. Opp. Heptade III. diſſertatt. p. 63. obſervat, nomine hoc Chriſtum non tam ut θεάνθρωπον ab unione divinæ & humanæ naturæ, ſed ab officio uniendi Eccleſiam cum Deo appellari. At non opus eſt, ut duo iſta a ſe invicem hic ſeparemus, ſed præſtat ſtatuere, reſpici hic primario perſonam, duas naturas conjunctas habentem, deinde officium mediatorium. Legatur poſt *Calovium* in Bibl. Illuſtratis ad Jeſ. VII. B. *Pfeifferus* l. c. Nec ratio ab Altingio allata, quod ſcilicet, ſi conjunctio duarum naturarum hic innueretur, nomen hoc Chriſto ante incarnationem non competeret, momentum habet, quia omnino negari nequit, nomine *Immanuelis* ad futuram incarnationem reſpici. Poſterior ille reſpectus oſtendit etiam, quomodo nomen *Immanuel* idem ſit cum nomine JEſu. Utrinque enim munus mediatorium deſcribitur; hinc ab effectu, remotione ſcilicet ejus, quod conciliationem impedit; hinc a forma, conciliatione ipſa, quam hominibus cum Deo conficit: ceu recte monet *Altingius* l. c. Pulchre quoque de nominis hujus ſignificatu commentatur *Eraſmus* T. IX. Operum p. 401. ſq. ubi verſionem ſuam Latinam in hac parte contra *Stunicam* vindicat.

Μεθερμηνευόμενον) ita etiam Græci profani, ſpeciatim *Polybius*, loqui amant. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 8. De Germanica voce verdollmetſchet, qua hic uſus eſt B. *Lutherus*, vide *Stadenii* Expoſitionem vocum Germanic. difficiliorum p. 159.

Atque hæc quidem de phraſibus vocibusque commatis hujus ſufficiant. Jam idem adverſus Judæorum aliorumque exceptiones, qui nunc diverſitatem ab oraculo Jeſ. VII. 14. criminantur, nunc ad Meſſiam directe hoc vaticinium pertinere negant, vindicandum foret, niſi hac opera poſt alios pridem defuncti eſſent recentiores nonnulli, interque eos potiſſimum *Guſſetus* contra Chiſſuck Emuna Part. I. c. 45. n. 19. & Parte II. c. 2. n. 1. item Part. III. c. 3. n. 3. & in Veſperis Groninganis Colloquio XX. toto p. 421. ſqq. *Campeg. Vitringa* tum in Commentario ad. Jeſ. VII. p. 183. ſqq. tum lib. V. Obſervatt. Sacrar. p. 1. ſqq. *Rich. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 285. ſq. *Rich. Simon.* de textu N. Teſt. p. 253. ſq. *Guil. Surenhuſius* in βίβλῳ καταλλαγῆς p. 151. ſqq. *Altingius* l. c. & Tom. II. Opp. in Parallelismo Vaticiniorum V. T.

cum

cum Novo p. 4. ſqq. & *Bynæus* de Natali JEſu Chriſti p. 223. ſqq. Ex noſtratibus huc potiſſimum legendi ſunt *Wagenſeilius* in Telis Igneis Satanæ pag. 381. ſqq. idemque in ſingulari diſſertat. de loco Jeſ. VII. 14. quæ cum aliis aliorum recuſa exſtat in Theſauro diſputatt. Tom. I. f. 691. *Danzius* diſſert. de partu Virginis miraculoſo. Jen. 1700. *Beckius* in Vindic. Jeſaiæ, *Saubertus* in Palæſtra p. 130. & *Jo. Georg. Abicht* de Immanuele ex virgine naſcituro. Lipſ. 1717. Singularia & παράδοξα more ſuo huc affert *Guil. Whiſtonus* in Conatu reſtituendi textum Hebr. Anglice edito p. 229. ſqq. ubi contendit, capita VII. VIII. & IX. Jeſaiæ, ex quorum VII. oraculum hoc petitum eſt, Judæorum fraude & malitia, in odium Chriſtianorum, ita eſſe confuſa & turbata, ut nunc quidem de vaticinii illius ſenſu ex eo, qui nunc eſt, ordine conſtare non poſſit. Præterea vero conjecturas ſuas, omni ſpecie, meo judicio, carentes affert, quomodo genuinus ordo reſtitui debeat. Qua ratione vaticinium hoc ſignum eſſe potuerit Achaſi temporibus, ſpeciatim exponit *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 12. ſqq. inter cetera monens, Prophetam indignabundum hic loqui, nec ſignum dare, quale obtulerat, vel quale daturus fuerat Achaſo, ſi morigerum ſe præbuiſſet, ſed partim ſimplicius & magis obvium, quam pro ejus libidine, partim ſublimius & μυστικώτερον, quam pro ejus captu.

Verſ. 24. Διεγερθεὶς δὲ &c.) Lege ad v. 20. ubi de voce παραλαβεῖν. Adde *Bynæum* l. c. p. 257. *Knatchbullus* ad h. l. p. 3. monet, ſapienter hic a Matthæo tradi, quod Joſephus Mariam inde ab eo tempore, quo eam in ædes ſuas receperit, usque ad tempus partus, non tetigerit, ne ſcilicet cavillator aliquis ex loco Jeſaiæ paulo ante adducto objicere auderet, Prophetam quidem vere dicere, virginem concepturam, & edituram eſſe filium: non autem aſſerere, virginem pariturām eſſe filium. Hanc itaque Jeſaiæ mentem eſſe, quod Maria virgo fuerit, cum conciperet, non autem cum pareret. Huic cavillationi viam is h. l. præcludi opinatur.

Verſ. 25. Καὶ οὐκ ἐγίνωσκεν αὐτὴν) Nonnulli Codices hic legunt ἔγνω pro ἐγίνωσκε, facta ſcilicet, judice Millio, ad Latina exemplaria interpolatione. Græci profani eodem verbo, quemadmodum & τῷ γνωρίζειν & εἰδέναι de eadem re per euphemismum utuntur. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 4. *Pfochenium* §. 36. & *Bynæum* de Natali J. C. p. 122. ſq. *Caſaubonus* quidem & *Grotius* ad h. l. hanc loquendi formam ab Hebræis ad reliquas gentes perveniſſe volunt: ego vero cum *Bynæo* l. c. a natura ipſa eas edoctas putem, ut rem naturæ lege operiendam verecunda quadam tralatione verborum obtegerent. Atque id vel ex eo patet, quod eædem aliis quoque phraſibus, in Scriptura Sacra non obviis, in eodem negotio utantur. Vide *Gatakerum* de Stylo N. T. cap. XI. & *Doughtæum* in Analectis N. T. Exc. 16.

Ἕως οὗ τέκε) Hac phraſi omne tempus adeoque & futurum excludi, jam pridem obſervatum eſt a multis, poſt *Glaſſium* p. 457. Philolog. Sacræ variis

variis hanc in cauſam Scripturæ locis utentem. Confer præterea *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 762. & 1295. & Tom. II. p. 306. *Noldium* in Concordant. Particularum not. 1707. & *Saubert.* in Palæſtra p. 225. Profanos quoque Scriptores ita loqui oſtendit *Elsnerus* p. 4. qui etiam ex Euripide affert exemplum Coloni, qui cum Agamemnonis filia, quam in uxorem diu domi habuerat, nunquam ſe rem habuiſſe teſtatur.

Πρωτότοκον) Ea vox non ſemper & per ſe plures liberos inſequentes infert. Vide Patrum hanc in rem loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 878. Adde *Steph. Lemoyne* in notis ad Varia Sacra p. 446. *Wolfburgium* in Obſervat. Sacris p. 517. Guſſetum Lexic. Hebr. voce בכור & Hackſpan. in notis ad h. l. & ad Luc. II. 4. Nihilominus tamen noviſſime, poſt veteres Helvidianos, voce hac & aliis nonnullis argumentis *Guil. Whiſtonus* ita uſus eſt, ut oſtendere conaretur, Mariam, poſt Chriſtum ex ſe natum, plures liberos ſuſcepiſſe. Vide ejus *Sermons and Eſſays* p. 182. ſqq. & ex his Acta Erudit. Lipſ. Tom. IV. Supplem. p. 386.

At illius quidem argumentis facile ſatisfecerit, qui legerit, quæ Viri docti contra Antidicomarianitas & Judæos pridem monuerunt, ut *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 4. *Saubertus* l. c. *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. VI. lib. XIV. c. 3. p. 217. ſqq. & *Richard. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 139. ſq. ut *Bynæum* l. c. omittam. De virginitate Mariæ ex Prophetarum oraculis & circumſtantiis Narrationis Evangel. differit quoque *Allixius* in Conſiderationibus librorum Script. S. Part. II. p. 315. ſqq. & B. *Olearius* in libro vernaculo de JEſu, vero Meſſia, p. 253. ſqq.

CAP. II.

CAput hoc totum Philologicis & Practicis obſervationibus illuſtrat *Zahnius* in Faſciculis illis, quorum in limine capitis I. mentionem fecimus.

Verſ. 1. Τοῦ δὲ Ἰησοῦ γεννηθέντος) i. e. JEſu paulo ante nato: quam hujus locutionis vim eſſe affirmat *Caſaubonus* Exercit. II. Anti-Baron. n. II. adſtipulante Suicero T. II. p. 283. a. De mirabilibus adventus Chriſti in carnem lege *Pitſchmanni* Dubia Vexata Hiſt. Eccleſ. ſec. I. Faſc. II. p. 72. ſq. De anno Chriſti natali & aliis huc pertinentibus ad *Lucam* commentabimur.

Ἐν Βηθλεὲμ) De Bethlehemo legendi ſunt Ægid. Strauchius in diſputt. de patria Meſſiæ & natalibus Bethlehemiticis & B. *Mayerus* in Diſſertat. I. Collegii Bethlehemitici. Quot ſtadiis vicus hic Hieroſolymis diſtet, inquirit *Bochartus* Tom. I. Opp. p. 957. Adde Relandum in Palæſtina Sacra p. 424. & 445. Totum hoc comma illuſtrat Jo. *Valckenierius* in Quæſtionibus Philolog. ad illuſtrandum v. 1. pertinentibus, Harderovic. 1654. 8. Conf. dicenda ad c. II. v. 5. & ad Luc. c. II. v. 4.

ἐν ἡμέραις Ηρώδε τ. βασιλ.) Hæc verba præter rem ſuſpecta ſunt Millio παρεμβλήσεως in Prolegomenis p. 162. ideo, quod in nonnullis MSS. deſunt, quæ tamen a librariis prætermitti temere non potuiſſe videantur. Sed recte obvertit *VVhitby* p. 36. *Quaſi Scribæ oſcitantes nihil hallucinarentur!* Et imperii quidem Herodis mentio vel ideo hic facta eſt, ut ſubinnueretur, vaticinium Jacobi de Schilo, venturo poſt ſceptrum ablatum, de quo Geneſ. XLIX. 10. cum maxime impletum eſſe. Vide *Poſſini* Spicilegium p. 64. De phraſi hebraizante ἐν ἡμέραις lege *Vorſtium* Philolog. Sacr. Part. I. p. 86. & *Gatakerum* c. XXV. utrumque contra *Pfochenium* diſſerentem.

Hic in ampliſſimum campum diſſertationis de Herode, genteque ejus & aliis huc pertinentibus excurrere poteramus. Cum vero ſingularia capita aliis in locis exponendi occaſio ſe datura ſit, in commemorandis iis Scriptoribus, qui huc præ ceteris pertinent, acquieſcemus. Legatur itaque *Jo. Harduini* Proluſio de Numis Herodiadum, quæ recuſa eſt in Operibus ejus Selectis p. 328. ſqq. & comparentur, quæ de Herodibus eorumque genealogia & rebus geſtis fuſe tradidit *Jac. Basnage* in Hiſtor. Judaica Tom. I. lib. I. c. 2. & 3. In quibus cum contra Harduinum nonnulla diſputata ſint, is quidem vindicias cogitatorum ſuorum ſuſcepit, quas in Opp. Selectis p. 357. leges. Nonnulla in Harduinum quoque monuit *Cellarius* Diſſertat. XI. p. 297. ſqq. *Salom. Deylingius* Tom. II. Obſervat. Sacrar. p. 247. ſqq. ubi de familia & Genealogia Herodiadum & *Cornel. Dietericus Koch* tum in Stricturis in Opera illa Helmſtad. 1710. tum in diſſert. de anno natali JEſu Chriſti. Adde ex noſtratibus *Chriſtiani Noldii* Hiſtoriam Idumæam, *Georg. Ludov. Hombergeri* Exercitt. II. de rebus Herodis Magni, Witteb. 1675. 4. *Stolbergii* Exercitt. Græc. Linguæ p. 419. ſqq. & Auctores des Heb-Opfers Tom. I. p. 174. ſq. ex Anglis vero *Montacutium* in Apparatu V. & in Exerc. II. ſect. 9. & *Jo. Gregorium* in Operibus Anglice editis p. 96. ſqq. ubi de Herode Magno ejusque infanticidio & morte diſſerit: ex Belgis *Adrian. Relandum* in Palæſtina Sac. p. 173. ſqq. ubi habes tabulam Genealogicam gentis Herodiadum. Herodem non fuiſſe Judæum gente, contendit *Pouſſines*, Jeſuita, in epiſt. ad Huetium, quæ exſtat in diſſertatt. de diverſis argumentis a Tilladeto editis Tom. I. p. 356. cui deinceps reſpondetur p. 362. ſqq. Eundem non ſolum Judææ & Samariæ, ſed Galilææ etiam, & regionis, trans Jordanem ſitæ, Regem fuiſſe, contendit *Noriſius* in Paræneſi ad Harduinum p. 35. ſqq.

Μάγοι) De etymologia vocis hujus lege Cheitomæum de Vocibus Barbaris, *Pfeifferi* Qvinquagenam Locorum Hebr. p. 469. Opp. Critic. *Alberti Voigtii* Miſcellan. Biblica p. 161. ſq. & *Guſtavi Peringeri* diſſertat. ſingularem de Magis Perſarum, Upſal 1694. 8. qui in enarrandis aliorum ſententiis acquieſcit. Optima hic videtur eorum ſententia, qui ex Perſica Lingua a *Mog* derivant cum *Salmaſio*, *Hydio* de Religione veterum Perſarum c. XXXI. p. 372. ſqq. & *Relando* diſſert. Miſcell. II. p. 189. ſqq. *Hydius* l. c. evincit, Μάγους in univerſum Perſas veteris religionis, præcipue vero eorum Sapientes,

tes, denotare. In eandem ſententiam confer *Menag.* ad Diogen. Laert. p. 3. qui Perſas primum & proprie hoc nomine Philoſophos ſuos vocaſſe veterum teſtimoniis probat, tum vero *Huetium* in Demonſtrat. Evangel. Propoſ. IV. c. 5. p. 154. *Borremanſium* in Veſperis Gorinchemenſibus c. 3. p. 57. ſq. *Dougtæum* in Analectis N. T. Exc. I. *Maraccium* in Prodromo Alcorani III. f. 5. & *Corn. Adami* p. 77. Obſ. Atque ex ejusmodi Philoſophorum numero fuiſſe Magos hic memoratos, nemo temere eſt eruditorum, qui, rejectis variis aliorum fabulis, non aſſeveret. Fabulas ejusmodi exploſas videbis in *Danielis Rhodii* diſſert. de primis Salvatoris veneratoribus, quæ recuſa eſt Tom. II. Theſauri Diſputt. f. 69. ubi etiam *Stolbergii* de iisdem diſſertat. f. 66. legitur. Adde *Andr. Sennerti* Exercitatt. Philolog. Heptadem III. *Jo. Olearii* Heptadem ex hiſtoria Magorum, Lipſ. 1671. *Beyſchlagii* hiſtoriam Magorum, B. *Mayeri* Eclogam Evangel. ad Feſtum Epiphanias, *Rohrium* in Pictore Errante Tom. II. Theſauri diſpp. p. 866. B. G. *Struvii* Diſſert. de Magorum Meſſiam exoſculantium nomine, patria & ſtatu, Jen. 1709. 4. *Ægid. Hochmuth* de Magis ad cunas Chriſti properantibus, Lipſ. 1686. 4. *Dan. Guil. Molleri* Hiſtoriam Magorum, Altorff. 1688. 4. *Andr. Heroldi* Diſſ. de Magis ex Oriente, Lipſ. 1711. & *Chriſt. Notnagel* de Magorum patria, itinere & ſtella, Witteb. 1652. item *Ittigium* in Selectis Capitibus Sec. I. p. 344. Veneficos malisque artibus eos deditos fuiſſe *Lightfootus*, nimis hac in parte credulus, ex eo ſibi perſuaſit, quod vox μάγος non alia ratione, quam iſta, in N. T. exſtat. Adſtipulari illi verſionem Hebraicam Evangelii Matthæi, a Joh. Tilio editam, obſervat *Wagenſeilius* ad *Sota* p. 517. nihil ipſe definiens. Compara, quos de Magis & eorum nomine allegat Cl. *Jo. Henr. von Seelen* in Not. ad Burtoni Lipſana Linguæ Perſic. p. 44. ſq.

Unde venerint Magi, non minus ampla aut incerta eſt inter eruditos diſputatio. Ex *Arabia* repetit *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 69. ſqq. qui & aliorum ſententias ibi affert, & *Vorſtius* in Miſcellan. Academic. cap. XI. ubi & alia de Magis leguntur. Eandem ſententiam poſt *Baronium*, *Grotium*, *Francium* in notis ad Greg. Nazianz. περὶ φιλοπτωχίας p. 294. ornare aggreſſus noviſſime eſt *Cornel. Adami* in Obſervat. Theol. Philolog. p. 81. ſqq. conf. *Suiceri* Theſaur. Tom. II. p. 282. Contra eam vero lege *Jo. VVandalini* Diſſert. adverſus Wilhelm. Langium cap. II. p. 259. Syntagm. Græviani, qui cum pleriſque ex *Perſia* profectos credit, quod probabile eſt viſum *Petavio* & *Caſaubono* in Exercitatt. Anti-Baronianis num. II. c. 9. quem noviſſime ſecutus eſt Vir eleganter doctus *Dan. VVilhelm. Trillerus* in Notis ad *Hug. Grotii* Chriſtum Patientem verſibus Germanicis ſcite expreſſum p. 161. & *Th. Hydio*, qui *Parthiam* ſpeciatim hic cogitat, in qua eadem, quæ in Perſia, religio floruerit, iidemque, qui in Perſia Magi, quæ etiam inde a nato Chriſto ſedes fuerit imperii Perſarum. Idem Principem, quo jubente vel conſentiente profecti ſint, conjectura ſibi videtur aſſecutus, quem credit eſſe *Phraatem*, Orodæ filium, qui quatuor ſuos filios Romam miſerit, ibidem ad huma-

nitatem educandos. Vide hæc fusius ab ipso exposita in libro de Relig. Persarum cap. XXXI. *Sinenses fuisse* contendit *Jerem. Felbingerus* in demonstrationibus Christianis e libris N. T. desumtis. Persas fuisse mihi verisimile fit tum ex nomine, Philosophis Persarum vel proprio, vel præ aliis gentibus familiari, tum ex donorum genere, quibus Persiam abundasse constat. Confer interim in hanc rem *Aug. Calmeti* Dissertat. singularem de Adventu Magorum, commentario ejus in Matthæum præmissam, ubi Magos pro Philosophis Chaldæis habet, aut Arabiæ desertæ, Bileami popularibus.

Tempus, quo venerint, solicitos quoque habuit eruditos. Lege huc *Leichneri* Dissertat. de tempore Magorum, quo ex Oriente venerunt, recusam Tom. X. Fasciculi Opuscul. ad Histor. & Philolog. S. spectantium p. 3. sqq. Statuit is p. 34. sq. tempus hoc annuo post natum Christum si non majus, certe non multo minus fuisse. Vicissim vero *Laur. Bened. Tribel* in Dissert. de Magis post JEsum in templo repræsentatum adventantibus, Jen. 1715. 4. habita, eos aliquot post Christum in templo repræsentatum hebdomadibus venisse, contendit, affirmans præterea, Josephum & Mariam, post factam Christi repræsentationem, primum Nazarethum, hinc vero Bethlehemum migrasse, atque ibi a Magis repertos esse. Plura de hac controversia lege in *Pitschmanni* Dubiis Vexatis Hist. Eccles. Sec. I. Fascic. I. p. 26. sq. cui quatuor vel quinque hebdomadibus a natalibus Christi Hierosolymas venisse creduntur. Intra tredecim dies, vel summum ante Purificationis tempus, Hierosolymis eos exstitisse, statuit cum multis *Vossius* Tom. VI. Opp. p. 70. sqq. Paulo ante tempus Purificationis Bethlehemum venisse, cum plerisque ex nostratibus adstruit B. *Chemnitius* in Harmonia Evangelica, cum quo facit B. *Godofr. Wegnerus* in Annotatis ad h. l. Matthæi. Atque hanc sententiam inprimis verisimilem reddit altum illud, quod de Christo Hierosolymis sub adventum eorum erat; silentium, quod vix tibi persuaseris, si post solennia Purificationis demum advenissent. *Wandalinus* l. c. intra tempus Purificationis adventum eorum includit. Non omittenda hic sunt Vesperæ Groninganæ, in quibus p. 53. sq. argumentis variis pugnatur, Magos advenisse ante Christum in templo exhibitum, subjunctis ad exceptiones, quæ fieri poterant, responsionibus. Addatur & *Pet. Allixius* Diatriba de anno & mense natali JEsu Christi p. 69. sqq. qui tandem p. 71. seriem rei gestæ ita nectit. Christi natalem, ait, Aprili mense contigisse, oblationem Christi in templo factam, cum Hierosolymis abesset Herodes, nempe eo tempore, quo habitus sit conventus Berythensis in causa filiorum Herodis post Quirinii discessum. Rediisse Hierosolymam Herodem ab illo conventu, & in Magos incidisse. Consultationem ab illo habitam de loco, in quo Messias debuerit ortum habere. Missos ab Herode Magos Bethlehemum, rediisse in patriam. Christum, qui, absente & versante apud Berythum Herode, oblatus fuerit in templo, Bethlehemo translatum fuisse

fuisse in Ægyptum. Digna quoque lectu de hoc argumento est B. *Casp. Herm. Sandhagenii* epistola IX. quæ in decade I. epistolarum ejus Theologic. exstat p. 269. sqq.

Nescio, an his adjungere denique debeam singularem *Hermanni Hardtii* de Magis his sententiam, quam in Syria Græca p. 74. sqq. fuse promulgavit. Fingit Vir alioquin doctus, sed nimis, quam par est, ingenio indulgens, Christo Bethleheminato, Hillelem, Simeonem & alios bonæ notæ homines Synagogis Judæorum Babylonicis aut Syriacis nativitatem ejus vel per literas vel per nuncios significasse, qui vicissim, rei novitate perculsi, legatos ex doctoribus & magistris in Judæam ablegarint, qui hic Magorum nomine appellentur. Atque in hanc sententiam reliqua narrationis Evangelicæ momenta interpretatur. Sed vide, quæ contra attulit B. *Jo. Herm. Elswichius* in Disputat. de *Magis Stella duce Bethlehemum profectis*. Vitemb. 1716. 4. ubi & alia ad Magorum res & historiam pertinentia leguntur.

Ἀπὸ ἀνατολῶν) Varias vocis hujus significationes ex profanis scriptoribus ediffert *Raphelius* in Notis Polybian. p. 9. sq. ex quibus ea omnino hic obtinet, quæ plagam orientalem denotat; cujus quæ pars patria Magorum fuisse videatur, modo monuimus.

Εἰς Ἱεροσόλυμα) De voce hac & ejus originibus nimis multa sunt, quæ dici possent. Itaque eos tantum afferam, qui præ ceteris consuli merentur. Vide itaque post *Relandum* in Palæstina Sacra p. 442. sqq. *Thom. Hyde* de Religione veterum Persarum p. 17. sqq. *Matth. Hillerum* in Syntagmat. Sacris p. 198. *Albert. Voigtium* in Miscellan. Biblicis p. 165. 175. *Jac. Gussetum* in Lexico Hebr. p. 862. *Melch. Leydeckerum* de Republ. Hebr. lib. VI. c. 4. p. 347. sq. *Herm. Witsium* in Miscellaneis T. II. Exercit. XI. & XII. p. 238. sqq. ubi texitur Historia Hierosolymæ ab urbe condita usque ad Excidium Babylonic. atque hinc ad nostra usque tempora, usque ad. p. 400.

Vers. 2. Ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς &c.) ita non interrogasse Magos, sed Matthæum potius ductu Spiritus S. eorum verba hoc modo expressisse, ut nos adduceremur ad cogitandum de vaticinio Jesaiæ IX. 6. statuit *Vitringa* Comm. ad Jesaiam Tom. I. p. 247. minus, ut puto, verisimiliter.

Εἴδομεν γὰρ τὸν ἀστέρα αὐτοῦ) Qualis hæc stella fuerit, certatim ab eruditis disputatum est. Vide huc *Cæsonis Grammii*, *Sim. Frid. Frenzelii* & *Sam. Werneri* dissertationes singulares, illam *Kilon.* 1670. istam *Witteb.* 1677. hanc *Regiomonti* 1681. habitas. Adde alias *Jo. Adami Ostandri* de stella duce & luce Magorum, *Frid. Masewitzii* Facem splendidam Magorum *Jen.* 1671. 4. *Jo. Frid. Miegii* Stellam a Magis conspectam, *Jo. Georg. Liebknechtii* de Stella Salvatoris Gentilibus probata, Jen. 1705. tum vero *Sam. Reyheri* Matheſin Mosaic. p. 74. sq. Non fuisse stellam vulgarem, sed singularis generis & res ipsa evincit, & eruditi tantum non omnes contendunt. Veterum de ea sententias promit *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. & *Suicerus* in Thesauro Eccles. Tom. I. p. 558. Conf. & *Barthii* Adversar. p. 225. sq.

Quomodo Magi ex visa stella natales Regis Judæorum cognoverint, omnino obscurum est. Diversas sententias recensitas lege ab *Elswichio* in Dissertat. modo laudata p. 15. sqq. Earum optima est, & veterum pariter ac recentiorum suffragiis bene multis comprobata, quæ apparitionem stellæ cum singulari Dei revelatione, quocumque demum modo facta, conjunctam fuisse affirmat. Vide huc B. *Jo. Frid. Mayeri* Eclog. Evangel. in Fest. Epiphanias Qu. II. Ab Angelo eos admonitos, statuit *Coccejus* Opp. Posthum. Tom. II. p. 1. stellam illis ducem ad Christum fore. Non puto sufficere, ad quod hic provocavit *Hydius* de Relig. veterum Persarum cap. XXXI. qui scilicet arbitratur, omnem hanc notitiam, quam Magi habuerint, ex *Danielis* & aliorum nonnullorum Prophetarum sacrorum, tum vero ex Zoroastris, falsi quidem Vatis, sed tamen interdum a Deo acti, oraculis ad ipsos pervenisse. *Henr. Dodwellus* in Epistola II. de ratione studii Theologici §. VIII. sqq. Onirocritices regulis Magos, quæ huc necessaria erant, edoctos fuisse minus ex vero statuit, quibus scilicet Deus se accommodarit. Argumenta ejus ex Anglico Latine conversa leges apud Clericum in Addition. ad Hammondum.

ἀνατολῇ) Plerique vertunt *in Oriente* i. e. in plaga Orientali, pro quo nonnulli malunt reddere *in ortu* suo, vel, *orientem*. Hoc ipso enim illis rationem putant dedisse, quomodo ex diffita regione Gentiles ipsi venerint Regem apud ipsos quæsituri, edoctos scilicet se esse diversis vaticiniis, in Oriente divulgatis, ex Judæis aliquando oriturum esse Regem, cui totus orbis obtemperaturus, cujusque nativitas astro illo indicanda sit, quod nunc apparere viderint. Ita statuit speciatim *Borremansius* in Vesperis Gorinchemensibus p. 65. sqq. post *Hammondum*, qui tamen conjecturam hanc tantum protulit, non approbavit, variis argumentis a Borremansio superstructam, quæ tamen efficere non potuerunt apud Limborchium, quo minus durior ipsi hæc expositio videretur. Quo videantur eædem Vesperæ p. 117. 129. & 144. sq. Novissime tamen versionem hanc approbavit Cl. *David Millius* in Corollario IV. Dissert. I. ad versionem Tractatus Maimonidæ de Æstimationibus.

ἤλθομεν προσκυνῆσαι αὐτῷ) Persas inprimis Reges suos submisso poplite veneratos fuisse, patet ex *Æschylo* in Persis, *Herodoto* in Clio p. 29. & aliis bene multis, quos afferunt *Brissonius* lib. I. de Regno Persarum, *Drusius* ad Esther III. 2. *Bourdelotius* ad Heliodori Æthiopica lib. VII. p. 337. *Gebhardus* & *Bosius* ad Cornel. Nepot. Conon. III. 3. Eundem ritum ex aliarum quoque gentium monumentis demonstravit *Dougtæus* Analect. Sacror. Part. II. Exc. XXXII. ad quem plura se, inposterum cum Auctore ipso edenda, collegisse testatur Cl. *Dan. Wilhelm. Trillerus* in Notis ad h. l. MSS. cui & totam istam observationem debemus. De civili cultu, more gentium Orientis Christo exhibendo, loqui hic Magos statuunt nonnulli, speciatimque *R. Simon* & *Jo. Clericus* in versionibus suis Gallicis, uterque ideo notati ab aliis dissentientibus;

tibus; atque ille quidem, in Opuſculis variis contra hanc verſionem editis, & ab Anonymo quodam in Novis Reipub. Literariæ *Jac. Bernardi* a. 1700. Tom. II. p. 485. ſq. hic vero ibidem Tom. II. p. 232. ſq. Prior eorum ſententiam ſuam tueri ſuſtinuit in Vindiciis quibusdam ſuis, Cardinali Noallio oppoſitis, de quibus eadem Nova legas a. 1702. p. 226. ſq. poſterior autem in Biblioth. Selecta Tom. II. p. 281. Viciſſim alii cultum religioſum hic intelligendum eſſe, partim ex ipſa voce, quæ hanc notionem inprimis in N. T. frequenter habet, partim ex divina revelatione, qua omnino edocti videntur fuiſſe, cum quo ipſis res ſit, partim ex eo, quod veriſimile non fiat, Magos ea tantum de cauſa tam longum iter ſuſcepiſſe, ut Regi cuidam ſeculari cultum qualemcunque teſtarentur, recte contenderunt. In hanc ſententiam præter noſtrates nominatim Rev. *Jo. Franc. Buddeum* in decade Meditatt. Sacrar. p. 56. ſq. & *Wolfburgium* in Obſervatt. Sacr. p. 506. lege *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 85. ſqq. & *Jac. Bernardum* in Novis R. L. 1703. Tom. II. p. 55. Adde Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* Diſſertat. varias *de objecto fidei Magorum, de fide eorundem, & amore itemque actu fidei*, nec non ejusdem *hiſtoriam Magorum* & *Dogmata Theologica* ex eadem eruta, quæ Lubecæ prodierunt. Confer, quæ alias monui in Notis ad Caſauboniana p. 287. Ceterum negari nequit, verbum προσκυνεῖν de utroque cultus genere adhiberi Græcis conſueviſſe. Vide huc ſingularem Diſſertat. Gallicam, quæ exſtat in *Collectione opuſculorum fugientium* Tom. IV. p. 110. ſqq.

Verſ. 4. Πάντας τοὺς ἀρχιερεῖς) Atqui unus tantum ſolebat eſſe Sacerdos ſummus. Itaque hic vel ἀρχιερεῖς ſimpliciter pro ἱερεῖς ponitur, vel illi in computum ſunt aſſumendi, qui Sacerdotio ſummo jam antea fuerunt perfuncti, vel denique eo tempore plures largitionibus aliisque ejusmodi viis ad hanc dignitatem provecti ſunt, eamque eodem tempore ſuſtinuerunt.

καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ) De ſcribis ſeu Legis doctoribus, quorum prima h. l. mentio fit, vide *Leusdenii* Philologum Hebræo-mixtum Diſſert. XXIII. *Hottingerum* Theſauro Philol. lib. I. c. II. p. 74. *Goodwin* in Moſe & Aarone lib. I. c. 6. *Jo. Vorſtium* in Philolog. Sacr. Part. I. cap. III. p. 67. *Lomeierum* Genial. dierum Dec. II. Diſſ. IX. *Mart. Feſſelium* in Adverſariis Sacr. lib. I. c. l. *Jo. Caſp. Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 781. inprimis vero *Jac. Basnage* in Hiſt. Judaica Tom. VI. p. 83. ſqq. *Jac. Altingium* in Schilo lib. IV. cap. 8. & *Jac. Triglandium* in Diſſert. de Karæis p. 63. ſq. Varia ſcilicet fuerunt Scribarum genera, varii ordines, atque adeo tum *Politici*, tum *Eccleſiaſtici*, tum *Scholaſtici*. In Novo autem Teſtamento per γραμματεῖς ii potiſſimum videntur indicari Judæorum doctores, qui, rejectis Traditionibus, ſolam Scripturam venerantur, cum Karæis, qui adhuc hodie Judæorum Rabbanitarum odia experiuntur, in tantum comparandi. Iidem alias in Hiſtoria Evangelica vocantur νομικοὶ & νομοδιδάσκαλοι, quemadmodum idem, qui *Marc.* XII. 28. audit εἷς τῶν γραμματέων *Matth.* XXII. 35. & *Luc.*

Luc. X. 25. νομικὸς appellatur. Sic passim Φαρισαῖοι, καὶ γραμματεῖς conjunguntur, sicut *Luc.* V. 17. Φαρισαῖοι & νομοδιδάσκαλοι juncti apparent, certo argumento, γραμματεῖς & νομοδιδασκάλους eosdem esse. Probat idem contra *Cameronem* Vorstius Part. I. Philolog. Sacr. p. 68. sq. In hanc sententiam vide diligenter commentantem *Basnagium* l. c qui tamen non putat, scribas hos seu Textuarios & Scripturarios sectam singularem constituisse, sed fuisse Levitas, in explicanda Scriptura occupatos. Viciſſim pro secta habet, Pharisæis directe opposita, Triglandius p. 70. Ex his patet, quid de *Altingio* l. c. statuendum sit, qui recte quidem סופרים i. e. γραμματεῖς Theologos Scripturarios, חכמים vero *Traditionarios* appellatos judicat, i. e. *Pharisæos*, quibus tamen minus, puto, convenienter respondere censet τοὺς νομικοὺς seu νομοδιδασκάλους. Qui hic memorantur γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, a ceteris γραμματεῦσι, simpliciter ita dictis, non sunt distinguendi. Nam illi in eo negotio hic consuluntur, quod ad sacras literas pertinet: atque sic & γραμματεῖς ceteros alibi eadem occasione appellatos videbis. Nomen τοῦ λαοῦ hic ideo additum videtur, ut indicaretur, γραμματέας hos privatæ conditionis homines fuisse, nec publico muneri admotos. Hinc non crediderim, *Valesium* audiendum esse, in Notis ad Eusebium p. 46. tradentem, præcipuum Scribarum munus fuisse, ut Pontificibus adsiderent una cum Senioribus in judiciis & publico consilio, quod συνέδριον vocabant, ac proinde nomen esse Magistratus. Similiter fere Scaliger cap. XI. adversus Serarium pro *Actuariis publicis* habet, & *Capellus* Opp. Posthum. p. 513. pro *Secretariis status*, quibus adstipulatur *Ludov. de Dieu* ad h. l. sed vide contra hunc disputantem *Vorstium* Philolog. Sacr. Part. I. p. 68. sq.

Παρ' αὐτῶν) In nonnullis Codd. non leguntur ideoque ex v. 7. huc translata putat *Millius*, contra quem lege *Whitbium* p. 36. Examinis.

Vers. 5. Ἐν Βηθλεὲμ) De urbe hac præter Scriptores Onomatologicos complures lege B. *Ægid. Strauchii* Dissertatt. de Patria Messiæ & Annalibus Bethlehemiticis. Vide etiam *Huetii* Demonstrat. Evangelic. p. 778. sqq. ubi Christum non Nazarethi sed Bethlehemi natum esse evicit. Memoratur Bethlehem, tanquam urbs tribus Judæ, *Jud.* 17. 7. ut distinguatur ab alia, quæ est tribus *Zabulon*, Jos. 19. 15. Hinc mirati sunt multi, urbem hanc inter urbes, tribui Judæ assignatas, non recensèri Jos. 15. quæ tamen nativitate Messiæ adeo illustris erat futura. Cumque nomen ejus cum aliis nonnullis in τοῖς LXX. Jos. XV. 60. quod comma Hebræus textus non agnoscit, occurrat, non defuerunt, qui Judæos corruptelæ, huic loco illatæ, suspectos haberent. Ab hac vero suspicione eosdem recte liberatos vide apud *Relandum* in Palæstina Sacra p. 644. sq. Conf. dicta ad v. 1. hujus capitis.

Vers. 6. Καὶ σὺ Βηθλεὲμ &c.) In commate hoc tum recte interpretando, tum cum *Micha* V. 2. conciliando, bene multi data opera versati sunt.

Lege

Lege tu inprimis *Joh. Friſchmuth* Harmoniam Michæ & Matthæi, quæ in Theſauro Diſpp. Tom. II. fol. 73. recuſa eſt, *Henr. Mulleri* Egreſſum Meſſiæ Bethlehemiticum Roſtoch. 1652. *Matth. Hilleri* Syntagmata Hermeneut. p. 396. ſq. *Calixtum* in Hiſtoria Magorum p. 21. ſqq. *Hackſpanium* in Sylloge p. 404. ſqq. & in Notis p. 8. tum vero in Miſcellan. p. 28. 35. & 42. *Pfeifferum* in Dubiis Vexatis Loc. XCI. B. *Gottf. Olearium* in Obſervatt. Sacr. p. 43. ſqq. *Fabricium* in Notis ad Codicem Apocr. N. T. Part. I. p. 114. *Theophil. Alethæum* Tom. II. p. 73. ſqq. & p. 100. ſqq. ex *Anglis Henr. Morum* in Opp. Theolog. p. 290. *Pocockium* ad Portam Moſis p. 14. ſq. *Rich. Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. I. c. 3. p. 66. ſq. quibus ut inquilinos Angliæ addo *Colomeſium* Obſ. Sacr. p. 28. & *Caſaubonum* adverſus Baronium p. 161. ſq. ex Reformatis *Ant. Klingleri* Dodecadem Exercitatt. Academic. p. 46. ſq. *Altingium* Heptade VI. diſſ. I. & in Parallelismo Vaticiniorum Tom. II. Opp. in calce p. 10. ſq. *Capellum* in Opp. Poſthum. p. 90. b. *Le Cene* in Projet p. 166. *Jac. Guſſetum* in Confutat. libri *Chiſſuck Emuna* p. 230. & in Lexico Hebraico lit. ל. not. M. & radice צער lit. B. & *Guil. Surenhuſium* in libro Καταλλαγῆς p. 170. ſqq. ex Pontificiis denique *Richard. Simonem* in Hiſtor. Critica Textus Græci N. T. p. 256. ſq. ubi diverſorum ſententias recenſet, & in Obſervationibus Novis p. 463. ſqq. ubi inprimis de eo commentatur, quomodo verſio Latina & Doctores Eccleſiæ Latinæ verba ἐλαχίστη εἶ expreſſerint. Matthæi citationem cum Micha difficulter conciliari poſſe, ſpeciatim contendit *Rich. Simon* in Notis ad h. l. Præcipuum hujus difficultatis caput in verbis ἐλαχίστη εἶ poſita eſt, quæ ſcilicet apud Micham ſenſu prorſus contrario legi videntur, ita nempe a τοῖς LXX. expreſſa: ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν τοῖς χιλιάσιν τοῦ Ἰούδα. Hebr. צעיר להיות באלפי יהודה *Pocockius* l. c. cauſæ ſatis conſultum putat, ſi dicatur, Hebræum צעיר olim & *magnum* ſeu *illuſtre*, aut *eximium* & *parvum* denotaſſe, atque priorem ſignificatum contextui Hebræo h. l. eſſe vindicandum. Huic adſtipulantur *Hottingerus* in Smegmate Orient. p. 73. *Friſchmuthus* in Diſſert. citata cap. I. *Fabricius* l. c. *Millius* in Notis ad h. l. & Rev. *Pfaffius* olim in Diſſ. de Var. Lect. N. T. p. 197. qui tamen in Notis ad h. l. Matthæi p. 69. in altera ſententia, quam ſtatim recenſebimus, acquieſcere malle videtur. Sed vide, quæ illi ſententiæ oppoſuerunt *Guſſetus* in Lexico p. 719. & *Olearius* l. c. p. 51. ſqq. qui recte ad communiorem vocis צעיר ſignificatum in V. T. obvium provocant, ac negant præterea, quæ afferuntur pro hac notione, loca bina rem conficere, de qua diſputatur. Itaque alii textum Hebræum ita ad Matthæum accommodant, ut ibi τὸ ה interrogativum, ad exemplum plurium aliorum locorum, ſubintelligi debere exiſtiment, ut ſenſus ſit: *num minor es?* &c. In has partes concedunt plerique, nominatim *Marckius* in Comment. ad Michæ locum, *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 1. *Surenhuſius* l. c. *Colomeſius* p. 28. Obſervatt. ex noſtratibus vero poſt B. *Glaſſium* in Philolog. Sacra p. 724. B. *Calovius* ad h. l. *Olearius* item l. c. p. 49. qui inter cetera p. 50. ita: *Interrogationem negationi æquipollere frequentiſſimum eſt, æqui-*

polluisse vero ex mente antiquissimorum Judæorum in loco Michæ inde pene demonstratur, quod Bethlehem nulla ratione dici possit Michæ tempore fuisse ignobilissima Judæ civitas. Quid mirum itaque Evangelistam directe negationem eloqui, quam per interrogationem insinuaverat ex mente Judæorum Propheta? Conf. *Alethæum* l. c. p. 79. Atque hæc sententia mihi quoque tum ob simplicitatem suam, tum ex usu linguæ Hebrææ potior videtur. Itaque nihil necesse est, ut in Hebræo צעיר cum צעיר permutetur, quod fieri volebat *Knatchbullus*, confutatus ab *Oleario* p. 50. sqq. Contra *Cappellum*, de corruptis fontibus hic itidem cogitantem, lege *Buxtorffii* Anti-Criticam. Nec eo confugiendum est, ut non tam *Matthæum* hoc Michæ Oraculum, quam potius Scribas ita protulisse dicamus, quæ est *Montacutii* Tom. I. Origg. p. 321. & *Rich. Simonii* de Textu N. T. p. 258. sententia. *Gussetus* tamen non videtur rejiciendus, qui p. 920. Lexici Hebr. ita conciliandi rationem instituit: *Evangelista magnam prædicat urbem, sed ob istam nativitatem: quare pariter supponit illam parvam per se, & non nisi dignitate superaddita magnam. Eadem ergo mens illis est: differunt tantum declarandi modo. Ergo idem significatus* צעיר *est, nempe parvus: Sed parvitas diverso respectu affirmatur, & negatur, ac proinde absque contradictione.* Nec suis præsidiis prorsus destituitur illorum interpretatio, cui vocem צעיר apud Matthæum adverbialiter accipiunt, hoc sensu: *parum est*, & tua dignitate multo inferius, *ut sis una in millibus Juda:* quasi diceretur; hæc inter prærogativas tuas minima est, quod idem est cum isto, *non es minima in millibus Juda.* Hanc expositionem primus, quem sciam, attulit *Andr. Osiander* in Harmonia Evangel. ad h. l. repugnante *Caninio*, quam in rem confer *Rich. Simonis* Hist. Crit. lib. III. p. 715. post eum præ ceteris ornavit B. *Pfeifferus* in Dubiis Vexatis l. c. & approbat *le Cene* in Projet p. 165. Id tamen obstare illi videtur, quod ista vocis צעיר notio in Sacra Scriptura non occurrat. Michæ locum a Judæis data opera Sec. II. post C. N. corruptum esse, nemo temere dabit *Guil. Whistono*, id in *Conatu textum Hebræum restituendi* p. 321. propugnanti. De oraculo ipso, ex mente Prophetæ ad Christum omnino pertinente, & iidem, quos citavimus, & alii agunt interpretes, inter quos præcipue lege B. *Calovium* in Bibliis illustratis ad *Michæ* V. 1. Restat, ut de vocibus nonnullis aliqua hic addantur.

γῆ Ἰούδα) Legi hic nonnulli volunt τῆς Ἰουδαίας cum versionibus *Syr. Pers. Æthiop.* item Codice Montfortiano, (quibus, quo auctore duos Stephanianos addat B. *Olearius* l. c. p. 44. non dixerim, certe Millius eorum hac in causa non meminit) alii τῆς Ἰούδα, alii γῆς Ἰούδα, ideo scilicet, quod urbem nomine γῆς simpliciter appellari vix ferrent. Sed rectissime monuit Olearius, idem fieri *Matth.* XIV. 34. ubi γῆν γεννησαρὲτ de *urbe* Gennesareth dici ex eo patet, quod eadem statim τόπος appellatur. Sic etiam ὁι LXX. Hebræum ארץ i. e. *terra* frequenter per πόλις reddunt. *Euripidem* γῆν de urbe dixisse ostendit *Pfochen.* §. 129. Idem quoque audiendus videtur, existimans, quod pro Hebræo אפרתא γῆ Ἰούδα apud Matthæum occurrat, quia tempore Evangelistæ Bethlehem hæc a *Juda* tribu appellari consueverit, ut distingueretur a Bethlehem Galilææ.

ἐδα-

οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ) *nequaquam minimum quid es.* Ita *Keuchen.* ad h. l. Ipſam hanc loquendi formulam, quam μείωσιν vocant Græci, profanis Scriptoribus admodum eſſe receptam, poſt *Caſaubonum* ad Polybium & *Gatakerum* in Cinno lib. I. c. 7. oſtenderunt *Pricæus* ad Act. XIX. & *Crenius* in Animadverſion. Hiſtor. Philolog. Part. IV. cap. II. §. 3. itemque *Tollius* ad Longinum Sect. IX. n. 48.

ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα) Reſpondent hæc Hebræis באלפי יהודה Gr. ἐν τοῖς χιλιάσιν, quia ſcilicet vox אלף non tantum *chiliada* ſignificat, ſed & eum, qui chiliadi præeſt. Vide *Keuchenium* ad h. l. Confer *Rich. Simonii* Hiſt. Crit. lib. III. p. 664.

ἡγούμενος) i. e. non præfectus qualiscunque, ſed is, qui dominatur, & penes quem rerum ſumma eſt. Vide eundem *Keuchenium.*

ὅστις ποιμανεῖ) Uſitata metaphora, qua gubernatio & rectio indicatur. Lege huc *Camerarium* in Notatione figurarum N. T. & *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 6. Ποιμένες Homero Reges ſæpe appellantur: vide *Pet. Fabri* Semeſtria lib. III. cap. 17. & *Lamb. Bos* Diſſert. de Etymologia Græca p. 38. Vulg. vertit: *reget*, quem laudat *R. Simon* Hiſt. Crit. de Verſion. N. T. p. 415.

Verſ. 7. Ἠκρίβωσε) de verbi hujus ſignificatu lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri Eccleſ. p. 166. & J. C. *Dieteric.* Tom. I. Antiquitt. N. T. p. 73.

τοῦ φαινομένου ἀστέρος) Tempus apparitionis ſtellæ biennii fere ſpatio adventum Magorum anteceſſiſſe, ex v. 16. efficere conatur *Poſſinus* in Spicilegio Evangel. p. 180. Sed vide huc eos, quos paulo ante de tempore adventus Magorum citavimus.

προσκυνήσω αὐτῷ) Verbum Græcum Atticis quidem cum Accuſativo frequenter, ſed interdum tamen cum Dativo adhiberi ſolet, quod oſtendit *Lamb. Bos* Exercitatt. N. T. p. 2. & *Raphelius* in Notis Polybian. p. 11. Itaque perperam pro Hebraismo habetur a *Wyſſio* in Dialectologia Sacra p. 311. & *Vorſtio* Part. II. Philolog. Sacr. p. 178. ſq.

Verſ. 9. Ὁ ἀστὴρ - προῆγεν αὐτούς) Stellas divino beneficio viam interdum hominibus monſtraſſe, profani Scriptores teſtantur. Vide loca eorum apud *Elsnerum* p. 5. ſq.

Verſ. 10. ἐχάρησαν χαρὰν μεγάλην σφόδρα) Phraſin integram ab Hebraismi ſuſpicione liberare conatur *Salmaſius* de L. Helleniſt. p. 139. *Ritterſhuſ.* ad Oppiani Halieut. l. IV. & *Pfochenius* Sect. 25. Sed vid. in contrarium *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 169. ſq. ubi contra *Salmaſium* & *Pfochenium* diſputat.

Verſ. 11. Εὗρον) MSS. permulta, verſiones & Patres legunt h. l. εἶδον, unde Millius miratur in excuſis plerisque legi εὗρον, quod, unus modo ex-

cipiatur *Vulg.* Interpres & *Epiphanius*, apud veteres forte nusquam inveniatur. Lucæ itaque esse putat ex II. 16. Confer ejusdem Prolegom. §. 790. Cum eodem facit Rev. *Pfaffius* in Dissert. de Variant. Lect. N. T. p. 205. Sed vel sic tamen non video, cur receptam plerisque lectionem deseramus. Matthæus enim ipso hoc verbo respexisse videtur ad v. 8. ubi Herodes ad Magos, ἐπὰν δὲ εὕρητε. Itaque non opus est, ut recurratur ad Lucam. Conferatur *Whitby* in Examine p. 36.

πεσόντες) *procidui, proni:* ita *Scaliger* apud *Schurtzfleisch.* in Actis Literar. p. 23.

προσεκύνησαν) Vide, quæ diximus ad v. 2.

τὰς θησαυρὰς) Vocem hanc de receptaculo rerum pretiosarum quarumcunque adhiberi, variis veterum locis ostendit *Lamb. Bos* in Exercitat. ad h. l. p. 1. cujus & dissertat. de Etymologia Græca compara. Adde in eandem sententiam *Cornel. Adanii* Observatt. Sacr. p. 86. sq. Ex Patribus de eadem, & hoc inprimis loco, commentatur *Suicerus* in Thesauro Eccles. Tom. I. p. 1400.

προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα) De bonis his Magorum lege ex veteribus fuse commentantem *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 238. & *Cornel. Adami* l. c. p. 91. sqq. itemque *Pet. Franzium* ad Gregor. Nazianz. Orat. περὶ φιλοπτωχίας p. 294. tum *Drechsleri* Dissert. de Strena Magorum, & *Jo. Dan. Majoris* Exercitatt. ubi speciatim de *myrrha*.

Vers. 12. Καὶ χρηματισθέντες) Verbi hujus notionem, apud profanos Scriptores receptam, edisserit *Ezech. Spanhemius* in Notis ad Orationes Juliani p. 122. & *Raphelius* in Notis Polybian. p. 11. sq. ubi observat, apud *Polybium* speciatim usurpari solere de responso, quod legatis datur, cum Dativo personæ vero constructum idem esse, quod: *agere quid cum alio.* Notio huic conveniens per se patet, de qua ex Scriptoribus Ecclesiast. diligenter differit *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 1531. Confer, quæ dicentur ad *Luc.* II. 26.

Vers. 14. Ἀνεχώρησεν εἰς Αἴγυπτον) Vide huc B. *Ægid. Strauchii* Dissert. de Ægyptiaco Servatoris nostri Exilio, Witteberg. 1666.

Vers. 15. Ἵνα πληρωθῇ) De phraseos hujus notione videri possunt *Jac. Gusseti* Vesperæ Groninganæ p. 401. sqq. Observatur ibi, τὸ ἵνα & ὅπως in citationibus Scripturæ non semper designare finem a Deo intentum, sed tantum eventum rei: Scripturas vero dici impleri quatuor modis: nempe primum, cum id fit ad literam, quod Propheta prædixit esse futurum; deinde, cum id fit, non de quo loquitur Scriptura in sensu literali; sed id, quod præter illud fuit significatum; tum nec id fit, de quo Scriptura loquitur, nec aliquid aliud, quod per id significatum fuerit, sed quod illi est simile. Denique, cum id, quod scriptum est, factum quidem fuerat

antea,

antea, ſed magis magisque fit impoſterum. Sunt in his quædam accuratiori examine digna, quo cum nunc defungi per brevitatem non liceat, hæc quidem opera alio referenda eſt. Interim legatur B. *Wagenſeilius* in Diſſert. de LXX. hebdomadibus Danielis, Telis Igneis Satanæ appendicis loco ſubjuncta p. 95. ſqq. ubi de phraſeos hujus notione commentatur, & ψευδεγμηνίας variorum, ac nominatim *Marshami*, removet.

διὰ τῦ προφήτυ) *Hoſeæ* XI. 1. hic reſpici poſt *Hieronymum* plerique omnes arbitrati ſunt. His vero data opera ſe oppoſuit B. *Olearius* in Obſervatt. Sacr. p. 57. adeo, ut hanc ſententiam pro omnium reliquarum improbabiliſſima declaret. Argumento ipſi eſt, quod verſio τῶν LXX. καὶ ἐξ Αἰγύπτυ μετεκάλεσα τὰ τέκνα μυ, ſatis oſtendat, quæ veterum Judæorum de hoc loco ſententia fuerit; Hieronymus vero comment. in Hoſeam hanc opinionem ideo primus ſit amplexus, ut τῶν LXX. fidem ſuſpectam redderet, & verſionem ſuam novam commendaret. Mavult itaque Oraculum hoc repetere ex Numer. XXIV. 7. ubi Bileamus dicit: אל מוציאו ממצרים כתועפות ראם לו ubi οἱ LXX. θεὸς ὡδήγησεν αὐτὸν ἐξ Αἰγύπτυ, ὡς δόξα μονοκέρωτος αὐτῷ, *Deus illum eduxit ex Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.* Atque huc reſpici poſſe, ſi Hoſeas deſeratur, tum Hieronymus ipſe in comment. ad locum Matthæi, tum *Origenes*, tum vero *Euſebius* VIII. Demonſtrat. Evangel. p. 423. monuerunt. Idem ex recentioribus amplexi ſunt *Iſ. Voſſius* de Oraculis Sybillinis p. 265. & *Colomeſius* in Obſervatt. Sacr. p. 22. Quod hic alii Numer. XXIII. 26. afferunt, ut *Rich. Simon* in Hiſtor. textus N. T. p. 241. & *Surenhuſius* in libro Καταλλαγῆς p. 187. id quidem per errorem fit, cum eo in capite nihil tale legatur. Quod itaque ad h. l. attinet, non diſputabo nunc, an non vel οἱ LXX. vel antiquiſſimi Judæi, eum ad Meſſiam æque retulerint, ac ſequens illuſtre oraculum de ſtella ex Jacobo oritura recte refertur; ſed id tantum monebo, durius videri, quod Hieronymus in ſuſpicionem vocetur, quaſi is τῇ ὑποθέσει δεδεύων, ut nempe τοῖς LXX. ægre fieret, iſtum Hoſeæ locum huc advocarit, quippe cui plura & illuſtriora loca in promtu eſſe poterant, quibus evinceret, τὸς LXX. non ſemper in exprimendo contextu Hebræo vel diligenter ſatis, vel feliciter, eſſe verſatos. Conjectura hæc majori veri ſpecie commendatura ſe erat, ſi quidem is eo in loco, ubi neceſſitatem novæ emendationisque verſionis urget, hoc exemplo uſus eſſet, quod nunc obiter tantum & aliud agendo, ubi nempe locum Hoſeæ ipſum illuſtrat, ad partes vocat. Id præterea inprimis notandum eſt, tum verba Hoſeæ ipſa magis, quam quidem illa Bileami cum citatione Matthæi convenire, cum Hoſeas diſertam faciat *filii* mentionem, quæ apud Bileamum nulla eſt; tum vaticinium quoque Hoſeæ facilius ad Meſſiam, quam alterum illud referri poſſe, inprimis cum Matthæus mentione τῦ υἱῦ innuere voluiſſe videatur, Deum Chriſti, τῦ παιδὸς, in tenera iſta ætate curam habuiſſe, tanquam filii ſui unigeniti.

Itaque *Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 201. & *Surenhuſius* l. c. p. 187. non conſultum putarunt, ad Bileamum hic provocare.

Non magis, credo, probabitur nupera *Guil. Whiſtoni* conjectura, qui in Conatu ſuo genuinum textum V. T. reſtituendi, Anglice edito, Propoſ. III. p. 91. ad *Jeſaiam* XLI. 8. 9. a Matthæo alludi putat. Conf. Memorias Literar. Britannicas Tom. IX. p. 207. Ut enim obtineat, quod vult, textui Hebræo manus violentas infert, & vocem novam adfricat, inprimis vero confidenter inficiatur, Matthæum de iſto Hoſeæ loco, quem itidem a Judæis corruptum ſtatuit, cogitaſſe, quippe ad omnia alia pertinente. Ceterum de differentia τῶν LXX. a textu Hebræo, (quem ſequitur hic Matthæus,) dum illi quidem pro υἱόν μϵ in ſingulari numero τὰ τέκνα μϵ in plurium numero habent, lege præter *Olearium*, *Jo. Morinum* in Exercitatt. Biblicis lib. I. Exerc. III. c. V. §. 11. *Rich. Simonem* l. c. p. 242. qui poſterior ſuſpicatur, τὰς LXX. cum hodierna Matthæi lectione olim conſpiraſſe, ſequiori vero ætate criticam ſcioli manum expertos eſſe. Quod quidem ſuo loco relinquimus, non ignari alioquin, frequenter id a Scriptoribus N. T. fieri, ut τὰς LXX. deſerant, ubi contextum Hebræum minus fideliter in locis majoris momenti ab iis expreſſum viderint.

Jam quod ad ſenſum vaticinii hujus attinet, & quomodo ad Chriſtum referatur, nemo a me requiſiverit, ut diverſas Interpretum ſententias h. l. recenſeam. Leget eas, qui volet, ex noſtratibus apud *Calovium* in Bibliis Illuſtr. ad Hoſeam, & in B. *Jo. Pet. Grünenbergii* Diſſertationibus duabus *de Filio Dei ex Ægypto vocato*, Roſtoch. 1695. ex Reformatis autem apud *Spanhemium* in Dubiis Evangelic. Part. II. Dub. LXII. & LXIII. Potiores earum hæ ſunt. Alii in populo Iſraëlitico eductionem hanc literaliter, in JEſu vero myſtice & eminenter, factam aſſerunt, atque inter hos ex noſtratibus eſt B. *Dan. Severin. Scultetus* in Paraphraſi perpetua ad N. T. Nec aliter *Jac. Guſſetus* in Lexico Hebr. p. 132. qui ita verba Hoſeæ περιφράζει: *Titulus & relatio filii, adde eo modo, quo eſt filius meus, eminente modo, & ut primogenitus, cauſa eſt, quæ me compellit, ut eum, ſi quando in Ægyptum detruſus adverſo aliquo caſu fuerit, inde revocem, ac in locum ipſi deſtinatum perducam. Jam vero cauſæ allegatio vi ſuæ involvit propoſitionem generalem, puta hoc loco hanc: omnis filius meus ſic dictus præſertim eminente modo, & tanquam primogenitus, is, quandocunque accidit, eum detrudi in Ægyptum caſu aliquo adverſo, debet a me inde vocari. Jam ad mentem Matthæi ſubſumo: atqui JEſus eſt Dei filius, etiamque eminentiſſimo modo, & ejus primogenitus maxime proprie. Unde et convenit concluſio: ergo eum in Ægyptum caſu adverſo detruſum inde vocare debeo.* Conferatur idem in Ternione Controverſiarum Judaic. & in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* p. 329. ubi poſteriore loco id quoque urget, quod populus Judaicus fuerit typus Iſraelis ſpiritualis, ſeu Eccleſiæ Chriſtianæ. Hanc educi debuiſſe ex Ægypto Spirituali, æque ac illum ex corporali. Eum vero in finem Chriſtum tanquam illius liberatorem primum ex Ægypto fuiſſe reducendum.

Alii

Alii hic volunt populum Judæum repræsentari ut typum Christi, tanquam antitypi, atque adeo de hoc Hoseæ verba inprimis accipiunt. Hanc sententiam, quæ tamen *Gleario* speciatim displicet, adstruendam suscepit *Rich. Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 203. sq. quam in rem Latine afferam, quæ is p. 205. sq. in comparationem luculentiorem affert: *Israel, de quo verba hæc ab Hosea dicuntur, erat typus Christi, ad quem eadem ab Evangelista applicantur: quæ causa est cur Scriptura ista vere dici possit* **nunc** *impleta, quæ quod ad literam in populo Israëlitico longe ante impleta fuerat. Ægyptus refugium erat Israelis & Christi: uterque eo deferebantur, uterque inde redibant. Israelem fames eo deferebat; Christum vero gladius Herodis. Christus erat filius Dei, isque primogenitus: Israel non minus talis (quamvis sensu sequiore, & in quantum typus Christi erat) secundum Exod.* IV. 22. *Ita ait Dominus:* Israel est filius meus, & quidem primogenitus. *Christus Deum Patrem suum; Deus vero se ipsum Israelis appellat.* Sum Pater Israelis, & Ephraim est primogenitus meus. (Jer. XXXI. 9.) *Josephi opera Israel in Ægyptum veniebat: & alius Josephus Christum illuc deferebat. Messias erat unctus Dei, nec minus Israel. Christus ex patria sua terra in peregrinam expellebatur, sicut de Israele dicitur, quod ab una gente ad alteram ex uno regno in aliud propulsus sit. Uterque in Ægypto a crudelitate Pharaonis & Herodis servabantur. Deus non permittebat, ut illis ægre fieret, sed in eorum gratiam Regibus non parcebat, dicens:* ne tangite unctos meos, nec lædite Prophetas meos. *Psalm.* CV. 13-15. *Atque hic singulari Dei providentia in conservatione Israelis & Christi comparebat. Israel evadit salvus, dum primogeniti Ægyptiorum percutiuntur: similiter Christus incolumis est, infantibus Bethlehemiticis interim neci datis. Israel relinquit Ægyptum sub mortem & cædem illorum; Christus vero paulo post cædem istorum. Deus utrumque filium ex Ægypto revocat, Israelem ut typum, Christum vero ut antitypum: & liberatio ex Ægypto umbra erat eorum, quæ per Christum perficienda olim erant. Non mirum est, calamitates Ægyptiacas a divino Scriptore epistolæ ad Hebræos vocari* **afflictiones Christi,** (Hebr. XI. 26.) *nam istæ quidem typice in ipsum cadebant, & Christus patiebatur in Israele, quemadmodum sacrificabatur in Isaaco, & neci dabatur in sacrificiis, tanquam mortis suæ typis. Ideo enim vocatur* agnus Dei, ab origine mundi percussus. Hæc forte fusius, quam par erat, attuli, digna tamen, quæ inprimis considerentur. Confer interim in eandem sententiam ex nostratibus B. *Gesnerum* Comm. in Hoseam p. 266. & J. C. *Dietericum* in Antiquitatt. N. T. Tom. I. p. 54. Denique alii *mysticum* illum & *typicum* sensum deferentes, *literalem* unice hic obtinere contendunt, atque ita totum comma vertunt: *Quamvis Israel* נער *est, & manet,* h. e. *puer, vel potius rudis, præcipitans in actionibus, excutiens* (jugum) *& transgressor; tamen dilexi eum, &* (ob amorem, quo eum complector,) *evocavi filium meum ex Ægypto,* ejus *gratia,* ut erudiat, in ordinem redigat, & emendet ipsum. Ita ex nostratibus B. *Tarnovius* in Hoseam B. *Calovius* in Bibl. illustratis ad h. l. *Seb. Schmidius* item, & B. *Grünenbergius* in Dissertat. II. de filio Dei ex Ægyptiis vocato, ubi duodecim omnino argumentis

tis interpretationem hanc confirmatam videbis, tum vero B. *Godofr. VVegnerus* in Annotat. ad h. l. Matthæi. Spectat huc quoque *Andr. Oſiander* in Harmonia Evangel. ad h. l. de quo confer *Rich. Simonis* Hiſtor. Critic. lib. III. p. 716. Eandem fere interpretationem ex Reformatis amplexus eſt *Andreas Rivetus*, nec alienus eſt *Surenhuſius* in lib. Καταλλαγῆς p. 183. Atque hic quidem exiſtimat, Oraculo hoc tempus adventus Meſſiæ indicari, nempe illud, quo populus Iſraeliticus in ſtatu pueritiæ verſaturus ſit in ſchola quaſi, & ſub ferula Doctorum ſeducentium & potius traditiones ſectantium, atque adeo opus habiturus rectiore doctrina, quam ex Chriſti, ab Ægyptiis revocati, ore haurire deberet. Non video, quod opponi huic interpretationi ita poſſit, ut non inſigni veri ſpecie ſe commendet. Malim tamen ipſe ego in ſecunda, quam attuli, ſententia perſiſtere, quæ typum cum antitypo hic conjunctum exiſtimat. Cæterum veteres Judæos oraculum hoc Hoſeæ ad Chriſtum transtuliſſe oſtendit *Grünenbergius* Differt. II. citata §. 3. & *Clericus* quoque in Biblioth. Selecta Tom. XXV. Part. II. p. 421. largitur, talem traditionem de ſenſu horum verborum inter Judæos ætate Matthæi exſtitiſſe.

Omiſeram fere monere, quod *Altingius* verba Matthæi nec ex Numerorum XXIV. nec ex Hoſeæ c. XI. mutuo ſumta crediderit. Vide eum Tom. V. Opp. p. 367. inter epiſtolas, ubi ita Hoſeæ verba convertit: *Et inde ab Ægypto* (ſicut Hoſ. XII. 9. & XIII. 3.) *vocavi eum, ut eſſet filius meus, juxta Exod. IV. 22. De Meſſia iſtic* (ita pergit) *loqui Prophetam non arbitror; neque hoc dictum a Matthæo productum, cum nec verba, nec ſenſus, vel Hebræo vel Græco textui reſpondeant.* Comparetur idem in Tomo II. Opp. in calce, ubi de Paralleliſmo Vaticiniorum agitur p. 12. Hic obſervat, Deum in Ægypto primum Iſraeli tribuiſſe nomen filii Exod. IV. 22. 23 quo tempore filiorum nomen ſæpe ſit repetitum, ut *Deuter.* XIV. 1. &c. atque hoc omne eſſe, quod hic dicatur, nihil autem de eductione ex Ægypto, (quæ ſemper per verbum הוציא ſoleat indicari,) eoque nihil etiam de vocando Meſſia ex Ægypto. *Quod ſi dicatur* (ita pergit) *Matthæus verba Hoſeæ expreſſiſſe, cum ſenſum non ſequatur, dicendus eſt, depromſiſſe hinc verba, aliunde autem rem ſumſiſſe, uti etiam alias factum* Rom. II. 24. verba ex *Jeſ.* LII. 5. res ex *Ezech.* XXXVI. 20. Denique addit, alibi quærendum eſſe hoc teſtimonium, & ſibi veriſimillimum videri, exſtare apud eundem Prophetam (*Jerem.* XXXI.) cujus proximum ſit, & quidem eodem capite, licet hic non eadem Prophetæ verba expreſſerit, ſed ſententiam ſuis verbis enunciarit; quemadmodum idem factum in ultimo teſtimonio, a Matthæo ex capite hoc producto. De his quid ſtatuendum ſit, ex ſuperioribus quodammodo colligi poteſt: nobis quidem prolixioribus hic eſſe non licet.

Verſ. 16. Ἀποστείλας ἀνεῖλε πάντας) Eodem modo loquendi utitur *Polybius*, & alii Scriptores Græci, quorum loca affert *Raphelius* in Notis Polybian-

bian. p. 12. & in Notis Xenophonteis ad *Matth.* XI. 2. 3. *Caſtellio* vertit: *miſit interfectum:* pro quo pugnat idem in defenſione verſionis ſuæ p. 431

ἀπὸ διετῶς καὶ κατωτέρω) *a bimulis & inferioribus*, ut vertit *Beza*, contra quem lege *Caſtellionis* defenſionem Verſionis ſuæ p. 484. Quæritur hic inprimis, utrum verba ἀπὸ διετῶς de biennio completo, an incipiente intelligi debeant? Pro toto biennio ſive incipiente, ſive adulto, ſive ad finem vergente, pugnat *Hombergius* in Parergis p. 6. ut Herodes intellexiſſe hic dicatur omnes, qui in ſecundo eſſent ætatis anno, quam ætatis conditionem ipſo adſpectu colligi potuiſſe exiſtimat. Ita ait, *Heſychium*, forte ad h. l. reſpicientem, τὸ διετὴς explicare per δι' ὅλε τὸ ἔτος, idemque ex aliis Scriptoribus ſic ſatis firmat. Quam in rem confer *Wæchtleri* Obſervationem in Actis Erud. 1712. p. 513. Atque hæc recte monentur contra *Knatchbullum*, qui biennium incipiens hic præfert, & excludi vult infantes perfecte bimulos. Ceterum ex tempore hoc, infantum cædi ſtatuto, præter rem quosdam argumentari, quod Magi binis demum annis poſt natum Salvatorem in Judæam venerint, oſtendit *Scaliger* de Emendat. Temporum lib. VI. p. 550. cui junge *Pet. Allixium* in Diſſert. de Anno & menſe natali JEſu Chriſti. p. 40. De ſtrage ipſa lege *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. Veritatem ejus, ab uno *Macrobio* Saturnal. II. 4. ex gentilibus memoratæ, adſtruit *Spanhem.* Dub. Evang. Part. II. num. LXXVI. & B. *Ittigius* Hiſt. Eccl. Sec. I. p. 349.

κατὰ τὸν χρόνον) Non magis veriſimile eſt, dicere, ſtellam apparuiſſe, ut *Knatchbullus* putat, eo ipſo tempore, quo Virginem ſalutavit Angelus, quam in genere, eam ante natalem ejus longo intervallo conſpectam fuiſſe, ut putat *Scaliger*, vel etiam quocunque alio tempore. Tempus autem illud, quod Herodes a Magis exquiſiviſſe dicitur, eſt vel apparitionis ſtellæ, ſi ſupponatur, eam apparuiſſe tempore nativitatis, vel illud, quo Magi judicabant, Chriſtum natum eſſe ex apparitione ſtellæ.

Verſ. 18. Φωνὴ ἐν Ραμᾶ ἠκούσθη &c.) Dicemus hic primo de phraſibus hujus commatis, de quibus generatim legatur *Wolfburgius* p. 280. Obſ Sacrar. Atque ibi voces θρῆνος καὶ cum in Codd. perpaucis, & verſionibus nonnullis ac Patrum allegationibus deſiderari videret *Millius*, exiſtimavit, ex LXX. Interpretibus adſumtas eſſe, quo vide Prolegomena ejus ſect. 384. In notis vero ad ipſum Matthæi locum monet, omitti eas voces conformiter Hebræo. Sed ibi omnino exſtant, quando quidem voces Hebr. נהי בכי תמרורים penitus reſpondent Græcis: θρῆνος καὶ κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς. Itaque præſtat omiſſionem illarum librariorum negligentiæ, vel vitio memoriæ Interpretum adſcribere, quam pro peregrinis venditare. Confer *Whitbii* Examen p. 36.

καὶ οὐκ ἤθελε παρακληθῆναι) Plerique vertunt cum *Beza: noluit conſolationem admittere;* aut ſimili modo. *Lamb. Bos* vero mavult: *noluit luctum deponere;* quo ſenſu verbum hoc occurrere ipſi videtur apud τὸς LXX. *Gen.* XXXVII. 35. & XXXIII. 12. &c. Vide Exercitationes ejus p. 4. Sed de hoc deinceps.

Quod ad *Ramam* attinet, plerique intelligunt urbem in portione Benjaminis, de qua Jos. XVIII. 25. *Euseb.* quidem *Ramæ* meminit juxta Bethlehemum, sed id videtur ex loco hoc Matthæi elicuisse, cum urbem aut vicum non appellet. Conf. *Relandi* Palæstin. Sacr. p. 964.

ὅτι οὐκ εἰσὶ) Verba hæc non ad proximum παρακληθῆναι, sed potius ad vocem κλαίουσα, referenda putat *Hombergius* p. 7. quia Evangelista hic non exponat causam, cur Rachel non admiserit consolationem, sed cur ploraverit. Non video, cur non interitus filiorum utriusque rei, nempe & fletus & consolationis repulsæ, causa commode dici possit. Inprimis cum inHebræo contextu eadem prorsus sententia occurrat: רחל מבכה על בניה מאנה להנחם על בניה כי איננו. Ibi vero prius hemistichium: *Rachel plorans filios suos;* per accentum distinctivum majorem *Athnach* separatur a sequente; nec fieri proinde potest, ut phrasis כי איננו ὅτι οὐκ εἰσὶ, referatur ad antecedens מבכה. Interim præivit hac in parte Hombergium *Lamb. Bos* ad l. c. p. 4. qui illa accipi vult ut verba lugentis & luctum deponere nolentis Rachelis, & identidem dicentis: *Fuerunt liberi mei, fuerunt, non sunt amplius.* Itaque ante ista verba, ὅτι οὐκ εἰσὶ, intelligi vult participium λέγουσα, sicut *Thren.* III. 41. 42. & alibi hujusmodi loca affert *Glassius* Grammat. Sacr. lib. IV. Tract. II. Obs. 2. Rationem ita sentiendi eam affert, quod hic non dicatur παρακαλεῖσθαι ἐπὶ, quæ phrasis alias in argumento consolationis adhiberi soleat, sed παρακαλεῖσθαι ὅτι. Mihi quidem hæc subtilius ita dici videntur. Consolationem admittere & mœrorem deponere ita connexa sunt, ut utrumque merito pro eodem habeatur. Cumque ipsum verbum παρακαλεῖν & παρακαλεῖσθαι, in consolandi sensu Hebraismum magis ejusque verbum הנחם referat, ibi vero verbum illud nunc cum particula כי nunc cum præpositione על i. e. ἐπὶ construatur, malim ex structura ipsa nihil discriminis statuere exsculpendum. Quod ad phraseos ipsius ὅτι οὐκ εἰσὶ conditionem spectat, nonnulli Hebraicam eam esse, & ad vocis איננו exemplum formatam penitus arbitrantur. Interim tamen eadem occurrit nunc eodem, nunc simili sensu, in profanis Scriptoribus. Loca vide apud *Pfochenium* §. 37. *Bos* Exercitatt. p. 6. *Hombergium* p. 8. *Rapkelium* in Notis Polybian. p. 13. & Xenoph. p. 6. & *Elsnerum* p. 6. sqq. qui & recte contra *Gatackerum* de Stylo N. T. c. XIX. affirmantem, frequentius hoc loquendi genus τοῖς LXX. ex Hebraismo, quam ceteris Græcis esse, monet, eandem phrasin apud Euripidem sæpius reperiri. Addam ego istis illustrem ex Philostrato locum, qui ep. 8. scribit: οἱ δὲ μηδὲν ὄντες, ὁπότε εἰσὶ, τίνες ἂν εἶεν, ὁπότε οὐκ εἰσίν; i. e. *qui vero nihil sunt, dum sunt, quid erunt, ubi non fuerint amplius?* Libanius p. 17. de vita sua, εἰ μηκέτ' εἴην, *si non viverem.* Τοὺς ὄντας de viventibus dicit *Phalaris* in ep. 51. & 91. Alia veterum loca a citatis diversa affert eruditiss. *Dan. Wilh. Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. quas benevole mecum communicavit, eadem opera observans, subintelligendum hic esse ἐν τοῖς ζῶσι i. e. *in vivis.* Ita enim Scholiast. *Sophoclis* ad Antigonem v. 572. verba; μὴ λέγε, ὃ γὰρ ἐς ἔτι interpretatur: ἀντὶ τοῦ,

τὶ τᾶ, μὴ φρένες, ὅτι ἐν τοῖς ζῶσίν ἐσι. Præterea disquiritur, cur τὸ אינני, in ſingulari numero poſitum, efferatur in Græco per ὅτι ἐκ εἰσὶ, & alii quidem ex L. Hebrææ ratione idem eſſe exiſtimant, utrum אינם dicatur an אינני, quandoquidem prior phraſis collective, poſterior vero diſtributive capi debeat. Alii vero *unum* apud *Jeremiam* intelligendum ajunt, nempe *Meſſiam*, quem ſcilicet cum ceteris trucidatum ſuſpicantes matres inprimis lacrymis proſecutæ ſint. Hanc autem emphaſin Matthæum (qui præterea τὸς LXX. ſecutus videtur) non expreſſiſſe, addunt, ideo, quia fugam Chriſti jam commemoraverit, atque adeo de filiis & Meſſia ſimul potuerit dicere, ὅτι ἐκ εἰσὶ utpote illis per mortem, hoc per fugam ſublatis ex conſpectu. Ita *Altingius* in calce Tom. II. Opp. p. 14. ubi de Parallelismo Vaticiniorum. Confer eundem in Tom. V. Opp. in Heptade Diſſertatt. p. 69. Similiter *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 1. τὸ אינני ad Servatorem referri vult, cujus quippe nativitas totam illam viciniam gaudio, nunc vero per abſentiam mœrore perfuderat.

Quod ad ſenſum Oraculi hujus attinet, tot & fere eædem hic ſunt Interpretum diverſæ ſententiæ, quot & quas circa antecedens vaticinium attulimus. Itaque hoc breviores hic erimus. Legantur interim *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 189. ſqq. & *Altingius* l. c. qui diligenter citationem Matthæi cum Jeremia comparant. Contra Judæos, ſpeciatim hic more ſuo varia calumniantes, lege *Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. p. 208. ſq. & *Guſſetum* in confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 209. *Guil. Whiſtonum* ſpeciatim tacere non poſſum, qui more ſuo, h. e. temere & audacter in Concionibus Anglicanis, quas de *impletione Prophetiarum Script. Sacr.* habuit & edidit, p. 55. negat, ullum hic eſſe vel vaticinium, vel implementum ejus, ſed phraſin tantum Jeremiæ Poeticam hic afferri, tanquam huic negotio accommodatam. Vide, quæ recte Anonymus Anglus ipſi oppoſuit in *Remarks of ſome Books* p. 72. Mihi quidem cum *Kiddero* typice hæc contigiſſe videntur, infantibus tempore captivitatis Babylonicæ abductis & trucidatis, quæ deinde eminentiori modo uſu venerunt JEſu & infantibus Bethlehemiticis, tanquam antitypo. Unum addam. Plerisque id in hoc loco difficillimum eſt viſum, quomodo Rahel poſſit introduci fata bimulorum contribulium Judæ, & nepotum Leæ, deplorans, cum ipſa mater Joſephi fuerit & Benjaminis. Nova ratione huic momento conſulere nuper conatus eſt *Iſebrandus Eilhardus Harckenroth* in Bibliothec. Bremenſi Claſſ. V. p. 1095. ſq. ſuſpicatus, per Rachelem hic non matrem Joſephi, ſed urbem tribui Judæ quondam aſſignatam, & 1. Sam. XXX. 29. memoratam, intelligi, quæ ſita fuerit in Auſtrali parte tribus Judæ inter Eſthemoam & Jerachmeelitarum ac Kenæorum urbes, adeoque circa fines & terminum regionis tribus Judæ, verſus Auſtrum: Sicut Ramam cum plerisque interpretibus credit eſſe eam, quæ a Baëſa, Rege Iſraelis, munita ſit, ſecundum *Joſ.* XVIII. 25. & *Judic.* XIX. 10. Sed huic quidem ſen-

tentiæ multum obeſt, quod primum quidem *Rachel* Jeremiæ memorata רחל ſcribatur per ח quæ eadem ſcriptio in nomine Rahelis, matris, obtinet; quemadmodum urbs *Rachal* in Samuelis libro appellata per כ & longe aliam vocalem, nempe *Rachal*, exprimitur. Neque ſufficit reſpondere cum auctore hujus ſententiæ, literas ejusdem organi, atque adeo ſoni & pronunciationis, facile inter ſe permutari. Tales enim non ſunt literæ ח & כ quippe quæ a Judæis pronunciando ſatis diſerte diſtingui poſſunt, & ad diverſa organa ab iisdem referuntur. Denique & rei ipſi & Scripturæ ſtylo convenientius eſt, matrem, liberorum ſuorum fata immitia lacrymis proſequentem, repræſentare, quam urbem aut vicum. Ut non dicam, alia ratione hanc difficultatem ex medio tolli poſſe, quam interpres non unus edocuit. Confer inprimis *Spanhemii* Dubia Evangel. num. LXXIX-LXXXIV. Part. I.

Verſ. 20. Οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου) ψυχὴν pro *vita* hic per Hebraismum dici, falſo ſibi perſuaſerunt nonnulli. Nam eadem notio occurrit etiam apud profanos Scriptores, quorum loca vide apud *Pfochenium* §. 41. Adde *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 7. Confer *Gatackerum* de Stylo N. T. cap. X. & *Vorſtium* in Phil. Sacr. Part. II. p. 245. contra *Pfochen.* diſputantes, item *Sleveogtium* in Diſſert. Helleniſt. §. 15. & *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 96.

Verſ. 22. Ἀκούσας δὲ, ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει) Archelaum Joſephus ἐθνάρχην tantum vocat, Regem vero fuiſſe expreſſe negat XVII. 13. & 15. Antiquitatum, & vel ſic tamen Regio titulo ornandum eſſe ex hoc Matthæi loco contendit *Harduinus* in Tractatu de Numis Herodiadum. Verum, cum latius apud Scriptores Græcos voces βασιλεύειν & βασιλεὺς, quam apud Romanos, pateant, utpote qui Romanos quoque Imperatores βασιλέας vocant; ex Matthæi loco regnum Archelao ſolide adſeri non poſſe videtur: ut id ſaltem velle videatur Matthæus, pari poteſtate Judææ ac patrem Herodem Archelaum præfuiſſe, licet regio careret titulo: nam neque Herodi, poſtquam Rex eſſet appellatus, plus poteſtatis acceſſiſſe legimus. Vide *Acta Erudit.* Tom. II. Supplement. p. 384. *Cellarii* Diſſert. XI. p. 214. & Rev. *Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. II. p. 256. ſq. Ceterum phraſin prorſus ſimilem Xenophontis habes apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 7.

ἐκεῖ ἀπελθεῖν) Τὸ ἐκεῖ minus Græce pro *illuc* dici nonnulli pugnant, interque eos *Gatackerus* cap. 43. contra *Pfochenium*, qui Sect. 126. unum *Anacreontis* locum in contrariam ſententiam produxerat. Plures itaque affert *Elsnerus* p. 8.

Verſ. 23. Εἰς πόλιν) pro ἐν πόλει per familiarem Græcis harum præpoſi-

positionum εἰς & ἐν permutationem. Vide *Pfochenium* §. 71. & *Stolbergium* in Notis ad Ajacem p. 122.

διὰ τῶν προφητῶν) Cum dictum, quod, tanquam apud Prophetas exstans, hic allegatur, in V. T. tabulis nusquam conceptis verbis legatur, in varias sententias itum est. Alii olim quidem exstitisse, sed periisse deinde volunt. Ita *Scaliger* in Scaligeranis p. 283. dictum ait esse Prophetæ, qui nunc non exstet. Noviſſime quoque *Guil. Whiſtonus*, Anglus, tum in Concionibus suis, quas sub titulo *Accomplishment of the Prophecies* edidit, p. 54. tum in Conatu textum Hebræum restituendi Propos. III. p. 104. Judæorum in tollendo hoc loco malitiam accusat, ceterasque interpretationes hujus loci omnes, quæ hoc ipsum fundamenti loco non præstruant, tanquam jejunas & ridiculas aversatur. Sed ista quidem opinio, tanquam auctoritati & integritati Sacri Codicis inimica, recte castigata est a *Sam. Parkero* in Censura Temporum Volum. I. p. 20. & a Rev. *Deylingio* in Obs. Sacr. Part. I. p. 105. tum vero Anonymo Anglo in libro *Remarks on some Books* p. 78.

Alii e libro Apocrypho Jeremiæ, qui memoretur ab Hieronymo in Matthæum XXVII. & qui fuerit apud veteres Nazaræos, desumtum putant. Atque ita statuisse Originem, testis est *Scipio Sgambatus* p. 359. Archivorum V. T. Enim vero nusquam hoc tradere Originem, nec quemquam veterum, contra eum observat Celeb. *Fabricius* noster in Codice Pseudepigrapho V. T. p. 1103.

Alii non tam ad scriptum quoddam Prophetæ, quam ad vaticinium, ore multorum Prophetarum traditum, & ea ætate inter Judæos notissimum, respici credunt, ideo quod hic dicatur τὸ ῥηθὲν διὰ τῶν προφητῶν, *dictum per Prophetas;* non vero τὸ γεγραμμένον. Ita ex nostratibus, ut ceteros taceam, *Calovius* in Bibliis illustratis & *Wegnerus* ad h. l. Eadem ratio alias quoque optima atque tutissima visa est *Alex. Moro* ad Jes. c. LIII. p. 133. nec contemnenda pro ea firmanda affert B. *Olearius* in Obss. Sacr. p. 72. Sed vide tamen, quæ his opponit Marckius in Exercitatt. Scripturariis p. 4.

Alii per Prophetas non tales, qui proprie ita ex Scriptoribus θεοπνεύστοις appellantur, sed viros alios, in literis Sacris exercitatos, intelligi volunt, qui verba ad populum fecerint de venturo Messia, ejusque tum patria tum domicilio; unde per communem traditionem ad homines Matthæi æquales doctrina hæc pervenerit, Messiam Nazarethæ in Galilæa habitaturum. Ita post alios, de quibus *Marckius* p. 7. *Jo. Eduardus* in Disquisitione de quatuor insignibus locis N. T. Exerc. I. cujus summam habes in Actis Erud. 1693. p. 49. His proxime accedit *Jo. Clericus*, cui loci alicujus Prophetici interpretatio allegorica, iis temporibus notissima, nunc vero non amplius exstans, non autem ipsum Prophetæ cujusdam vaticinium innui videtur, qui non Prophetæ unius sed plurium fiat mentio. Examinat hanc sententiam *Olearius* p. 70.

Alii verba hæc, ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται, non tanquam Prophetæ alicujus allegari, ſed ipſius Matthæi eſſe, contendunt, referendaque ideo putant non ad τὸ ῥηθὲν, ſed ad τὸ πληρωθῆ hoc ſenſu: *Et cum eo veniſſet, habitavit in urbe Nazareth: ſi autem implebitur, quod tam ſæpe variis hinc inde Prophetis prædictum eſt de opprobrio ejus. Nam ex eo, quod habitavit in urbe Nazareth, fiet, ut ei Nazaræi nomen & ab oſoribus imponatur, & apud ſuos hæreat, quo nomine cuncta opprobriorum genera continentur.* Ita *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 17. ſqq. Atque ita quoque *Jo. Claudius* ſenſit, quod patet ex Opp. ejus poſthumis Tom. III. libr. VI. c. 10. In hæc dignæ ſunt, quæ legantur, animadverſiones B. *Olearii* p. 69. ſqq.

Alii denique, atque ii plerique, omnino prædictionem hanc exſtare volunt in divinorum Prophetarum, qui ſuperſunt, ſcriptis, non quidem totidem verbis, ſed ita tamen, ut ad ea omnino reſpicere hic potuerit Matthæus. Sed & hi in varias abeunt claſſes, cum alii ſonum vocis *Nazoræi* aut *Nazareni*, alii ejus ſignificationem ſpectent, atque hic iterum inter ſe diſſideant. Quæ ſententiarum divortia diligenter enarravit, ſubjunctis ſtricturis ſuis *Marckius* l. c. p. 9. ſqq. Illa itaque tantum addam, quorum pleraque ibi fruſtra quæſiveris. Inter eos, qui per *Nazarenum* reſpici volunt *Nazaræos* veteres, qualis erat *Simſon*, &c. ut ſic Chriſtus futurus dicatur נזיר ſeu devotus Deo, eſt *Guſſetus* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 329. ſq. qui fuſe hic contra Judæos diſputat. Conſer Poſſinum in Spicilegio p. 11. ſq. *Chevræana* Tom. I. p. 384. ſq. *Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 173. & ex noſtratibus *Hillerum* loco mox citando. Quidam malunt indigitari hic nomina נצר i. e. *furculus*, & ejus ſynonyma, צמח, יונק, חטר quibus Meſſias in V. T. frequenter inſignitur. Quo præſtructo, nomen Ναζωραῖος verti volunt per *germen*, *germineum*, *furculum* aut *furculeum*. Pro hac ſententia ſpeciatim pugnat *Marckius* l. c. Huc etiam ſe convertit nuper *Surenhuſius* in lib. καταλλαγῆς p. 169. ſqq. *Jeſaiæ* XI. 1. ubi de נצר & *Zachar.* VI. 12. ubi de צמח ſermo eſt, reſpici exiſtimans, qui tamen Galilææ quoque ac proinde *Nazarethi*, ut patriæ Meſſiæ, mentionem fieri ænigmatica quadam ratione cenſet *Jeſ.* VIII. 23. & IX. 1. item *Geneſ.* XLIX. 21. Vocem נצר itidem huc advocat *Vitringa* Comm. ad Jeſ. XI. 1. p. 309. addens, a voce illa נצר urbem *Nazareth* quamcumque tandem ob rationem originem traxiſſe. Neque tamen negat, ad alia quoque Prophetarum loca reſpexiſſe Matthæum, quæ præ aliis excuſſerit *Altingius* in Parallelismo Vaticiniorum §. 7. Tom. II. Opp. Idem de נצר ſentit *Anton. Klinglerus* in Dodecade Exercitatt. p. 249. *Nicquetus* de titulo S. Crucis p. 117. ubi monet, Chriſtum vocatum eſſe Nazarenum, non modo cum *flos*, ſed etiam cum *germen*, *cuſtosque* vocatus ſit a Prophetis, & *Rich. Simon* in Notis ad h. l. in Hiſt. Crit. Textus N. T. p. 266. itemque *Jo. Morinus* in Exercitt. Biblic. p. 82. Ex noſtratibus in has partes concedunt *Hackſpanius* in Sylloge p. 591. *Deylingius* Obſſ. Sac. Part. I. p. 107. & Auctores des freywilligen Heb = Opfers Tom. I. p. 745. ſq. (ubi tamen in addita

addita nota quidam p. 746. ad traditionem Prophetarum antiquissimam respici monet B. *Jo. Pet. Grünenbergius* in Dissert. qua JEsum τὸν Ναζωραῖον in scripturis scrutatur, Rostoch. 1699. speciatim ostendit, sufficere, si inveniatur generatim Prophetarum effatum, quo Messias האור הגדול i. e. ut *lumen magnum* Galilæam visitaturus dicatur. Hoc vero fieri ait a *Jesaia* cap. IX. 1. item *Deuteron.* XXXIII. 18. 19. & *Psalm.* LXVIII. 18. His enim non tam inhabitationem Nazareth speciatim innui, quam stabiliri ingressum Galilææ, quia iis in locis promissa legantur Salomoni magna dona spiritualia per Christum etiam infantulum exhibita. Eo itaque judice in V. T. non indicium fit speciatim Nazarethi; sed in tantum, in quantum Galilæa Messiam exspectare jubetur. Pertinet huc proxime *Coccejus* Tom. II. Opp. Posthum. p. 3. cujus hæc sunt verba: *Prophetæ ita de prima Christi prædicatione locuti sunt, ut, quando Nazarethanus, aut Galilæus appellatus est, eo ipso veritas iis Prophetiis constiterit, non aliter, atque si totidem verbis dixissent, Nazarethanum aut Galilæum vocatum iri. Herm. Witsius* non ad vocem נצר *Nezer* aut synonymas, sed ad נוצר i. e. *servans, custodiens*, refert, quod vel idem vel ferme idem sit cum *Nazareno*, quemadmodum Judæi Salvatorem nostr. indicaturi eum appellant נוצרי. Hoc vero nomine, nempe נוצר appellari JEsum *Job.* VII. 20. *Ps.* XXXI. 24. *Prov.* XXIV. 12. & *Jes.* XXVII. 3. Quo præstructo, hoc argumentum, tanquam ex mente Matthæi, nectit: *JEsus, Deo ita gubernante, multos annos Nazarethæ habitavit, idem vulgari nomenclatione dictus est* נוצרי *Nazarenus, ut ex intentione Dei mystice significaretur, JEsum eum ipsum esse, quem Prophetæ, Jobus, David, Salomon, Jesaias, nomine* Notzer, *indigitarunt.* Vide ejus Meletemata Leidensia p. 285. sq. ubi non diffitetur eadem opera, *Socinum* sibi hujus cogitationis primum esse auctorem. Adde *Nicquetum*, cujus locum paulo ante attuli, ubi *custodis* facit mentionem. Non probavit meditationem istam *Marckius* l. c. p. 17. nec amplectenda ea videtur. Si enim vel maxime largiamur, quod tamen forte alius non præter rem negaverit, in locis allegatis sub nomine נוצר i. e. *custodientis* & *servantis* Messiam speciatim indicari; constat tamen, nomen illud non esse tale, quo Messias potissimum, aut iis etiam in locis, in quibus ampla est de eo tractatio, appelletur. Id vero necesse omnino esse videtur, si *Matthæus* hac argumentatione cum robore usus dici debeat. Præterea Matthæo longe aliud hic fuit consilium, quam cui perficiendo hæc observatio inserviat. Rationem daturus is erat, cur *Nazarethi*, non autem *Bethlehemi*, habitaverit Servator. Atque hanc ait esse illam, ut appareret, Prophetas vera dixisse, quando de eo ita locuti sunt, ut de *Nazareth* lectores cogitare possent. Itaque hic non fuit institutum Matthæi, ut Messiam ex Prophetis tanquam Servatorem hominum cognoscendum indicaret, quippe quod antea præstruxerat. Confer tamen, quæ nuper Auctores des Hrb = Opfers Tom. III. p. 418. sqq. pro eadem ad vocem נוצר allusione, hic facta, attulerunt. Illi enim, enarratis & confutatis variis aliorum sententiis, id amplectuntur, quod comma Ho-

sex

ſeæ ratione prioris hemiſtichii : *cum Iſrael puer eſſet* &c. ad populum Judaicum; poſterius vero, quod Matthæus recitat, ad Meſſiam pertineat, atque ita vertendum ſit : *ex Ægypto vocabo filium meum;* hoc ſenſu : ſicut Iſrael ſemper amavi inprimis in juventute ; ita ex amore in ipſum filium meum ex Ægypto vocabo, ut in terra Iſraelitica adoleſcat. Vide p. 429. Hinc p. 443. ſq. adſtruitur, Matthæum ſpectare locum Exodi XXXIV. 7. ubi Pater de filio ſermonem faciens eum appellet נוצר i. e. *ſervantem* gratiam. Ut talem vero Chriſtum repræſentari in N. T. v. c. Joh. I. 10. nec dubium eſſe, quod Prophetæ oraculum hoc olim de Chriſto interpretati ſint, & audientibus inculcarint ; ſicut & ipſa vox נוצר majuſculo נ ſit expreſſa, ideo, ut tanto magis attentio legentium excitaretur. Atque hoc præſtructo ſtatuunt iidem, Matthæum primario quidem literam θεόπνευστον, tum vero & explicationem hanc antiquiſſimam, ore propagatam, reſpexiſſe. Adde his adhuc ingenioſam *Matth. Hilleri* cogitationem, quam in Syntagmatibus Hermeneut. p. 347. protulit, ex parte quidem cum ſuperioribus nonnullis conſentientem, ſed ex parte quoque novam, quam B. *Scultetus* in Paraphraſi perpetua N. T. p. 6. in ſummam retulit.

Mihi quidem hic omnium optime conjeciſſe videntur, qui vel Matthæum antiquiſſimum aliquod vaticinium, tum temporis frequentatum, in animo habuiſſe exiſtimant, quæ B. *Calovii* ſententia eſt; vel, ſi de ſententia magis quam verbis Prophetarum eum loqui credideris, de illis Prophetarum oraculis Evangeliſtam cogitaſſe cenſent, qui Meſſiam ut נצר ſeu *furculum* & *germen* repræſentant. Hoc enim modo & verbis Matthæi optime conſulitur, & ſcopo, qui in hoc poſitus erat, ut oſtenderet, cur Chriſtus ſedem ſuam Nazarethi, urbe alioquin contemta, & cum aliis facile permutanda fixerit. Confer interim ad hoc comma B. *Balthaſ. Bebelii* Diſſertat. Argentor. 1665. 4.

Ceterum de appellatione Ναζωραίος aut Ναζαρηνός, Chriſto tributa, lege *Nicquetum* de titulo S. Crucis p. 117. *Altingium* in Schilo IV. 13. & inprimis *Hillerum* in Syntagmatibus Hermeneuticis p. 347. ſqq. cujus ſingularis ſed minus probabilis eſt hæc ſententia, quod Chriſtus Ναζαρηνὸς dicatur, non a נצר i. e. *furculus*, quo per Nazareth alludatur, ſed a נזר i. e. *corona*.

Particulam ὅτι in phraſi ὅτι Ναζαραῖος κληθήσεται, hic abundare exiſtimat *Hombergius* p. 8. At *Morus* in Notis non per *quod*, ſed per *quoniam* verti vult p. 22.

CAP. III.

AD quatuor priora capitis hujus commata lege *Zahnium* Faſcic. V. Notarum illarum, quas in limine capitis I. memoravimus. Confer etiam *Pet. Allixii* Conſiderationes librorum Scripturæ Sacr. Part. II. p. 295. ſq. ubi

ubi ſpeciatim oſtendit, Johannem a prophetis ut prodromum Chriſti ita deſcriptum eſſe, ut ſe Judæis ſtitiſſe dicatur ab Evangeliſtis.

Verſ. 1. Ἐν δὲ ταῖς ἡμέραις ἐκείναις) Pro Hebraismo non præter rem habuerunt plerique, ratione ſcilicet habita frequentiſſimi uſus, qui in V. T. occurrit. Neque tamen propterea negandum eſt, externos quoque Scriptores hac phraſi, vel ſimili, interdum uſos eſſe. Vide loca apud *Pfochenium* §. 51. ſq. (cum quo compara *Gatackerum* p. 214.) & *Horat. Vitringam* in Animadverſ. ad Vorſtium p. 215. Ceterum quod ad tempus ipſum, hic verbis illis indicatum, attinet, per ſe patet, latius id capiendum eſſe, & non incipiendum ab eo ſtatim tempore, quo Joſephus cum Chriſto urbem *Nazareth* inhabitare cœpit. Præconium enim Johannis compluribus annis eo poſterius eſt, quod ex hiſtoriæ Evangelicæ ſerie perſpicitur. Interim cum cœpta illa habitatione conjungitur hic prædicatio Evangelii Johannea, ideo, quod Chriſtus urbem illam adhuc habitaret, cum Johannes præconii ſalutaris initium faceret. Conf. freywillig Heb-Opfer Tom. I. p. 747.

Ἰωάννης ὁ βαπτιστὴς) Interpretes vertere ſolent per *Johannes Baptiſta*, Gall. *Jean le Baptiſte*. Primus vero hunc morem migravit *Jo. Clericus* in Verſ. Gallica, reddens *Jean le Baptiſeur*, ut ſcilicet indicaret, Baptiſtæ nomen non eſſe proprium, quod alioquin videri poterat, ſed appellativum, quippe quo baptiſandi actus innueretur. Non refragatur *Jac. Bernardus* in Notis Reip. Liter. an. 1703. Tom. II. p. 54. De *Joanne* varii varia, de quibus paulo poſt ſpeciatim: ex Patribus de eo diſſerit *Suicerus* in Theſauro Tom. I. p. 1468. ſqq.

κηρύσσων) i. e. *auctoritate quaſi publica proclamare juſſus*, obſervante *Jo. Jenſio* in Ferculo Literar. p. 7. Κήρυκες enim Græcis dicuntur Regum nuncii, ſive legati & oratores. Confer *Joach. Kühnii* Notas ad Diogen. Laertium p. 540. b.

ἐν τῇ ἐρήμῳ τῆς Ἰουδαίας) Vide huc *Conr. Sam. Schurtzfleiſchii* Diſput. *de Joanne ἐρημάζοντι* Witteb. 1686. recuſam in Theſauro Diſputatt. N. T. f. 79. item *Adami Rechenbergii* aliam de voce ἔρημος, in Diſſertatt. ejus Academ. p. 185. ſq. recuſam, tum vero *Joh. Pauli Hebenſtreitii Johannem Eremitam*, Eremitis in Papatu prorſus diſſimilem, Jen. 1693. *Rechenbergius* l. c. oſtendit, poſt plures alios, non intelligi hic deſertum proprie dictum; ſed tractum regionis Ziph & Mahon, qui cum locis cultioribus collatus deſertum videri poterat. Campeſtria Jordanis & quidem planitiem Hierichuntinam innui hic exiſtimat *Campeg. Vitringa* in Commentar. ad Jeſ. XVI. 1. Tom. I. p. 476. & Tom. II. p. 356. monens præterea, Lightfootum deſertum hoc recte diſtinguere a deſerto Judæ, de quo Pſ. LXIII. 1. De voce ipſa, locum incultum & non habitatum non ſemper indicante, lege etiam *Hackſpanium* in No-

tis p. 13. Rationes quasdam mysticas prædicationis Johanneæ in deserto exponit *VVitsius* in Miscellan. Sacris Tom. II. Exercit. XV. §. 37.

Vers. 2. Ἤγγικε) Præteritum hic pro præsenti poni existimat, vertendumque adeo per: *appropinquat;* Hombergius p. 8. quia scilicet non desierat tunc appropinquare regnum cœlorum, sed vere adhuc appropinquabat.

βασιλεία τῶν οὐρανῶν) i. e. *regnum Messiæ*, tempus Novi Testamenti, quod hoc nomine in tabulis Novi Fœderis frequenter appellatur. Videtur tamen appellatio ejusmodi tunc temporis inter Judæos recepta fuisse, quia alioquin non intellecturi erant Judæi, quid sibi Johannes vellet. Et *Lightfootus* quidem hic provocat ad *Daniel.* VII. 13. 14. *Olearius* vero ad cap. II. v. 44. De notione phraseos confer *Hackspanium* in Notis p. 16. Quid Patres per regnum hoc intellexerint, ostendit *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 665.

Vers. 3. Φωνὴ βοῶντος &c.) Verba hæc cum Jes. XL. 3. diligenter conferunt *Altingius* Tom. II. Opp. p. 16. in Parallelismo Vaticiniorum, *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 204. sqq. & *Vitringa* in Comment. ad Jes. Tom. II. p. 356.

ἑτοιμάσατε τὴν ὁδὸν Κυρίε) *Corn. Adami* in Obss. Sacr. p. 92. illustrat hæc verba ex more veterum, Regum præcipue Orientis, qui, cum aulicis aut exercitu iter facturi, præmittebant apparitores stipatoresque, qui vias adæquarent, & hiatus obstruerent &c. Conf. in eandem sententiam *Jensii* Ferculum Literar. p. 8.

Vers. 4. Αὐτὸς δὲ ὁ Ἰωάννης &c.) Ad comma hoc & sequentia nonnulla illustranda in universum pertinent *Christian. Wasewitzius* in Turture Joanneo, sive uberrima de rebus Joannis Baptistæ commentatione, *Magdeb.* 1659. 4. *Christoph. Cellarius* in Vita Johannis, recusa in Dissertatt. ejus Acad. p. 170. sqq. *Jo. Meisnerus*, *Jo. Paschius* & *Otto Burch. Premper*, in Disp. de Johanne, Baptista, Witteb. 1656. 1686. & 1682. *Frider. Bechmannus* de Christi præcursore Johanne, Jen. 1670. *Matth. Wilde* de Johannis nativitate, vita, rebus gestis & morte, Regiom. 1627. *Jo. Ern. Büttnerus* in historia Johannis, filii Zachariæ, Jen. 1672. *Herm. VVitsius* Exerc. de Vita Johannis Baptistæ Tom. II. Miscell. p. 467. sq. collato Tom. I. p. 296. sq. *Jo. Jac. Hottingerus* in Curriculo vitæ & obitus Johannis, *Tigur.* 1718. 4. in Pentade Dissertatt. ejus Biblico-Chronologic. Ultraj. 1723. num. III. recuso, *Jac. Christoph Iselius* in Dissert. de Johanne, Baptista, Basil. 1717. 4. item B. *Ittigius* in selectis Capitibus Hist. Eccl. sec. I. p. 429. sqq. & Rev. *Deylingius* Part. III. Observ. S. p. 196. sq.

ἀπὸ τριχῶν καμήλε) Syrus vertit in plurali: *ex pilis camelorum*, ideo forte, ne quis putaret, Johannem totum fuisse pilosum, & una pelle involu-

volutum; quæ conjectura eſt B. *Elswichii* in Diſſert. de Critica recentiorum in N. T. §. 12. Talem autem perperam repræſentari ſolere a pictoribus, monitum eſt a *Phil. Rohr* in Pictore Errante Tom. II. Theſauri Diſputatt. p. 867. & aliis. Nihilominus tamen eruditi adhuc hanc cauſam diſputant, ex quibus *Joſua Arndius* in Miſcellan. Sacr. p. 52. pro *pelle hirſuta* ſtat, provocans ad Ebr. XI. 37. ubi Prophetæ dicuntur obambulaſſe ἐν μηλωταῖς & αἰγείοις δέρμασι. Adde *Munkeri* not. ad Mythograph. Tom. I. p. 37. Viciſſim *Bochartus* de veſte ex pilis; ſed aſperis illis, nec arte comtis, accipit in Hierozoico Tom. I. Opp. p. 78. Atque idem præfert, in utramque alioquin ſententiam diſputans, *Braunius* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 195. ideo, quod textus non ἀπὸ τῶν δερμάτων ſed ἀπὸ τῶν τριχῶν veſtes has denominet, & ex auctoribus Talmudicis conſtet, lanam ſive pilos camelorum apud Hebræos magnum uſum habuiſſe in conficiendis pannis ad veſtitum, ut miretur, *Caſaubonum* id in Exercitatt. Anti-Baronian. tam exſerte negare potuiſſe. Atque iis quidem malim & ipſe ſubſcribere, quam cum *Rich. Simone* cogitare de laciniis pellis cameli, quibus Johannes ſe induerit. Ceterum de pellium uſu ad veſtienda corpora apud veteres lege ex antiquitate Hebræa diſſerentem *Braunium* l. c. lib. I. c. IV. §. 66. ex Græca vero *Corn. Adami* in Obſſ. Sacr. p. 93. qui ibidem poſt *Willemerum* in Diſſ. de Pallio Eliæ, quæ exſtat in Theſauro Diſputt. Tom. I. p. 509. pro noſtra ſententia pugnat.

ζώνην δερματίνην) de zonarum uſu apud veteres commentatur ad h. l. *Alb. Vogtius* in Miſcellan. Sacr. p. 175. Conf. *Braunium* l. c. p. 480. ſqq. *Feſſelii* Adverſar. lib. V. c. 9. p. 468. & *Suiceri* T. I. Theſaur. p. 1306. & 1309.

ἀκρίδες) Patrum de his ἀκρίσι ſententias lege apud *Suicerum* in Theſauro Tom. I. p. 167. ſq. Mirum eſt, nonnullos hic de mutanda vel corrumpenda potius vocis hujus ſcriptione cogitare potuiſſe, quando alii ἐγκρίδας, i. e. *laganum*, καρίδας alii, i. e. *ſquillas*, alii denique ἀκροδρύοις i. e. *pyra ſylveſtria* intelligi voluerunt. Nec rectius hic verſati ſunt, qui de ἀκροδρύοις, ſeu arborum & herbarum extremitatibus, cogitarunt, nominatim *Scaliger* in Scaligeranis p. 12. *Knatchbullus*, *Le Cene* in Projet p. 215. *Hammondus* item & *Clericus*, contra quos ut & priores illos diſputat *Bochart* in Hierozoico Part. I. lib. I. c. 6. B. *Olearius* Obſerv. ad h. l. p. 84. *Deyling* l. c. & *Corn. Adami* p. 101.

Rectius in communi ſignificatu acquieverunt plerique, de *locuſtis* interpretantes, quarum uſum tum aliis, tum Orientis inprimis gentibus, receptum fuiſſe, oſtenderunt permulti, nominatim *Jobus Ludolffus* in Hiſtor. Æthiop. lib. I. c. 13. & in Comment. ad eam p. 168. ſqq. *Olearius* l. c. *Caſaubonus* Exercit. Anti-Baron. p. 247. *Dougtæus* in Analect. p. 3. Rev. Auctores des Heb. Opfers Tom. I. p. 108. & 748. B. *Wegnerus* in Annot. ad h. l. Matthæi, *Colomeſius* in Obſſ. Sacr. p. 140. *Witſius* Tom. II. Miſcellan. p. 510. *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 6. *Jac. Elsnerus* p. 9. *Kuhnius* in Pentade I. Qu. III.

p. 6. *Saubertus* de Sacrific. p. 683. ſq. *Corn. Adami* l. c. *Wolfgurgius* p. 6. & qui non? Confer in eandem ſententiam J. C. *Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 73. *Balth. Stolbergii* Diſſertatt. de victu & amictu Johannis in Theſauro Diſputatt. Vol. II. p. 82. ſq. recuſam, & *Petri Rabi* binas de eodem argumento, Regiom. 1689. & 1693. habitas, item *Jo. Dan. Majoris* Exercit. II. tum vero *Olai Bornemanni* Diſſert. de victu Johannis, *Hafn.* 1694. & *Conr. Oldii* Diſp. de domicilio, victu & amictu Johannis, *Roſtoch.* 1657. 4.

μέλι ἄγριον) μελαγρίαν i. e. herbæ genus in deſerto creſcentis, ſcribi hic voluerunt nonnulli, contra quos poſt *Bochartum* Hierozoic. Part. II. lib. IV. c. 12. diſputat *Witſius* in Exercit. de Vita Johannis Baptiſtæ §. 41. qui uterque *mel ſylveſtre* intelligunt, ea tamen cum differentia, quod *Bochartus* de eo accipiat melle, quod apes vel in nudo ſolo, vel in cavis arborum, vel in fiſſuris rupium depoſuerint. Atque ita quoque *Steph. le Moine* ad Varia Sacra p. 608. & *Suicerus* Theſaur. Tom. II. p. 330. At rectius *Relandus* in Palæſtina Sacra, veterum locis adductus, mel id indicari putat, quod ab apibus non elaboratum in ſylvis ex arboribus manarit. Confer *Stolbergii* diſſertat. modo laudatam, qui mel ſylveſtre dici opinatur, quod repertum ſit ἐν ἀγρῷ & γεωργέμενον ὑπὸ μελισσῶν ἀγρίων, adeoque contradiſtinctum illi, quod apes cultæ ſuppeditare ſoleant. Cum manna, quo Iſraelitæ in deſerto uſi ſunt, hoc mellis genus idem, poſt Suidam, voce ἀκρίδας, eſſe vult *Salmaſius* in comment. de Manna, & *Jobus Ludolphus*. Sed huic ſententiæ ſtylum Scripturæ adverſari recte jam monuit *Bochartus*. *Cannas ſaccheri*, quas in Terra ſancta ultro proveniſſe teſtantur Scriptores rerum Palæſtinæ Sec. XI. hic indicari, cenſet *Barthius*, ideo, quod Joannes non ſatis videatur fuiſſe otioſus, ut mel ſylveſtre, turbatis animalibus, quæ id confecerant, quæreret & cibatui aptaret. Vide plura in Unſchuldigen Nachrichten 1709. p. 379. ſq. ubi locus ex Adverſariis ejus MSS. affertur. Sed in promtu eſt, quod ad exceptionem ejus adverſus communem interpretationem reſpondeatur, ſi cogitemus, tanta opera, quantam ſibi perſuaſit, opus non fuiſſe ad mel ex arboribus manans colligendum. De melle in cibum adhibito lege, quæ commentati ſunt *Elsnerus* p. 9. & *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Verſ. 5. Πᾶσα ἡ περίχωρος τοῦ Ἰορδάνου,) Non hic notatur tractus totum Jordanem circumjacens, ſed tractus certus, qui vocatus fuit planities Jordanis: ita *Keuchenius* ad h. l. Hebræi כִּכַּר הַיַּרְדֵּן vocant 2. *Chron.* IV. 17. conf. *Relandi* Palæſt. p. 361.

Verſ. 6. Ἐβαπτίζοντο &c.) Ad comma hoc integrum ut & 13. illuſtrandum pertinet *Jo. Andr. Gleichii* Meletema de Baptismo Johannis, *Vvitteb.* 1689. 4. *Caſtellio* verbum βαπτίζεσθαι hic & alibi reddiderat per *lavari*, reprehenſus ideo a variis, contra quos vindicare ſe conatur in Defenſione verſionis ſuæ p. 432. Ipſe tamen deinde in tertia verſionis editione hæc & alia

alia ejusmodi verba cum receptis permutavit, v. c. quando *Angelum* dixit, quem alias *genium* vocaverat. De verbo ipso vide, quæ dicemus ad Matth. XXVIII. Quod vero ad institutum attinet, sunt, qui illud ea ætate non prorsus novum fuisse, sed ad exemplum baptismi Proselytorum, apud Judæos recepti, susceptum autument, quod alii tamen penitus inficiantur. Vide, quæ de hac causa disputata sunt inter Rev. *Gotlieb Wernsdorffium*, a negantium parte stantem, in Disput. de Origine baptismi mere divina, & in Controversiis de baptismo recentioribus §. 18. sqq. & Cl. *Jo. Andr. Danzium* in Antiquitate Baptismi initiationis Israelitarum vindicata, Jen. 1710. contrarias partes tuentem. Confer omnino Rev. *Gustavi Georg. Zeltneri* Disp. de Initiis Baptismi initiationis Judæorum, Altorf. 1711. qui primam baptismi hujus inter Judæos originem a Johannis officio repetit. Pro Danziana sententia pugnant inprimis *Seldenus* de Successione in bona defunctorum c. 26. p. 91. sqq. & de Jure Naturæ ac Gentium lib. II. c. 2. sqq. *Melchior Leydeckerus* de Republ. Hebr. lib. VI. c. 6. p. 364. *Jac. Altingius* Heptade VII. Dissert. VII. Tom. V. Opp. p. 228. *Georg Eliezer Edzardus* ad Avoda Sara cap. I. p. 191. sqq. tum vero illi, qui de Proselytis Judæorum singularibus Dissert. commentati sunt, nominatim *Paul. Slevogtus*, Jen. 1651. *Gustavus Peringerus*, Upsal. 1694. & *Car. Lundius*, Aboæ 1695. Vicissim illum Proselytorum baptismum vel ante Christi tempora, vel Christo in terris degente, receptum fuisse, negant Mennonitæ, nominatim novissimus eorum Apologeta *Herman. Schyn* in Historia Mennonitarum, Amstelod. 1723. 8. edita. Vide inprimis cap. II. p. 14. sqq. ubi inter cetera non dissimulat, eo id consilio fieri, ut Pædobaptismi assertoribus argumentum sententiæ suæ pereat, ad quod post alios *Lightfootus* & *Vitringa* se in hac causa receperint. Nos alibi forte totum hoc argumentum diligentius scrutabimur.

ἐξομολογούμενοι ἁμαρτίας αὐτῶν) *Verbum hoc* ἐξομολογεῖσθαι *haud facile alibi, quam apud Sacros Scriptores reperias. Vulgo enim* ὁμολογεῖν & ὁμολογεῖσθαι. *Videtur ergo addito* τῷ ἐξ *singularis & major aliqua vis (quemadmodum in* ἐξαγγέλλω, ἐξαγριαίνω *&c.) captata fuisse, ut significet, ita fateri peccata & agnoscere, ut serio pœniteat, eorumque horror simul declaretur. - - Erit igitur* ἐξομολογεῖσθαι τὰς ἁμαρτίας *prono lubentique animo fateri peccasse, & amplecti meliora instituta, cum amore & caritate adversus eum, qui nos in viam avocarit.* Ita *Jensius* in Ferculo Literario p. 9. qui & p. 10. contra *Vorstium* disputat, verbum hoc inter Hebraismos numerantem. Atque hoc posterius perperam fieri evictum dedit *Elsnerus* p. 20. productis scilicet externorum Scriptorum, *Plutarchi*, *Luciani* & *Heliodori* locis, in quibus verbum ἐξομολογεῖσθαι legitur.

Vers. 7. Ἰδὼν δὲ πολλοὺς τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων) Multa hic de *Pharisæis* & *Sadducæis*, qui hoc loco primum memorantur, dici poterant, sed copia prohibet. Scriptores, huc pertinentes, dedimus in Biblioth. Hebræa Part. II. p. 815. sq.

ἐρχομένους ἐπὶ τὸ βάπτισμα αὐτῶν) Interpretes plerique omnes adhuc particulam ἐπὶ hoc ſenſu acceperunt, ut Phariſæi ad ſuſcipiendum Johannis Baptiſmum confluxiſſe dicantur. His ſe poſt alios, jam a B. *Chemnitio* in Harmonia Evangelica ad h. l. memoratos, oppoſuit B. *Olearius* in Obſſ. Sacr. p. 87. ideo, quod & mores Phariſæorum, non niſi ex lege juſtitiam exſpectantium, & a vulgi ſocietate alienorum, & ſevera Johannis reprehenſio, quæ in homines ſic animatos non caderet, & clariſſimum teſtimonium Lucæ VII. 29. baptiſari eos voluiſſe negantis, huic interpretationi adverſentur. Itaque verti mavult per *contra*, ut ſenſus ſit: *videns vero Johannes, ut baptismo ſuo ſe opponerent, accedentes Phariſæos & Sadducæos, ſevere illos increpavit.* Significatum vero iſtum particulæ huic vindicat ex *Luc.* XII. 52. XI. 17. & *Matthæi* XII. 26. nec non ex variis profanorum Scriptorum locis, quorum aliquos attulit *Vigerius* de Idiotismis Græcæ Linguæ. In easdem partes conceſſit poſtea Anonymus quidam in Bibliotheca Anglicana Tom. X. Part. I. p. 119. ſqq. qui, Phariſæos non recipiendi, ſed explorandi, hujus baptiſmi cauſa putat acceſſiſſe. Atque id quidem probare inſtituit ex legatione, quæ ad Johannem Baptiſtam facta narratur Joh. I. 19. ſqq. Eam enim ab ipſo hoc Phariſæorum acceſſu non putat eſſe diſtinguendam. Atque his exploratoribus Johannem baptismi ſui rationem & ſcopum putat expoſuiſſe, atque eadem fine animadverſionem illam gravem, γεννήματα ἐχιδνῶν, non ad Phariſæos ablegatos, ſed ad populum direxiſſe, ut vel ſic Phariſæi intelligerent, ſe populo remiſſionem peccatorum, per baptismum accipiendam, non niſi ſub pœnitentiæ conditione offerre. Neque obſtare huic interpretationi putat vocem αὐτοῖς, quaſi illa neceſſario ad proxime præcedentes Phariſæos & Sadducæos referri debeat. Nam & alibi pronomina ejusmodi non ad proxime præcedentia, ſed ad remotiora pertinere, v. c. *Act.* VII. 18. ubi pronomen ἄλλος non ad Joſephum, ſed ad βασιλέα ἕτερον ſpectare putat, & c. VIII. 26. ubi αὕτη referri jubet non ad *Gazam*, ſed ad ὁδός. Examinavit dictam B. *Olearii* interpretationem Rev. *Raphelius*, primum quidem in Notis Xenophonteis p. 7. ſqq. deinde vero, cum epiſtola ſingulari vindiciæ illius ſuſciperentur, repetita opera in Annotatt. Polybianis p. 14. ſqq. & meo quidem judicio ſatis manifeſtum, tum ex vi phraſeos Græcæ communiori, tum ex contextus ſerie, tum ex parallelismo Lucæ fecit, rectius communem interpretationem teneri. Atque ita quoque ſentit Cl. *Clericus* in Biblioth. vetere & nova Tom. II. Part. II. p. 345. Quod ad Anonymum Anglum ſpectat, non crediderim, ipſi conſtare rationes, cur eam legationem, quæ Johannis I. ad Baptiſtam facta narratur, cum acceſſu hoc eandem eſſe ſtatuat. Certe utrinque longe diverſi narrantur ſermones, longe aliæ circumſtantiæ, quales varietates nusquam obſerves in Evangeliſtis, ubi de eodem negotio narrationem inſtituunt. Vide v. c. quam parum a ſe invicem diſcedant Matthæus in hoc loco, & Marcus I. 5. ſq. ubi rem, quæ hic geſta narratur, ediſſerunt. Deinde manifeſtum

eſt,

eſt, exponi hic a Matthæo initia præconii & baptismi Johannis. Eo vero tempore non eſt veriſimile, Synedrium ſtatim tam ſolicitam curam hujus rei habuiſſe, ut publica auctoritate in inſtitutum Johannis inquiri faceret. Ad hoc vero conſilium animum appuliſſe rectius videntur, cum viderent, non ſolum ex vulgo, ſed & ex doctoribus, Phariſæis & Sadducæis, muneri ejus multum tribuere cœpiſſe. Atque hæc cauſa eſt, cur cum *Lamio* credam, legationem hanc demum poſt Chriſtum a Johanne baptiſatum decretam fuiſſe. Confer ejus Harmoniam Evangelic. p. 100.

γεννήματα ἐχιδνῶν) *Convicium grave & tamen non infrequens, unde etiam Matth. X. 34. exſtat mutuatum ex Veteris Teſtamenti conſuetudine. Si proverbialis locutio ſit, deſumta eſt ex Jeſ. XIV. 29. Veriſimilius tamen longe eſt, reſpexiſſe Baptiſtam & JEſum ipſum dictum Geneſ.* III. 15. Ita judicat *Altingius* Tom. II. Opp. in Parallelismo Vaticiniorum p. 16. Per *viperarum infantes* verti vult *Keuchenius* ad h. l. Patrum cogitata de hac compellatione lege in *Suiceri* Theſauro Tom. I. p. 754.

τὶς ὑπέδειξεν ὑμῖν) *Eraſmus* vertit per *ſubindicavit*, aut *ſubmonſtravit*, ut idem ſit, quod: *clanculum judicavit & admonuit, ut fugerent imminens periculum.* Sed contrariam ſententiam compluribus Polybii locis evicit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 23. ſqq. verbi ὑποδεικνύναι eam vim eſſe, vt denotet: *quis vobis & quibus rationibus hoc perſuaſit, ut iſto modo evitetis imminens ſupplicium?* Itaque per præpoſitionem ὑπὸ adeo non imminuitur verbi ſignificatio, ut potius augeatur. Conf. *Luc.* VI. 47. XII. 5. *Act.* IX. 16. & XX. 35.

ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς) phraſin hanc pure Græcam eſſe, oſtendit *Pfochenius* §. 97.

Verſ. 8. Ποιήσατε οὖν καρπὸς τῆς μετανοίας) Permulti Codd. legunt in numero ſingulari, καρπὸν ἄξιον, atque ita olim lectum fuiſſe, contendit *Jo. Erneſtus Grabius* in notis ad Irenæum p. 212. Quod ad ſenſum, nihil intereſt. Sed communior tamen lectio vel eo confirmatur, quod Matthæus in uno capite VII. v. 16. & 17. quater eadem phraſi in plurium numero utatur. Confer *VVhitbii* Examen p. 36. Fructus vero ἄξιοι dicuntur, qui pœnitentiæ conveniunt, i. e. opera, qualia decet ab animo pœnitente proficiſci. Ita vero etiam profani Scriptores loquuntur. Lege eorum loca apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 27. & *Hombergium* in Parergis Sacris p. 9. ſq. ex *Æliani* Var. Hiſtor. XIII. 33. & XIV. 37. Adde *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 17. ex hoc ſignificatu recte contra Pontificios diſputantem.

Verſ. 9. Μὴ δόξητε λέγειν &c.) Ad hoc comma ex Patribus commentatur erudite *Suicerus* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 19. Verbum δόξητε ſuperfluum viſum eſt nonnullis, nominatim *Gatackero* in Cinno p. 40. & alibi, item Cl. *Majo* in Obſſ. Sacr. Part. I. ut ſenſus ſit ſimpliciter: *ne dicatis.* Sed aliter ſentit Cl. *Elsnerus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 188.

qui

qui verti potius vult: *ne videamini cogitare*, h. e. ne ita vos gerite, ut mihi aliisque suspicionem moveatis, ideo vos omnem emendationis vitæ curam abjicere, nec ulla mali secuturi denunciatione terreri, quod cogitetis, Abrahami vos posteros esse, eoque nomine satis fore DEO gratos ac munitos adversus mala improbis denunciata. Accedit præsidium huic interpretationi ex eo, quod hoc non de sermone, sed cogitatione dicatur μὴ δόξητε. Confer *Wolfburgii* Observatt. Sac. p. 135. & *Marckium* consentientem in Exercitatt. Textual. p. 584. Nonnihil hinc abeunt illi, qui ita phrasin interpretantur: *ne pulchrum ducite, ne glorioſum ducite*, μὴ ἔνδοξον ἡγήσασθε. Ita *Boisius* in Collatione p. 2. & *Martianæus* fere in Essais p. 32. qui ita exprimit: *ne vous flattez point en vous memes, & ne dites pas: nous sommes enfans d' Abraham.* Quod si recogito ego, in loco parallelo *Luc.* III. 8. legi μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, atque ibi τὸ ἄρξησθε omnino πλεονάζειν, ut aliis locis pluribus, vix credederim, de verbo δόξητε aliter hic esse judicandum.

πατέρα ἔχομεν τὸν Ἀβραάμ) de hoc enim inprimis gloriabantur Judæi: v. *Lightfootum* ad *Joh.* III. 3. & VIII. 33. & *Raymundi* Pugionem Fidei p. 951. sq.

ὅτι δύναται ὁ Θεὸς ἐκ τῶν λίθων τούτων ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ) Phrasin hanc a Christo ad indicandam absolutam DEI potentiam adhiberi, nonnulli existimant, & sic verba ad literam explicant, quos recenset *Marckius* in Exercitatt. Textual. N. T. p. 569. Et similes loquendi formulæ, a lapidibus sumtæ, exstant in sacris & profanis: vide huc *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. II. p. 83. sq. Alii vero, & quidem plerique, amplius aliquid phrasi hac metaphorica inferri censent. Patrum loca, quæ huc pertinent, lege apud *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 9. 966. & 1396. & Tom. II. p. 241. *Nihil est*, (inquit Marckius l. c.) *ab omni retro ætate communius, quam lapides exponere de Gentilibus, qui instar lapidum ab Abrahamo alieni spirituali omni sensu & vita destituti duri inflexibiliter & lædentes alios, steriles, frigidi, viles, terræ affixi, & inferiora petentes, quin & lapidum cultui dediti, ex quibus Deus per efficacem vocationem facturus erat, & fecit dudum spirituales Abrahami filios, ipsius fidem & pietatem imitantes, adeoque beneficiorum divini fœderis participes præ carnali ipsius prosapia.* Præsidia hujus sententiæ affert idem, quibus adde, quod huc monet *Elsnerus* l. c. p. 190. videri Christum, facta ista lapidum commemoratione, respexisse ad Jes. LI. 1. 2. ubi Deus Ecclesiæ, orbitatem & solitudinem suam lugenti, in memoriam revocat Abrahamum, ex quo uno, & senectute quidem confecto, tanquam ex *sterili petra*, Isaacus & numerosissimi posteri geniti, imo divinæ potentiæ jussu *excisi* sint: ut proinde pari modo in sterili & effœta veteris Ecclesiæ ætate (Jes. XLIX. 20. 21.) atque ex iis, quos minime parere liberos (1. Cor. IV. 15.) posse crederent Judæi, numerosissimam prolem orituram, quæ tanquam γνήσιον τέκνον Abrahami Patris vestigia legeret *Rom.* IV. 12 Mihi quidem ista scite satis in sensu accommodatitio dici videntur, modo vicissim permittatur, ut credam, Joannem nostrum hic simpliciter indicare voluisse, facile esse Deo, ut ex lapidibus etiam Abrahamo olim

olim de prole prospicere, &, si Judæi adhuc superstites omnes perirent, novam ipsi etiamnum excitare possit. Hoc enim quod ad scopum Joannis sufficiebat, qui ad compescendum & deprimendum Judæorum fastum unice tunc referebatur. Atque id etiam jubet amplecti ipsa lapidum, tum procul dubio coram Joanne jacentium, (ἐκ τῶν λίθων τούτων) demonstratio, qualis alias a Christo fiebat *Luc.* XIX. 40. Sane si in adstantium turba præsto fuissent gentiles, qui non fuerunt, magis se metaphorica interpretatio legenti approbaret. Vide plura pro nostra hac sententia apud *Marckium* l. c. cum quo & facit *Fessélius* Adversar. Sacr. lib. VI. p. 60. qui tamen p. 84. & mystici illius sensus, de quo ante, meminit. Utrumque sensum conjungi vult *Herm. VVitsius* in Miscell. Sacr. Tom. II. Exercit. XV. §. 57. sq. qui speciatim arbitratur, Johannem ante oculos habuisse lapides, quos in memoriam transitus Israelitarum in Jordane erectos fuisse, constat ex Jos. IV. sq. In Jordane vero eum, hæc loquentem, baptisasse, constat ex v. 6.

Vers. 10. Ἤδη δὲ καὶ ἡ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται) Particulæ ἤδη δὲ καὶ recte vertuntur per: *quin imo etiam*, cum *Raphelio* in Notis Polybianis p. 28. qui eam esse illarum vim ex variis Polybii locis ostendit, ut sensus sit: und ist auch so gar die Axt &c. atque adeo crescat Johannis oratio, hoc dicentis; non solum adoptari posse alios, qui pari cum Judæis jure fruantur, sed etiam, quod majus est, Judæos plene excisum iri, ni vere resipiscant.

ἡ ἀξίνη - κεῖται) De proverbio hoc lege *Schotti* Adagialia N. Test. p. 1. De vocis ipsius emphasi vero consule *Suicerum* in Thesauro Ecclesiast. Tom. I. p. 398.

πᾶν οὖν δένδρον ἐκκόπτεται) Scriptura Novi Fœderis sæpe hac comparatione arborum frugiferarum & sterilium cum hominibus bonis & malis utitur, respectu forte habito ad discrimen, quod inter arbores illas sæpe in V. T. & in Jure Hebræorum statuitur, quam in rem vide, quæ commentatur *Seldenus* de Jure Naturæ & Gent. p. 779. Per ipsam excisionem imminens Judæorum interitus tum spiritualis, tum secularis, excidio Hierosolymitano & exilio consequente comprehensus, innui hic non præter rem Interpretibus nonnullis videtur, quorum & quidam per *securim* ad insignia, Romanorum Magistratibus præferri solita, alludi opinantur. Vide quæ hanc in rem ex aliis Scriptoribus monuit *Amelius* Part. I. p. 529.

μὴ ποιοῦν καρπὸν) Per Hebraismum pro μὴ φέρον. Vide *Vorstii* Philolog. Part. I. p. 130.

Vers. 11. Ἐγὼ μὲν βαπτίζω ὑμᾶς ἐν ὕδατι) Particulam ἐν τῷ ב Hebræorum hic respondere, atque æque ac in Hebr. L. παρέλκειν crediderunt permulti. Sed & apud profanos Scriptores τὸ ἐν, ut & alias præpositiones, passim abundare, evincit variis exemplis *Hombergius* p. 9. Confer *Jo. Olearium*

de Stylo N. T. p. 32. cum notis J. C. Schwarzii & *Thom. Crenium* Part. VIII. Animadverſion. cap. 3. p. 226. Adde tamen & *Gatackerum* pro Hebraiſmo pugnantem de Stylo Nov. Teſt. cap. XVIII. Cur hic *Adr. Relandus* p. 53. Antiquitt. Hebr. τὸ ἐν per *cum* reddendum putet, non video. Ceterum quid de baptiſmo Johannis ſentiant veteres, patet ex *Suiceri* Theſauro T. I. p. 625. ſqq.

ὁ δὲ ὀπίσω μȣ ἐρχόμενος) i. e. *qui vero poſt me venturus eſt* : Sic *Marc.* X. 30. *Luc.* I. 35. &c. & profani quoque, quorum loca habes apud *Hombergium* p. 10.

ὃ ȣ̓κ εἰμὶ ἱκανὸς) Vox Græca duo potiſſimum infert, nempe vel *idoneum*, vel *dignum*, qui hoc vel illud præſtet. Alii aliud hic præferunt, ex quibus poſterius præ altero recte ſe probat *Hombergio* p. 10. ubi de ſignificatu vocis ex profanis differit.

τὰ ὑποδήματα βαστάσαι) Proverbii rationem hæc phraſis obtinet. Vide *Vorſtium* de Adagiis N. T. c. XI. Τὸ βαστάσαι vero idem eſt, quod *Marcus* ait: λῦσαι τὸν ἱμάντα τῶν ὑποδημάτων ȣ̓ντȣ̃, quia, qui ſolvebant calceorum corrigias, iidem & portabant eos, & exutos auferebant. De *Auguſtino*, diverſa per binas iſtas phraſes hic innui putante, lege *R. Simonis* Hiſt. Crit. lib. III. p. 262. Hoc vero omne erat viliſſimum miniſterium, quam in rem vide *Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 59. *Balduinum* item de Calceo veterum p. 92. *Pignorium* de Servis p. 423. & *Deylingium* in Obſervatt. Part. III. p. 201. Id igitur Johannes vult, ſe tanto eſſe Chriſto inferiorem, ut ne dignus quidem ſit, qui in ejus famulitio viliſſimum excalceandi munus obeat. Confer *Jo. Adami Königii* Diſputat. de ritu portandi calceos, Witteb. 1678. in Theſauro Diſputatt. Tom. II. f. 86 recuſam, & *Chriſtiani Guil. Vollandi* Diſputat. de Sandaligerulis Hebr. Witteb. 1712. 4. Longius abeunt, nec mentem Johannis adſequuntur, qui profiteri eum h. l. putant, quod myſterium Incarnationis intelligere nequeat: quam in rem vide, quæ idem *Bynæus* ex veteribus affert. De ſignificatu vocis ὑπόδημα alibi dicemus. Interim videri poſſunt præter laudatos *V Volfgangius* in Obſſ. Sacr. p. 580. *Cornel. Adami* in Obſſ. Sacr. p. 103. *Salmaſius* ad Tertullian. de Pallio, l. 5. *Nigronius* de caliga p. 59. & Bynæus de Calceo Hebræorum lib. II. c. 8.

βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ) Voces καὶ πυρὶ deſunt in MSS. & verſionibus nonnullis, quas tamen ut genuinas recte tuetur *Millius* in Notis ad h. l. his verbis: *Voces hæ deletæ ſunt ſeu potius abraſæ* in Vien. *Quod tamen, ſive odio hæreticorum, qui juxta baptiſmum uſtionem etiam uſurparunt, ſive* δυνάμει *ſpecie, ſive alia cauſa deletum, conſtat, Patres* Hieron. Auguſt. Hilarium, Cyprian. Theodorum Heracl. Macarium Ægypt. Chryſoſt. Cyrill. Origen. Juſtinum Martyrem, *Interpretes* Arab. Perſ. Æthiop. *etiam vetuſtiſſimos* Copt. *ac* Syr. *exemplaria quam plurima MSS. antiquiſſima* Cant. *(ut ex Latinis colligo: Græca enim perierunt)* Vulg. *denique verſionem ſub Apoſtolicis fere temporibus concinnatam, agnoviſſe, ut de recepta lectione minime dubitandum ſit.* Ita recte *Millius* in notis, ſed idem pro ſpuriis

ſpuriis habet in Prolegom. §. 1098. (confer §. 690. & 1177.) de qua inconſtantia monuit *VVhitby* in Examine p. 91. Argumentum mutatæ ſententiæ hoc unum affert *Millius* l. c. quod verba hæc tam ſint inſignia, ut, ſi in autographo Apoſtolici Interpretis vere exſtitiſſent, a librariis prætermitti vix ac ne vix quidem potuerint. Sed non recordabatur Vir doctus, quanta fuerit olim librariorum oſcitantia, cujus ipſe alibi exempla, hoc omnino illuſtriora, attulit. Recte itaque voces has Cl. *Clericus* ut genuinas retineri voluit in epiſtola ad C. Junium Optimianum, Bibliothecæ Selectæ primum inſerta, & deinde in limine N. T. Milliani, Amſtelod. 1710. recuſa, ſapienter monens, nullam fuiſſe rationem, cur hæ voces a quoquam adderentur, quippe quæ obſcuræ ſint, & ad ſententiam loci dilucidandam nihil faciant, (quæ ſcilicet ſolet eſſe gloſſematum occaſio) contra vero, propter has ipſas rationes eliminari ut obſcuræ & inutiles potuerint. Quam certa itaque eſt vocum harum γνησιότης, tam dubius videtur genuinus earum ſenſus: ex quo tot diverſæ interpretationes profectæ ſunt. Quid veteres de iis ſenſerint, docet *Suicerus* in Obſervatt. Sacris p. 66. ſqq. & in Theſauro Tom. I. p. 629. ſq. Quid ii pariter ac recentiores, poſt *Spanhemium* in Dubiis Vexatis, *Jo. Marckius* in Exercitationibus Scripturariis n. II. *Thom. Crenius* Animadverſ. Part. VIII. cap. III. §. 7. & B. *Jo. Schmidius* in Diſp. de baptismo Spiritus S. & ignis, Lipſ. 1706. exponunt. *Marckius* cum pleriſque Interpretibus, nominatim *Eraſmo*, *Grotio*, *Lud. Cappello*, *Spanhemio*, *Alex. Moro* in Axiomat. Theolog. n. 42. &c. ſtatuit, phraſin ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρὶ per *hendiadyn* ita explicandam eſſe, ut idem ſit, quod alias dixeris: *in ſpiritu igneo*, vel: *igne Spiritus Sancti*, quam ſententiam multis ornat p. 69. ſqq. & contra *Cameronem* tuetur. Idem placet *Elsnero* p. 10. qui vertit: *ipſe vos baptizabit Spiritu, qui eſt ignis;* id quod Act. II. 3. impletum eſſe exiſtimat. Conf. *Hackſpanii* Not. p. 26. & *Beauſobrii* & *Infantii* notas ad N. T. qui ignem hic commemorari putant, eo quod Spiritus S. ſub ſpecie ignis apparuerit, & hujus vim exſeruerit. Ita quoque ex noſtratibus *Godofr. Wegnerus* in Annotat. ad h. l. Matthæi. Atque huc etiam ſe ante hos recepit *Coccejus* in Opp. Poſthumis Tom. II. p. 463. quamvis & alia hic ſimul innui exiſtimet. *Quod ſic*, inquiens, *poterat accipi, ut ad externum ſymbolum, quod apparuit in Apoſtolis Pentecoſte, reſpectum ſit; vel etiam ſic, ut per τὸ πῦρ ſignificetur inflammatio Hieroſolymæ contumacis: vel, quod optimum eſt, (niſi optimum eſt, omnia jungere) ut ſit* רוח בער *quaſi dicat, ſpiritus incendii conſumentis ex Jeſ. IV. Intelligebatur vero ibi vis divina, purgans & ſanctificans corda per incendium doloris & amoris.* Poſtrema illa ſententia, quæ ſcilicet *ignem* ad flammas excidii Hieroſolymitani & exitium populi Judaici refert, ex recentioribus ſe probavit *Keuchenio* in Notis ad h. l. cui per *Spiritum* dona ubertim in fideles effundenda, per *ignem* vero flammæ, quibus politia Judaica conflagratura ſit, intelligendæ videntur. Itaque duplex hoc modo innuetur baptiſmus, alter Spiritus gratiæ, fidelibus conferendus, alter iræ, incendii & flammæ, qui infideles & refractarios

consumat. Atque in has partes concedit *Amelius* Part. I. p. 99. sq. & 819. sq. (qui tamen in Opusc. Sacris sub suo, *Pet. Zornii*, nomine editis p. 418. sq. mavult cum *Lightfooto*, *Cloppenburgio*, *Lomeiero* in Epimenide p. 172. *Witsio* Oeconom. IV. c. 7. §. 11. & *Coccejo* statuere, quod digitus hic intendatur ad mirabilem sacrificiorum inflammationem per ignem e cœlo illapsum factam,) & *Olearius* ad h. l. p. 91. cujus hæc habe verba: *Dicit itaque* (Johannes) *se quidem in partibus hoc tantum habere, ut aqua baptizet: Christum vero baptizaturum esse* Spiritu, *cujus miraculosa* φανέρωσις *primis temporibus cum baptismo erat conjuncta, eos nempe, qui in nomen ejus essent credituri:* & igne, *h. e.* vel igne, *nimirum eos, qui, ut nunc faciebant Pharisæi,* ἀθετεῖν *pergerent* τὴν βελὴν τοῦ Θεοῦ εἰς ἑαυτούς. *Atque hoc est, quod in sequentibus dicitur:* τὸ δὲ ἄχυρον κατακαύσει &c. *Nempe ille est* baptismus ignis, *judicia ista atque afflictiones severæ, manentes homines præfracte incredulos, quemadmodum alibi quoque afflictionum perpessio vocibus* βαπτίζεσθαι & βαπτισμῷ, *judicia vero divina* πυρὸς *nomine designantur.* Utramque hanc interpretationem recenset *VVitsius* in Miscellan. Tom. II. p. 535. sq. & Lectori optionem relinquit, nihil ipse definiens. Mihi quidem præ ceteris se probant illi, qui miraculosam Spiritus S. effusionem, in festo Pentecostes aliquando sub specie ignis faciendam, prædici censent. Verba enim hæc non amplius minas in refractarios, quibus jam defunctus erat Johannes, sed solatium ad fideles, qui baptismum sincero animo susceperant, continere videntur: quemadmodum comma proxime sequens comminationem priorem, in pervicaces conjectam, repetita vice in illos torquet. Addere his liceat *Vitringæ* observationem ad phraseos Græcæ genium perspiciendum facientem. Is vero ita in Comment. ad Jes. XXII. 20. *Prima metaphora est in voce ignis, qua designatur Spiritus S. altera in voce baptizari, quæ refertur ad ignem, cum tamen metaphora desumta sit ab aqua, igni maxime opposita. Sed quia hæc metaphora conveniebat Spiritui Sancto, hominem suis donis liberaliter perfundenti h. e. instruenti, igni aptatur similitudo, quæ subjecto, quod, ab igne hic metaphorice denominatur, metaphorice convenit. Similis metaphora duplex est Apocal.* VII. 17.

In superstitiosas cerimonias prolapsi hic sunt nonnulli veterum Hæreticorum. Illi enim, literam nimis prementes, cum lavacro sacro ignem, quo venas & aures inuri curabant, conjunxerunt. Lege huc *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 727. *Zimmermannum* ad dictum Tertulliani: *Fiunt, non nascuntur Christiani*, p. 66. & Cl. *Fabricium* nostrum in Biblioth. Græc. lib. I. p. 211. Ceterum gentilium ignem, quo in lustrationibus suis uti consueverant, quemque ad vitiorum sordes in animo exurendas etiam in hac vita necessarium credebant, ad h. l. nonnulli memorant. Lege *Elsnerum* p. 10. Et mirum est, *Hammondum* morem istum & superstitionem per κακοζηλίαν ex hoc Johannis oraculo receptam credere potuisse, quæ longe erat apud gentes antiquior. Judæos in baptismo Proselytorum baptismi ignis mentionem fecisse, quos imitatus hic sit in sermone suo Johannes, tradit *Altingius* in Heptade Dissertatt. p. 260. contra quem vide, quæ affert *Amelius* Part. I. p. 822.

Vers.

Verſ. 12. Οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 2. De phraſi lege *Vorſtii* Philolog. S. P. II. p. 112. ubi oſtendit contra *VVyſſium*, nihil hic παρέλκειν.

διακαθαριεῖ) De verbo Germanico fegen, quo hic uſus eſt B. *Lutherus*, lege *Stadenii* Commentationem de vocibus Germanicæ verſionis difficilioribus p. 55. Similem phraſin ex Xenophonte affert *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 11. De vi ac ſenſu ceterarum phraſium in hoc commate adhibitarum ex Hebræis & Græcis Scriptoribus diſſerit *Amelius* Part. I. p. 532. ſqq. & *Elsnerus* p. 11. ſq. qui poſterior duplicem hujus parabolæ ſenſum eſſe poſſe ait; alterum, qui hic proprie intendatur, illum, quod electi atque pii ſeparandi ſint ab impiis juxta Pſ. I. alterum vero iſtum, quod electi purgandi ſint a vitiorum ſordibus, baptismate τοῦ πνεύματος, venti illius cœleſtis, quomodo ventus in ventilatione a paleis frumentum purgat.

τὸ δὲ ἄχυρον) Paleam h. l. non eſſe proprie follicula illa, quibus grana includuntur, ſed culmos ipſos, & quicquid illud eſt, quod cum grano natum a grano ſecernitur & abjicitur, ideo, quia palea tritico opponatur, poſt *Zegerum* ex variis profanorum Auctorum locis oſtendere conatur *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 12. ſqq. In eandem ſententiam lege *Hammondum* ad h. l. Et ſignificatio quidem ipſa negari non poteſt, eam vero hoc in loco obtinere, ideo negat *Clericus* ad Hammondum; quod palea ſeu ariſtarum calamus, qui multis quippe inſerviat, nunquam comburatur, ſed gluma, involucra nempe granorum, & ſpicarum fragmenta. Sed reſponderi videtur poſſe, ipſos quoque ariſtarum calamos ſeu ſtramen, ubi ad certos uſus fuerit adhibitum, quibus amplius inſervire non poſſit, omnino flammis comburi ſolere, Johannem vero Judæos refractarios hic ſub habitu ſtraminis illius repræſentare, quod non ſolum tritico careat, ſed & nullius prorſus ſit utilitatis. Confer *Allixii* Conſideratt. librorum Scripturæ Sacr. Part. II. p. 300.

πυρὶ ἀσβέστῳ) i. e. *igne non exſtingendo*, quod mavult *Hombergius* p. 11. quam cum *Beza* vertere: *igne, qui exſtingui nunquam poteſt.*

Verſ. 13-17. Illuſtrantur a *Jo. Jac. Hottingero* in Diſp. de JEſu Chriſti ad Jordanem baptismo: *Tigur.* 1708. 4. & ante eum a B. *Hier. Kromayero* Lipſ. 1667. 4. itemque *Chriſtoph. Parſchitio* Witteb. 4.

Verſ. 13-15.) Illuſtrantur *Caſp. Barthii* verbis, ex ineditis Adverſariorum ejus Tomis deſumtis in Unſchuldigen Nachrichten an. 1709. p. 645. ſqq.

Verſ. 14. Διεκώλυεν αὐτὸν) Vul. *prohibebat*, pro quo Beza, emphaſin in præpoſitione διὰ ſtatuens, mavult: *obnixe prohibebat*: refragante *Boiſio* in Collat. ad h. l. cum quo compara *Rich. Simonem* de Verſ. N. Teſt. p. 298. & *Elsnerum* p. 13. qui oſtendit, τὸ διὰ non ſemper ſimplicis ſignificationem augere, ut de verbis διεγείρειν, διαπορεῖν &c. conſtet, imo & τὸ διακωλύειν reſpondere ſimplici κωλύειν variis in locis. Interim, quod ex verbo ipſo non ſa-

tis tuto exsculpseris, re vera tamen a Johanne, obnixe scilicet rem istam amoliente, factum esse, nemo negaverit.

Vers. 15. Ἀποκριθεὶς - εἶπε) Non simpliciter pro Hebraismo habendam esse hanc phrasin, ostendit *Horatius Viringa* Animadversion. ad Vorstium p. 239. sq. Ita fere & *Xenophon* tum lib. II. Cyropæd. ἀποκριθεὶς εἶπε, tum alibi. Vide *Raphelii* Notas Xenophont. p. 14.

ἄφες ἄρτι· οὕτω γὰρ πρέπον ἐστὶν) Quæ causæ adduxerint Christum, ut baptizari se a Johanne curaret, disquirit *Alethaus* Tom. II. p. 67-8. sqq. Adde *Annis-veniti* Cogitata in Biblioth. Bremensi Class. V. p. 462. sqq. qui existimat, Christum baptisari debuisse, ut in Sacerdotem inauguraretur secundum Exod. XXIX. 4. ut sacrificare posset, quia futuri Sacerdotes lavari debebant, Exod. XL. 32. ut denique anima ejus atque corpus tanquam victima exhiberi posset Deo Eph. V. 2.

πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην) i. e. implere omnem ritum & cerimoniam a Deo institutam. Ita *le Moyne* in Dissertat. ad Jerem. XXIII. 6. p. 220. qui tamen memoriæ vitio credidit, legi hic vocem δικαίωμα & δικαιοσύνη. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 913. & 645. & *Forstium* Part. I. Phil. Sacr. p. 151. qui præterea ostendit, non esse hic Hebraismum. *Martianaus* in Essais p. 33. sq. multis contendit, vocem πᾶσαν, quæ δικαιοσύνην determinat, hic eo sensu sumi, ut aliquid in suo genere præstantissimum inferat (sicut fieri id putat Jac. I. 2.) sensusque sit: *oportet nos actum perfectissimum virtutis exercere.* Sed respicit hic procul dubio Dominus ad illud, quod deceat omnino se, non minus novum hoc Fœderis novi institutum recipere, & exemplo suo confirmare, quam omnes V. T. cerimonias & instituta v. c. circumcisionem &c. hactenus observarit. *Wissii* Miscellan. Tom. I. p. 482. id Christum putat voluisse, in muneris functione se & Johannem non tam verbis, quam factis, humilitatis exemplum præbere debere, se quidem, subeundo baptismum ejus, Johannem autem non detrectando officium, quod Christus poscat. Idem vero magis, ut puto, ad rem accommodate T. II. Miscellan. Sacrorum p. 539. ita: *Justitia nomine intelligo, quidquid æquum, honestum, in laude positum, muneri suo convenions. Denique acceptum est. In quarum rerum censu erat, JEsum baptizari, Johannem baptizare, illud eo formam ferret, qui legi subjectus esset, a se susceptam, istud eo munus baptizandi Johanni demandatum.* Idem p. 537. varias affert causas, cur Christo baptizari placuerit.

Vers. 16. Καὶ βαπτισθεὶς ὁ Ἰησοῦς &c.) Vide huc *Jo. Jac. Hottingeri* Disputatt. de JEsu Christo ad Jordanem glorificato, *Tig.* 1710. 4. Verius hic videtur difficulter conciliari posse cum Johan. I. 33. Matthæus enim Christum videtur repræsentare, ut cognitum Johanni etiam ante baptismum, qui apud Johannem exhiberi visus est, ut talis, quem ex descensu Spiritus S. post baptismum facto, demum cognoverit Johannes. Conciliant hæc non-

nulli

nulli, dicentes, Johanni verba ea, quibus Christum baptisare recusavit, inspirata esse, ignoranti adhuc, cum quo sibi res sit, & id tantum edocto, quod ipso sit major. Ita *Clericus* in Biblioth. Vetere & Nova Tom. II. Part. II. p. 347. quemadmodum *Episcopius* Resp. ad Quæst. X. p. 9. sq. (contra quem disputat *Olearius* p. 94. sq.) ante ipsum asseruit, Johanni ante baptismum non omnem, sed plenam tantum, Christi notitiam defuisse. Alii ex revelatione divina Christum Johanni cognitum fuisse volunt, sed non antea de facie, de quo intelligenda sint Johannis verba; ex quibus etiam nihil aliud effici possit, quam Johannem per descensum Spiritus S. in notitia Christi confirmatum fuisse. Alii existimant, Johannem non solum post baptismum collatum, sed & ante eum vidisse Spiritum S. in Christum descendentem. Ita statuit Cl. *Fabricius* in Notis ad Apocrypha N. T. p. 348. Alia denique ratione ἐναντιοφάνειαν hanc e medio tollere conatus est B. *Olearius* ad h. l. p. 95. sq. mutata scilicet interpunctione, ita ut verba: ἀνέβη εὐθὺς ἀπὸ τοῦ ὕδατος, per τελείαν συγχυσιν jungantur a sequentibus: καὶ ἰδοὺ, ἀνεῴχθησαν &c. hæc vero in notione temporis plusquamperfecti ita reddantur: *Ecce autem, aperti fuerant cœli propter ipsum, & viderat Spiritum Dei descendentem sicuti columbam & venientem super ipsum. Et ecce, vox exstiterat cœlitus* &c. Argumenta, quibus hanc interpretationem ornat, apud ipsum legi velim. Id vero inprimis illi obstare videtur, quod reliqui Evangelistæ, ac inprimis Marcus, apertionem cœlorum & descensum Spiritus S. nimis diserte narrent baptismum Christi insecutum esse. Itaque malim potius in eorum partes concedere, qui JEsum Johanni ante baptismum, vel ex immediata revelatione, vel ex verbis ipsius, baptismum expetentis, vel ex aliorum præsentium indicio &c. cognitum fuisse existimant, deinde vero, in hac cognitione, mirabili illo de cœlo phænomeno confirmatum arbitrantur. Itaque verbum ἐκ ἤδειν, quod apud Johannem exstat, de absoluta & pleniſſima Christi cognitione interpretari velim, quam verbi notionem in Scriptura frequentem esse, nemo ignorat. In hac sententia est quoque *Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 624. Confer & B. *VVegnerum* ad h. l. Matthæi.

ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ) Cœlum in plurium numero per Hebraismum hic, ut sæpe alias, appellari, post alios plures adstruxit *Herzogius* de certitudine Hermeneutica §. 16.

καὶ εἶδε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) Disputant Interpretes, num Johannes hic vidisse dicatur Spiritum S. descendentem, an Christus? Lege huc *Marckium* l. c. p. 621. qui posterius affirmat, ita tamen, ut non inficietur ex Johanne Evangelista apparere, quod & Johannes Baptista Spiritum S. conspexerit. In eandem sententiam lege *Hombergium* p. 11.

καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν) Quæri hic solet, utrum Spiritus S., assumto columbæ habitu, apparuisse, an vero more columbæ volantis velociter in Christum descendisse dicatur, movendo scilicet, volitando, agitando, molli placidoque strepitu. *Posterius* affirmant post *Hammondum* in Notis ad h. l. & *Almo-*

& *Almeloveenium* juſto hic vehementiorem in Amœnitatt. Theologico-Philolog. p. 203. *Amelius* Part. I. p. 100. & Cl. *J. H. Majus* in Obſſ. Sacr. Part. II. p. 23. ſq. aliique, a *Marckio* allati l. c. p. 599. ſq. Atque hic poſtremus quidem columbinam formam ex communi ſententia decem omnino argumentis adſtruit, atque oppoſitæ partis rationes confutat, quod factum quoque videbis a *Wolfburgio* in Obſervatt. Sac. p. 58. ſq. Conf. *Bernhardi Sandenii* Diſſert. de h. l. Regiom. 1712. 4. & *Aug. Varenii* aliam de Columba hic viſa, *Kil.* 1671. 4. & *Vitemb.* 1713. recuſ. in Theſauro Diſpp. T. II. fol. 89. nec non B. *Wegnerum* in Annot. ad h. l. Nec mihi aliter videtur inprimis ex Luc. III. ubi σωματικῷ εἴδει Spiritus S. dicitur deſcendiſſe. Hinc enim manifeſtum mihi fit, primum generatim habitum corporeum ſeu viſibilem inferri, qui deinceps, facta columbæ commemoratione, ſpecialius ediſſeratur. Et quid neceſſe eſt, aliam v. c. ignis, aut fulguris, ſpeciem fingere, de qua nihil habet narratio Evangeliſtarum, cum columbæ formam aſſumere non magis indignum ſit Spiritu S. quam ſub ignis habitu comparere? Veterum de columba iſta ſententiam enarrat *Petavius* Dogmat. Theol. Tom. II. lib. VIII. c. 4. p. 457. Pertinet huc, quod *Juſtinus* in Dial. cum Tryphone p. 315. tradit, ignem eodem tempore in Jordane apparuiſſe, quod eum non ex Ebionæorum Evangelio, ſed aliunde recepiſſe contra *Grotium* contendit *Dodwellus* Diſſert. II. ad Irenæum §. 9. Adde *Fabricium* ad Codic. Apocr. N. Teſt. p. 347. De aliis ejusmodi portentis, quæ baptismum Chriſti comitata eſſe feruntur, lege *Severum Alexandr.* de ritibus Baptismi p. 24.

ἐρχόμενον ἐπ' αὐτὸν) Voces ἐπ' αὐτὸν idem h. l. eſſe, quod ἐφ ἑαυτὸν, ut ad Chriſtum referantur, exiſtimat poſt *Marckium*, *Hombergius* l. c.

Verſ. 17. Καὶ ἰδοὺ φωνὴ) Nullam hic ſtatuendam eſſe enallagen caſus Nominativi pro Accuſativo, oſtendit *Herzogius* in Diſputat. de certitudine Hermeneuticæ S. in N. T. §. 6. ſed ſubintelligendum potius eſſe verbum finitum, quod expreſſum exſtat *Matth.* XII. 10. καὶ ἰδοὺ, ἄνθρωπος ἦ &c.

φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν) Verba hæc de בת קול ſeu *filia vocis*, h. e. certo oraculi divini genere, quod in Judæorum ſcriptis frequenter memoratur, intelligunt nonnulli, interque eos *Steph. Morinus* in Diſſertatt. p. 189. *Vitringa* in Archiſynagogo p. 199. & in Obſervatt. Sacris lib. VI. cap. IX. p. 375. qui in toto illo capite potiſſimum Judæorum de *Bathkol* ſententiam, adductis ipſorum locis, exponit. Confer de eadem diſſerentes *Jo. Henr. Hænerum* in Diſp. de *Bathkol*, Jen. 1673. 4. habita, & in Theſauro Diſputatt. Tom. II. p. 956. ſq. recuſa, item *Jo. Andr. Danzium* in Diſputat. de filia vocis nefanda divinæ æmula, Jen. 1716. tum vero Auctorem Bilibræ veritatis p. 139. ſqq. *Gaulminum* ad Vitam Moſis p. 304. *VVitſium* in Miſcellan. l. 3. p. 19. & *Jac. Basnage* in Hiſtor. Judaica Tom. III. p. 126. ſqq. & Tom. V. p. 22. Non crediderim, vocem hanc Patris ex cœlo auditam, aut tuto ſatis, aut convenienter, cum iſta Filia Vocis conferri. Primum enim dubitant eruditorum nonnulli

nulli, an non omnia illa, quæ de *Bath kol*, tanquam ſub templo II. potiſſimum frequentata, ambitioſe a Judæis afferuntur, penitus conficta ſint. Pro hac ſententia lege *Molinæum* in Vate lib. I. c. 7. *Vogelſangium* Exercitat. Theolog. II. §. 14. & *Voiſinium* ad *Raymund. Martinium* p. 272. Deinde in illis, quæ recitari ſolent, nihil divini agnoſcere nonnulli potuerunt, quippe quæ plerumque nihil aliud fuerit, quam vox aut eccho temere aliunde auribus allapſa, ex qua, divina ei origine adſcripta, auguria captarint homines ſuperſtitioſi; vel etiam vox hominum aliorum, quam ominis loco arripuerint, & in rem ſuam interpretati ſint. Confer in hanc rem *Elsnerum* p. 15. & *Lightfooti* Horas Talmudic. ad h. l. Denique nimis anguſta hic res agebatur, quam ut communiore ejusmodi, ſi quod tale unquam fuit, medio promulgationem hanc factam eſſe credamus.

Οὗτός ἐϛιν ὁ υἱός μȣ ὁ ἀγαπητὸς) Verba hæc nonnulli cum Jeſ. XLII. 1. conferunt, quam in rem vide *Vitringæ* Comment. Tom. II. p. 422. Sed huc tamen alludi negat *Keuchenius* in Notis ad h. l. cui videtur reſpectus haberi ad *Geneſ.* XXII. 2. Patrum cogitata lege apud *Petavium* Tom. II. Dogmatum p. 104. & Tom. V. p. 327. 338. & 342.

ὁ υἱός μȣ ἀγαπητὸς) De voce hac, tanquam, quæ idem inferat, quod alias μονογενὴς, lege *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 28. & in Obſervatt. Sacr. c. XII. p. 299. item *le Cene* in Projet p. 564. nec non *Hackſpanium* in Notis p. 22. Adde de eadem *Feſſelium* Tom. II. Adverſar. Sacr. p. 427. & 463. & *Dietericum* Antiquitatt. N. T. p. 21.

ἐν ᾧ εὐδόκησα) Hebraismum hic nonnulli quæſiverunt in forma præteriti, tanquam pro præſenti poſiti; ſed vide *Pfochenium* Sect. XXXII. & *Vigerium* de Idiotismis Græc. Lingu. p. 152. qui, Atticam hanc eſſe loquendi formam, idoneis exemplis oſtendit. *Jo. Crojus* & quod ad ipſum ſignificatum, & quod ad conſtructionem, Hebraicam dicendi rationem hic obſervat in Obſervatt. Sacris p. 264. ſq. nec non *Suicerus* Tom I. p. 1240. Sed quod ad ſignificatum attinet, ejusdem apud Polybium frequentia exempla exſtare diligenter commonſtravit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 30. ſqq. ſtructuram vero ſimilem apud eum ſe reperiſſe inficiatur, idemque p. 35. ſcite obſervat, indefinitum tempus hic adhiberi ad actum continuum indicandum, quemadmodum Græci eo tempore uti conſueverint de iis rebus, quæ ſolent fieri, quæque & ſunt, & fuerunt, eruntque. Idem vim vocis ita ediſſerit p. 34. *Filius meus eſt, de quo ita ſentio, & in quem ita ſum affectus, ut tota mens, tota voluntas in eo conquieſcat mea, qui mihi placet, quo delector, cujus mihi omnia & dicta & facta ſunt probatiſſima, quique mihi omnibus in rebus ita ſatisfacit, ut nihil præterea requiram.* De eodem verbo vide & commentantem *Joſ. Arndium* in Miſcellan. Sacr. p. 37. ubi & B. Lutheri verſionem German. ab animadverſione Abrah. Sculteti tuetur. Ceterum *Theophaniam*, in baptismo Chriſti factam, diligenter illuſtravit *Jo. Andr. Piccartus* libro ſingulari, *Norimberg.* 1665. 4. edito.

CAP. IV.

Hiſtoriam tentationis JEſu, in primis capitis hujus commatibus expoſitam, illuſtrant *Andr. Kunadus* & *Andr. Godofr. Ammon* ſingularibus diſſertationibus, *Witteb.* 1653. & *Helmſtad.* 1676. & ante illos B. *Wolfgang. Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sac. p. 716. ſq. Non ſomnio aut phantaſia rem, prout exponitur, abſolutam, ſed vere geſtam eſſe, contra *Abraham. Scultetum*, *Balthaſar. Beckerum* & alios, iſtis ἐμοψήφοις, ex noſtratibus evicit B. *Jo. Winckler*us in concione ſingulari, ſuper hanc pericopen habita, & an. 1694. edita, cui fruſtra ſe paulo poſt oppoſuit *Zachar. Webberus* in ſcripto vernaculo, ſub tit. Beſcheidene und gründliche Antwort, *Amſtelod.* 1695. 12. quod ex parte deinde ſub examen vocavit B. *Zachar. Grapius* in Diſſ. de tentatione Evæ & Chriſti a Diabolo, aſſumto corpore, facta, *Roſtoch.* 1705. Eadem opera contra eosdem defuncti ſunt B. *Olearius* in Obſſ. Sacris p. 102. ſqq. *Salom. Deylingius* Obſſ. Sacr. Part. II. p. 268. ſq. & *Mart. Caſp. Wolfburgius* in Obſſ. Sacr. p. 487. ſqq. qui in Clericum ſpeciatim animadvertit; ex Reformatis autem *Spanhemius* in Dubiis Evangel. Part. III. c. 50-69. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 629. ſq. & *Sam. Bochartus* Tom. II. Opp. p. 942. ſqq. ut ſingularia ſcripta non commemorem, quæ de hoc argumento in Belgio, cum controverſia Beckeriana ageretur, in lucem prodierunt, inter quæ inprimis huc conferri velim *Jo. van der Wæyen* librum Anti-Beckerianum §. 1315. ſqq. Adde quoque ſingularem librum *Dan. Arents*, V. D. M. Zuiderwoudenſis, de hiſtoria Tentationis Chriſti, *Amſtelod.* 1691. & *Jo. Jac. Hottingeri* Diſſertatt. tres de JEſu Chriſti in deſerto cum Satana congreſſu & reportata de hoſte victoria, Tigur. 1709. & 1710. 4. *Herm. Hardtio*, contrarias partes ex parte tuenti, ſatisfecit Rev. *Caſp. Calvoer* in Gloria Moſis p. 266. ſqq. *Olearius* quidem, *Deylingius* & *Wolfburgius* Beckerianis aſſeclis annumerarunt *Jo. Clericum*, & recte quidem, ſi ex priori editione Paraphraſeos Hammondi, in N. T. notis ejus ſtipatæ, judicetur. Ibi enim hæc legas: *Quæ hic narrantur, facilius in viſione ſeu ſomnio Chriſto accidiſſe intelligi poſſunt, quam reapſe.* At idem & ſententiam & notas has in repetita editione Paraphraſeos, Francof. 1714. ita mutavit, ut p. 27. verba memorata omitteret, & mentioni viſionis factæ ſubjungeret: *Sed omnibus probe expenſis exiſtimavimus & hic* ἀνήχθη *ſignificare ſimpliciter* abductus eſt &c. *Itaque nihil eſt, cur ad ſomnium confugiamus.* Conf. ejusdem notæ in Harmon. Evangel. & in Verſ. Gall. N. T. 1703. edit. ut & Bibliotheca Vetus & Nova Tom. I. Part. II. p. 350. ubi profitetur, ſe notas ſuas in Hammondum, antequam iſta Olearii legeret, ita, ut nunc ſunt, emendatas in Germaniam miſiſſe. Quæ myſtice hac hiſtoria indicentur, exponit *Deuſingius* in Allegoria hiſtoriarum Evangelico-Prophetica p. 261-302. quæ ſuo loco jam quidem relinquimus. Nos interim in ſummam conferemus argumenta, ex ipſa ſermonis ſerie deſumta, quæ vere hæc omnia geſta eſſe credere jubent. *Verba enim* προσελθὼν αὐτῷ (ita *Deylingius*

lingius l. c.) ὁ πειράζων *motum localem designant, & accessum tentatoris ad Christum notant sub forma visibili & externa. Simili ratione verba* ὕπαγε & τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος *de recessu locali exponi debent, quia a literæ proprietate absque summa necessitate non est recedendum, ne Marcionitarum deliriis via sternatur. Nam si hoc certamen, tanquam Christo indignum, ad visionem refers, idem urgere possunt hæretici de passione & crucifixione Christi, quæ a summa ejus dignitate magis videntur aliena. Verum, ut iter Christi in desertum & jejunium per XL. dies vera fuerunt, ita & tentatio, quia ista omnia eodem filo & stilo recitantur. Idcirco Apostolus, quando tentationum meminit, Christum docet fuisse vere* πειραθέντα, *Hebr. II. 18. IV. 15. &* πεπειρασμένον κατὰ πάντα. *Sane haud parum fidelium consolationi decedit, si hæc in visione duntaxat Servatori contigisse statuas. Quod si attente consideres Evangelistarum narrationem, nihil invenies in textu, quod visionem innuat. Nec intelligo, qua ratione adorationis actus a Satana in visione exigi potuerit, nisi persona adoranda sub visibili externaque specie Christo fuit objecta? Recte proinde Theophylactus docuit, quod* ἀισθητῶς ἐφάνη αὐτῷ ὁ διάβολος. *Verum externumque congressum persuadent verba* λαμβάνειν, ἵστασθαι, παραλαμβάνειν, προσέρχεσθαι, *aliaque, quæ de vero* ὑφισαμένῳ *afferri solent. Tandem, ut Angeli Christum accessisse leguntur vere, historice, externoque accessu v. 11. ita Diabolus simili sensu Christum deseruisse (*ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ & ἀφίησιν αὐτὸν*) censendus est.* Hæc ille. Quæ auctor *tē Chissuk Emuna* contra hanc historiam excepit, diluta vide a *Gusseto* in Confutatione istius libri p. 368. Præcipuum est, quod Satanas non tentaturus fuisset Deum, siquidem talis fuisset Christus. Respondet recte *Gussetus*, Satanam id tunc temporis ignorasse: qua de re legenda est singularis Diss. B. J. F. *Mayeri, Gryphisw.* 1703. item *Ittigius* in Hist. Eccles. Sec. I. p. 391. & *Deyling.* l. c. p. 272. tum vero *J. D. Major* in Scrutinio Satanicæ Cosmodixeos cap. I. Conf. quos citat *Pet. Zornius* in Opusculis Sacris p. 696.

τότε) Cur Christi tentatio Satanica cum baptismo ejus proxime conjungatur, ex auctore Operis imperfecti in Matthæum rationem affert B. *Olearius* p. 103.

ἀνήχθη) Ἀνάγεται *Hesychius* exponit per ὁδηγεῖται. Et sic quoque alii. V. Bibl. Bremens. Class. VI. p. 973.

εἰς τὴν ἔρημον) Desertum illud fuisse horridam solitudinem, ostendit *Bochartus* Tom. I. Opp. p. 972. JEsus itaque non solum in *loco deserto* sed etiam ipse desertus erat, tum ab hominum societate, quibuscum versari solebat, remotus, tum Angelorum ministerio destitutus. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 37.

ὑπὸ τοῦ πνεύματος) a Spiritu, scilicet Sancto, non autem pravo, seu diabolo, quem mireris hic a plerisque Interpretibus intelligi potuisse. Idem certe hic innuitur Spiritus, qui cap. III. 16. dicitur ex cœlo in JEsum descendisse, quique opponi potest diabolo, a quo dicitur tentandus. Atque ita recte olim accepit *Syrus*, quem approbant auctores des Heb. Opfers VIII. Beytrag p. 749. Adde in eandem sententiam *Vorstii* Philolog.

Sacr. Part. I. p. 105. contra Henr. Stephanum disputantem. Conf. *Rich. Simonis* notas ad h. l. & *Wolfburg.* in Obss. p. 487. *Lucas* hic habet ἐν πνεύματι, quæ verba cum *Beckerus*, ὑποθέσει δαλεύων, idem esse velit, quod Latine dixeris: *in Spiritu*, seu in visione. Olearius l. c. ostendit, Lucam ex Matthæo potius, quam hunc ex isto, interpretandum esse. Ita & optime occurretur Beckero, qui hinc argumentum ψευδερμηνείας suæ petendum censuit, indignum scilicet Christo ratus, permittere, ut a malo genio ferretur, &, quod nonnulli præter rem hic factum crediderunt, per aërem raptaretur.

διάβολος) Vox hæc non tantum calumniatorem, sed & adversarium denotat: vide *Keuchenium* ad h. l. Addere poterat, eodem nomine *deceptionem* & circumventionem innui, ceu diligenter ostendit Lamb. Bos in Exercitatt. ad N. T. p. 189. A calumnia inprimis ita appellari Interpreti Syro visum est, de quo confer Auctores des Heb-Opfers VIII. Beytrag p. 749.

νηστεύσας) Feruntur & alias in veterum & recentiorum monimentis varia diuturnæ inediæ exempla, quæ tamen cum hoc comparari minime omnium possunt, cum alia quidem hominum fraudibus ac commentis absolvantur, alia morbi insolentis fuerint effectus, & cum aliis ejusmodi circumstantiis conjuncta, quæ nihil divini secum ferunt. Lege talia apud Interpretes Diogen. Laërtii & nominatim *Menagium* p. 132. *Fabricium* Cod. Apocryph. N. T. p. 69. *Rhodiginum* Lect. Antiqu. VII. 45. XXIV. 21. *Biscioiam* in Horis Subciliv. p. 263. *Cyriac. Lentulum* in lib. de mediis prodigiosis, *Fortunium Licetum*, *Jo. Henr. Rumpelium* in Disp. de inedia diuturna, Lipsi. 1674. *Marcell. Donatum* in Historia Medici mirabil. IV. 12. & *Hackevillum* de Providentia p. 439. sq. Confer Nova Reipubl. Literar. Bælii an. 1685. p. 179. Acta Erudit. 1688. p. 330. sq. & Biblioth. Universal. Clerici Tom. III. p. 229. De femina, per fraudem inediam simulante, sed doli convicta, lege *Car. Stengelii* Commentar. Rerum Augustanarum Part. II. c. 63. Confer interim *Jo. Henr. Ursini* Analecta II. p. 155. sqq. ubi disquirit, an homo sine ullo cibo vitam aliquandiu degere possit? Ad jejunium hoc Christi speciatim illustrandum lege *Jo. Jac. Klugii* & *Sebast. Niemanni* Dissertatt. *Witteb.* 1676. & *Jen.* 1670. habitas, item *J. D. Majoris* Exercitatt. III. p. 9. & *Voglerum* de rebus Natural. p. 251.

Vers. 2. Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ) Ergo de eo dubitavit Satanas. Vide quæ scripsimus ad limen hujus capitis.

εἰπὲ) i. e. *jube*. Hunc significatum ab Hebraismi suspicione liberarunt ex variis profanorum Scriptorum locis *Pfochenius* §. 79. *Gatackerus* p. 226. & *Elsnerus* p. 147. Itaque nec ad Hebr. aut Arab. L. provocare necesse est cum *Fesselio* Adversf. Sacr. Tom. II. p. 66.

λίθοι οὗτοι) i. e. unus istorum lapidum. V. *Gatackerum* in Cinno p. 333.

Vers.

Vers. 4. Οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζήσεται ἄνθρωπος) Locum hunc cum Deuter. VIII. 3. confert *Altingius* Tom. II. Opp. ubi de Vaticiniis V. T. in Novo citatis p. 17. & *Surenhusius* in libro Καταλλαγῆς p. 208.

De phrasi ipsa tanquam proverbiali differit *Schottus* Adagial. N. T. p. 3. *Pezronius* in Antiquitate temporum restituta p. 157. textum Hebræum corruptelam passum censet, quem rectiora docet *Gebhardi* in Vindiciis textus Hebr. p. 154. Ceterum per ἄρτον hic quodcunque cibi genus intelligi, docent veteres apud *Suicerum* Tom. I. p. 518.

ἐπὶ πάντι ῥήματι) τὸ ῥῆμα hic sumi pro *re*, probare conatur *Beausobrius* ex Luc. I. hoc sensu: *homo vivit ex eo, quod Deus præcipit & vult.* Atque ita fere *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. qui ita παραφράζει: *homo potest vivere ex omni eo, quod Deus ipsum edere jubet.* Consentit *le Cene* in Projet p. 726.

Vers. 5. Τότε παραλαμβάνει αὐτὸν ὁ διάβολος) Hæc plerosque Interpretes de Satana, Christum per aërem rapiente, intellexisse, mirum est. Græcum verbum nihil certe aliud infert, quam alterum sibi comitem adjungere, & secum alio abducere. Id tot locis Scriptorum evicerunt *Olearius* l. c. *Elsnerus* p. 17. & *Harkenrothius* in Bibl. Bremens. Class. VI. p. 972. & 993. ut nullo amplius opus sit. Conf. *Matth.* XVII. 1. Atque *Olearius* quidem Satanas videtur hic humana forma, viisque & persuasionibus humanis, ut melius fraudem tegeret, usus. Imo eodem judice non continua serie hæ tentationes productæ sunt, sed potius per intervalla, ut scilicet Satanas Christum, in deserto vagantem, in viam primum reduxerit, & Hierosolymam cum eo perrexerit, ibique in templo relictum, ac paulo post repertum, denuo sit adortus. Sed hanc posteriorem conjecturam, vereor, ut multis probarit Vir doctus, cum Matthæus ista omnia, tanquam una serie acta, per vocem τότε v. 5. satis indicet, quemadmodum & in eodem commate assumtio Christi in societatem cum deductione ad pinnaculum arctissime conjungitur. Et quamvis alibi in historia Evangelica τὸ τότε non semper inferat arctissimum temporis nexum, tamen hoc loco talem innui ex v. 10. mihi quidem manifestissimum videtur, ubi particula τότε de responsione Christi, Satanæ ἀμέσως data, usurpatur. Conf. v. 11. cujus vim non videtur mihi fregisse B. Olearius p. 131. Omitto rationes quasdam Chronologicas idem suadentes, quas subindicat Cl. *Hasæus* in Biblioth. Bremensi Class. VI. p. 1002.

εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν) i. e. *Hierosolyma*, quam urbem *Josephus* IV. 8. Antiquitt. ἱερὰν πόλιν, *Philo* autem de Special. legibus p. 785. ἱεράπολιν appellat. Vide *Jos. Arndii* Miscellanea p. 67. & *Elsnerum* p. 17. qui ostendit præterea, Græcos eas urbes sacrarum nomine appellare consuevisse, quæ vel a diis conditæ credebantur, vel singulari modo eorum cultui vacabant. De eadem hac urbis Jerusalem appellatione lege *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 1446.

καὶ ἵστησιν αὐτὸν) & *conſtituit eum*: quæ verba non tam phyſice, quam moraliter de occaſione ſcilicet ibi conſiſtendi data, accipienda eſſe, oſtendit Olearius l. c. p. 109. Ita Judas *Gen.* XLIII. 9. Patri de Benjamine pollicetur: στήσω αὐτὸν ἐναντίον σοῦ i. e. *faciam, ut is ſe tibi ſiſtat.*

ἐπὶ τὸ πλερύγιον τοῦ ἱεροῦ) πλερὰ ædis, quæ & πλέρυγες *Heſychio* appellantur, aut πλερύγια (nam hæ voces promiſcue uſurpantur) ſunt vel muri vel porticus, ædem ambientes: ejusmodi porticibus circumſeptam fuiſſe ædem ſacram conſtat, quales & *Joſephus* VI. 14. de Bello Judaico & Antiquitt. lib. VIII. deſcripſit. Illæ vero porticus ingentibus lapidum molibus erant ſuperſtructæ, quas ex profundiſſimis vallibus, ut planitiem in vertice montis, tanto operi nimis alias anguſtam, æquarent, eduxerat Salomon. Hæc fuſius ediſſerit *Olearius* p. 111. ſq. & poſt eum *Deylingius* l. c. ante vero utrumque *Joſ. Arndius* in Miſcellan. Sacr. p. 125. ſq. quamvis ipſe hanc ſententiam non amplectatur. Ὁμόψηφος illis videtur *Adrian. Relandus* in Antiquitatt. Hebr. p. 81. ubi, πλερύγιον hoc, ſcribit, quærendum eſſe in porticu duplici, monti templi contigua. Stupendam enim, addit, fuiſſe profunditatem vallis, huic monti adſitæ, ut, qui deſuper in eam deſpiceret, ejus oculi, teſte Joſepho, caligarent. Accedit his *Theod. Haſæus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 993. porticum hic intelligens, quæ in Auſtrali parte templi ita eminuerit, ut *Joſephus* ipſi XV. 14. Antiquitatt. παμμέγεθες ὕψος tribuat & ἀμέτρητον βυθὸν vallis ei ſubjectum fuiſſe teſtetur. Atque id quidem malim, quam cum aliis de pinnis cogitare, in quibus Servator conſtiterit: quos pictores nonnulli ſequuntur, a *Philip. Rohr* in Pictore errante caſtigati, Tom. II. Theſauri Diſputt. p. 867. De ſepto hic cogitant alii, quo templi tectum utrinque devexum munitum fuerit. Id Hebræi appellant גדר סביב לגג Latine *loricam* dixeris, quali templum cinctum fuiſſe teſtatur Cod. *Middoth* IV. 6. Confer poſt *Arndium* l. c. *Hardtium* in Ephemeridibus Philolog. loco mox appellando. Huc reſpexiſſe puto nuper *Beauſobrium* in notis ad N. T. qui de *periſtylio* alto accipit, de quo Joſephus X. 14. Antiquitatum. *Arndius* modo laudatus p. 128. ex voce πλερύγιον conficit, rem indicari minimæ quantitatis, atque eam credit eſſe *laminam ferream*, cubitum altam, & loricæ impoſitam, quam Hebræi appellent כלה עורב de qua Joſephus. Nova prorſus eſt & a ceteris remota *Herm. Hardtii* ſententia, in Ephemeridibus Philolog. Differt. I. tradita, quo judice intelligendum hic eſt conclave *Gaſith*, in quo fuerit magni Synedrii conſeſſus, ita omnino comparatum, ut ad modum magnæ baſilicæ ſurrexerit, & eminuerit, alæ nomine ideo rite appellandum. Nolo hic repetere, quæ Viri docti modo laudati, & inprimis *Calvoerius* ſententiæ, non niſi ingenio ſe commendanti, & περικειμένοις, in contextu exſtantibus, prorſus adverſæ, diligenter & erudite oppoſuerunt. Id addere hoc loco fas ſit, *Hegeſippum* apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. II. 23. de Jacobo Apoſtolo, Martyre, verba facientem, eadem phraſi, in qua huc dum verſati ſumus, uti: ἔστησαν οὖν οἱ προειρημένοι γραμματεῖς καὶ Φαρι-

Φαρισαῖοι, τὸν Ἰάκωβον ἐπὶ τὸ πλερύγιον τῦ ἱερῦ. De quo loco lege *Nic. Serarium* in libello, quem inſcripſit *Rabbini* lib. II. Scrupulo III. & *Olearium* p. 117.

Verſ. 6. Βάλε σεαυτὸν κάτω) *Hardtius* ex hypotheſi ſua ita phraſin interpretatur, ac ſi Chriſtus juberetur, ſe per ſcalas Synedrii quam ocyſſime propripere, ni deturbari velit. Quæ interpretatio, B. *Ittigio* judice, in Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 355. talis eſt, ut Vir doctus ludere potius, quam ſerio rem agere voluiſſe videatur. *Jo. Clerico* in Bibl. Vet. & Nov. Tom. II. Part. II. p. 356. merito mirum videtur, ita quemquam ſtatuere potuiſſe.

γέγραπλαι γὰρ, ὅτι τοῖς ἀγγέλοις &c.) Verba Matthæi cum Pſ. XCI. 11. unde petita ſunt, comparant *Altingius* Tom. II. Opp. p. 17. in Parallelismo Vaticiniorum & *Surenhuſius* in libro Καταλλαγῆς p. 210. qui id quidem novum & ſingulare habet, quod negat, Satanam hic, ceu hactenus ab Interpretibus creditum eſt, per dolum oraculum Davidicum mutilaſſe, cum potius locum quidem integrum adduxerit, ſed ſenſum perverterit. Atque hujus ſententiæ has habet rationes, quod Diabolus alias ejusmodi quid nunquam in Scripturam S. tentarit, JEſus quoque hanc temeritatem, ſi quidem ſuſcepta ab eo fuiſſet, caſtigaturus fuiſſet, ac denique, ſi factum hoc admittatur, ſimilis animadverſio in Scriptores Novi Fœderis, quippe qui non ſemper loca V. T. integre afferre ſoleant, cadere deberet. Sed merito hic Viro docto regeritur, tutius eſſe & probabilius, credere, Satanam ea ratione, qua S. Matthæus uſus eſt, textum Davidicum allegaſſe, atque adeo mutilaſſe, cum & Lucas in loco huic parallelo eadem ratione recenſeat. Habuiſſe eum quoque gravem omiſſionis rationem, quia verba Pſalmi, quæ cuſtodiam divinam *omnibus piorum viis* promittunt, reſponſionem ſecum ferebant a Chriſto facile amplectendam. Præterea pauca exſtant in Sacris literis exempla verborum ſacrorum, a Satana allegatorum; ubi vero dantur, ſimilis corruptela occurrit, v. c. Geneſ. III. 1. coll. cum II. 16. 17. Nec neceſſe erat, ut Chriſtus hic temeritatem Satanæ diſerte caſtigaret, cum res ipſa brevius confici poſſet, ne dicam, in ipſa Chriſti reſponſione illius diminutionis indicium exſtare. Denique exemplum Scriptorum Sacrorum Satanæ crimen tueri aut excuſare minime omnium poſſunt, niſi probetur, quod Vir doctus nunquam fieri poſſe ſponte largietur, exſtare tales in N. Teſt. allegationes, in quibus verba, ad ſcopum inprimis facientia, omiſſa ſint, eo conſilio, ut errandi inde occaſio naſcatur.

ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε) Simili fere phraſi ἐν ταῖς ἀγκάλαις περιφέρειν dixit *Xenophon* Cyropæd. lib. 7. p. 154. Conf. *Raphelii* notas ex eo p. 14.

Verſ. 7. Οὐκ ἐκπειράσεις Κύριον) Vid. Deuter. VI. 16. ubi cum in Hebr. legatur: *non tentabitis Dominum Deum veſtrum*, de corruptela, textui authentico illata, cogitare potuit *Pezronius* in Antiquitate Temp. p. 157. ſed vide *Gebhardi*

hardi Vindicias p. 155. qui oſtendit, τὸς LXX. quos hic ſequitur Matthæus, ſingularem numerum pro plurali adhibuiſſe, cum & textus Hebræus ipſe in eodem capite, nunc plurium, nunc ſingulari numero utatur. Conf. de his verbis *Schottum* in Adagial. N. T. p. 3.

Verſ. 8. Πάλιν παραλαμβάνει αὐτὸν) Hanc tentationem a reliquis aliquo temporis intervallo ſejunctam fuiſſe, ex eo conficit *Toinardus* in notis ad Harmoniam Evangeliſtarum p. 14. quod *Lucas* IV. 13. ubi tertiam tentationem recenſuiſſet, addat, Diabolum a Chriſto deſtitiſſe ἄχρι καιρῦ *ad tempus*. Enim vero Lucas ipſe phraſi, καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν, h. e. *poſtquam omni tentationis genere perfunctus eſſet*, ſatis indicat, eo tempore a Satana omnia in Chriſtum tentata eſſe, quæ aſſumta viſibili forma tentare inſtituerat. Quod vero, de Satana, Chriſtum ad tempus miſſum faciente, urget, nihil aliud efficit, quam, ut cogitemus, Satanam alias, quocunque demum modo, Chriſtum adortum eſſe, quod ſane, ſi non ante, certe ſub tempus perpeſſionis ſalutaris, factum eſſe novimus. Et quomodo denique hæc tentatio alio tempore Chriſto oblata credi poterit, quam Lucas ipſe, in eadem narrationis ſerie, cum ceteris, quamvis diverſo ordine a Matthæo, deſcribit? De mutato vero ordine illo lege, ſi placet, *Montacutium* in Origg. Eccleſiaſt. Tom. I. p. 6. ſq. Confer, quæ ſcribentur ad Luc. IV. 9.

εἰς ὄρος ὑψηλὸν λίαν) Quis ille mons fuerit, diſputant eruditi. Diverſas illorum ſententias numeratas vide a *Theodor. Haſæo* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 991. ſq. qui recte affirmat, nihil certi hic definiri poſſe, cum tota Judæa fuerit ὀρεινὴ & montibus cincta, Pſ. CXXV. 2. Conjecturis itaque agendum eſt. Atque tales protulit in medium *Iſebrandus Eilhardus Harckenrothius* ſingulari Diſſert. l. c. exſtante p. 969. ſq. qui ſuſpicatur, fuiſſe montem *Thabor*, quia non procul abfuerit a finibus Galilææ, quo Chriſtus tentatus reverſus eſt, nec ita procul eremo juxta Jordanem fluvium, ad cujus utramque ripam ſpatioſus undique campus fuerit; ex eo vero potuerint monſtrari regna mundi, ditiones Judææ, Samariæ, Galilææ, Ithurææ, Trachonitidis & Abilenes, iisque confines. At eodem loco Cl. *Haſæus* p. 993. ſq. montem illum indicari cenſet, in quo fuerit templum, ſive eum Sionem, ſive Moriam, quæ Sionis pars erat, dixeris. Sententiæ ſuæ rationes has habet. Contextus Matthæi docet, tres illas tentationes non longo vel locorum vel temporis intervallo a ſe fuiſſe ſejunctas, ſed potius uno eodemque die contigiſſe. Satanam duxiſſe Chriſtum ex eremo in urbem ſanctam, atque hinc in montem templi, duplici impetu feriendum, altero in πτερυγίῳ templi, altero in ὄρει ὑψηλῷ. Atque hoc nomen Sionis monti competere, præ ceteris probat ex *Ezech.* XXVII. 22. 23. XX. 40. & XL. 2. quibus in locis hic veniat intelligendus. Ejusdem vertex & aptus ipſi fuiſſe videtur ad circumferendum longe lateque oculos, cum urbs ipſa edita ad-

admodum fuerit. Sunt præterea cauſæ, cur urbs ſancta & mons ejus conflictui cum Satana deſtinaretur: v. c. ut Chriſtus ſe Dominum Satanæ oſtenderet eo in loco, ad quem ut Dominus venturus exſpectabatur: ut ibi faceret certaminis initium, ubi eidem aliquando finem impoſiturus erat &c. in re incertiſſima id mihi quidem exploratum videtur, de *Tabore* aut *Libano*, aliisve montibus bidui, tridui, pluriumve dierum ſpatio ab Hieroſolymis remotis, cogitari hic non poſſe, cum, quæ ſupra diſputata ſunt, credere jubeant, tentationes has ſe invicem una ſerie excepiſſe, atque eodem proinde die ad finem fuiſſe perductas. Id quod hinc quoque mihi fit probabile, quod Matthæus teſtetur, quadrageſimale jejunium ἀμέσως conjunctum fuiſſe cum miniſterio Angelorum, adeoque & victu Servatori (vide ad v. 11.) ſuppeditato. Hoc vero miniſterium ipſi eveniſſe dicitur, cum Satanas abiiſſet. Itaque non potuit tentatio Satanica conjuncta eſſe cum mora aliquot dierum. Hoc tamen ſententiæ poſteriori opponi poſſe videtur, quod veri fiat ſimile, ſi mons templi hic ab Evangeliſtis indicatus fuiſſet, eosdem illum, addito certo quodam indicio, diſtinctius expoſituros fuiſſe, quemadmodum & urbem ipſam ſanctam & πτερύγιον templi latere nos noluerunt. Sed video etiam, reſponderi poſſe, nullum usquam montem in hiſtoria Evangelica diſtincto nomine legi commemoratum.

καὶ δείκνυσιν αὐτῷ πάσας τὰς βασιλείας) Mirum eſt, in quam diverſa abierint illi, qui modum oſtenſionis regnorum mundanorum indagandum ſibi ſumſerunt. Alii enim cum *Beckero* ejusque aſſeclis viſione vel ſomnio rem omnem abſolutam fuiſſe contendunt, contra quos præter *Olearium*, & ceteros, lege *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 942. & 952. Alii cum *Grotio* effictas rerum imagines, ſeu εἴδωλα & φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα huc advocant; cum quibus facit ex noſtratibus B. *Wegnerus* in Annotatis ad h. l. Alii cum *Hugone Brougthono* ad inſtrumenta artis Opticæ ſe recipiunt. Alii cum *Origene* allegoriam ſectantes *regnum diaboli*, quod is exercet in mundo, ſomniant. Alii per hyperbolen iſta de Palæſtina tantum aut aliis quibusdam regionibus, quæ eminus e monte ſpectari potuerint, dici arbitrantur. Conf. *le Cene* in Projet p. 320. Huc pertinent ſpeciatim illi, qui regna illa de quatuor principatibus in Judæa ſitis, & ex monte non obſcure demonſtrandis, interpretantur, quos regnorum nomine appellari conſueviſſe oſtendit ex Joſepho *Noldius* in Hiſtoria Idumæa p. 247. Confer *Amelium* Part. II. p. 414. Alii denique verbum δείκνυσι non de demonſtratione phyſica, quæ in oculos incurrat, ſed oratoria potius, & quæ luculenta gloriæ dignitatisque regnorum mundi deſcriptione abſolvatur, accipiendum ſuadent. Inter hos præcipuus eſt *Olearius* l. c. p. 125. ſq. Verbi Græci δεικνύναι hanc notionem interdum eſſe negari non poteſt. Oſtendit id ex *Heſiodi* Opp. & Diebus v. 502. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. qui & *Dan. Heinſium* conferri jubet ad Heſiodi l. c. & *Grævium* in Lectionibus Heſiodeis c. XII. p. 63. qui

Latinos Auctores, nominatim Ciceronem, verbum *ostendere* eodem significatu adhibere probat. Ipse interim *Trillerus*, quem laudavimus, Grotianam sententiam amplectitur, ac præterea *Lucianum* conferri vult in *Contemplantibus* p. 346. B. *Olearius* objicienti, enarrationem ejusmodi etiam in valle vel planitie suscipi potuisse, respondet, non exstare ullum in textu vestigium, ex quo constet, Satanam cum Christo ideo montem ascendisse, ut hac opera defungeretur: sed loci simpliciter notari circumstantiam, qui etiam occasionem prospectu suo ad hoc sermonis genus auspicandum suppeditarit. Enim vero contextus narrationis non obscure mihi indicare videtur, Satanam eo animo montem petiisse, ut mundanorum regnorum præstantiam digito quasi monstrare posset. Ita enim in deserta solitudine Christum primum adortus est, ut inediam ipsi exprobrare posset: in locum editum & periculi plenum abduxit, ut præcipitem dare se juberet: cur non itaque eo animo montem ascendisse dicatur, ut, quia circumjectæ regiones ibi oculis rectius patent, occasionem daret illas & oculis & animo contemplandi. Itaque existimaverim, de tota hac re, & Evangelistæ phrasi, ita judicandum esse, quod Satanas Christo revera vicinas urbes & regiones, Herodis v. c. eminus lustrandas exhibuerit, eadem vero opera majestatem imperiorum, tum Herodis, tum aliorum, verbis delinearit. Ita *Clericus*, mutata priori, quam ad Hammondum in prima editione dederat, sententia, in posteriori Francofurtensi & in Notis ad Vers. Gall gloriam regnorum de *amplissimo terrarum tractu* accipi vult, idque in Bibliotheca Antiqua & Nova Tom. II. Part. II. p. 357. ubi B. *Olearii* animadversionem in se recitat, diligenter repetit, ac Beckeriana somnia recte averšatur. Atque in has partes concedit quoque *Jo. Dan. Major*, qui præ ceteris in hoc argumento enarrando diligenter versatus est in *Medico Scrutinio Satanicæ Cosmodixeos*, Kilon. 1686. cujus summam ipsius Auctoris verbis ex §. 76. huc transferemus: *Tentare*, inquit is, *Christum volens diabolus, in monte Judææ, nescio quo, ipsumque Filium Dei esse suspicans, sed non certo sciens, associavit eidem se, habitu assumto hypocritæ, illi indicavit regna mundi, non picta in tabulis (nam sufficientes nullæ tum aderant) nec speciose adumbrata in aere (id enim in ipsius viribus non erat) nec exhibita per glaucoma (id enim ad cœcitatem propior, quam visionem distinctam gradus est) nec per raptum aliquem momentaneum & circumgyrationem (nam diabolo nullum adhuc ante fatalem Dominicæ Passionis horam erat in corpus Christi ullo modo quicquam agendi arbitrium) nec per procuratam Visionem internam, aut ecstasin (ob rationem eandem) nec mystice aut allegorice (nam totus historiæ complexus interpretamentum allegoricum non admittit) sed vere exstantia, in proprio quæque loco & partim circa montem emetienda oculis, quousque mensura horizontis sensibilis id permittebat; partim ratiocinio supplenda juxta ductum Satanicæ Cosmodixeos.*

Vers. 9. ταῦτα πάντα σοὶ δώσω) Cacodæmonum hoc esse, ut divitias & gloriam homines sperare jubeant, ex *Porphyrio* & aliis ostendit *Elsnerus* ad h. l.

ad h. l. p. 18. De bonis mundi fluxis & transitoriis ad h. l. differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι) *Heliodorus* utitur phrasi simili μεσὼν προσεκύνησε p. 154. & 462. Subintelligi vero hic debet εἰς τὰ γόνατα, vel ἐπὶ τὴν γῆν ex usu veterum, & 1. Cor. XIV. 25. Vide huc *Elsnerum*.

Vers. 10. ὕπαγε Σατανᾶ) Nonnulli Codices addunt hic verba ὀπίσω μου, quæ & apud Patres nonnullos, & in editionibus quibusdam legas. Sed rectius abesse recte judicant *Olearius* l. c. p. 130. & *Pfaffius* in Dissert. de Var. Lect. N. T. p. 182.

Κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις) Vide *Deut.* VI. 13. cum quo Matthæi verba comparant *Altingius* Tom. II. Opp. p. 17. in Parallelismo Vaticiniorum & *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 212.

καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις) Vox μόνῳ non legitur in textu Hebræo, sed apud LXX. Interpretes. Atque hos secutum esse Matthæi Interpretem, statuit *Colomesius* in Obss. Sacris p. 52. eademque opera castigat *Gatackerum* ad Antoninum p. 48. a Christo ipso supplementum hoc repetentem. Quod de Matthæi Interprete habet *Colomesius* innititur opinioni de Evangelio hoc primum Hebraice scripto, quam alibi rejecimus, & plerique recte improbant. Unde vero constitit eidem, Christum in responsione sua ad Satanam eadem particula non esse usum? Id quidem, ut nos credamus, tum consensus *Matthæi* & *Lucæ*, eadem ratione verba Christi afferentium, tum scopus Christi disputantis efficit, quem posteriorem particulæ hujus supplementum apprime requirere ostendit *Surenhusius* l. c. Confer *Keuchenium* ad h. l. *Hackspanium* in Notis p. 23. sq. & *le Cene* in Projet p. 17. & 82. qui inter cetera observat, ipsius Diaboli sophisticationem eo profectam non fuisse, ut additamentum hoc fugillaret, quod hodie nonnulli inter Christianos vocem quandam, ubi necesse est, supplentes, facere consueverint. Ceterum particulam hanc etiam a profanis Scriptoribus omitti interdum solere, ubi tamen sensus eam requirat & subintelligi jubeat, ostendit *Gatackerus* l. c. ubi & similem habet *Xenophontis* locum ex lib. III. de expedit. huc pertinentem: οὐδένα γὰρ ἄνθρωπον δεσπότην, ἀλλὰ τοὺς θεοὺς προσκυνεῖτε. Invocationem Sanctorum ex h. l. recte destruit *Mich. Müllerus* in Exercitatt. Theolog. binis, Tubing. 1682. 4. De verbo λατρεύειν lege *Suicer.* Tom. II. p. 218 de προσκυνεῖν ibid. p. 858. De utroque confer *Petavium* Tom. VI. Dogmatum Theologic. p. 287. sq. in eo τῇ ὑποθέσει δουλεύοντα, quod προσκύνησιν Sanctis eorumque reliquiis & imaginibus præstari posse contendit, sicut λατρεία soli Deo competat. Conferatur idem p. 299.

Vers. 11. Τότε ἀφίησιν) tunc *relinquit*, pro quo Vulg. habet: *reliquit*; vitio librarii, quod judicat *Boisius* in Collat. ad h. l.

διηκόνουν αὐτῷ) i. e. *ministrarunt victum*, quod recte annotat ad h. l.

Beauſobrius, provocans ad Matth. VIII. 15. & XXV. 44. Confer, quæ paulo ante ad comma 8. monuimus.

Verſ. 12. Ἀκούσας δὲ ὁ Ἰησοῦς) Vox Ἰησοῦς in paucis quibusdam Codd. & verſionibus deſideratur, ideoque pro inſititia habetur *Millio*, inprimis quod initium novæ Lectionis occaſionem additamento huic dediſſe videatur. Sed hiulca omnino videretur narratio, ſi JEſu nomen deeſſet, præſertim cum rei novæ narratio inſtituatur. Itaque omnino retinendum eſt. Confer *Whitby* p. 37. Examinis.

ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη) Vide huc *Salom. van Til* Diſput. de Johannis Baptiſtæ Incarceratione fictitia Herodiana vincula antecedente, Lugd. Batav. 1710. 4. ubi confutat *Lamium*, in Harmonia Evangelica affirmantem, Johannem ante vincula Herodiana juſſu Synedrii carceri datum fuiſſe. Addantur ejusdem diſſertationes duæ de tempore Incarcerationis Johannis Bapt. ex Herodis Antipæ itinere Italico eruendo: item alia de ejusdem Incarceratione unica, miniſterio ejus finem imponente. De ipſa hac re alias dicemus. Non innui hic carcerem, ſed animadverſionem & pœnam, ſubito & forte flagris irrogatam, ſtatuit *Harduinus* in Operibus Selectis p. 397. provocans ad phraſin Matth. X. 17. Alii, & quidem plerique, per προλῆψιν carcerem hic memorari exiſtimant, de quo Matthæus noſter cap. XIV. exponit, monentque præterea, inter tentationem Chriſti & carcerem Johannis interceſſiſſe ea, quæ Johannes tribus primis capitibus recenſet, diſſerte ſimul narrans, JEſum ante Johannem, carceri mancipatum, in Galilæam profectum eſſe, atque dehinc in Judæam rediiſſe, hanc vero poſt Johannem carcere detentum iterum repetiiſſe.

Ἀνεχώρησεν) *ſeceſſit* vel *rediit*: Boiſius in Collat. p. 6.

Verſ. 13. Quæ de urbe *Nazareth*, *Capernaum*, & finibus *Zabulon & Naphthalim* dici hic poterant, de induſtria omittuntur. Potiora dabit *Relandus* in Palæſtina Sacra.

Verſ. 15. 16. Γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλεὶμ &c.) Hunc Jeſaiæ locum huc prorſus non pertinere, calumniatur Auctor τῦ *Chiſſuk Emuna*, quem fuſe & diligenter repulit *Guſſetus* in Confutatione libri p. 369. ſq. Adde *Vitringam* in Commentario ad iſtum Jeſaiæ locum. Idem quoque ut & *Surenhuſius* in libro Καταλλαγῆς p. 216. ſq. *Cappellus* item in Opp. Poſthumis p. 500. & ante hos *Altingius* Tom. II. Opp. in Parallelismo Vaticiniorum p. 18. & *Lightfootus* Opp. poſthum. p. 132. verba Matthæi cum textu Hebræo diligenter contulerunt. Eadem opera defunctus quoque eſt B. *Olearius* in Obſſ. Sacris p. 132. ſqq. Illius ſententia huc redit. Matthæus τὸς LXX. hic ſecutus eſt, non verba Prophetæ, ſed ſenſum tamen, qui ipſis mos eſt, certiſſime reddentes. Ita vero verba reddi vult: *Non erit conſternatio ei, qui in anguſtiis nunc eſt, ſicuti hiſce prioribus temporibus. Levabitur malis ſuis terra Zabulon, & terra Naphthali: & glorificabitur, quæ in extremo poſita eſt tellus: tractus maritimus, littora*

littora Jordanis, Galilæa gentium, populus in tenebris ambulans, lumen magnum vident, ſedentibus in terra, umbra mortis horrida, lux affulget.

Ὁδὸν θαλάσσης) Non intelligendum hic eſſe *mare mediterraneum*, ſed *lacum Tiberiadis* ſive *mare Galilææ*, oſtendit *Vitringa* Commentar. in Jeſaiam Tom. I. p. 234. primum, quia hoc mare eſt in terra Zabulon & Naphthali, ibi quidem ad auſtralem, hic vero ad ſeptentrionalem partem: deinde, quia eventus hanc interpretationem confirmat, cum Evangeliſtæ doceant, propter hoc mare Dominum ut plurimum eſſe verſatum, cujus proinde frequens in hiſtoria Evangelica mentio eſt; quemadmodum & tractus Galilææ ut amœniſſimus, ſic frequentiſſime cultus habitatusque eſt.

πέραν τοῦ Ἰορδάνου) Idem eſt, quod παρὰ τὸν Ἰορδάνην, *ad Jordanem*, per Hebraismum, de quo lege *Vorſtii* Philol. Sacr. Part. I. p. 184. Confer in eandem ſententiam *Vitringam* l. c. p. 234.

Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν) Intelligit hic *Keuchenius* in Notis p. 24. ſq. terminum gentium, & ejusmodi terras, quæ in confinio multarum gentium ſitæ fuerint. Argumentum petit ex Hebræo textu, ubi legitur גליל הגוים i. e. ut interpretatur, *confinium gentium*. Sed rectius in communi verſione acquieſcimus. Veteres enim duplicem faciunt Galilæam, quarum alteram Γαλιλαίαν ἐθνῶν vocant, vicinam Tyriorum finibus, alteram in Judæa collocant, circa Tiberiadem & ſtagnum Geneſareth. Vide Euſebii & Hieronymi loca apud *Adrian. Relandum* in Palæſtina Sac. p. 183. ſq. qui p. 184. ita: *An vero Galilæa univerſa dicatur Galilæa gentium* Γαλιλαία ἀλλοφύλων 1 *Macc. V. 15. a gentibus vicinis, an pars ejus, ambigitur. Mihi quidem prior ſententia magis arridet.* Confer interim de hac appellatione *Druſii* Parallela ad h. l. & *Jo. Chriſtoph. Wichmannshauſenii* Diſſertat. ſingularem de Galilæa, Witteb. 1711. item *Scaligerana* p. 163. & *Vitringam* ad Jeſaiam T. I. p. 235. Galilæam rebus geſtis & miraculis Chriſti claram ex h. l. demonſtravit Rev. *Jo. Franciſcus Buddeus* ſingulari Diſſertat. Jen. 1718. 4.

Verſ. 16. Τοῖς καθημένοις - αὐτοῖς) Hoc pleonasmo ὁι LXX. ſæpe utuntur. Occurrit vero talis & apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. I. p. 10. Conf. Raphelii notas p. 14. In voce καθημένοις i. e. *habitantibus*, Hebraismum recte obſervat *Vorſtius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 136.

σκιᾷ θανάτου) Hebræi dicunt צלמות v. Jobi XXXVIII. 17. Adde *Grotium* ad Jer. VI. 6. *Homerus* Odyſſ. IV. 180. θανάτοιο μέλαν νέφος, *Ovidius* vero Metam. V. 191. *mortis umbras* dixit. Conf. *Virgil.* Æn. VI. 268. ſq. & alios a Cl. *Trillero* in Notis MSS. ad h. l. allatos.

φῶς ἀνέτειλεν αὐτοῖς) Simili phraſi auctores utuntur, ubi de Regum, Principum aut magnorum Virorum adventu ſermo eſt. Vide *Elsnerum* p. 20.

Verſ. 17. Ἤρξατο) ſcilicet in Galilæa. Nam in Judæa jam ante prædicaverat: v. *Joh.* IV. 3. Ex h. l. ſummam concionum Chriſti tradit *Jo.*

Guil. Baierus differt. singulari, Jen. 1683. 4. Alia vero *de annis Ministerii Christi* commentatur *Isaacus Laurbechius, Altorf.* 1700.

Vers. 18. Περιπατῶν δὲ ὁ Ἰησοῦς) Videtur hic pugna intercedere inter Matthæum Marcumque & ceteros Evangelistas, secum invicem comparatos. Vide hic diligenter disputantem *Spanhemium* in Dubiis Evangel. Part. III. n. 72. sq. Pertinet huc *Isaaci Casauboni* observatio in Exercitationibus Anti-Baronianis p. 224. suppeditata, in vocatione scilicet Petri & Andreæ duos veluti gradus posse observari, præparationem, quam nonnulli appellant vocationem ad fidem, & ipsam vocationem, qua facti sunt primo Christi comites ac discipuli, deinde ejusdem Apostoli. Apud Johannem Andreas, a præcursore Domini impulsus, venit ad Christum: a quo benigne acceptus mox fratrem Simonem ad illum ducit. Simonem Dominus pari benignitate accipit; & hoc amplius novum quasi nomen imponit; vel, sicut magna pars Interpretum existimat, prædicit imponendum. Sed tum nondum vocantur Petrus & Andreas. Quod igitur ait Matthæus, JEsum ad mare Galilææ ambulantem vidisse Simonem, *qui dicebatur Petrus*, sic videtur accipiendum, ut si diceret Evangelista: cui jam ante sibi viso Christus nomen Petri imposuerat, vel prædixerat imponendum. Ita *Casaubonus*, ubi vide plura. Ceterum *Whistonus* in Harmonia Evangelica p. 126. sq. putat, vocationem quatuor Apostolorum, hic memoratam, diversam esse ab ea, de qua exponat Marcus.

παρὰ τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας) Indicatur hic lacus Tiberiadis, qui mare Galilææ hic vocatur ideo, quod eam alluit ab ortu. Vide omnino *Relandi* Palæstin. p. 259.

Σίμωνα) Σίμων & Συμεὼν promiscue scribitur: vide 2. Pet. I. 1. nam τὸ υ & ι apud Græcos sæpe permutantur. Lege *Wetsteinii* Orationes de Pronunciat. Græc. Linguæ p. 167.

τὸν λεγόμενον Πέτρον) Calumnias libelli virulentissimi *Toldos Jeschu* ab Huldrico editi p. 35. de origine nominis *Petri*, Simoni impositi, repulsas vide in notis p. 39. Confer *Nizzachon* Wagenseilii p. 240. Plura, quæ ad nomen Petri &c. pertinent, leges, si placet, apud *Ittig.* in Histor. Eccles. Sec. I. p. 438. sq. De Petro primum vocato vide Cotelerium ad Constitut. Apostol. p. 605. ubi vocatur ἀπαρχὴ τῶ Κυρίῳ ἡμῶν. Confer *Blondelli* Pseudo-Isidorum p. 45. sq. & *Salmasium* in Apparatu de Primatu Papæ p. 13. sq.

Ἀνδρέαν) Varios, qui de Andrea Apostolo commentati sunt, laudatos vide a Cl. *Fabricio* ad Codicem Apocryphum N. T. Part. II. p. 757. sqq. Adde iis *Jo. Floriani Hammerschmidii* Crucigerum Apostolicum i. e. de vita, morte, martyrio, miraculis, encomiis &c. S. Andreæ, *Prag.* 1699. 4. De Actis ejus, quæ circumferuntur, legatur idem *Fabricius* p. 747. sq. De passione, quam epistola Presbyterorum Achajæ, idem p. 745. Nec omitte singularem de Apostolo hoc dissertationem *Mart. Hanckii*, ut & B. *Ittigii* Hist. Eccles. Sec. I. p. 452.

βάλλοντας ἀμφίβληστρον) Tribui, quæ allueretur, fas erat piſcari retibus & hamis, reliquis vero tantum hamis. Vide *Seldenum* de Jur. Nat. & Gent. p. 705. De modo in hoc lacu piſcandi, a Doctoribus conſtituto, lege *Bava Kamma* fol. 80. b. conf. *Reland.* l. c. p. 260. Vocem ἀμφίβληστρον exponit *J. C. Dietericus* in Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 90.

Verſ. 19. δεῦτε ὀπίσω μου) Τὸ δεῦτε hic non intelligendum eſt de diſcipulatu, ſed de ſodalitio perpetuo. Lege *Cocceji* Opp. Poſthuma Tom. II. p. 458.

ἁλιεῖς ἀνθρώπων) Frigidum Sarcasmum auctoris *Chiſſuk Emuna*, in hæc verba effuſum, pro merito excipit *Guſſetus* in Confutatione illius libri p. 373. Quomodo Apoſtoli ita appellentur, oſtendit ex Patribus *Suicerus* in Theſauro Eccleſ. Tom. I. p. 191.

Verſ. 21. Ἰάκωβον τὸν τοῦ Ζεβεδαίου) Hic alias vocatur *Jacobus major*, ut diſtinguatur a Jacobo minore, fratre JEſu, de quo *Marc.* XV. 40. De priore vide *Abdiæ* Hiſtor. Apoſtol. lib. IV. de poſteriore lib. VI. Confer & notas Cl. *Fabricii* ad illam Hiſtoriam in Codice Apocrypho N. T. p. 516. ſqq. recuſam, qui & p. 351. de Evangelio commentatur, quod illi falſo tribuitur. Adde B. *Ittigii* Hiſt. Eccl. Sec. I. p. 444. ſq.

καὶ Ἰωάννην τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ) De Johanne hoc lege *Abdiam* lib. V. cum notis Cl. *Fabricii* p. 551. ſq. *Theoph. Raynaudum* de Theophilis & Amadeis in limine, & B. *Thom. Ittigium* in Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 440. ſq. qui plures dabunt.

Verſ. 21. καταρτίζοντας) De navibus inſtructis verbum hoc uſurpat Polybius. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 38.

Verſ. 23. διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν) Nemini hoc integrum fuiſſe, niſi qui poteſtatem a Præſide Synagogæ nactus eſſet, quamvis cuique quæſtiones proponere licuerit, obſervat *Gaulminus* in Biblioth. Critica Rich. Simonii Tom. IV. p. 185.

πᾶσαν νόσον) i. e. omnis generis morbos. Conf. *Clerici* Artem Critic. p. 444. Vide huc *Jo. Dan. Majoris* Exercit. IV. p. 18. de Chriſto Medico ortuque divino Medicinæ: item *Voglerum* de rebus natural. & Medic. p. 259.

Verſ. 24. Ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ) ἀκοὴν de *fama* per Hebraismum ex voce שמועה i. e. *rumor* hic dici, plerique credunt cum *Guſſeto* in Lexico Hebr. rad. שמע, repugnante *Pfochenio*, in Diſſert. de Stylo N. T. §. 44. cui adſtipulatur *Olearius* de Stylo N. T. p. 202. *Vorſtius* Philolog. Sac. Part. I. p. 53. ſq. & *Moſes Solanus* in Diſſert. de eodem argumento §. 42. p. 295. quem viciſſim ſub examen revocat Cl. *Jo. Conr. Schwarzius* in Notis ad Olear. p. 203. ſq. loca veterum ab eo allata id, quod debebant, non efficere oſtendens.

βασάνοις συνεχομένους) βασανίζειν de graviſſimo morbo uſurpatur a LXX. Intt. 2. *Sam.* V. 6. Adde *Keuchenium* ad h. l. De ægrotis hic memoratis præter Voglerum l. c. diſſerit *J. D. Major* Exercitat. V. & VI. p. 27. ſqq. & 32. ſq.

δαιμο-

δαιμονιζομένους) *Castellio* verterat *furiosos*, notatus ideo a Beza, contra quem se tueri conatur in Defensione versionis suæ p. 434. Ad h. l. de Dæmoniacis, in N. T. memoratis, commentatur Rev. *Salom. Deylingius* in Observatt. Sacris Part. II. p. 283. sqq. & contra *Balth. Beckerum*, *Sam. Basnagium* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 635. sq. aliosque, illis ὁμοψήφους, ostendit, eos vere a Satana obsessos, non autem tales tantum fuisse, qui morbis abreptitiis & insolitis laborarent.

σεληνιαζομένους) De *lunaticis* vide huc *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 5. *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 946. & *Huetium* ad Originem in Matthæum p. 54. Eos cum dæmoniacis non confundendos, ostendit *Deyling.* l. c. p. 290. Ab Epilepticis vel parum vel nihil differre statuit *Beausobrius* ad h. l. in argumentum afferens *Matth.* XVII. 15. *Luc.* IX. 39. & *Marc.* IX. 17. Confer ad comma hoc integrum *Bartholinum* de Morbis Biblic. p. 62. sq. & *Guil. Aderum* de ægrotis Evangelic. c. IV. De iisdem alibi se acturum esse, pollicetur Cl. *Trillerus* in notis MSS. ad h. l.

Vers. 25. Καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ &c.) Ad hoc comma lege *Relandi* Palæstin. p. 198. & 203. Priori loco ita de locis hic memoratis differit. In N. T. sæpe legitur πέραν τοῦ Ἰορδάνου, (uti & in Apocryphis semel Judith. I. 8.) quod significat omnem regionem trans Jordanem, non illam solam, quæ Περαία Josepho dicitur. Matth. IV. 25. distinguitur Δεκάπολις a πέραν τοῦ Ἰορδάνου, quamvis plurimæ urbes Decapoleos sitæ essent trans Jordanem, sic ut videatur Decapolis distingui a Peræa proprie dicta, sed & in Peræa proprie dicta erant quædam urbes Decapolis: sic ut nec ab ipsa Peræa distingui possit. Verum uti ibidem legitur καὶ Ἱεροσολύμων καὶ Ἰουδαίας, quamvis Hierosolyma in Judæa fuerit, ita Δεκάπολις memoratur ut pars insignis terræ trans Jordanem (licet nec ipsa metropolis Decapoleos trans Jordanem esset, nimirum *Schytopolis*) & deinde, quod præter eam recensetur, generali nomine πέραν τοῦ Ἰορδάνου continetur. Hactenus *Relandus*. Confer de Decapoli *Montacut.* Origg. II. p. 150. & *Norisii* Epocham Syro-*Macedonum* p. 297. Phrasin πέραν τοῦ Ἰορδάνου regionem omnem ad Jordanem sitam denotare, existimat *Keuchenius* ad h. l. Confer, quæ scripsimus supra ad v. 14.

CAP. V.

AD Capitum V. VI. & VII. illustrationem refertur B. *Sebast. Schmidii* Disputat. habita, *Argentor.* 1684. 4. Eorundem capitum explicatio, a *Simone Episcopio* latine scripta, & in Opp. ejus exstans, *belgice* versa per H. *Verryn* prod. Lugd. B. 1721. 4. Caput V. & VI, allatis variis M. Antonini Philosophi dictis παραλλήλοις, illustrat Cl. Christ. Falsterus in Cogitationibus variis Philolog. Flensburg. 1709. editis, Part. I. c. 7.

Vers.

Vers. 1. εἰς τὸ ὄρος) *in certum quendam montem*, ut Act. XVII. 1. ubi erat ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων, i. e. *certa quædam Synagoga Judæorum.* Confer *Vitringæ* Obsservatt. Sacr. lib. V. p. 20.

Vers. 2. Καὶ ἀνοίξας τὸ στόμα) Sic *Æschylus* similiter fere dixit ἔτεγεν στόμα, *Socrates* λύειν τὸ στόμα, & *Sophocles* στόμα ἐκλύειν. Vide *Elsnerum* p. 20. sq. & *Stolbergii* notas ad Sophoclis Ajacem p. 228. Pro Hebraismo tamen haberi vult *Vorstius* Philolog. S. P. II. p. 234. Morem Spiritus S. esse, hac phrasi uti, quoties magnum aliquid describere vult, ex *Psalm.* LXXIIX. 2. potissimum probat *Josua Arndius* in Miscellan. Sacris cap. XII. p. 41. ubi & hanc phraseos hujus reddit originem, quod Prophetæ muti quasi erant, clausumque os tenebant, donec accederet flatus divinus; vide *Ezech.* II. 13. Idem Diabolus, in vatibus suis imitatus, ab eodem ostenditur. Confer de hac phrasi *Schotti* Adagial. p. 3. *Martianæus* in *Essay* ita verti vult: *tunc incipiens ad eos loqui, hoc modo eos docebat.*

ἐδίδασκεν) *Thomas Linacer* concione hac Christi, cap. V. VI. & VII. comprehensa, perlecta exclamavit: *aut hoc non est verum Evangelium, aut nos non sumus veri Christiani.* Vide B. *Ittigii* Selecta Capita Hist. Eccles. Sect. II. p. 392.

Vers. 3. Μακάριοι) Beatitudines hic memoratas diversimode numerant veteres, ita ut alii *novem*, *octo* alii, alii *septem* tantum recenseant. Vide *Cotelerii* Monumenta Ecclesiæ Græcæ Tom. I. p. 807. sq. Beatitatum hic commemoratarum genera singula persequitur *Jo. Henr. Heideggerus* Tom. II. Dissert. ad Theolog. Dogmatic. p. 1. sqq.

πτωχοὶ τῷ πνεύματι) B. *Lutherus* vertit: die geistlich arm sind, ubi *Zangerus* reponit: die arm sind des Geistes halber. Sed vide B. *Raithii* Vindicias p. 338. Diversas Interpretum opiniones collectas vide a B. *Oleario* ad Matth. p. 146. sqq. & *Theoph. Alethæo* Part. II p. 164. sq. Ante omnia observandum est, Divum Lucam in loco parallelo vocem πνεύματι omittere, quam proinde non admodum urgeri vult *Clericus*, quo judice Christus secundum *Matthæum* homines eos alloquitur, qui, in quacunque sint conditione, spiritus gerant haud nimium tumidos; secundum *Lucam* autem non tam de humilibus agit, quam de iis, quibus res sit tenuis. Mihi quidem *Matthæus*, addita voce πνεύματι, indicasse videtur, quomodo οἱ πτωχοὶ apud Lucam sint intelligendi. Atque hic iterum controversia est, quo vox πνεύματι pertineat, utrum ad μακάριοι, an ad πτωχοί. Posterius amplectuntur plerique omnes. Atque illorum alii simpliciter paupertatem vel facultatum tenuitatem cum *Grotio* indicari statuunt, quia vox πτωχοὶ de animi statu usurpari alias non soleat. Similiter *Rich. Simon* H. Crit. lib. III. de Interpret. N. T. p. 247. accipi vult de *pauperibus vere talibus.* Sed his recte obvertit *Olearius* p. 147. vocem πτωχὸς respondere hic Hebræorum עני, hoc vero apud τὸς LXX. nunc *humilem*, nunc *pauperem* inferre. Alii *animi demissionem* respici

hic putant, qui & iterum in diverſas ſcinduntur partes. Alii enim innui humilitatem exiſtimant eam, quæ ex ſenſu *ſpiritualis paupertatis* oriatur, quo ſenſu iidem ſint, qui alias κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι vocantur. Ita poſt Patres cum *Spanhemio* in Dubiis Evangelicis plerique noſtratium Theologorum, & inter eos *Calovius*. His ſe jungit *Coccejus* Tom. II. Opp. Poſthum. p. 5. qui phraſin confert cum Hebraica דלי רוח qua denotentur homines animo non elato, ſed, qui ſpiritualiter egenos ſe ſentiant. Idem tamen dubitare videtur, an non vox πνεύματι idem hic ſit, quod διὰ πνεύματος, i. e. per Spiritum. Ab his nonnihil abeunt, qui τῷ πνεύματι ad μακάριοι referre malunt hoc ſenſu: *Beati eſtis, o pauperes, ſenſu ſpirituali*, h. e. vos, diſcipuli mei, utut pauperes ſitis, utut nulla felicitatis hujus ſeculi in vobis compareant veſtigia, ſpirituali tamen ſenſu felices dici meremini. Hanc ſententiam adſtruere conatus eſt B. *Olearius* l. c. quem ſequitur *Alethæus* l. c. & Anonymus im Heb-Opfer XIX. Beytrag p. 885. ſqq. Sed, quæ afferuntur, rationes, rem mihi quidem conficere non ſatis videntur. Omittemus id, quod B. *Olearius* Vocativum in οἱ πτωχοὶ pro Nominativo agnoſci vult, quia, quamcunque ſententiam amplectaris, ad hujus cauſæ caput nihil roboris accedere intelliges. Afferri tamen, ni fallor, debebat exemplum, ubi verba tertiæ perſonæ jungantur Vocativis illarum perſonarum, ad quas ſermo dirigitur. At vocem τῷ πνεύματι ad τοὺς μακαρίους ſpectare, evictum eſſe non arbitror. Præſtruitur eo fine, Chriſtum, cum hoc loqueretur, oculis ſuis deſignaſſe diſcipulos, ſeſe in cordis ſimplicitate ſecutos, atque adeo neceſſe non habuiſſe, ut exprimeret amplius, quod genus pauperum hic vellet intelligi. Itaque alio ſpectare hanc vocem credendum eſſe. Certe non temere fecerimus, ſi poſtulatum hoc inficiemur. Non diſcipulos ſolum, ſed & alios ex ſequente turba Chriſtum hic audiviſſe patet ex v. 28. ubi populus doctrina ejus in admirationem dicitur eſſe conjectus, quod fieri non poterat, niſi audiiſſet. Et diſcipuli quidem ſeu μαθηταὶ hic ſpeciatim memorantur, ſive notione generaliori, ut alii etiam auditores, proficere ex ejus diſciplina volentes, comprehendantur, quæ *Hammondi* eſt ſententia; ſive etiam ideo, quod ii JEſu erant proximi, & ad audiendum præ ceteris invitati. Itaque univerſalior ambitus ſermonibus Chriſti hic tribuendus videtur, quod & ex v. 11. & ſequentibus potiſſimum non ſine veri ſpecie elicias. Poſtquam enim v. 10. in genere eos, qui religionis cauſa vexarentur, beatos prædicaverat, in ſpecie, converſa ad Apoſtolos ſuos oratione, quibus hoc inprimis uſu venire debebat, eos in hac fiducia & ſpe confirmare aggreditur. Ab his vero deinceps v. 20. λέγω γὰρ ὑμῖν, oratio iterum deflectitur ad totam audientium turbam. Addit Vir doctus, par fuiſſe oſtendere, quæ felicitas ſit exſpectanda, nempe ſpirituali ſenſu accepta. Sed regeri poteſt, facile ex ipſis phraſibus & tota orationis ſerie intelligi, de qua beatitate hic ſermo ſit. Taceo, ex hac ſententia paupertatem tantam & egeſtatem, qua laborabant diſcipuli, præmii iſtius exſpecta-

ſpectatione leniri, quæ tamen per ſe virtutem non infert. Jam vero in ſequentibus ſemper de ejusmodi rebus ſermo eſt, quæ vel virtutis nomen tuentur, vel eam exſerendi occaſionem per ſe ſuppeditant. Itaque non de paupertate externa, ſed interna animi, ſeu ſpirituali, ſermo eſt. Si vero hoc, neceſſe quoque erat, ut deſcriberetur amplius per τῷ πνεύματι, ne errandi adeſſet occaſio. Ipſa vero vocis μακάριος cum πνεύματι conjunctio admitti poſſe non videtur. Πνεῦμα Vir doctus idem hic eſſe vult, quod *Spiritus*, quatenus opponitur γράμματι ſeu literæ. Et ſuſtinere vocem iſtam hanc notionem ex *Rom.* II. 27. & VI. 6. non infeliciter probat. At eandem hoc loco obtinere, exinde nondum credideris, quia loquendi rationes, iis in locis obviæ, ab hac non parum ſunt diſtinctæ. In qua re amplius non morabimur, cum neminem putem dubitaturum, phraſin πτωχὸς πνεύματι longe magis reſpondere ſcriptis ſacris utriusque fœderis, quam μακάριος πνεύματι. Perſiſtamus itaque potius in communi interpretatione, noviſſime a B. *Weguero* in Annotat. ad h. l. approbata, quæ per πτωχὲς πνεύματι homines *animo demiſſos & humiles* intelligi ſuadet. Ita interpretatur quoque *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 667. ſqq. ubi contra Heinſium diſputat, exiſtimantem, πτωχὸν hic idem eſſe quod πραϋν i. e. *manſuetum*, & ex Græcæ linguæ uſu oſtendit, notari hic *humiles ſpiritu*. Quam in rem confer ſcite contra *Scultetum* differentem *Joſ. Arndium* in Miſcellan. Sacris p. 19. ſq. qui ibidem confert hanc phraſin cum Hebr. *dake ruach* (puto legendum *dalle ruach*) & Matthæum pro Lucæ, τῷ πνεύματι omittentis, Interprete habendum contendit. Adde etiam *Erasm. Schmidium* ad h. l. qui vertere mavult: die am Geiſte arm ſind, quam die geiſtlich arm ſind: tum vero *Suicerum* Tom. II. p 887. ex Patribus idem adſtruentem, quorum & alias affert expoſitiones, item *Alex. Morum* in Notis p. 23. & *Vitringam* in Obſervatt. Sacris lib. V. p. 86. ſqq. qui πτωχὲς πνεύματι vertit *humiliter de ſe ſentientes*, nihil ſibi meritisque ſuis vindicantes, nec ſectantes juſtitiam ex operibus. In horum claſſem pertinent etiam illi, qui πτωχὲς πνεύματι eosdem eſſe putant cum ταπεινοῖς τῇ καρδίᾳ. Ita ſtatuit cum *Salmaſio* de Fœnore Trapezitico *Vorſtius* Philol. Sac. Part. II. p. 18. ſq. ubi & de Hebraismo, qui ipſi hic latere videtur. Adde eundem p. 107. Idem eleganter monet, עניים i. e. *pauperes* & ענוים i. e. *manſuetos*, una tantum litera apud Hebræos differre. Sententiam eandem tenet *Hombergius* in Parergis Sacris p. 13. ſed τὸ πνεύματι idem vult eſſe ac ἐν ἑαυτοῖς. Sed vereor, ut eam vocis vim eſſe probaverit locis, hunc in finem ex N. T. allatis, quæ ſane manifeſte ad animum reſpectum habent. Confer, quæ contra eum monita ſunt, in Actis Erudit. Lipſ. 1712. p. 513. Ex noſtratibus B. *Phil. Ludov. Hannekenius* in ſingulari Diſſert. ad h. l. *Witteberg.* 1699. habita, per paupertatem Spiritus intelligit defectum virium, ſpiritualibus hoſtibus arcendis & ſuperandis idonearum, cum & ſentitur defectus, & vires, quæ ſuperſunt, ob acutum ſenſum mali ineptæ judicantur. Vide eum cap. VII. §. 1. Alienior eſt *Schotti* explicatio, quæ exſtat in Adagialibus Sacris

p. 4. Ille enim de iis accipit, qui propter Spiritum S. pauperes fiant voluntate.

Vers. 4. οἱ πενθοῦντες) i. e. qui vel propter peccata sua & aliena, vel propter calamitates suas & alienas lugent. Vide *Suicerí* Thesaurum Tom. II. p. 665.

παρακληθήσονται) Vulg. *consolabuntur:* quod a barbariæ suspicione vindicare conatur *Boisius* in Collatione.

Vers. 5. οἱ πραεῖς) Plerique omnes interpretantur *mites*, *mansuetos*, & *injuriarum patientes*. At B. *Olearius* ad h. l. p. 157. hanc notionem profanis quidem receptam statuit, sed non item Scriptoribus N. T. quippe qui ad imitationem τῶν LXX. ea utantur voce, apud quos non animi habitum, sed vitæ conditionem ac statum parum prosperum denotare soleat. Ita Mosen vocari πραΰν *Num.* XII. 3. sic Jobi XXIV. 4. conjungi ἐρφάνους, χήρας, ἀδυνάτους, & πραεῖς i. e. *afflictos* & *oppressos*. Jesaiam quoque XXVI. 6. conjungere πραεῖς καὶ ταπεινούς. Sed illa quidem loca probant tantum, significatum hunc τοῖς LXX. fuisse receptum, non vero, quod inprimis necesse erat ostendere, eum vel solum, vel potissimum apud eos obtinere. Jam vero, ut taceam, Num. XII. ubi in Hebr. legitur ענו, *mansuetudinis* magis, quam extremæ miseriæ significationem convenire, certe plura loca Græci Interpretes habent, in quibus lenis mitisque animus, quam adflictus & oppressus indicatur. Provoco, ut brevis sim, ad Concordantias Kircherianas sub vocibus πρᾶος & πραΰς. Pone autem, τοὺς LXX. semper eam, quam Vir doctus vult, notionem voci huic subjecisse, nondum effeceris certo, ut idem in N. T. semper factum statuamus, præcipue cum in eo passim manifeste mansuetudo per eam indicetur. Quid enim est *Petro* I. ep. III. 4. τὸ ἄφθαρτον τοῦ πραέος καὶ ἡσυχίου πνεύματος; quid *Jacobo* I. 21. τὸ δέχεσθαι ἐν πραΰτητι. Quid *Petro* I III. 15. μετὰ πραΰτητος καὶ φόβου; Itaque persistamus, licet, in communi fere omnium interpretatione. Neque obverti potest, sic inter πτωχοὺς πνεύματι, quos de humilibus & demissis interpretati sumus, & τοὺς πραεῖς nullum fore discrimen. Hoc enim facile apparebit ei, qui cogitaverit, πτωχοὺς πνεύματι in quocunque vitæ vel prosperæ vel adflictæ genere, in spiritualibus & externis rebus, homines esse posse & debere, τοὺς πραεῖς vero inprimis in molestiis, injuriis & calamitatibus, patienter & æquo animo ferendis, se exerere. Rem puto confectam, si comparemus dicta Christi cum Ps. XXXVII. 11. quo respici videtur. Ibi enim divinus Psaltes: οἱ δὲ πραεῖς κληρονομήσουσι γῆν. Ubi οἱ πραεῖς in Hebræo dicuntur ענוים i. e. *mansueti*, quæ propria Hebræi notio est: & iidem in commate nono dicuntur קוי יהוה ὑπομένοντες τὸν κύριον, h. e. tales, qui injurias, ab impiis illatas, de quibus ibi sermo est, patienter & in spe futuri divini auxilii ferunt. Confer *Wolfburgii* Observatt. Sacras p. 501. & *Vitringam* l. c.

κληρο-

κληρονομήσουσι τὴν γῆν) *possidebunt terram*, & quidem cum imperio, sic ut κληρονόμος a Paulo opponitur δέλῳ. & Messiæ gentes promittuntur in κληρονομίαν, monente B. *Oleario* p. 118. Præterea verbum κληρονομεῖν apud profanos Scriptores speciatim de illorum locorum occupatione usurpatur, quæ antea hostium fuerunt, hostibus scilicet deletis. Vide *Polybium* IX. 33. & XV. 23. Adde *Raphelium* p. 38. quæ notio hic locum tuetur, ubi sermo est de iis, qui adversantium injurias placido animo excipiunt, & sic vincunt. Dubium hic supereſt, quo sensu possessio illa terræ sit accipienda, utrum spirituali & mystico, an proprio? Prius vult *Olearius* l. c. qui omnes illas beatitates spirituales statuit, ac propterea vocem τῷ πνεύματι ad μακαρίους refert. Quoniam vero pietas promissionem habet hujus & futuræ vitæ prosperitatis, non video, cur h. l. promissionem istam de fortunata rerum externarum conditione interpretari non possimus, qui sensus a Psalte in loco parallelo expressus videtur. Ita etiam Patrum nonnulli de hac terra accipiunt: vide *Suicerum* Tom. I. p. 740. Conf. B. *Calovium*, qui benedictionem generatim intelligi hic posse largitur, & inprimis *Raphelium*. Interim adstipulari nolim *Clerico*, verba hæc in notis ad versionem Gall. N. T. ita παραφράζοντι: *poterunt in Judæa manere, ut manserunt Judæi ad Christum conversi, & quotquot bello cum Romanis nolebant immisceri.* Recte enim observat *Olearius*, verba Christi institutionem habere omnibus temporibus, omnibusque discipulis ejus convenientem. Ceterum ad causam hanc curatius examinandam multum fecerit *Campeg. Vitringa* in Observatt. Sacris lib. V. cap. VI. ubi, diversis veterum & recentiorum sententiis diligenter commemoratis, ipse tandem e[illegible]cere conatur, per hereditatem terræ ipsam intelligi Tellurem, a Sanctis sub regno Messiæ, circa finem præcipue seculorum, longum tempus pacate & feliciter possidendam. Nobis quidem novæ illius & ex parte paradoxæ sententiæ examine defungi jam non licet.

Vers. 6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες) Utrumque verbum a profanis Scriptoribus de vehementi rei alicujus desiderio usurpari, evicerunt *Pfochenius* §. 64. *Gatackerus* de Stylo N. T. c. XX. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 15. *Elsnerus* p. 21. & Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. Non æque vero carum est, num justitia, quæ commemoratur, hic *objective* an *impulsive* sit sumenda? Posterius vult post Clementem Alexandrinum Stromatum IV. p. 484. B. *Olearius* p. 159. sq. qui ita vertit Christi verba: *beati sunt, qui esuriunt & sitiunt propter justitiam*, h. e. penes quos tantum est justitiæ desiderium, ut ne illa quidem, qua in res huic vitæ necessarias ferimur, appetentia illud extinguere possit. Is itaque τὴν δικαιοσύνην hic magis pro causa sitis illius impulsiva, quam pro objecto, quod indirecte tantum censet inferri, habendam putat, ac hoc fine præpositionem διὰ subintelligi cupit, adductis veterum locis, ubi eadem omittitur. Res, quod caput causæ attinet, eodem recidit; mihi tamen hæc interpretatio eo inprimis nomine se commendat,

quod τὸ πεινᾶν & διψᾶν nunquam a profanis Scriptoribus cum accusandi, qui hic occurrit, sed vel cum gignendi casu, vel sine ullo alio, usurpatum legitur. Miror fere, nec B. *Olearium*, nec ullum, quem sciam, Interpretem de hac re monuisse, si *Gatackerum* omittam, p. 197. de Stylo N. T. Pro firmanda ista expositione urgeri id quoque potest, quod *Lucas* simpliciter habeat πεινῶντες, sine addita voce τὴν δικαιοσύνην. Vide tamen *Wolfburgii* Observationes Sacras p. 130. & confer *Gatackerum* l. c. ubi de nonnullis veterum interpretationibus differit. Ex Patribus de hoc verbo commentantem lege *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 928. qui ex *Augustino* & ceteris, *sitim* illam & *famem* metaphorice de desiderio communiter interpretantibus, differit. *R. Simon* lib. III. Hist. Critic. p. 247. utramque vocem in sensu proprio accipi vult.

αὐτοὶ χορτασθήσονται) Non solum de brutis, sed & hominibus, hoc verbum usurpari, contra *Gatackerum* manifestum facit *Elsnerus* p. 22. Conf. *Bos* in Observatt. ad Luc. VI. 21. & *Casaubon.* ad Matthæi III. 21. p. 197. Respici hoc commate ad *Jerem.* XXXI. 25. existimat *Keuchenius* ad h. l.

Vers. 8. καθαροὶ τῇ καρδίᾳ) Vide *Suicerum* Tom. II. p. 7. ex Patribus huc commentantem.

τὸν Θεὸν ὄψονται) Homines non nisi pios Deos videre posse, profani quoque docuerunt. Loca eorum lege apud *Elsnerum* p. 22. Totum hoc comma diligenter illustrat Cl. *Jo. Laur. Moshemius* singulari dissertatione *de felicitate eorum, qui pura mente sunt*, quæ recusa exstat in Primitiis ejus Juliis, Wolffenbuttelæ 1723. 4. Patrum cogitata lege apud *Petavium* Dogmat. Tom. I. p. 293.

Vers. 9. Totum hoc comma explicat *Altingius* Tom. IV. Opp. in calce p. 3. sqq. in oratione, quæ ibi exstat, singulari: & ex nostratibus *Imman. Hornius* in Disput. de beatitudine Pacificorum, *Lipsi.* 1698. 4.

κληθήσονται) i. e. *erunt*, familiari Hebræis phrasi. Vide *Keuchen.* ad h. l. *Seldenum* de Synedriis p. 740. & *Vorstium* Part. I. Philolog. p. 124. Interim tamen & sic profani loquuntur. Vide *Hombergium* p. 13. De εἰρηνοποιοῖς lege *Schottum* in Adagial. N. T. p. 4. qui ibidem & de καθαροῖς τῇ καρδίᾳ i. e. *nullius facinoris conscientia territis.* Adde *Suicerum* Tom. I. p. 1036.

Vers. 11. ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς) scilicet apud Magistratum. Verbum enim ὀνειδίζειν non solum in privatis conviciis locum habet, sed etiam in publicis, quæ apud Magistratum fiunt. Vide *Raphelium* in Annotatt. Polybian. p. 40. ex Polybio IX. 28. & 29.

καὶ διώξωσι) i. e. lite & judicio persequantur, quemadmodum v. 10. de persecutione sermo est, quæ fit vi & armis: quod scite post Bezam monet *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 26. & hanc verbi hujus vim esse, ex Xenophonte ostendit.

πᾶν

πᾶν πονηρὸν ῥῆμα) Intelliguntur falsæ accusationes ad tribunalia delatæ, & sententiæ mortis de accusatis latæ, judice *Keuchenio* ad h. l. Vocem ῥῆμα a Patribus nonnullis, h. l. citantibus, omitti, ostendit *Guil. Lindanus* lib. II. c. 3. p. 69. de optimo genere interpretandi.

ψευδόμενοι) Ita & profani Scriptores calumnias mentientium parvi pendendas scribunt. Vide *Gatackerum* ad Antoninum p. 377.

Vers. 12. ἀγαλλιᾶσθε) Verbi hujus vim ediserit *Tob. Eccardus* in Technic. Sacr. p. 131.

μισθὸς ὑμῶν πολὺς) Vulg. τὸ πολὺς eleganter vertit: *copiosa*, judice *Boisio*, in Collatione ad h. l.

Vers. 13. Totum hoc comma philologice persequitur *Valent. Greissing* in singulari Disputat. quæ recusa est Tom. II. Thesauri Disputat. p. 97. Adde B. *Hectoris Godofr. Masii* Dissertat. de Sale Theologico, quæ exstat Tomo II. Disputatt. ejus p. 88. sqq. nec non *Jo. Dan. Majoris* Exercitat. VII. p. 35. *Val. Henr. Voglerum* de rebus naturalibus p. 263. sq. J. C. *Dieterici* Antiquitatt. N. T. Tom. I. p. 83. B. *Alberti Feldenii* Dissert. de Pontificiis, salis Apostolici expertibus & in re fidei fluctuantibus, Kilon. 1717. *Jo. Henr. Lederlini* Dissert. de Sale infatuato, Argentor. 1719. *Amelium* Part. II. p. 331. & *Jo. Lomeierum* in diebus Genialibus Dec. I. Diss. VII. Confer & *Suicerum* omnino T. I. p. 182. sq. B. *Lutheri* versionem tuetur *Raithius* in Vindiciis p. 339.

τὸ ἅλας) Vox proba in singulari numero, & apud profanos Scriptores obvia, quamvis *Thomas Magister* in Eclogis Atticis ita præcipiat: οἱ ἅλες καὶ τὰς ἅλας δεῖ λέγειν, ἐ τὸ ἅλας. Hippocrates enim περὶ γυναικείας φύσεως habet ἅλας ἡδαϊκὸν, & περὶ ἀφόρων p. 633. ἅλας συχνόν. De Salis propietatibus, ad comparationem hanc illustrandam apprime facientibus, lege inprimis *Matthiam Unzerum* in Physiologia Salis cap. 23. & *Wedelium* in Exercitatt. Medico-Philolog. Dec. IV. p. 18. sq. Ad Sal Sodomiticum seu bitumen hic respici opinatur *Herm. Hardtius* in Ephemerid. Philolog. p. 114. Christique mentem esse, Apostolos operam dare debere, ut homines arcte inter se conjungantur & uniantur.

τῆς γῆς) Per *terram* hic non universum orbem, sed Judæam tantum intelligit *Lomeierus* & *Amelius* l. c. ideo scilicet, quod illi primum doctrina Evangelii sit oblata. Cum vero Apostoli etiam gentium doctores constituti sint, quam ob rem & v. 14. φῶς τῦ κόσμυ vocantur, rectius communior & amplior notio a plerisque omnibus huic voci relinquitur.

μωρανθῇ) Codex unus & alter legit μαρανθῇ, quam lectionem & *Vulg.* videtur secutus R. *Simon* in Notis ad h. l. quod ante ipsum suspicatus quoque est *Henr. Stephanus*. Is enim in Palæstra de Lipsii Latinitate p. 472. ita: *Mihi propemodum μωρὸν aut saltem ὑπόμωρον videtur, credere, μωρανθῇ ab ipsis Evangelistis scriptum fuisse. Ac veteris Interpretis auctoritas (quæ & alibi magna est*

apud

apud me) hanc mihi ſuſpicionem augere poteſt, vertentis, quod ſi ſal evanuerit, *atque ita oſtendentis apertiſſime, ſe quoque illam lectionem ſecutum eſſe.* Sed recte vulgata illa lectio adſtruitur a *Jo. Henr. Majo* in Obſervatt. Sacris lib. III. p. 100. ſq. Eodem verbo certe utitur Lucas XIV. 34. ubi non majus a Codd. MSS. duobus, μαρανθῇ legentibus, præſidium naſcitur tollendæ alteri, quam apud Matthæum. Conſentiunt & verſiones veterum. Vox μαραίνεσθαι i. e. marceſcere & flaceſcere ſali tam parum convenit, quam egregie quadrat τὸ μωραίνεσθαι. Nec a vulgato, per *evanuit* vertente, idoneum argumentum peti poteſt, eum aliter legiſſe, quam quidem hodie legimus. Scilicet μωρὸς, unde τὸ μωραίνεσθαι, ubi de hominibus uſurpatur, *ſtultum* & *fatuum*, ubi de rebus, guſtui expoſitis, *inſipidum* infert, ad exemplum Gallicæ vocis *fade*, & Germanicæ, abgeſchmackt, quæ utraque utrinque ſolet adhiberi, ut non dicam de voce Latina *fatuus*. Hinc recte h. l. τὸ μωραίνεσθαι per *infatuari*, aut *fatuum* vel *inſipidum fieri* vertitur. Conf. *Lederlini* Diſſert. citatam p. 11. ſq. Interim nolim ire inficias, reſpectum hic habitum eſſe ad Hebr. vocem תפל quæ & *inſulſum* ſignificat, & *fatuum*, *Joh.* VI. 6. I. 22. & *Thren.* II. 14. ceu poſt *Grotium* monuerunt *Lightfootus* in Horis Talmud. ad Luc. XIV. 34. & *Hammondus* ad h. l. vel etiam ad טער quod ut *comburere*, *removere*, & *ſtolidum fieri* denotat, ita a τοῖς LXX. nunc per ἀφανίζειν, nunc per μωραίνεσθαι convertitur, *Deuter.* XIII. 5. *Jeſ.* XIX. 11. *Jer.* X. 13. & LI. 17. quod obſervavit Cl. *Majus* l. c. Jam ſi de ſenſu in ἀποδόσει cogitetur, manifeſtum eſt, ut per τὸ ἅλας intelliguntur Apoſtoli, ita τὸ μωραίνεσθαι ad eosdem referendum eſſe, hac mente, ſi ipſi, aliis doctrina bona & moribus alioquin profuturi, inſipidi evadant, fidemque & bonam conſcientiam amittant, non fore eos amplius uſui ulli, ſed digni, qui ut inutiles & inſtar ſalis inſipidi abjiciantur. Conf. *Suicer.* T. I. p. 184. *Hardtius* l. c p. 114. id hic indicari vult, ſi ipſi Apoſtoli unionem inter ſe, quæ ſalis Sodomitici ſeu bituminis vis ſit, non ſanctam ſervent, nulli ipſos uſui fore.

ἐν τίνι ἁλισθήσεται;) i. e. *in quonam ſaliri poterit?* Futurum potentiale, ceu recte *Clericus* obſervat, & poſt eum *Lederlinus* l. c. p. 16. Conf. *Matth.* XII. 31. & *Rom.* IX. 13. Nonnulli ita vertunt: *quid tandem ſupererit, quo uti poſſis ad ſaliendum*, ſcilicet, res alias? Alii ita: *quo ſalictur*, ſe ipſe ſal. Poſterius omnino præferendum eſt. Id jubet *Marcus* IX. 50. ubi diſerte: ἐὰν τὸ ἅλας ἄναλον γένηται, ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; & *Matthæus*, qui de ſale ait, eum abjiciendum ſic eſſe tanquam inutilem. Vide plura apud *Hombergium* p. 14. Hinc patet, quam longe a vero abſit *Lomeierus*, qui ſalituram illam referri vult ad *terram*, ſive ad Judæos, quibus hic pœna denuncietur, tanquam talibus, qui pertinacia ſua effecerint, ut ſal, ſeu verbum ab Apoſtolis prædicatum, factum fuerit inſipidum. Nec obſtat, quod ſal ſaliri non ſoleat. Hoc ipſum enim infert, quemadmodum ſali nullo modo in rerum natura conſuli poſſit, adeo, ut nec ad exemplum aliarum rerum corruptarum ulli prorſus uſui inſerviat; ita eandem ſortem fore Apoſtolorum, ſi ſalem in ſe

non

non habeant. Præterea non de Judæis, ſed de Apoſtolis, hic ſermo eſt, quod recte obſervavit *Clericus* in Biblioth. Univerſ. Tom. XXV. p. 514.

εἰς οὐδὲν ἰσχύει ἔτι) *Cappellus* in Spicileg. p. 9. confert cum Jer. XIII. 7. לא יצלה לכל.

εἰ μὴ βληθῆναι ἔξω) Ita & profani de re nihili. Vide *Arndii* Miſcell. p. 78. Hoc *Lomeierus* iterum accipit de terra i. e. de Judæis exterminandis, ſupplici loco. De quo quid habendum ſit, ex dictis patet. Quanta catachreſis, terram ejicere, quam commode vero ſal in trivium ab hominibus conculcandum projici dicitur! Emollire aliquantulum locutionem hanc *Amelius*, cum Lomeiero alioqui ſentiens, conatus eſt p. 334. & hoc fine obſervat, ſi quis ſali ejectionem adſcribere velit, ſenſum fore, terram Judaicam exſcindendam radicitus, & quaſi ſale conſpergendam eſſe. Sed ſic novum naſcitur ſubjectum, ad quod ſal a Chriſto commemoratus referatur. Et quis erat ille ſal, qui excidium terræ Judaicæ ſeu Judæis inferret? In phraſi ipſa proverbialem locutionem agnoſcunt nonnulli, illi ſimilem, de qua *Drujius* in Adagiis Hebraic. lib. II. Claſſ. 2. ſed vide *Buxtorfium* in Lexico Talmud. col 1208. ex quo apparet, illam huc quidem non pertinere. Adde in eandem ſententiam *Oſtermanni* Poſition. Philolog. ad N. T. Diſp. II. §. 6. nec omitte *Jo. Saubertum* de Sacrificiis p. 560.

Verſ. 14. τὸ φῶς τοῦ κόσμου) *Gaulminus* in Notis MSS. ad h. l. hanc phraſin confert cum iſta, inter Judæos adhuc recepta, quando hominem meritis inſignem vocant נהורא דגלותא i. e. *lumen captivitatis*. Vide *Rich. Simonis* Biblioth. Critic. T. IV. p. 186. Propius huc facit titulus, נר ישראל i. e. *lumen Iſraelis*, qui datur *Jochanani*, fil. *Zachæi*, in Gemara *Berachoth* c. IV. §. 11. f. 28. Confer *Vitringam* Lib. III. Obſervatt. Sacr. p. 200. Qua de cauſa Apoſtoli vocentur *lux mundi*, vide apud *Suicerum* Tom. II. p. 1484. b.

ὃ δύναται κρυβῆναι) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 5. *Gaulminus* l. c. obſervat, hanc & ſequentis verſus phraſin primam proverbia Judaica referre.

Verſ. 15. οὐδὲ καίουσι λύχνον) Vide *Schottum* l. c. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. Lege huc Programma ſingulare, quod exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum Exegetic. p. 449. ſq.

καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον) Veteres lucernas & lychnuchos, candelis ardentibus inſtructos, ſub modio occultare conſueviſſe, ubi aliquid eſſent acturi, quod absque lampadis conſcientia eſſe vellent, obſervat Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. Vide *Fulgentium* lib. III. c. 6. Mytholog. p. 115. & *Ariſtophanem* in limine Concionatricum.

Verſ. 16. λαμψάτω τὸ φῶς ὑμῶν) Hanc phraſin ex cerimoniis, feſto Tabernaculorum receptis, illuſtrat *Deylingius* Obſervatt. Sacr. Part. II. p. 223. Magnates enim iique pii & devoti in eo ſaltabant, coram ſpectatoribus, באבוקות של אור h. e. *cum facibus lucentibus*, quas in manibus habebant ca-

nentes hymnos & δοξολογίας. Per φῶς intelligi lucem doctrinæ Evangelii, cujus prædicatio præcipuum opus & fructus fuerit Apostolorum, statuit *Fesselius* in Adversar. Sacr. Tom. II. p. 138. sicut & Patres nonnulli, apud *Suicerum* Tom. II. p. 1483. quorum tamen alii de bonis operibus accipere malunt. Videatur idem p. 1485. Particulam ἕτω *Knatchbullus* in Notis ad h. l. p. 22. edit. Anglic. non vult referri ad conditionem seu *claritatem* luminis, sed pro indicio comparationis habet Apostolorum cum urbe in monte sita, aut candela in candelabro posita, eo fine, ut ad illarum rerum exemplum ab aliis conspiciantur. Quam Judæus Anonymus in Miscellaneis MSS. Anti-christianis pugnam ridicule fingit inter hoc præceptum, & aliud, quod exstat Matth. VI. 1. eam relatam lege in Bibliotheca Uffenbachiana Part. I. p. 168.

καλὰ ἔργα) Per ista h. l. inprimis designari opus prædicationis Apostolicæ statuit *Gerh. Titius*, ceu monet *Ritmeierus* in Disquisitionibus Sacris 1717. editis. Conf. *Seb. Schmidii* Colleg. Biblicum Posterius p. 252. sqq.

Vers 17. ὅτι ἦλθον καταλῦσαι) *quod veni solvere.* Ita Vulg. quem post *Vossium* de Construct. p. 188. respectu structuræ Grammaticæ, defendit *Boisius* in Collatione p. 9. Καταλῦσαι νόμον i. e. *abrogare legem*, respondet phrasi Hebræorum בטל תורה, quod observavit *Cappellus* in Spicilegio p. 20. Sed & Græci phrasi huic eandem tribuunt notionem. Vide loca eorum copiose allata a *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 6. *Raphelio* ex *Xenophonte* p. 47. & *Polybio* p. 41. item *Jac. Elsnero* ad h. l. p. 23. qui tamen p. 24. observat, τὸ καταλῦσαι hic *enervandi* quoque sensu accipi posse, sicut *Matth.* XV. 6. dicitur ἠκύρωσαν τὸν νόμον h. e. *jejuna & perversa sua interpretatione enervarunt*; si statuamus, τὸ πληρῶσαι νόμον, quod sequitur, idem esse, quod *sensum legis plenum in omni sua emphasi docere.* Sed præstat acquiescere in priori interpretatione, quam fulcit etiam *Josephus* Antiquitt. XVI. 5. apud quem *Nicolaus*, Judæorum orator, de popularibus suis ad Agrippam Regem inquit: εὖ οἶδ' ὅτι πάντα μᾶλλον ἀνήσονται παθεῖν, ἢ καταλῦσαί τι τῶν πατρίων i. e. *sat scio, quidvis potius passuros, quam quidquam patriorum rituum dissolvere.* Confer *Vitringam* de Veteri Synagoga, in Prolegomenis p. 22. Non itaque video, cur intransitivam notionem verbo huic tribuere debeamus cum *Fesselio* Adversar. Sacr. T. I. p. 20.

Opponuntur hæc Christi verba a Judæis, ut probent, non sublatas itaque esse antiqui Fœderis ceremonias. Sed pridem recte responsum est, Christo sermonem hic esse de præceptis moralibus, quæ etiam in sequentibus tantum, non habita institutorum cerimonialium ratione, explicat. Vide hic inprimis *Gussetii* Confutationem libri *Chissuk Emuna* p. 351. & 373. & alibi passim iis in locis, quos ipse p. 351. indicat. Adde Cl. *Jo. Laurent. Mosheimii* Vindicias antiquæ Christianorum disciplinæ contra Tolandum, Judæorum vestigiis hic impie insistentem p. 289. sq. Atque ita Judæis respondere malim, præcipue cum Prophetarum quo-

quoque fiat mentio, quam cum *Cappello* in Opp. p. 270. ſtatuere, quod Chriſtus hic neget, non quidem ſe abrogaturum ritus & ceremonias Judaicas, quæ revera erant per ipſum abrogandæ, ſed ſe καταλῦσαι *diſſolvere*, & evertere ritus & ceremonias illas: eas enim impleviſſe eum, exhibendo id, quod erat illis adumbratum, ſicque eas adduxiſſe ad verum earum finem atque complementum; ita ut earum abrogatio, quæ ſequi debuit illud complementum, non fuerit everſio & diſſolutio illarum ceremoniarum, ſed potius manifeſtum ſignum veri earum complementi.

ἀλλὰ πληρῶσαι) Referunt hoc πληρῶσαι alii ad explicationem & interpretationem legum perfectiorem, alii ad impletionem earum & præſtationem vita factam. Ex priorum numero eſt *Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacr. p. 200. provocans ad Paraphraſtas Chaldæos, qui eadem fere ætate, verbo קיים i. e. *implere*, *perficere* &c. cui Græcum πληρῶν reſpondet, ita uſi ſunt, ut *docendi* habeat notionem. Vide v. c. Jobi XXII. 22. Eadem ſignificatio frequens eſt in Pandectis Talmudicis, quemadmodum & altera pars Talmudis, nempe *Gemara*, ipſo hoc nomine appellatur, quod gloſſis ſuis & commentationibus complementum legis præſtet. Atque huc reſpicere ſpeciatim Chriſtum exiſtimat *Lamius* in Harmonia Evangel. p. 127. & cum eo *Zornius* in Opuſculis Sacris p. 300. quibus tamen non præter rem opponas, dubium adhuc eſſe, num eo tempore gloſſæ ejusmodi hoc nomine appellatæ ſint. Gemara enim ipſa Chriſti, Domini noſtri, ætate aliquot ſeculis eſt inferior, quod Parte II. Biblioth. Hebr. evici. Provocat *Vitringa* ad *Rom.* XV. 19. ubi Paulus ait, ſe πεπληρωκέναι τὸ εὐαγγέλιον τοῦ χριστοῦ h. e. *ſe impleviſſe prædicandi Chriſti munus.* Qua de re ſuo loco dicemus. Applaudit *Vitringæ Amelius* Parte II. p. 785. ſq. & *Hottingerus* ad Diſc. Gemaricum de Inceſtu p. 49. Ante *Vitringam* huic ſenſui favit *Joſ. Mede*, qui in Operibus ſuis p. 12. verbum πληρῶσαι exponit per *ſupplere* & *perficere* leges illas & doctrinas juſti & injuſti, per ampliorem interpretationem, & acceſſiones alias, ſtatui Evangelii accommodatas.

Poſteriores communiorem interpretationem, de Lege ſcilicet a Chriſto præſtita, & impleta, recte tuentur, tum communiori Sacrorum & profanorum Scriptorum uſu, quem confirmatum vide ab *Elsnero* p. 23. (vide inprimis *Rom.* XIII. 8. *Gal.* V. 14. & VI. 2.) tum re ipſa, in Evangelica hiſtoria confirmata. Ex recentioribus huc lege *Rich. Simonem* in Novis Obſervatt. ad textum Nov. Teſt. p. 115. ſq. & *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. p. 148. Alii utramque notionem conjungunt, inter quos ſunt noviſſimi N. T. Interpretes Galli, *Infantius* & *Beauſobrius*, qui, cum obſervaſſent, τὸ πληρῶσαι νόμον ſignificare poſſe eam legis abrogationem, quando quis vel legem ipſe violat, vel ſenſum corrumpit, vel auctoritatem legum priſtinarum, latis aliis, elevat; addunt, viciſſim τὸ πληρῶσαι inferre, tum, ut quis per ſe ſervet legem, tum, ut alios fideliter ſervandam doceat. Nihil, fateor, in utraque interpretatione eſt incommodi. Sed prior tamen præferenda mihi videtur ideo,

quod adventus Christi, de quo hic sermo est, præcipuus scopus erat, non docere & interpretari legem, sed prædicare Evangelium, atque hoc fine tum promittere obsequium pleniſſimum legi a se præstandum, tum re ipsa præstare. Si quis interim alteram illam explicationem cum hac conjungere velit, caveat sibi necesse est, ne ita verba Christi interpretetur, quasi is suppleverit legem, & præceptis Mosaicis quædam addiderit, illis alioquin non comprehensa. Huc enim tendunt post *Grotium Hammondus* & *Clericus*. Vide contra hos *Rich. Simonem* l. c. & adde *Jac. Gussetum* in Vesperis Groninganis p. 103. sq. ubi ostenditur, ex his verbis non effici, quod Christus quidquam legi addiderit. Omitto Theologos, Socinianis, de Christo novo legislatore multa præcipientibus, se opponentes. Ceterum memini, me apud *Libanium* legere phrasin πολλοῖς λόγοις ἔχων πληρῶσαι τὸν νόμον, quæ inferre videtur expositionem legis curate & copiose factam. Sed locus jam quidem non succurrit.

Vers. 18. ἕως παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ) Proverbialem loquendi formulam post *Cappellum* in Spicileg. p. 12. agnoscit *Vorstius* de Adagiis N. Test. cap. XI.

ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία) Et hæc proverbii loco habuit *Grotius*, & post eum *Jac. Cappellus* in Obss. p. 3. & *Alex. Morus* in Causa Dei p. 58. Conf. *Vorstium* l. c. Similem loquendi formam ex *Jalkuth* ad libb. Regum p. 31. affert *Hackspanius* de Usu librorum Rabbinic. p. 425. sqq. & in Notis ad h. l. p. 26. Alii viciſſim, verbis preſſius inſiſtendum recte putantes, per ἰῶτα hic ad literam Hebræorum י omnium minimam, & per κεραίαν ad vocales accentusque Chriſtum reſpexiſſe arbitrantur. Qua de re nunc quidem diſputare ab hoc loco alienum eſt. Confer, ſi placet, quæ de horum verborum ſenſu ipſe, ex communiori ſententia, commentatus ſum in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 488. ſq. *Spanhemium* in Dubiis Evang Part. III. n. 129. & *Suicer.* T. II. p. 89. qui negant, de vocalibus accipi poſſe. Addam hic paucula *Stephani le Moyne* in Diſſertat. ad *Jerem.* XXIII. 6. p. 233. per κεραίαν intelligentis קוצה ſive תגין i. e. *ſpinam* & *coronulam*, ſive notam diſcretivam, qua literas quasdam Hebræi in ſcribendo notare ſolebant, & a reliquis diſtinguere. Quando *Caſaubonus* in Caſaubonianis p. 79. κεραίαν hic ſubtilius ab Interpretibus, & ſpeciatim *Druſio*, explicari tradit, ſe vero ſimplicius & rectius ex uſu auctorum, quos nominat, intelligere monet; procul dubio κεραίαν cum *Grotio* pro *apice* ſeu *ductu* literarum habuit. Hoc enim ſenſu vocem Græcis venire negari non poteſt. Confer *Sextum Empiricum* p. 643. ubi in notis Cl. *Fabricii* habes Scholiaſtæ locum ad Nicandri Alexipharmaca p. 86. qui ita: κεραία λέγεται τὸ ἄκρον καὶ ἔσχατον. Subtiliora nemini non videbuntur, quæ ad hæc verba habet *Martianæus* in Eſſay de Traduction p. 41. Is ſcilicet ἰῶτα & κεραίαν idem hic ait denotare, nempe τὸ י Hebræorum, quæ litera ſit in Hebræorum illis omnium minima, & apicem quoque literæ א conſtituat,

ſtituat, ut proinde de notis diſtinctionum hic prorſus non ſit cogitandum. Idem per ἐντολὰς ἐλαχίσας præcepta negativa intelligit, quæ Judæi per לא exprimant, ubi idem apex in litera א occurrat. Videtur ipſi præiviſſe *Steph. Morinus* in Exerc. de Linguis p. 333. qui putat, mutationem Legis hic negari in minima etiam literula, quæ ſit י imo in minimo hujus literulæ apice ſeu κεραίᾳ. Confer etiam ſubtiliora B. *Caſp. Neumanni* cogitata in Geneſi Linguæ S. cap. III. §. 11. ita hæc verba accipientis: *ne quidem literæ apex unus, qui Jod unum eſt, periturus eſt.* Adde *Starckii* Lucem Grammat. Hebr. p. 6. & 7. & Cl. *Danzii* Literatorem Hebr. p. 65. Vide contra hæc diſputantem *Wokenium* in Meditationibus Privatis Tom. I. p. 22. ſq. Singularis quoque eſt *Jo. Marckii* ſententia in Sylloge Diſſertationum ſuper loca quædam N. T. propoſita Exerc. II. Is enim per ἰῶτα non י Hebræorum, ſed Græcorum potius *Jota*, hic indicari putat, eo uſus argumento, quod Chriſtus *Apocal.* XXII. 13. ubi ſe τὸ α καὶ τὸ ω appellet, ad Græcorum literas manifeſte reſpexerit. Sed id quidem inde conſequi non video. Johannes enim, per quem loquebatur Chriſtus, Græcis literis utebatur, ad homines Græce intelligentes: itaque & accommodate ad hos verba inſtrui debebant. Apud Matthæum vero loquebatur Chriſtus lingua Syro-Chaldæa ad populum, Græce vel penitus vel maxima ex parte neſcientem, de lege Dei, Hebraice omnino exarata. Itaque diverſa hæc περικείμενα diverſum quoque judicium poſtulant, inprimis cum veriſimile non ſit, Matthæum aliter verba Chriſti proferre voluiſſe, quam ad commemoratas circumſtantias ab eo comparata erant. Idem *Marckius* Exercit. III. de κεραίᾳ affirmat, per eam nec vocales nec accentus intelligi debere, ſed potius aliquid videri innui, quod ad Græcas literas ſpectet. Locum hunc non obſtare, quo minus variantes lectiones ſtatuantur, contendit *Jo. Henr. Michaelis* in Prolegom. ad Biblia Hebr. p. 16. Vide etiam Freywilliges Heb-Opfer V. Beytrag p. 409. & *Mich. Beckii* Diſput. de duobus minimis legis Jota & apice, *Ulmæ* 4. item *Georg. Chriſt. Bangii* Diſſert. de κεραίας ſignificatione, *Hafn.* 1706. nec non B. *Olearium* de Stylo N. T. p. 64. ſqq.

ἂ μὴ παρέλθῃ) *nunquam præterierit.* Beza: *non præteribit;* Vulg. quem defendit *Boiſius* p. 9. oſtendens, idem hic eſſe, quod alias dicitur παρελεύσεται. Ita *Matth.* XXIV. 2. ἃ μὴ ἀφεθῇ, pro quo *Lucas* XXI. 6. ἃ οὐκ ἀφεθήσεται. Hebraismum hic obſervat *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 82. quod non dicatur ἰῶτα ἓν οὐ παρέλθῃ, ſed ἰῶτα ἓν ἂ μὴ παρέλθῃ.

ἕως ἂν πάντα γένηται) Lege huc Freywilliges Heb-Opfer V. Beytrag p. 409. ubi Anonymus ſuſpicatur, phraſin eſſe proverbialem, quæ idem ſibi velit, ac ſi dixeris, omnia illa citius fieri poſſe, quam ut lex intereat.

Verſ. 19. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ) *quisquis violarit:* qua notione vocem apud profanos occurrere oſtendit *Bos* in Exercitatt. p. 7. Sic & in N. T. ut *Joh.* V. 18. VII. 23. &c. Hic tamen notionem iſtam locum habere poſſe, negat

Hombergius p. 19. ideo, quod non appareat, quomodo violantes præcepta etiam minima locum aliquem habere poſſint in regno cœlorum. Itaque mavult idem hic eſſe quod *Marc.* IV. 34. & *Act.* XIX. 39. τὸ ἐπιλύειν h. e. *explicare*. Ut verborum Chriſti iſte ſit ſenſus: Qui interpretando ac ſolvendo legis difficultates docent homines, laudem quidem in ſe mereri, eoque nomine aliquem etiam locum, ceteris paribus, habituros, & minimos vocandos in regno cœlorum; qui vero & docet, & ſimul facit, illum ibidem magnum futurum. Oppoſuit ſe novæ huic interpretationi poſt *Boiſium* l. c. *Elsnerus*, multis veterum locis oſtendens, λύειν τὸν νόμον idem eſſe, quod *abrogare*, & *violare legem;* ac præterea obſervans, totius loci ſenſum repugnare. Atque ita res omnino habet. Ad difficultatem, quæ urgetur, in promtu eſt reſponſio. Ἐλάχιστος enim hic idem eſt, qui *indignus*, & *ultimus* alias vocari ſolet, ut *Matth.* XIX. 30. & *Luc.* XIII. 30. h. e. talis, qui nullum in regno cœlorum locum habebit. Hinc *Auguſtinus* lib. I. de Sermone Chriſti in monte: *Minimus vocabitur in regno cœlorum, & fortaſſe ideo non erit in regno cœlorum, ubi niſi magni eſſe non poſſunt.* Confer in eandem ſententiam *Feſſelium* T. II. Adverſ. Sac. p. 516. & quos ille citat. Scilicet ſicut *Luc.* XVIII. 14. publicanus dicitur, præ Phariſæo elato & hypocrita, juſtificatus, eo ſenſu, ut omnis illi juſtificatio abjudicetur; ita dicitur hic ἐλάχιστος, ſeu *minimus*, cujus nulla prorſus in ea parte ratio habetur. Et ponamus, Viri docti interpretationem locum habere poſſe, qui tandem credi poteſt, eum in regno cœleſti vel ultimas partes occupare, qui præcepta Dei doceat, & explicet, ſed temere tamen violet? Præſtitiſſet omnino, ſi per βασιλείαν τῶν οὐρανῶν intellexiſſet regnum gratiæ, ſeu conditionem & ſtatum Evangelii, & per ultimum locum minimas privilegiorum ejus partes, quæ Dodwelli ſententia eſt in *Letters of Advice*, epiſt. I. p. 81. Sed nec hac explicatione opus hic eſſe, ex dictis haud obſcure intelligitur, & ipſe *Hombergius* p. 18. recte contra *Bezam* negavit, opus eſſe, inprimis cum v. 20. Phariſæorum juſtitia a regno cœlorum excludatur, in Eccleſia autem multi ſint hypocritæ. Concidit itaque & obſervatio *Stephani le Moyne* in Diſſ. ad Jer. XXIII. 6. p. 280. ita interpretantis phraſin ἐλάχιστος κληθήσεται: erit inſtar non Rabbini & didaſcali, ſed habebitur inter diſcipulos νηπίους, קטנים *parvos*, minimos, quo nomine apud Judæos veniebant diſcipuli inferioris claſſis & ſubſellii.

ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων) Per præcepta minima intelligunt quidam vel ea, quæ ab hominibus habentur pro parvis, & quorum transgreſſio ſolet ab iis excuſari, & a Deo tolerari, vel quorum facillima eſt obſervatio. Utraque autem ſententia rejecta, *Hombergius* p. 17. intelligi vult omnes leges, a Phariſæis ad literam ſolum & ſuo more explicatas, at prava interpretatione corruptas. Non video, cur non dici poſſit, præcepta minima ea hic dici, quæ, facta cum aliis comparatione, minus ſint vel gravia, vel a Deo ad ſervandum præſcripta. Ipſe enim Sanctiſſimus Servator præceptum de amore Dei primum & præcipuum, reſpectu ſcilicet cæterorum, appellat.

pellat. Ad interpretationem hic respici non potest, nec cogitare de ea poterant Auditores, cum illam tunc nondum ex ore Christi audivissent, sed postea demum perciperent. Et si hæc explicatio admittatur, præcepta Mosis moralia omnia pro ἐλαχίσοις habenda tunc fuissent, cum Pharisæi nulli omnino parcerent, in jejuna sua interpretatione illi affricanda.

ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ) Cur Christus hoc loco τὸ *facere* τῷ *docere* præmittat, disquirit *Rittershusius* in Lectionibus Sacris p. 460.

μέγας κληθήσεται) μέγας pro μέγιστος, ut ante ἐλάχιστος. Positivus pro Superlativo. Vid. *Vorstium* Part. II. Philolog. S. p. 4.

Vers. 20. Λέγω γὰρ ὑμῖν &c.) Totum hoc comma illustrat *Ruardus Andala* in Exegesi illustrium locorum p. 295 - 328. Confer & *Laur. Odhelii* Synagogam Bifrontem Part. I. p. 8. sqq. qui ex eodem & sequentibus commatibus ostendit depravationem doctrinæ Judaicæ, & toti sermoni Christi lucem fœneratur.

γραμματέων καὶ Φαρισαίων) Hic prima vice γραμματεῖς & Φαρισαῖοι conjunguntur, observante *Altingio*, quia scilicet his nominibus utrumque genus Doctorum Judaicorum exprimitur, nempe tum eorum, qui legem explicabant, ut Scribæ, tum illorum, qui traditiones docebant, ut Pharisæi. Vide eum Tom. V. Opp. in Schilo lib. IV. c. 8. p. 79. Adde vero & *Triglandium* in Dissert. de Karæis, Scriptoribus de Trihæresio addita, p. 63. sq. qui diligenter ostendit, γραμματεῖς ejusmodi Judæorum Doctores indicare, qui, rejectis traditionibus, solam Scripturam venerati sint. Id evincit is ex Judæorum scriptis, qui γραμματεῖς seu Scribas בעלי מקרא i. e. *Scripturarios* appellant, tum ex Patribus & ipsa denique nominis ratione, quæ ut a γράμμα i. e. *literæ sacræ*, seu *Scriptura Sacra* (2. *Cor.* III. 6. & 2. *Tim.* III. 15.) derivatur, ita studium ejus potissimum designat. Hinc idem γραμματεῖς stirpem credit esse τῶν קראים *Karaeorum* i. e. *Textuariorum*, qui hodienum *Rabbanitis* ita sunt oppositi, ut, sepositis Talmudicis traditionibus, solam Scripturam Sacram sectentur. Confer, quæ in eandem sententiam a me dicta sunt ad R. *Mardochæi* Notitiam Karæorum, passim. Vide interim quoque, quæ ad h. l. de Pharisæis & Scribis differunt *Serarius* in Trihæresio p. 66. & 71. item *Drusius* de Sectis p. 225.

περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν) Jactabant scilicet Pharisæi abundantiam quandam pietatis & bonorum operum, quibus proinde defectum hic eleganter exprobrat Salvator. Lege huc *Triglandium* le Karæis p. 7. Per δικαιοσύνην operum justitiam, lege Mosis requisitam, hic intendi, & quantum ab illa recederent Pharisæorum doctores, describi, ex oppositione justitiæ Pharisaicæ, & subsequente præceptorum expositione, conficit *Laur. Odhelius* in Synagoga Bifronte p. 9. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 911. Interim multo magis, si rem ipsam spectes, justitia, Pharisaicæ hic opposita, illa judicanda erit, quam Paulus Dei & fidei justitiam adeoque salvificam vocat

Gal.

Gal. I. 14. Conf. *God. Wegneri* Disput. de Justitia superabundante. *Regiom.* 1708. 4. & *Jo. Vorstii* Dissertatt. Sacr. lib. III. p. 140. sqq. qui justitiam hic putat innui non exactam & perfectam, sed talem, quæ nobis contingere possit.

Vers. 21. & 22. Lege huc *Jo. Henr. Maji* Exercitatt. Selectas Tom. II. n. 17. Confer ad v. 21. & sequentes, quibus explicatio præceptorum Mosaicorum continetur, *Salmasium* de Fœnore Trapezitico p. 302. sqq. ubi tum alia recte monet, tum inprimis ostendit, errare illos, qui inter hæc præcepta Domini & priscæ legis mandata ita distinguunt, ut inter præcepta & consilia. Adde, quæ contra disputat *Petavius* Tom. IV. Dogmatum p. 192. sq. Idem *Salmasius* procul dubio lapsus est, quando p. 270. contra *Heinsium* ita disputat: *Non vidit Criticus, Dominum toto illo capite plus a suis exigere, quam legem Mosis a Judæis, dum multa non solum vetat fieri, quæ illa concederet, sed etiam longe minora.* Hoc enim omne innititur hypothesi precario sumtæ, quod hic ad Legem Mosis ipsam, non autem ad Interpretationem ejus Pharisaicam respectus habeatur. Qua de re mox dicemus.

Vers. 21. ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις) Dupliciter hæc verba explicantur ab Interpretibus, ita ut sensus sit, vel: *dictum est ad veteres*, ac si diceretur πρὸς ἀρχαίους, vel: *dictum est a veteribus*, quasi diceretur ὑπὸ τῶν ἀρχαίων. Prioris explicationis patroni inprimis sunt Pontificii, ut evincant, Christum hic ipsi Legi Mosaicæ, qualis Judæorum majoribus a Mose injuncta est, aliqua addidisse. Huc tendit post *Maldonatum* ad h. l. *Serarius* de Trihæresio p. 66. Sunt vero & alii, qui extra hunc scopum versionem illam alteri præferunt, nominatim *Marschallus* advers. Goth. p. 391. qui ad veteres aliquot Interpretes provocat. Posteriorem sententiam plures tuentur, inter quos est *Boisius* in Collatione p. 10. cujus hæc sunt verba: *antiquis*, i. e. *ab antiquis sive veteribus.* Τῶν ἀρχαίων *nomine*, inquit Vir doctissimus, *non semper intelliguntur antiqui a multis retro seculis, sed ii crebro notantur, qui præcessere nos* ראשונים קדמונים *priores.* Confer in eandem sententiam *Suicerum* Tom. I. p. 523. qui etiam per veteres illos intelligit Judæos, qui diu ante Domini tempora vixerint: tum *Lempereur* ad Bava Kamma p. 303. & *Noldium* ad Concordant. Particular. Hebr. nota 1995. qui ibidem recte recedit a *Vossio* p. 149. Historiæ Pelagianæ, ἀρχαίους perj *stultos.* interpretantis, quemadmodum *Hieronymus* Pelagium ἀρχαῖον i. e. *stultum* appellavit. Meo judicio nihil refert, utrum vocem ἀρχαίοις in *dandi* an *auferendi* casu latine interpreteris, modo per *veteres* illos propioris ævi Judæos intelligas, qui ea, quæ Christus hic rejicit, vel audiverint a Rabbinis suis & doctoribus traditionariis, vel alios jejune docuerint. Conf. Vesperas Groninganas p. 111. Atque hunc esse verborum Christi sensum, ex eo patet, quod diserte se Pharisæis opponit: ut omittam phrasin ἐρρέθη, quæ respondet Hebraico איתאמר, quod frequenter in Talmude de majorum placitis adhibetur, sicut & phrasis Christi: ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, convenit cum illa Talmudica, ואני אומר. Interim

Græ-

Græcum ἐῤῥέθη verti etiam poterat per: *conſtitutum eſt*, ut v.c. *Luc.* II. 24. & apud profanos quoque auctores, quorum loca habes apud *Elsnerum* p. 189.

ὁ φονεύσας) τὸ ὁ hic pro μὴ poſitum, & inter Hebraismos numerandum eſſe, cenſet *Vorſtius* in Philologia Sacra. Sed vide tu *Horat. Vitringam* in animadverſionibus ad Vorſtium p. 220.

ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει) Hoc ſcilicet addiderant doctores Judæorum legi divinæ, eo ſenſu, quod homicidium non niſi caſſum & manu perpetratum pœna capitali, a judicibus decreta, puniendum ſit. Vel etiam, quæ aliorum ſententia eſt, ut docerent, differentiam quoque conſtituendam eſſe inter eum, qui ſua manu, & illum, qui per tertium vita alterum privarit. Priorem judicio hominum, poſteriorem tantum judicio Dei ſubjectum, nec puniendum eſſe. Vide in hanc ſententiam Rev. *Chriſtoph. Matth. Pfaffium* in Comment. ad h. l. *Seldenus* de Synedrio p. 202. phraſin hanc explicat per: *judicio* ſeu *ſententia judiciaria obligatus erit*, ſeu *alligatus*.

Verſ. 22. ὁ ὀργιζόμενος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ εἰκῇ) Vox εἰκῇ in variis Codd. Græcis, tum vero verſionibus & Patrum allegationibus (de quibus ſpeciatim *Grabius* ad Irenæum p. 314.) deeſt. Hinc pro adſcititia habent complures v.c. *Colomeſ.* in Obſſ. Sacr. p. 89. *Rich. Simon* (qui tamen alibi τὸ εἰκῇ pro genuino habuerat,) in Hiſtor. Crit. de Verſionibus N. T. p. 30. ſq. item p. 180. ubi ſpeciatim de *Syro* Interprete, in quo exſtat, tum p. 380. ſqq. & p. 417. nec non in Obſervationibus Novis p. 339. & in notis ad N. T. quamvis ibi ipſe fateatur, lectionem hanc antiquiſſimis Patribus Græcis, Vulgata item & Syriaca verſione, adſtrui. Adde ejusdem Diſſ. de MSS. N. T. quæ exſtat in calce l. III. Hiſt. Crit. p. 39. *Millius* ad h. l. pro gloſſemate habet, hac uſus ratione: Certe ſerio rem perpendenti cum non occurrat ratio, cur omitteretur vox εἰκῇ, imo potius neceſſario adhibenda videretur, ad emolliendum ſcilicet, quod alioquin durius dictum putarent: videtur omnino ſcholion eſſe, e margine Codicis alicujus in textum admiſſum, vetuſtum tamen, & quod Apoſtolicorum pene tempore Codices invaſit. Legunt ſiquidem *Cant.* Gr. Lat. *Goth. Cypr. Juſtinus. Syrus* autem & *Copt.* vocem hanc ita propriam loco huic putarunt, ut retinere eam maluerint, quam interpretari. Confer eundem in Prolegom. §. 302. 343. 369. 384. 857. & 1256. His ſequentia opponit *Whitbius* in Examine p. 28. *Ego quidem hujusmodi conjecturæ parum faveo, nec in textum, in Eccleſiis Chriſtianorum publice recitatum, inſolens aliquod irrepſiſſe facile credam, niſi ex cauſa graviori, quam hic loci nullo modo invenio. Vulgatæ enim verſioni Patribusque Latinis habeo, quod opponam teſtimonium Juſtini M.* Deinde, recitatis variis Patrum locis, in quibus vox εἰκῇ exſtat, tandem ſubjungit: *Cum vero vox εἰκῇ ex Millii ſententia neceſſario adhibenda videretur, ad emolliendum ſcilicet quod alioqui durius dictum putarent; ex ea ſententia recte colligimus, quod vocem illam nemo quidem de induſtria omiſerit: potuit tamen omitti ex oſcitantia librariorum, quod aliis locis acciditſſe ipſi ſæpiſſime in confeſſo eſt.* Confer Cl. *Jac. Lenfant* in epiſtola, quæ exſtat in Bibliotheca Selecta Tom. XVI. p. 286. & 290. B. *Lutherus* in verſione Ger-

manica omisit, Vulgatum scilicet secutus, cujus consilii quas habuerit rationes, exponit *Petrus Adolphus Boysen* in Dissert. de Codice Græco N. T. & consilio, quo usus est B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica p. 58. sqq.

De voce ἀδελφὸς, hominem quemvis alium hic denotante, lege *Vorstii* Philolog. cap. III. p. 57. sqq. & *Suicerum* Tom. I. p. 86.

ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει &c.) Vides hic memorari tria diversa, nempe κρίσιν, συνέδριον & γέενναν, quæ ex Judæorum institutis alii aliter explicant. Vide inprimis *Jos. Vvisinium* ad Raymundi Pugionem Fidei p. 267. & *Wagenseilium* ad Sota p. 15. De Judicum confessu ac potissimum de Triumvirali exponit *Rhenferdius* in Dissert. de decem otiosis Synagogæ p. 34. sq. De Synedrio vero multi, quos vide citatos a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 469. *Possinus* in Spicileg. Evangelico p. 45. sq. eruditas curas huc refert, quarum summa hæc est: Tria tribunalia Christum distinguere Hebræis tunc partim ex usu præsenti, partim ex Scriptura & traditione nota: distinguere & pœnas ab unoquoque tribunali decerni solitas, quas ipsa tribunalium mentione in duobus primis tacite innuat; in tertio vero pœnam diserte memorare, sed tribunal ipsum non clare exprimere. Κρίσιν itaque is interpretatur de illo Judicum confessu, qui, tribus & viginti membris constans, per singulas civitates constitutus erat, & reos convictos capitis damnare poterat: συνέδριον vero de Concilio LXXII. quod Hierosolymis causas majores cognoscere & lapidationem, quæ Judæis habebatur gravissima, decernere reis solebat, ac nomen סנהדרין ferebat, sicut prius illud proprie דין appellabatur. His duobus additur tertii loco γέεννα τοῦ πυρὸς, quod judicium de divino interpretatur *Possinus*, advocato in subsidium Matth. XX. 28. Aliorum sententias vide expositas a *Spanhemio* in Dub. Evangel. n. XL. qui per tertium, quod præcipue dubium est, intelligit שרפה i. e. *vivicomburium*, quam sententiam tuetur *Josua Arndius* in Miscellaneis Sacris p. 50. contra *Sam. Petitum* in Variis Lection. lib. I. c. 5. qui phrasin ἔνοχος ἔσται εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς ad morem Judæorum refert, quo solebant eos insepultos abjicere in vallem *Hinnom*, quos sævius punitos volebant. Consentit hac in parte *Reitzius* in notis ad *Goodwini* Mosen & Aaronem p. 408. & *Jac. Lydius* in Florum Sparsione ad Passionem J. C. p. 276. Alii vicissim per κρίσιν judicium divinum intelligunt, cum humano ira, in fratrem prodita, subjici non soleat: per συνέδριον vero confessum Judicum XXIII. forensem; per γέενναν denique pœnam infernalem. Vide huc Rev. *Pfaffium* in notis ad h. l. Hoc vero modo phrasis ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. quæ in hoc commate exstat, aliam habebit significationem, quam quæ v. 21. obtinet, & γέεννα τοῦ πυρὸς, sive pœna infernalis, contradistinguetur judicio divino, cujus tamen partem & speciem constituit. Itaque malim in prima, quam recensui, sententia acquiescere, ita tamen, ut ad vallem Hinnom, in quam cadavera projici solebant, respectus habeatur.

ῥακὰ

ῥακὰ) ריק hebraice *vanum* & *inane* ſonat: inde græca forma nomen *Raka* futilem & inanem infert, quod *Heſychius* agnovit, vocem ῥακὰ interpretans per κενός. Ita *Poſſinus* in Spicilegio Evangel. p. 135. Atque hanc vocis originem plerique omnes agnoſcunt. Confer *Druſii* Comment. ad Voces Hebr. N. T. cap. 3. & in Proverbiis Claſſ. II. iib. IV. n. 16. *Cheitomæum* item in vocibus Græco-barbaris N. T. *Franzium* de Interpret. Scripturæ Orac. 129. *Laur. Fabricium* in Dedicat. ad Reliquias Syras, *Wagenſeilium* in Confutat. carminis Lipmanni, inter Tela ignea Satanæ p. 215. *Pfeifferum* in Dubiis Vexatis p. 894. & in Quinquagena Locorum &c. p. 472. Opp. Philolog. Singularis eſt *Andreæ Mülleri* etymologia, in Gloſſario Sacro p. 11. ſuppeditata, qui idem eſſe putat, quod Hebræorum רשע i. e. *impius*, ideo ſcilicet, quod caph raphatum (Ch) ab Orientalibus æque ac Gallis in modum *ſch* pronuncietur. Atque ſic Salvatoris hæc confert cum dicto Talmudico *Kidduſchin*, 28. 1. הקורא לחבירו רשע יורדין עמו לחייו i. e. *Qui ſocio ſuo*, Improbe, *dixerit, capital eſto.* Quomodo Patres vocem hanc interpretati ſunt, oſtendit *Lacerda* in Adverſar. c. 106. p. 180. Variorum ſententias in cumulum confert *Kochius* in Obſervatt. Miſcell. Part. III. p. 230. ſqq. qui, *Pfeifferum* inprimis ſecutus, recte exiſtimat, convicium fuiſſe cum geſtibus, ſubſannationem & contemtum inferentibus, conjunctum.

εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρὸς) Vocem γέενναν ex Hebr. גי הנום i. e. *vallis Hinnom* fluxiſſe, communis fere eſt Interpretum ſententia. Confer *Pfeifferum* in Opp. Philolog. p. 473. *Scherzerum* in Syſtemate Theolog. p. 639. & *Cheitomæum* in Vocibus Græco-barbaris p. 54. ſq. Quomodo vero hinc iſtam formam acceperit, oſtendit *Keuchenius* ad h. l. Nec aliter omnino ſentiendum eſt, cum ex ſuperioribus conſtare poſſit, Chriſtum hac voce ad vallem *Hinnom* reſpexiſſe. Idololatræ ſcilicet Ennomi vallem Hieroſolymis vicinam & in ſe amœnam ad Molochi cultum delegerant, Joſias autem eam in omnia alia convertit, & ut hoc magis fœdam redderet, morticina varia & cadavera eo projici mandaverat, ad quæ conſumenda cum perpetuo & jugi igne opus eſſet, nec vermes deeſſent, qui ſuperſtites reliquias depaſcerent, hinc factum eſt, ut vermes immortales & ignes inexſtinguibiles inferorum geennæ nomine appellarentur. Conf. *Steph. Morini* Exercitat. de Linguis p. 366. Cęterum Judæos infernum nomine גי הנום appellare, oſtendit *Bartolocęius* in Biblioth. Rabbinica Magna Tom. II. p. 128. ſq. Confer *Lightfooti* præfat. ad Harmoniam N. T. Adde de voce Gehennæ *Saubertum* de Sacrificiis p. 466. & *Tob. Eckardi* Technicam Sacram p. 125.

Ceterum phraſin ἔνοχος εἰς τὴν γέενναν pro elliptica habet *Hombergius* in Parergis p. 18. & ſubintelligi vult verbum βληθῆναι, v. 29. & 30. niſi poſitum quis credat pro dativo, quod malim.

Verſ. 23. 24. & 25. illuſtrat B. *Mich. Cobabus* in Diſp. de reconciliatione fraterna, *Roſtoch.* 1681. 4.

Verſ. 23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς) *Si offers* i. e. ſi offerre vis; de conatu enim & propoſito agendi, non autem de actu ipſo, verbum hoc accipiendum videtur. Sic *Matth.* XXVI. 25. Judas dicitur ὁ παραδιδοὺς αὐτὸν h. e. qui prodere volebat. Ita cenſet *Boiſius* in Collat. p. 10. non inconcinne. Sed videtur tamen obſtare ſequens κἀκεῖ μνησθῇς, *& ibi memineris;* quod ſi de *loco* capiatur, ita accipiendum eſt, ut moneatur injurius in alterum, neceſſe eſſe, ut ſi vel maxime in loco & actu oblationis jam conſtitutus ſit, & in injuriæ memoriam veniat, recedat, & a negotio continuando deſiſtat.

τὸ δῶρόν σου) i. e. oblatio quæcunque, quæ ex voluntate Dei fiebat in ſacrificium. Reſpondet Hebraicis vocibus קרבנות & מתנות *Exod.* XXVIII. 38. & *Ezech.* XX. 26. Confer *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 278. Ceterum eandem fere loquendi formam & præceptionem habes apud R. *Jonam* in lib. de timore, quam affert *Cappellus* in Spicileg. p. 13.

Verſ. 24. διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου) Simile quid ex Judæorum inſtitutis affert *Lempereur* ad Bava Kama p. 222 Apud Judæos morem fuiſſe receptum, ut, qui alium læſiſſent, criminis veniam demum in die Expiationis impetrarent, ubi læſo ſatisfeciſſent, obſervat ad hunc locum illuſtrandum *Jac. Rhenferdius* in Comparatione anniverſariæ Expiationis Pontificis M. in V. T. cum expiatione J. C. p. 103.

Verſ. 25. Ἴσθι εὐνοῶν) In ſimili negotio phraſi hac uſus eſt *Polybius.* Vide *Raphelium* in Notis Polyb. p. 42.

ἕως ὅτου) i. e. *dum,* ut cum Beza *Hombergius* p. 18. recte quidem, quamvis poſterior præter rem B. Lutherum reprehendat, tanquam qui vim hujus particulæ non obſervarit, cum tamen dieweil illud, quo uſus eſt, idem illud Germanis inferat.

ἐν τῇ ὁδῷ) *in via,* ſcilicet, ad quærendum judicem.

μήποτε) *ne forte,* Vulg. alii *ne quando.* Pro priore verſione poſt *Piſcatorem* ad Marc. XIV. 2. pugnat *Boiſius* in Collat. p. 11. Confer *Caſtellionis* Reſponſ. ad cenſuram Bezæ p. 485.

τῷ ὑπηρέτῃ) Is eſt, qui Hebræis appellatur חזן, i. e. *apparitor, miniſter publicus.* Vide omnino *Vitringam* in Archi-ſynagogo p. 51. & de veteri Synagoga p. 896. Syrus expreſſit per vocem, quæ reſpondet Græcæ πράκτωρ (Luc. XII. 58.) Confer *Feſſelii* Adverſar. Sac. Tom. I. p. 14. & *R. Simonis* Hiſt. Critic. de vers. N. T. p. 180. Adde ad hoc comma cogitata *Val. Ern. Læſcheri* in Decimis Evangelic. Part. III. p. 138.

Verſ. 26. ἕως ἂν ἀποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην) i. e. *donec ſolvas omne debitum, ne quadrante quidem uno de ultima penſione remiſſo.* Ita *Gronovius* de Pecunia vetere p. 437. De voce ipſa κοδράντης lege præter *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 53. & *Druſium* in Præterit. p. 77. *Tac. Haj. van den Honert* in Diſſert. de Stylo N. T. p. 355. Comma hoc præter rationem ad aſſerendum purgatorium a Pontificiis

tificiis trahi, oſtendit B. *Ittigius* in Opuſculis p. 166. & *Noldius* ad Concordantias Particul. Hebr. not. 1708.

Verſ. 27. τοῖς ἀρχαίοις) Abeſt a nonnullis Codd. Gr. & verſionibus quoque. Itaque pro adſcititio habet *Millius* & *Pfaffius* de Variant. Lect. N. T. p. 189. repugnante recte *Whitbio* in Examine p. 37.

ἐ μοιχεύσεις) Expreſſa ſunt verba legis, ſed in ore ψευδοδιδασκάλων, qui adhærebant literæ, & propriæ vocabuli נאף ſignificationi, quo adulterium, ſeu fornicatio nupti aut nuptæ cum nupta aut nupto denotatur, quæ ſpuria erat illorum hominum interpretatio, cui ſe hic Chriſtus opponit. Ita *Guſſetus* in Veſperis Groninganis p. 115. Simplicius vero & rectius exiſtimatur, Chriſtum hic animadvertiſſe in doctores, actum adulterii, quodcunque illud ſit, externum hic tantum vetari ſtatuentes, non autem cupiditates cordis flagrantes.

πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς) *Hammondus* emphaſin quærit in verbo βλέπειν, quod eſſe putat *attente adſpicere*. Sed emphaſis quærenda potius erat in verbo ἐπιθυμῆσαι, quod h. l. eſt *turpiter amare*, hoc ſenſu: *quicunque adſpicit mulierem ita, ut illicito turpique ejus amore exardeat.* Hoc enim ſignificatu paſſim τὸ ἐπιθυμεῖν uſurpatur ab Auctoribus. Vide *Elsnerum* p. 25. Confirmat hanc interpretationem ex parte *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 136. qui, πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι idem hic eſſe, ait, quod ὥστε ἐπιθυμῆσαι. Quod ad rem ipſam attinet, B. *Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacr. p. 552. recte obſervat, intelligendum hic eſſe talem adulteri adſpectum, certam voluntatem habentis adulterandi aliquam, ſi poſſit; non autem de concupiſcentiæ affectu, quantumvis inani, & per phantaſiam gaudente. Obſervandum præterea eſt, exſtare ſimilia Judæorum judicia de prava concupiſcentia tanquam illegitima & criminis plena. Lege talia apud *Hackſpanium* de uſu librorum Rabbinic. p. 428. ſqq. & in Notis ad h. l. p. 29. *Buxtorfium* in Lexico Talmud. radice סכר & *Odhelium* in Synagoga Bifronte p. 163. ſqq. item *Wagenſeilium* ad Sota p. 51. quemadmodum nec in externorum Auctorum ſcriptis deſiderantur. Vide *Gatackerum* ad Antonin. p. 88. & in Adverſariis p. 332. item *Elsnerum* l. c. Sed illa tamen animadverſionem Chriſti non eludunt, cum illius ætatis doctores hanc doctrinam vel maximam partem, vel penitus, neglexiſſe, vel hinc manifeſtum fiat. Et veriſimile eſt, Judæos iſtis poſteriores rectiorem viam hic ingreſſos eſſe. Confer *Vitringæ* Obſervatt. Sac. lib. III. p. 121. ſq.

ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν) *mœchatus eſt eam*, Vulg. minus Latine, pro *adulteravit illam.* Vide *Boiſium* p. 11. & *Voſſium* de Conſtruct. c. 21.

Verſ. 29. σκανδαλίζει σε) *offendiculum tibi præbet:* de verbis σκανδαλίζειν & σκανδαλίζεσθαι hebraizantibus, phraſibusque inde formatis, lege diligenter agentem *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. p. 77. ſqq. & p. 82. ſq. *Beza* verte-

re ſolet *offendit*, notatus ideo a *Rich. Simone* de Verſ. N. T. p. 299. & antea a *Boiſio* in Collatione, qui retineri volunt *ſcandalizat.*

ἔξελε αὐτὸν καὶ βάλε ἀπό σε) In verbis hic interpretandis diverſas partes ſectati ſunt Interpretes, adeo, ut *Winſtrupius* in Pandectis ad h. l. p. 748. ſq. novem omnino allegoricas & duas literales afferre potuerit. Veteres maximam partem ita interpretantur, ut idem ſit, quod rebus pretioſiſſimis & chariſſimis ſe privare, & earum jacturam libenter facere. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 531. Doctiſſimus V. E. *Læſcherus* in Decimis Evangelic. Part. II. p. 68. ſqq. multis contendit, verbis Chriſti preſſe inhærendum eſſe, ita ut omnino præcipiat amolitionem horum membrorum proprie ſic dictam, ſi alioquin evitari non poſſit peccatum, ex eorum irritamentis perpetrandum. Conferatur idem in Stromat. p. 34. Accedit his partibus *Königsmannus* in Prodromo Clavis Propheticæ p. 132.

Plerique omnes hæc de averſatione & cohibitione pravæ concupiſcentiæ, membrorum iſtorum ope vel excitatæ, vel excitandæ, capiunt. Quam in rem eadem fere phraſi utitur *Philoſtratus* de Vitis Sophiſtarum l. 20. §. 1. p. 413. ubi hæc de Iſæo: καὶ τὸ ἐρᾶν μεθῆκεν, ὥσπερ τὰς προτέρας ἐφθαλμάς. Aliorum phraſes ſimiles affert *Elsnerus* p. 27. ubi & ex *Heliodoro* phraſin *oculum eruere* improprie ſumtam explicat, quod ſcilicet idem ſit, ac τοῖς σώματος ἐφθαλμοῖς τοῖς τῆς ψυχῆς ἀντισῆναι i. e. *animi oculis reſiſtere oculis corporis*, quæ illius verba ſunt lib. II. p. 104. Conferatur idem p. 84. ubi ait, βέλτιον ἦν θατέρᾳ με τῶν ὀφθαλμῶν ἐλατωθῆναι, ἤπερ ἐπίσοι φρονεῖν, quem locum huc affert Cl. *Trillerus* in notis MSS. Pro formula proverbiali habet *Schottus* Adag. N. T. p. 7.

Verſ. 30. συμφέρει γάρ σοι) *Schottus* l. c. p. 7.

Verſ. 31. Ἐρρέθη δὲ ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ) Reſpicit Chriſtus verba *Deuter.* XXIV. 1. 2. quæ tamen non repetit, ut ibi plene exſtant, ſed ut a Phariſæis afferri ſolebant, ad ſtabiliendam ſententiam ſuam, licere marito ob quamcunque cauſam, non ob ſolum adulterium, uxorem dimittere. Confer Veſperas Groningan. p. 115. & ibid. p. 175. ſq. ubi de genuino ſenſu loci Deuteronomii diligenter disquiritur. Adde *Altingum* Tomo II. Opp. in Parallelismo Vaticiniorum V. T. quæ citantur in Novo p. 28. ſq. qui locum utrumque confert, & inter cetera obſervat, mandatum hic eſſe, non de repudianda uxore, ſed de libello, quem repudians maritus uxori dare debet, quo haberet publicum teſtimonium injuriæ, quam eſſet paſſa. Itaque non probari factum, ſed facto illaudato limites poni. Idem in ſequentibus reliqua V. T. loca, ad quæ hic a Chriſto reſpicitur, cum verbis Evangeliſtæ comparat.

δότω αὐτῇ ἀποστάσιον) Doctrinam Judæorum de repudiis exponit *Hoornbeckius* de convertend. Judæis lib. VII. c. 6. p. 520. diligentiſſime vero omnium *Seldenus* in Uxore Ebræa lib. III. c. 18. ubi & ipſam formulæ repudiandi

pudiandi rationem inveneris, c. 24. a. qua cum ea dissentiat, quæ Karæis recepta fuit, eandem conferre licebit apud *Schupartum* in Tractat. de Karæis p. 171. sq. Comparandus quoque fuerit Maimonidis tractatus de Hebræorum Juribus divortii a M. *Jo. Justo Sonneschmid*, Jen. 1718. 4. editus, nec non *Joh. Palmroot* disput. de libro Repudii, Upsal. 1703. ut omittam citatos a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 582. ubi & ea exposita videbis, quæ ad Græcorum Romanorumque in hac parte ritus pertinent. Atque de istis gentium institutis consuli quoque poterit *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. & *Dougtæus* in Analectis Sacris p. 6.

Vers. 32. παρεκτὸς λόγου πορνείας) *Schammæani* olim adulterium solum legitimam esse divortii causam statuebant, *Hillelianis* contra rem quamcunque aliam turpem sufficere arbitrantibus. Diserte utrorumque sententia traditur in *Gittin* cap. IX. fol. 90. 1. *Schammæanorum* partes amplexi deinde sunt *Karæi*, qui hodienum inter Judæos, sed rari, versantur. Confer huc omnino *Triglandium* in Dissertat. de Karæis p. 99. sq. & *Seldenum* libro citato cap 23. Phrasis ipsa παρεκτὸς λόγου πορνείας respondet Hebraicæ ערות דבר *Deut.* XXIV. atque vox λόγος aliis quidem pleonastice posita videtur, quomodo & Græci profani eam interdum adhibent, quod ostendit *Schwarzius* ad *Jo. Olearii* dissert. de Stylo N. T. p. 270. Aliis idem est, quod *causa*, pro qua expositione pugnat *Vorstius* in Philolog. Sac. Part. I. c. 14. p. 396. sq. ubi & contra *Seldenum* loco citando & *Brochmandum* (qui phrasin hanc verti vult: *præter* vel *extra proportionem fornicationis*) disputat, & contra *Cappellum* atque *Hackspanium* evincere conatur, non esse hic Hebraismum. Aliis vero λόγος hic idem est, quod *res*, seu *negotium*, ut Luc. I. 37. quam in sententiam disserit *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 30. Atque hoc postremum amplectendum mihi videtur, ut sic amplius aliquid, quam adulterium præcise pro justa matrimonii solvendi causa indicetur, nempe id omne, quod *rationem adulterii*, h. e. aliquid ei simile habeat. Confer huc *Jo. Mich. Langii* Tractatum de Nuptiis & Divortiis p. 138. ubi is inter cetera observat, phrasin hanc esse tanquam expositionem propositionis exceptivæ εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, quæ extat *Matth.* XIX. 9. quia id Christus sibi h. l. velit, nunquam recte dimitti uxorem, nisi vel adulterium, vel delictum adulterio non levius, fidem conjugalem ruperit. Quo ipso Paulus, 1. *Cor.* VII. malitiosam desertionem huc advocans, instituto Salvatoris nihil addidisse, sed potius exemplo illustrasse censendus est. Diversas aliorum de hac phrasi observationes & expositiones leges apud *Seldenum* in Uxore Ebræa p. 405. & p. 361. ubi eam ita interpretatur, ac si Christus Hebraica, vel simili Orientis lingua, usus, dixisset: אלא אם כן משום דבר ערוה h. e. *extra rationem turpitudinis*, ut proinde vox πορνεία, de cujus significatu fuse differit, in latissimo sensu hic accipi debeat. Conferatur idem in Jurisprudentia Naturali p. 890. & adde quæ scribentur ad Matth. XIX. 9. *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 310. sqq. contra

Ponti-

Pontificios oſtendit, his Chriſti verbis permitti, ut quis, repudiata propter adulterium uxore, alteram ducat: cui *Petavium* Tom. IV. Dogmatum Theolog. p. 197. ſqq. opponere ſe potuiſſe, procul dubio miraberis.

καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ) Deſunt in Codd. nonnullis, ſed tamen pro genuinis habenda: v. *Whitby* Examen p. 37.

Verſ. 33. ſq. Vide huc *Sebaſt. Schmidii* Diſput. de Juramentis in *Faſciculo* Diſputatt. ejus p. 615. ſqq. *Guſtav. Georg. Zeltner* in Diſputat. de Juramentis Hebræorum veterum, Jen. 1693. 4. & Obſervatt. Miſcellan. Tom. II. p. 911. ſqq. tum vero *Jo. Ludov. Frey* Diſſert. de Juramento, *Baſil.* 1712. 4. & *Jo. Rodolph.* Bern. 1706. 4.

Verſ. 33. οὐκ ἐπιορκήσεις) Diſputatum olim eſt inter *Cleanthem* & *Chryſippum*, Stoicos, quæ propria hujus verbi vis ſit, illo ſtatuente, ἐπιορκεῖν de eo tantum dici, qui verbis quidem juret, animo autem promiſſa ſibi ſervanda eſſe non ſtatuat: hoc contra affirmante, ſi quis, quæ jurando affirmaſſet ſe facturum, non præſtet, etiamſi ex animi ſui ſententia juraſſet, hunc ἐπιορκεῖν intelligi oportere, nec de quoquam hoc verbum ante dici poſſe, quam ex eventu conſtet, ab ipſo jusjurandum non ſervari: ſin quis falſum juret, eum ψευδορκεῖν. Vide de hac cauſa *Grotium* de Jure Belli & Pacis lib. II. c. 13. §. 13. & *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 18. ſq. qui eam ex Xenophonte decidit, Chriſti vero hanc mentem eſſe contendit, ut tum jurantis animus ab omni fraude prohibeatur, omnesque reſervationes mentales, cum decipiendi voluntate conjunctæ, a jurejurando excludantur, tum ut fides promiſſo conſtet, nec, quæ ſacramento dicta ſunt, cum tempus perſolvendi adeſt, negentur.

ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου) Reſpicitur inprimis Deut. XXIII. 22. quod recte monent *Altingius* l. c. & *Ludov. Cappellus* in Spicilegio. Conſer tamen etiam *Exod.* XX. 7. *Lev.* XIX. 12. & Numer. XXX. 3. Doctores vero Judæorum eo ſenſu hæc Moſis verba repetebant, ut præciperent, nomen Dei non interponendum eſſe juramentis, quibus falſum juraretur; exacte vero ſervandum, quicquid Deo jurejurando promiſſum eſſet, parum interim ſoliciti de ſacramentis vanis & temerariis, nec de illis, in quibus Dei nomen non erat expreſſum. Lege huc *Veſperas Groninganas* p. 117. Phraſis ipſa: ἀποδιδόναι τοὺς ὅρκους Græca eſt, & externis Scriptoribus frequentata. Vide loca apud *Elsnerum* p. 28. qui ſcite obſervat, eleganter hic dici, *Domino ſerves jusjurandum tuum*, quamvis in hominum gratiam ſit factum; q. d. *etiamſi hominibus jusjurandum ſervare nolles, des id ſaltem reverentiæ Dei, ut ne, dum eo teſte invocato pejeras, ſanctiſſimum ejus nomen contemtui ac ludibrio aliorum exponatur.*

Verſ. 34. μὴ ὀμόσαι ὅλως) Sæpe Infinitivus ponitur pro Imperativo, ſubintellectis ſcilicet verbis aliis v. c. δεῖ, vel χρή, vel κελεύω, quo vide *Lamb. Bos*

Bos de Ellipſi. Hic quidem *Knatchbullus* ſubintelligendum putat θέλε, vel μέμνησο. Sed neutro opus eſt, cum infinitivus hic a verbo λέγω pendeat. Præcepto hoc Chriſti nonnulli veterum omnem jurisjurandi uſum prohiberi cenſuerunt. Appellat eos, & eadem opera aliorum ex veteribus Eccleſiæ Doctoribus ſententiam rectiorem ediſſerit, *Voſſius* in Hiſtoria Pelagiana lib. V. Part. II. c. 1. Tom. VI. Opp. p. 723. ſeq. Conf. *Langii* notas ad Juſtini Mart. Apolog. I. p. 16. & *Suicerum* Tom. II. p. 513. Sed illa quidem ſententia non difficulter tum ex ſerie verborum Chriſti, tum ex contraria Apoſtolorum & primorum Chriſtianorum conſuetudine, corruit. Itaque alii alias vias ingreſſi ſunt. B. *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſputationum p. 639. ſeq. τὸ *jurare* idem hic eſſe putat quod *falſo jurare*, ſicut Judæi in Tract. *Schevuoth* c. V. §. 4. & 5. verbo ſimplici *jurare* pro ἐπιορκεῖν utuntur, quæ etiam videtur eſſe notio *Matth.* XXIII. 16. *Qui jurat per aurum templi* (ſcilicet *falſo,*) *debet*, ſeu reus eſt. Quando igitur doctores Judaici dicebant: *non jurabis*; mens erat: *non pejerabis*, ſeu non jurabis per nomen Domini falſo (confer *Levit.* XIX. 12.) at iidem perjurium, ſeu juramentum fallendi animo factum, ſi per *templum*, *altare*, &c. conceptum eſſet, pro perjurio non habebant. His itaque confirmat Chriſtus, etiam illas jurisjurandi formulas obligare hominem, adeoque ab iis, & ab omni perjurio eſſe abſtinendum. Hanc interpretationem ſuam quoque fecit *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter des N. T. p. 89. ſqq. Non multum diſcedit *Guſſetus* in Veſperis Groninganis p. 119. ſq. qui contendit, prohiberi hic juramenta in rebus non neceſſariis & in privato convictu, & cum his, quas Chriſtus affert, formulis. Itaque τὸ ὅλως referendum eſſet non ad rem ipſam, ſed ad morem hominum, jurejurando leviter, vel etiam impie, utentium. *Heinſius* in Exercitationibus, ſublata interpunctione, vocem ὅλως non ad ὀμόσαι ſed ad ſequentia μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ &c. referri vult, ut proinde non omne juramentum, quod ſcilicet per Deum fiat, ſed id tantum, quod præſtetur *per cœlum* &c. hic prohibeatur. Sed vide in contrarium *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 269. Ad non neceſſaria juramenta hæc tantum pertinere videntur *Steph. Morino* Exercitat. de Linguis p. 161. Ad privata tantum refert *Tillotſon* in Concionibus p. 627. ſq. & 636. ſq. Ad ſola promiſſoria futuri incerti *Grotius* de Jure Belli & Pacis lib. II. c. 13. Ad rationem jurandi, Judæis tunc receptam, in univerſum *Rich. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 126. Plura lege, ſi placet, apud *Seldenum* de Synedriis p. 847. ſq. Mihi *Schmidii* potiſſimum ſententiam probari non inficior. Ceterum non deſunt ſimiles de cavendo ſollicite juramento præceptiones in Gentilium ſcriptis. Sic Epictetus Enchirid. cap. 44. ὅρκον παραίτησαι, ἐι μὲν ὅιόν τε, ἐις ἅπαν ἐι δὲ μή, ἐκ τῶν ἐνόντων h. e. *jusjurandum recuſa, ſi fieri poteſt, omnino; ſin minus, quantum potes.* Adde paria his Philoſophorum, imo integrarum gentium, inſtituta, quæ recitant *Huetius* in Quæſt. Aluet. III. 4. p. 326. *Menagius* ad Diog. Laertium p. 362. b. *Gatackerus* ad Antoninum III. 5. & Interpretes ad *Longinum* περὶ ὕψους Sect. 16.

Mirum est, quod *Dapperus* in Descriptione Africæ p. 117. narrat, Mauros nunquam jurare, & ipsam eorum linguam jurandi formulis destitui. Judæos, ætate Christi posteriores, a temeraria & levi jurandi consuetudine graviter avocare suos, productis eorum locis, ostendit *Wulferus* in Theriac. Judaic. p. 182. Adde *R. Jonæ* locum apud Cappellum in Spicilegio notarum p. 14.

μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, μήτε ἐν τῇ γῇ) Hebraïsmum hic observat *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 198. cum alias verbum hoc Accusativo rei jungatur, ut *Jac.* V. 12. Has jurandi voces tunc temporis inter Judæos receptas fuisse, dubitari vel per ipsa hæc Christi verba nequit, recte monentibus *Vitringa* in Archi-synagogo p. 291. & *Seldeno* de Synedriis p. 847. Atque idem patet ex *Philone* de Decalogo p. 769. cujus verba recte huc advocant *Dilherrus* in Disputatt. Academic. Tom. I. p. 187. & *Corn. Adami* in Observatt. p. 106. sq. Adde *Serarium* in Trihæresio p. 43. *Drusium* de Sectis p. 267. *Buxtorfium* in Lexico Talmud. p. 2314. *Seldenum* de Synedr. p. 854. *Jo. Baptist. Hansenii* Diatribam de Jurejurando veterum cap. 26. & 27. quæ exstat Tom. V. Antt. Rom. *Jo. Frid. Miegii* notas ad Maimonidis Tract. de Juramento p. 122. sq. (qui persuasum sibi habet, Christum non simpliciter, sed cum temperamento jurandi has formulas h. l. aversatum esse,) & novissime *Justum Christoph. Dithmarum* ad eund. Maimonid. tractatum, Latine cum notis editum Lugd. Bat. 1706. p. 219. sqq. Confer laudatos ad v. 33. De aliis jurandi formulis, his similibus, quarum alias veterum monimenta memineruntlege diligentissime exponentem *Fabricium* in Bibliographia Antiquaria p. 429.

ὅτι θρόνος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ) Vide *Suicerum* Tom. II. p. 522. Sic cœlum in V. T. passim vocatur כסא seu thronus Dei. Eadem appellatione utuntur profani, ut *Sophocles* in Antigone v. 1157. *Theocritus* Idyll. VII. 93. & alii, quos huc affert Cl. *Trillerus* in notis MSS.

Vers. 35. ὅτι ὑποπόδιόν ἐστι) De voce ὑποπόδιον ex antiquitate differit *Chimentellius* cap. 29. de honore bisellii, Tom. VIII. Antiqu. Roman. p. 2138. Expositiones Patrum habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 1394.

μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα) In Gemara *Nedarim* f. 13. traditur, qui juraverit simpliciter ירושלים absque præfixo ב vel ל, eum non obligari, qui vero juret per בירושלים vel לירושלים, eum teneri. Confer *Dithmarum* ad Maimonidis Tract. de Juramento p. 220. Illustre hoc est indicium, quam subtiles fuerint olim Judæi in juramenti vi elevanda.

ὅτι πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως) De Deo Rege vide loca veterum apud *Suicerum* Tom. I. p. 670.

Vers. 36. μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ σου) Vide Cod. *Berachoth* f. 32. ubi Elias quidam jurat חייך וחיי ראשך i. e. *per vitam tuam, & vitam capitis tui.* Græcos & Romanos

manos per capita & ſua & eorum, qui ſibi chari eſſent, jurare conſueviſſe, poſt plures alios oſtendit ad h. l. *Jenſius* in Ferculo Literario p. 12. & *Doughtæus* in Analectis p. 7.

μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι) Hyperbolice hoc dici, cum revera utrumque fiat, cenſuit ὁ δεῖνα. Sed vide V. E. *Læſcheri* Stromata p. 34. ubi ſtatuit, non eſſe hic ſermonem de coloris mutatione, ſed de nova productione capilli unius albi aut nigri, ex propriis viribus facta. Ceterum *Palæphatus* de Incredibilibus c. 44. auctor eſt, Medeam inveniſſe ἄνθος δυνάμενον καὶ λευκὰς ποιῆσαι τὰς τρίχας καὶ μελαίνας.

Verſ. 37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, Ναὶ, ναὶ, Οὒ, οὔ) Similis prorſus phraſis hodie apud *Maimonidem* legitur in Hilcoth *Deoth.* c. V. §. 13. ubi verſio Gentii ita habet: *Negotiatio ſtudioſorum ſapientiæ ſincere & religioſe fieri debet, pronunciabit de Non; non: & de Ita; ita.* Confer *Cappelli* Spicileg. Not. p. 14. Pertinet huc Ναὶ καὶ Οὒ Πυθαγορικὸν, de quo legatur *Auſonii* Idyllium XVII. quod huc affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Adde *Grotium* de Jure B. & P. Lib. II. cap. XIII. §. 13. Vulg. vertit: *Eſt, eſt: Non, non.* Recte, judice *Boiſio* in Collat. p. 12. Ceterum ſenſus verborum Chriſti hic eſt, omnem ſermonem noſtrum, qui certe non poteſt tantum ex *ita* & *non* conſtare, debere eſſe veracem, ut affirmemus, quod verum eſt; negemus, quod verum non eſt. Confer *Schmidium* in Faſciculo Diſputatt. p. 649. Pro proverbiali formula habet *Schottus* in Adagiis N. T. p. 7.

Verſ. 38. ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ) Lege huc *Exod.* XLI. 24. *Levit.* XXII. 20. *Deut.* XIX. 20. ubi, cum Magiſtratui hujus vindictæ exercitium injungatur, Judæorum doctores animadverſioni huic Chriſti merito exponebantur, quippe qui idem jus privato cuique, ab alio injuriam perpeſſo, liberum eſſe tradebant. Confer Veſperas Groningan. p. 121. ſq. Optandum erat, ut proſtaret integra *Jo. Andr. Danzii* Diſſertatio *de Jure Talionis*, ad mentem Gentilium, Judæorum & Chriſtianorum examinato, quæ Jen. an. 1700. 4. tantum, quod ad primam partem, prodiit. Adde D. *Jo. Kahleri* Diſſert. de injuriis non retaliandis, *Rinthel.* 1712. 4.

Verſ. 39. μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ) Abuſi his Chriſti verbis ſunt hoſtes religionis, & inter eos Judæi, ad cavillos, quos ex parte retundit *Guſſetus* in Confutat. libri *Chiſſuk Emuna* p. 352. ſq. Confer *Wagenſeilii* Notas ad *Sota* p. 819. ſqq. ubi ex Judæorum ſcriptis ſententias nonnullas & exempla affert, pro ſimili manſuetudine, quam Chriſtus hic commendat, pugnantia. Facile vero mens verborum Chriſti intelligitur. Opponuntur illa vindictæ privatæ, & eodem quidem animo, quo alter injuriam intulit, odii ſcilicet & malitiæ pleno, ſumendæ, quam adeo caveri vult Chriſtus, ut, ſi per Magiſtratum vel alia legitima & Chriſtiano digna ratione injuriæ hæ, alioquin

lioquin tolerabiles, evitari non poſſint, eas potius & alias majores perferas, quam de ultione cogites. Vide in hanc ſententiam differentes V. E. *Læſcherum* in Decimis Evangelic. Part. I. p. 77. & in Stromatibus p. 34. *Hackſpanium* in Notis p. 32. *Jac. Cappellum* in Obſervatt. ad h. l. *Jac. Bernardum* in Tract. Gall. de præſtantia religionis Chriſtianæ lib. III. cap. 15. p. 434. & noviſſime *Jo. Clericum* in notis ad Hammondi Paraphraſin auctioribus ex ed. Lipſienſi ad h. l. Atque ſic non opus erit, ut dicamus, vocem πονηρῷ hic non in *dandi*, ſed *auferendi* caſu capiendam eſſe, ut ſenſus ſit: *ne reſiſtatis malis & illegitimis mediis, animoque hoſtili.* Qua ratione interpretatur poſt Chryſoſtomum *Alethæus* Part. I. p. 31. & ante eum B. J. H. *Majus* in Harmonia Evangel. p. 534. ut & *Eraſmus Schmidius* in Notis ad h. l. tum vero *Oſtermannus* in Poſitionibus Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 11. Primo enim verbum ἀντιςῆναι non ſolet uſurpari ſine mentione objecti, cui reſiſtitur, quippe quod ipſa particula ἀντὶ requirit. Deinde non temere illa caſuum Dativi & Ablativi apud Græcos, quod ad ſenſum, permutatio admittenda eſt, niſi gravis ratio ſuadeat, quæ hic nulla eſt, cum alia ratione ſenſui conſuli poſſit. Nec magis puto probandam novam Anonymi ſententiam im Heb-Opfer XXI. Beytrag p. 37. ſq. exiſtimantis, τὸ ἀντιςῆναι idem hic eſſe, quod *rependere*, ſicut τὸ ἔςησαν Matth. XXVI. 15. de appenſa pecuniæ ſumma uſurpetur, ut proinde Chriſtus hic non tam velit *malo non reſiſti*, quam par pari non eſſe reddendum. Sed cum nullum hujus ſignificatus exemplum vel ex ſacris, vel ex profanis ſcriptoribus, in quibus tamen frequentiſſime occurrit, adferre ſe poſſe fateatur, vereor, ut ſententiæ ſuæ approbatores inveniat.

ὅςις σε ῥαπίσει) *Heinſius* in Ariſtarcho c. 28. ῥαπίζειν pro *palma cædere* minus Græce dici judicat, repugnante *Pfochenio* de Stylo N. T. §. 90. contra quem vide, quæ viciſſim monet *Gatackerus* p. 235. Lege de eodem verbo *Arndii* Miſcellan. Sac. p. 21. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 557.

στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην) Confer *Jeſ.* L. 6. & *Thren.* III. 30. ex quibus locis colligit *Clericus* ad Hammond. edit. noviſſimæ auctioris, phraſin hanc eſſe proverbialem, eamque comparat cum Latina, *os præbere calumniis*, quæ apud *Livium* & *Tacitum* legitur. Confer & *Rich. Simonem* in notis ad h. l.

Verſ. 40. σοὶ κριθῆναι) i. e. לדון לך *rixari tecum & litigare*: vid. *Lud. Cappelli* Spicileg. Notarum p. 14.

τὸν χιτῶνά σε) i. e. *veſtimentum tuum interius*, quemadmodum ἱμάτιον exterius operimentum ſeu pallium denotat; Vide *Jac. Cappellum* in Obſervatt. ſuis ad h. l. ex Plutarcho de præceptis Conjugalibus, *Boiſſium* in Collat. *Caſaubonum* adverſus Baronium p. 495. Interpretes ad *Ælian.* Var. Hiſt. I. 16. & *Octav. Ferrarium* de re veſtiaria Part. I. lib. III. c. 1. & Part. II. lib. IV. c. 3. item *Fabricium* ad Codicem Apocryphum N. T. Part. I. p. 579. Senſus præcepti hujus eſt, præſtare, graviorem facere jacturam, quam alterum in

jus

jus vocare ob damnum leve, & quod perferre facile possis. Confer huc *Jo. Clerici* notas ad Paraphrasin Hammondi in repetita editione Lipsiensi. Comparandus quoque est *Grotius* de Jure Belli & P. & in Epistolis in fol. ed. Part. I. ep. 1057.

Vers. 41. ὅστις σε ἀγγαρεύσει) De verbo hoc, quod est originis Persicæ, lege *Stolbergii* Dissertt. de Solœcismis & Barbarismis N. T. affictis p. 149. sq. *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 9. *Waserum* de Mensuris Hebraic. *de Prado* in Pentecontarcho p. 103. sq. *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris p. 20. *Jo. Conrad. Dietericum* in Antiquitatibus N. T. p. 21. sq. *Guil. Saldenum* in Otiis Theolog. p. 665. *Nic. Bergierium* de Populi Romani viis lib. IV. Sect. 4. Tom. X. Antt. Roman. p. 411. & *Henninium* in notis p. 733. item *Lacerdam* in Adversariis p. 227. qui, cùm observasset, vocem hanc Persicæ esse originis, addit, idem hic sibi velle, quod cogere ad currendum vel ferendum aliquid, quia & cursoribus illis Persarum fas erat, cujusvis equos, vel naves, vel homines ipsos, ad cursum rapere. Conferatur idem p. 346. ubi Vulgatum defendit, per *angariare* vertentem. *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 276. τὸ ἀγγαρεύειν in hoc loco & capite XXVII. speciatim ad illum casum refert, quando milites, tempore expeditionis, dum exercitus procedit, angariare solent, vel homines, vel eorum animalia ad currendum aut bajulandum &c. Nec omitti debet *Adrianus Relandus* in Dissertatt. Miscellan. n. VIII. p. 125. sq. ubi, productis Etymologici M. & Eustathii locis, nova quadam ratione origines ejus in Lingua Persica ostendit. Adde *Fesselii* Adversar. Sacr. Tom. II. p. 505.

μίλιον ἕν) Vocabulum origine Latinum, sed quo Polybius jam videtur usus, ex quo *Strabo* citat lib. 6. & 7. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 43.

Vers. 42. ἀπὸ σοῦ δανείσασθαι) τὸ ἀπὸ σοῦ hic πλεονάζειν censet *Hombergius* in Parergis p. 19. quia simpliciter usurpetur a profanis. Sed & hos eadem prorsus ratione hanc phrasin adhibere, ostendit *Elsnerus* p. 29. qui & τὸ ἀπὸ σοῦ adeo putat necessarium, ut, si desit, subintelligendum esse existimet. Adde *Wechtleri* observata in Actis Erudit. 1712. p. 514. Δανείζειν in scriptis sacris idem esse, quod *mutuum dare citra usuram*, statuit *Suicerus* Tom. I. p. 822.

μὴ ἀποστραφῇς) *ne avertas*, ut post *Knatchbullum Hombergius* vertit, productis profanorum scriptorum locis p. 19. vel: *ne averseris* vel *repellas*. Vide *Elsnerum* p. 20. & *Kühnium* in Pentade III. Quæst. Philolog. p. 7. qui posteriorem hanc interpretationem contra *Knatchbullum* recte tuetur. Quod ad rem ipsam, de qua hic agitur, attinet, usura hic prohiberi nonnullis visa est, tanquam illicita, aliis recte negantibus, eam vel hoc, vel aliis Scripturæ locis vetari. Vide, quæ hanc in rem, & de toto usuræ negotio disputata sunt inter *Cloppenburgium* in Institutione de Fœnore & Usuris, & *Salma-*

ſium in commentationibus tribus de Uſuris, de modo uſurarum & de Fœnore Trapezitico. Adde *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 933. ſqq. Unſchuldige Nachrichten an. 1712. p. 116. *Pet. Baylii* Reſponſiones ad quæſtiones hominis Provincialis Tom. IV. p. 417. & qui citantur a Cl. *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 529. ſq. De *Caroli Molinæi* libro ſingulari huc pertinente conſule *les Eſſais de Literature* Tom. I. p. 142. ubi auctor præterea teſtatur, *Jo. Launojum* libro ſingulari, qui lucem non viderit, uſuras licitas eſſe, demonſtraſſe. Adde & Scriptores, qui de uſuris Judæorum, quousque illæ ipſis a Deo permiſſæ fuerint, &c. commentantur: nominatim *Wagenſeilium* ad Tela Ignea Satanæ p. 534. ſq. & 598. ſq. item *Wulferum* ad Theriacam Judaic. p. 193. ſq. *Diſenbachium* in Judæo convertendo p. 106. ſq. & *Hoornbeckium* in Prolegom. ad libros de convincendis Judæis p. 28. & in libro ipſo p. 526. ſqq. De *Indis*, uſuras ignorantibus, lege *Ælianum* Var. Hiſt. IV. 1.

Verſ. 43. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σε) Spectat huc B. *Jo. Schmidii* diſput. Exegetico-moralis de ἐχθροφιλία, Lipſ. 1719. 4. & J. H. *Heideggeri* Diſſert. ad Theol. Dogmat. Tom. III. p. 646. Græcis profanis quoque ὁ πλησίον pro quovis homine accipitur, etiam inimico, ut Polybio lib. XII. c. 6. init. Lege *Raphelii* notas Polyb. p. 44. Confer & *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. p. 54. ſq. qui tamen in eo Hebraiſmum hic obſervat, quod τὸ σε voci πλησίον additum invenitur.

μισήσεις τὸν ἐχθρόν σε) Hoc additamentum erat doctorum Judaicorum, quod in Lege non exſtat, ita omnino comparatum, ut mentem eorum ſatis declaret, ſcilicet, quod רע ſive τὸν πλησίον de amico tantum interpretentur, atque adeo inimicum, tanquam רַע i. e. *malum* odio proſequendum putent. Vocem vero רֵע non amicum tantum, ſed proximum quemcunque denotare, ex Exod. XX. 16. patet. Confer *Hackſpanii* Notas p. 34 Propterea & οἱ LXX. per ἕκαστος Exod. XVIII. 16. vertunt. Vide *Saubertum* in Opp. Poſthum. p. 287. Mirum eſt, Patres nonnullos per ἐχθρὸν hic *Diabolum* intelligere potuiſſe. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1294. Adde ad h. l. *Kidderi* Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 179. Veſperas Groninganas p. 123. & *Altingii* Paralleliſmum Vaticiniorum pag. 20. Tom. II. Opp. Præcepto Chriſti penitus adverſantur Talmudici in *Joma* cap. II. fol. 22. fin. ubi hæc leges: אמר ר' יוחנן משום ר' שמעון בן יהוצדק כל תלמיד חכם שאינו נוקם ונוטר כנחש אינו תלמיד חכם: h. e. *omnis diſcipulus Sapientis, qui ſe non ulciſcitur, & odium ſervat, ut ſerpens, non eſt diſcipulus ſapiens.* Confer עין ישראל Part. I. p. 102. n. 20. Adde *Lempereur* ad *Bava Kama* p. 303. Non magis pii aut mites ſunt Karæi, de quibus vide *Triglandii* Diſſertationem p. 166. Itaque non erat, cur virulentiſſimus Scriptor libri *Chiſſuk Emuna* quereretur, majoribus Judæorum odium, in inimicos ſancitum, falſo tribui, contra quem vide *Guſſetum* in Confutat. libri illius p. 331. & 375.

Verſ.

Verſ. 44. ἀγαπᾶτε τὸς ἐχθρὸς ὑμῶν) Ita etiam ex parte Gentiles agi voluerunt in inimicos. Lege dicta eorum apud *Gatackerum* ad Antoninum p. 267. & 317. Illuſtris præ ceteris locus eſt *Arriani* lib. III. Diſſertatt. c. 22. ubi Cynicum ait verberari debere ut aſinum, & vel ſic amare ipſos verberantes tanquam ſi pater aut frater eſſet omnium. Exempla injuriæ, patienter ab Ethnicis toleratæ, affert *Gatackerus* ad Antonin. XI. 14. VI. 2. Adde vero & *Huetium* in Alnetan. Quæſt. III. 19. p. 430. ſq.

Εὐλογεῖτε &c.) Deſunt hæc in nonnullis Codd. quæ tamen tanquam genuina contra Millium recte adſtruuntur a *Whitbio* in Examine p. 37. Simile præceptum habet Epictetus lib. I. c. 25. qui injuriam inferenti dici ait oportere: καλῶς σοι γένοιτο i. e. *bene tibi ſit.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 45. & *Pfanneri* Syſtema Theolog. Gentilis cap. XI. §. 23. Chriſtianos naſcentis Eccleſiæ præcepto huic fuiſſe audientes, patet ex variis Patrum locis a B. *Kortholdo* ad Juſtini Mart. Apolog. I. p. 25. adductis.

καλῶς ποιεῖτε τὸς μισοῦντας ὑμᾶς) Eadem phraſi uti profanos Scriptores, oſtendit *Vorſtius* Philolog. S. Part. II. p. 194. De re ipſa dicemus cum Deo ad *Rom.* XII. 20.

ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων) *pro calumniantibus*, ut vertit Vulg. quam verſionem ex Gloſſariis & Obſervationibus veterum confirmat *Boiſius* in Collatione p. 13. Interpres *Gothus* in h. l. ea voce reddidit, quam & adhibuit *Luc.* XVIII. 5. & *Marc.* IV. 6. ubi idem eſt, quod *moleſtiis agitare* & *urgere.* Vide *Mareſchalli* Obſervatt. ad iſtam verſionem p. 391. Ita *Martianæus* in Eſſay p. 54. *Calumniari* illud Vulgati inferre ait omne genus injuriarum & oppreſſionum, ſive verbis, ſive re ipſa fiant. Propterea vertit per: *qui vous oppriment avec violence.* Pro forenſi verbo ſpeciatim habendum cenſet *Elsnerus* p. 30. ſq. ut idem ſit quod *deferre aliquem ad judicem*, *obtrectare in judicio*, *criminari*, *calumniari*, quo ſenſu I. *Pet.* III. 16. occurrit. Conf. Cl. *Fabricium* ad Sextum Empiric. p. 338. ubi præterea oſtendit, profanos quoque Scriptores caſui Accuſativo jungere, cum ii alias Dativum adhibeant.

καὶ διωκόντων ὑμᾶς) τὸ διώκειν itidem hic forenſe eſt verbum, & denotat: *reum peragere*, *actionem intendere*, *perſequi in judicio* v. c. apud *Maxim. Tyrium* Diſſ. II. p. 26. *Antonin.* III. 7. & alios apud *Elsnerum* p. 30.

Verſ. 45. ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν) i. e. *ut ſitis ſimiles Patri veſtro.* Vide *Bynæum* de natali JEſu Chriſti p. 106.

ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει) Exteri quoque Scriptores Dei beneficentia ad homines, amore incendendos, utuntur. Vide *Gatackerum* ad Antonin. p. 291. Eorundem loca de beneficentia Dei in impios affert *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. Similes profanorum phraſes de Sole, omnibus per Dei gratiam oriente, lege apud *Suicerum* Tom I p. 1323.

βρέχει)

βρέχει) *pluit* scil. Deus, cujus nomen hujusmodi verbis semper addendum esse pie monet *Franzius* de Interpretat. Script. Sac. p. 83. Ita vero & *Xenophon* de Venat. p. 779. plene loquitur: ὅταν νίφῃ Θεὸς, & alii apud *Homberg.* in Parergis p. 19. Transitive sumi hoc verbum, post alios ostendit *Fesselius* Adversar. Sacr. Tom. I. p. 20.

Vers. 46. τίνα μισθὸν ἔχετε) Merces hic ponitur, ut alias, de recompensatione beneficentiæ, & aliorum piorum operum. Vide *Franzium* de Interpretat. p. 545. ἔχετε hic idem valet, quod ἕξετε i. e. *habebitis.* Confer de hac phrasi *Fesselii* Adversaria Sacra lib. IV. c. 3. p. 321. ubi is ostendit, de mercede gratiæ hic sermonem esse, quam Lucas in loco parallelo VI. 32. χάριτος nomine appellat.

ἐχὶ καὶ οἱ τελῶναι &c.) Vide huc *Schotti* Adag. N. T. p. 10. Pro τελῶναι *Gothus* hic habet *Gentiles*, itaque legit in Codice suo ἐθνικοὶ, quippe qui ignorare non poterat, non omnes publicanos fuisse gentiles, sed & Judæis gente ejusmodi provinciam committi consueviſse; id quod manifestum est ex *Sanhedrin* III. 3. & recte olim contra *Tertullianum* observavit *Hieronymus* Tom. III. epist. ad Damasum. Interim Ethnicus in publicani locum substitutus hic videtur, quia uterque abjectissimi peccatoris numero haberi solebat. v. *Luc.* XIX. 7. & *Matth.* XVIII. 17. Lege *Mareschallum* in notis ad vers. Gothic. p. 393. Cum τελωνῶν prima hic fiat mentio, pauca de iis dicemus. Videatur inprimis *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 243. sqq. &, qui potiora hinc repetiit, *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 1266. sq. *Salmasius* inter cetera observat, τελῶνας, in Evangelio memoratos, rectius Latine dici *portitores*, quam *publicanos*. Publicanos enim fuisse proprie, qui publicum aliquod redimebant, ut vicesimas hereditatum, & vicesimas libertatum, quique cetera hujusmodi vectigalia conducebant, & portoria. Non illos *portitores* dictos fuisse, sed eos tantum, qui portoriis exigendis præfecti fuerint ab illis ipsis publicanis. Publicanos non fuisse odiosos, quippe qui non ipsi exigebant vectigalia & portoria, sed aliis ea exigenda committebant, nempe portitoribus, qui, ut rem suam facerent, plus sæpe, quam licitum lege ipsis erat, exigebant, quos Græci παρεκλέγειν & παρεισπράτ[illegible]ειν dicebant. Horum autem professionem inter ἐπονειδίστους βίους h. e. probrosas ac turpes professiones numeratam fuisse. Vide etiam Constantin. Lempereur ad *Bava Kama* sive de Legibus Judæorum forensibus p. 271. cujus hæc sunt verba: *Inter publicanos distinguendum esse Gemara h. l. observat, eosque hic spectari, quibus exactio determinata non est, sed redemtis vectigalibus & similibus, quantum possunt, extorquent, modo redemtionis suæ summam Magistratui solvant: unde in eadem Gemara* מוכס נכרי *publicani peregrini, utpote in Judæos magis austeri, mentio fit. Omnes enim publicani non erant Israelitæ, nec omnes Ethnici, sed quidam, docente nos Gemara: unde verbis Servatoris Matth. XVIII. 17.* ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης *distinguuntur, quod multi publicani non essent Ethnici.* Vide ibi plura.

τὸ αὐτὸ

τὸ αὐτὸ ποιῆσαι) Simili fere argumento in eadem causa utitur *Hierocles* ad Aurea Carmina Pythag. p. 296. ed. Cantabrig. his verbis: Ἐπεί τοι γε ἁδὲ πολλὴ χάρις τοῖς εὐγνώμοσι προσενεχθῆναι μετρίως. ἀλλ' ἀνδρὸς ἔργον, καὶ πολλῆς ἀξιον ἀποδοχῆς, τὸν ἀβέλτερον καὶ σκαιὸν πραΰναι τοῖς εἰς αὐτὸν πραττομένοις.

Vers. 47. καὶ ἐὰν ἀσπάσησθε) Beza, quem h. l. probat R. *Simon* lib. III. Hist. Critic. p. 919. *si complexi fueritis*, qua hic non tralatitiæ quævis salutationes, quibus leviter notos aut etiam ignotos dignari solemus, sed complexus familiares & amici indicantur, quibus non nisi arctiore nobiscum societate junctos excipimus. Confer *Boisium* in Collat. ad h. l. Scilicet amplissima est verbi ἀσπάζεσθαι notio, quam diligenter ex veterum monumentis excussit *Jensius* in Ferculo Literario p. 13. ubi ostendit, per illud inferri & *amare*, & *contentum esse aliqua re*, & *partes alicujus sequi*, & *sectari* aut *observare* aliquem, & *laudare*, & denique *erudiendum suscipere*. Atque hæc omnia, illisque similia amoris & benevolentiæ argumenta, hic comprehendi idem arbitratur. Confer omnino *Ezech. Spanhemium* ad Aristoph. Plutum. v. 323. item *Eustach.* ad Homeri Odyss. γ. v. 35. ubi reddit per περιπλέκεσθαι & ad Iliad. κ. v. 542.

τοὺς ἀδελφοὺς ὑμῶν) Alii legunt τοὺς φίλους, perperam: vide Pfaffium de Variantibus Lection. N. T. p. 223. *Gothus* quoque vertit *amicos*: v. *Wilkius* Proleg. ad vers. Coptic. p. 11. Maimonides de Servis c. IX. §. 8. etiam non-Judæis amorem exhiberi jubet. Confer *Keuchenium* ad h. l.

τί περισσὸν ποιεῖτε;) *quid eximium, quid singulare facitis?* ita *Boisius* in Collatione p. 14.

Vers. 48. Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι) *sitis igitur vos perfecti;* scilicet in comparatione cum Pharisæis, de quibus v. 20. Atque ita sententiam hanc accipiunt Patrum plerique, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 1258. Vide & *Salmasium*, de vocis hujus sensu contra *Heinsium* disputantem, de Fœnore Trapezitico p. 285. sq. ubi speciatim p. 290. ait: *qui hæc omnia pro virili exsequi conabitur, quæ præcepta continentur Matth. V. nonne, quod in fine ejus pro conclusione a Christo adjicitur, τέλειος erit, si comparetur cum illo, qui nihil eorum ad curam suam & studium revocarit?* Viciissim *Heinsius* hic τέλειον de *integro & innocente*, & speciatim de *miti* seu *pacifico* minus convenienter accipit, ideo quod שלם apud Hebræos & *perfectum* & *pacificum* inferat. Potest tamen simul respectus haberi ad ceteras virtutes, inter quas clementia & benevolentia in inimicos eminere ipsis quoque Gentilibus visa est. Ita *Hierocles* ad Carmina Pythagoræ p. 54. virtutem hanc μεγίστην appellat, καὶ τοῖς ἄλλοις ὡς τελειότατα ἐπιφαινομένην. Confer huc Biblioth. Bremensem Class. IV. p. 987. ubi de notione vocis τέλειος. *Colomesius* in Observatt. Sacr. p. 170. verti malebat: *sitis benefici.*

ὥσπερ ὁ πατὴρ ὑμῶν) Ita & Gentiles ad imitandum Deum cohortantur. Vide *Gataker.* ad Antonin. p. 368. & *Picinellum* in Luminibus Reflex. ad h. l.

τέλειός ἐστι) Apud Gentiles majorum gentium dii τέλεοι vocari solebant, ac præterea οἱ γαμήλιοι, qui nuptiis præerant, ut Jupiter & Juno. Vide *Elsnerum* p. 31. *Spanhemium* ad Callimachum p. 646. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacr. p. 964. Ceterum amore in inimicos proxime ad Deum homines accedere, Gentiles passim monuerunt. Sic *Hierocles* p. 56. μιμούμενος ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν θεὸν, ὃς μισεῖ οὐδένα ἄνθρωπον. Confer *Elsnerum* & Biblioth. Bremens. l. c.

CAP. VI.

Vers. 1. Προσέχετε) i. e. *cavete vobis solicite:* vide *Keuchenium* ad h. l.

ἐλεημοσύνην) Nonnulli Codd. Græci legunt δικαιοσύνην, & eorum exemplo *Vulg.* ac veterum Patrum plerique, observante *Junio*, *justitiam* habent. Hinc *Millius* non dubitat, quin Matthæi Interpres Hebraicum צדקה per δικαιοσύνην reddiderit, pro quo e margine Codicis cujusdam in textum irrepserit lectio illa altera. Vide ejus Notas ad h. l. & Prolegomena ad N. T. §. 393. Assentiuntur illi B. *Gottfr. Olearius* in Observatt. ad h. l. p. 163. & *Pfaffius* de Variant. Lection. p. 217. & in Comment. ad h. l. Matthæi. Nec negari potest, Hebr. צדקה in Rabbinorum scriptis *eleemosyna* notionem frequenter habere. Vide loca idonea huc allata ab *Oleario* l. c. & ante eum a *Drusio* in Præteritis p. 17. *Vorstio* in Philologia Sacra Part. I. c. II. p. 47. & *Suicero* Tom. I. p. 914. In sacris tamen literis V. T. frustra eam quæsiveris, quippe quæ, a Chaldæis, Syris & Rabbinis frequentata, a Pharisæis demum, & sequiorum temporum vitio orta est, quando opinio de operum meritis apud Judæos invalescebat, & speciatim eleemosynis multum tribuebatur, quod recte observat *Salom. Deylingius* in Observatt. Sacris Part. III. p. 154. qui & conferri vult post *Jo. Lightfootum* in Horis Talmudic. ad h. l. *J. Hoor. Othonem* in Lexico-Rabbinico-Philolog. p. 164. Quo præstructo, dubium omnino adhuc est, an Sanctissimus Servator in ea lingua, qua locutus est, voce צדקה usus sit, ad indicandam novam illam & antiquitatis exemplo destitutam significationem. Eo ipso autem præcipuum præsidium subduceretur illis, qui lectionem δικαιοσύνη præferunt. Id quoque, quod Millius urget, Interpretem scilicet Matthæi Græcum Hebræum צדקה per δικαιοσύνην expressisse, eadem opera corruit, cum probari debeat, Matthæum, si Hebraice scripsit, vocem hanc adhibuisse; ut omittam, alios pridem ostendisse, S. Matthæi Evangelium non alia quam Græca lingua primum exaratum fuisse. Itaque recte alii communiorem lectionem ἐλεημοσύνη retinendam esse contendunt. Vide huc ex nostratibus B. *Godofr. Wegnerum* in Annotatt. ad h. l. & Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 410. ubi hæc habes: *Plerosque Codices habere* ἐλεημο-

ἐλεημοσύνην *teſtantur* Erasmus, Beza, Pareus, de Dieu, *aliique bene multi. Ita etiam legere* Chryſoſtomum & Theophylactum *monet* Erasmus. *Hiſce codicibus adſtipulari affirmat* de Dieu *verſiones Arabis, qui habet:* miſericordias veſtras, *Æthiopis,* miſericordiam veſtram: *imo & Syri,* ad eleemoſynam veſtram, *cum ad Juſtitiam veſtram dicerent alio modo. Hinc videtur, Latinam verſionem corruptam eſſe a ſciolo aliquo, qui juſtitiam poſuit pro eleemoſynam.* Adde *Whitbii* Examen p. 37. qui obſervat, ex libris impreſſis ne unum quidem Patrum locum a Millio productum eſſe, in quo lectio δικαιοσύνη exſtet, neque ſe ipſum adhuc talem reperire potuiſſe. Quærit quoque, cur non v. 2. 3. & 4. ubi eadem de re agatur, non eadem vox δικαιοσύνη occurrat? Hinc miror omnino, B. *Olearium* tam facilem eſſe potuiſſe in ea amplectenda, ac deinde hoc ipſo adduci ſe paſſum, ut δικαιοσύνην hic non *eleemoſynæ*, ſed communi juſtitiæ notione capiendam contenderet, ut ſenſus verborum Chriſti hic ſit: *cavete vobis, ne bona opera veſtra exèrceatis in gratiam hominum.* Provocat ὁ μακαρίτης inprimis ad contextum, in quo Servator juſtitiæ fecerit mentionem v. 20. ejusque *integritatem* ſeu περισσείαν ſectandam eſſe urſerit, deinde vero v. 48. τελειότητα i. e. ut interpretatur, *ſinceritatem* commendarit: hujus vero eſſe inprimis, virtutem colere, non ut videaris, ſed ut eſſe malis, quam videri. His generatim obſervatis Chriſtum, ait, ſpeciales officii illius partes percenſere, in quibus inprimis lapſus in auram popularem proclivis eſſe poterat, v. c. largitionem eleemoſynarum. Satis ingenioſe, fateor, hæc proferuntur. Sed non unum tamen hic obverti poteſt. Primum id gratis præſtruit Vir doctus, quod Chriſtus hic per τελειότητα *ſinceritatem*, inprimis in exercenda virtute probandam, indicarit, atque ipſam illam admonitionem v. 48. Ἔσεσθε οὖν τέλειοι, tanquam a ſuperiore tractatione ſeparatam, inſtar axiomatis generalis, ſpecialiori tractationi ſecuturæ præmiſerit. Veri certe eſt ſimilius, hanc τελειότητα ſeu *perfectionem* opponi hic ſtudio virtutum *manco*, quod Phariſæis exprobraverat Chriſtus, atque adeo adhuc pertinere ad *integritatem* virtutis, quam Servatorem uſque ad hoc comma urſiſſe fatetur Olearius. Deinde ipſa illa admonitio videtur præciſe & ſeorſim a Chriſto hic referri ad præceptum de amore proximi & hoſtium, ſpeciatim hactenus illuſtratum, quippe cujus exercitio & uſu ad Deum imitando proxime accedere poſſint. Itaque ſic potius ſeries orationis videtur conſtituenda. Salvator capite V. & VI. oſtenſurus erat, quomodo Chriſtiani rectius, quam Phariſæi, in virtutum ſtudio elaborare poſſent. Hoc conſilio eos ſibi *primum* jubet a communi Phariſæorum praxi & *peccatis* illis cavere, quæ in præcepta Dei, non recte intellecta, committere illi ſoleant. Deinde vero de *virtutibus* quibusdam præcipit, quas Phariſæi quidem præſtabant, ſed ita, ut a labe quadam non eſſent immunes. In exemplum itaque producit largitionem *eleemoſynarum, precum uſum* & *jejunia.* Ita non neceſſe eſt, ut v. 1. de *juſtitia* interpretemur, tanquam generali capite, a quo bona opera in ſequentibus memorata pendeant. Accedit, ſe-

quentia hujus capitis commata usque ad 4. evincere omnino, in primo quoque de eleemosyna in specie sermonem hic esse. Illa enim cum primo optime sic cohærent. In primo Christus in universum caveri jubet, ne eleemosynæ vanæ gloriæ studio, &, ut in hominum conspectum proferantur, fiant. In sequentibus vero edocetur, quid inprimis ad illud cavendum & amoliendum observari debeat. Ceterum negari non potest, *Augustinum* Sermone LIX. de tempore comma hoc eodem modo, quo *Olearius*, interpretatum esse; & forte ejus exemplo auctores versionis Gallicæ Montensis, quos idem contra *Rich. Simonem* in Historia Critica versionum N. T. c. 36. tuetur. Pro communi interpretatione facit *Coptus*, qui per *donum* vertit, ac proinde vocem ἐλεημοσύνη legit.

πρὸς τὸ θεαθῆναι αὐτοῖς) Id caveri volebat *Euphrates* apud *Arrian.* p. 489. v. *Raphel.* Not. Polybian. p. 45. Imo fuerunt & inter Judæos, majoribus suis meliores, qui eleemosynas ἐν τῷ κρυπτῷ fieri jubebant. Ita Proverbium eorum tradit: גדול העושה צדקה בסתר יותר ממשה רבינו i. e. *qui eleemosynas facit clam, major est Mose, Magistro nostro.* Ita in Codice *Schekalim* V. 6. memoratur לשכת חשאי i. e. *gazophylacium silentium*, in quod symbolas conferebant clanculum, qui liberis pauperibus educandis consultum volebant. Confer *Wulferi* Not. ad Schekalim p. 132. tum vero *Wagenseilii* notas ad *Sota* p. 98. qui ibidem ostentatæ in pauperes, sub modestiæ specie, liberalitatis exemplum affert R. *Abbam*, qui, secundum Tract. *Ketuvoth* fol. 67. b. in publicum proditurus, sudarium, cui pecuniam illigaverat, a tergo pendens gestavit, eo fine, ut omnibus inde sumendi potestas esset, se vero lateret, cujus inopiam hominis sublevasset. Quomodo Gentiles ad gloriam hominum ex bono cavendam adhortari alios soleant, ostendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Vers. 2. Ὅταν οὖν ποιῇς ἐλεημοσύνην) Hac phrasi utuntur quoque Scriptores Apocryphi passim, & *Diogenes Laërtius* in Aristotele VIII. 17. Adde *Elsnerum* p. 33.

μὴ σαλπίσῃς ἔμπροσθέν σε) *ne facias buccinam ante te inflari.* Atque hæc loquendi forma & profanis recepta est, ut, quæ per alium quis facit, ea ipse fecisse dicatur. Vide Homberg. p. 20. Hæc proprie nonnulli acceperunt, existimantes, Pharisæos olim, pauperibus quidquam largituros, liberalitatem suam aliis buccinarum sono significare consuevisse. Cujus ritus indicium cum nusquam in veterum Hebræorum monimentis occurrat, *Steph. le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 73. ex alio Hebræorum instituto phrasin hanc exponere adgressus est. *In templo*, inquit, *habebant Judæi* קרבנות *& vasa quædam, in quæ eleemosynas jaciebant, quæ formam buccinarum referre videbantur, ore angusto, corpore vero ampliore, & quasi sinuoso. Hinc est, quod vocarentur revera buccinæ* שופרות *in quas, ex ære metalloque tinniente fabricatas, eleemosynas suas impetu quodam infunderent Pharisæi, quæ tinnitu suo adstantibus significarent largam*

gam & copiosam fuisse eleemosynam. Hunc itaque morem Salvatorem nostrum redarguisse existimant. Atque hanc sententiam eruditi quidam cupide amplexi sunt, nominatim *Hombergius*, qui de ista vasorum sacrorum forma ab *Hottingero* fando aliquid acceperat, in Parergis p. 21. Rev. *Salom. Deylingius* in Observatt. Sacris Part. III. p. 155. M. *Christianus Schwenckenbecher* in Ἀποσπασματίοις ἱερῶν γραμμάτων p. 34. sq. & *Jo. Ern. Segers* in Dissert. de vidua δύο λεπτὰ in gazophylacium inferente, Regiomonti 1707.

Aliis vero vicissim eadem displicuit. Inter hos sunt B. *Gottfr. Olearius* in Observatt. ad h. l. p. 167. *Sam. Basnage* in Exercitatt. adversus Baronium p. 596. & *Elsnerus* ad h. l. p. 33. Urgent illi inprimis, probandum adhuc esse, γαζοφυλάκια Judæorum ita, ut ajunt, atque eo fine, constructa fuisse, ut, buccinarum habentes figuram & nomen, sonum quoque ederent, ostentationi Pharisaicæ inservientem. Cum Talmudici in Cod. שקלים cap. VI. init. totam istam formam ob homines fraudulentos adhibitam fuisse asserant. Urgent, figuram hanc ad augendum numi injecti sonum non multum facere potuisse. Urgent denique, saltem arcas ejusmodi in plateis non exstitisse, sed in templo tantum, quæ multo minus antecedere potuerint homines, ostentationem affectantes. Itaque iterum alii παροιμιωδῶς id omne dici arbitrati sunt, ut *Schottus* in Adagiis N. T. p. 8. Atque hujus formulæ proverbialis alii alias origines dederunt. *Olearius* l. c. ad theatri & spectaculorum mores respici hic videtur, quo accommodatas putat voces θεαθῆναι & ὑποκριτῶν, quæ non minus quam tubæ ipsæ ad theatra pertineant. Atque eadem videtur sedisse sententia *Samueli Basnage* l. c. cujus p. 597. hæc leguntur verba: *Crediderim, alludi ad morem congregandi tubis populum, cum aliquid faciendum erat; aut ad comœdias, cum ad theatrum prodeundum, quod cum ingenti strepitu palam fieret, fastum hypocritarum atque jactantiam in erogandis eleemosynis non invenuste eis verbis Christus designat.* Ad proverbialem hujusmodi & impropriam locutionem provocat & *Elsnerus* p. 33. qui & similem *Achillis Tatii* phrasin affert, quando is lib. VIII. p. 507. ὑπὸ σάλπιγγι fieri id dicit, quod in omnium oculos incurrit. Sed cum ista omnia vim verborum Christi infringere, & ostentationem Pharisæorum minuere viderentur, alii in propria verborum significatione acquiescere maluerunt, existimantes, Judæos hypocritas ea ætate revera buccina quadam in hoc negotio usos esse, ut & pauperes accederent, & spectantium multitudo advocaretur. Hanc sententiam ornat *Godefridus Jungstius* in Dissert. de σαλπισμῷ circa eleemosynas, Brem. 1707. p. 27. sq. his inprimis usus argumentis, quod sensus vocum literalis & proprius non temere deserendus sit, quod contextus & περικείμενα varia idem hic fieri suadeant, cum in sequentibus Christus circa preces & jejunia Pharisæorum hypocritarum similibus phrasibus utatur, quas improprie nemo hactenus acceperit; quod præterea institutum hoc externa specie commendare se potuerit; quod Christus Pharisæos hic cum histrionibus seu mimis comparet in theatro, varias personas simulantibus, ad quas spectandas homines, si-

gno per buccinas dato, convocari ſoleant. Addit his luculentum locum ex Gemara Hieroſol. ad Cod. *Demai* fol. 23. 2. ubi hæc habentur: גבאי צדקה ביום טוב לא יהו מכריזין כדרך שמכריזין בחול: i. e. *collectores eleemoſynæ non proclamant die feſto, ſicut proclamant die communi.* Quæ quidem innuere videntur, buccinarum uſum in negotio eleemoſynarum omnino receptum fuiſſe. Atque ad hoc teſtimonium adjicitur recte, quod alii pridem obſervarunt, veteres ſcilicet Judæos primitias ſuas, inter quas & dona pro pauperibus erant, ſub cantu inſtrumentorum Muſicorum Hieroſolymas deferre conſueviſſe. Vide huc *Wagenſeilium* ad Sota cap. VII. §. 3. & *Salom. van Til* in notis ad h. l. Matthæi. Atque in hac ſententia ultima ſuaviter me acquieſcere non diffiteor. Non obſtat, quod Viri docti hic urſerint Talmudicorum de iſtiusmodi ritu Phariſaico ſilentium. Hæc enim exceptio prolato, quem diximus, loco ex parte corruit. Tum vero, ſi quid adhuc deeſſe videatur, ſimiliter requiſiverim teſtimonium ex iisdem tabulis Talmudicis, quo conſtet, precantes in angulis platearum conſiſtere, aut jejunantes faciem ad triſtitiam de induſtria componere, conſueviſſe: quæ tamen quo minus proprie, ut a Domino noſtro deſcribuntur, accipienda ſint, neminem huc dum video dubitaſſe. Præterea exiſtimaverim, eum, qui cum affectatione ſingularis pietatis, ſub precantis habitu, in publica platea comparere poteſt, non difficulter buccina uti poſſe ad pauperes advocandos, liberalitatemque ſuam aliis ſignificandam.

ὥσπερ οἱ ὑποκριταὶ ποιοῦσιν) Hypocritæ iſti comparantur hic cum *hiſtrionibus* & *ſcenicis*, qui proprie hoc nomine appellantur, quam in rem vide *Gatackerum* ad Antoninum IX. 29. p. 339.

ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Has non tam de ſynagogis, quam quocunque hominum conventu, cum *Grotio* intellexerim, ut & commate 5. & alibi in his libris, & apud LXX. Intt. ſæpius; neque enim publice in ſynagoga orare aut eleemoſynas dare unquam ſolorum hypocritarum fuit. Ita *Elsnerus* p. 34. Similiter *Olearius* p. 168. ſignificatum vocis συναγωγὴ tam late hic extendi poſſe affirmat, ut notet circulos in vicis a confluentibus civibus agi ſolitos. Confer *Hammondum* ad v. 5. hujus capitis.

ἀπέχουσι τὸν μισθὸν αὐτῶν) *habent mercedem ſuam* i. e. nihil amplius habebunt. Ἀπέχω hic eſt *habeo*, ut Philip. IV. 18. Ita *Boiſius* in Collatione p. 14. qui conferri jubet *Dunæi* notas ad Chryſoſt. col. 475. & 476. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 434. qui phraſin ait eſſe emphaticam, qua non tantum ſuum, quod quiſpiam affecutus eſt, indicatur, ſed ita id omne, quam ſuum ducit, plenum & integrum aſſecutus, ut in eo plane acquieſcat, nec quidquam amplius requirat. Atque ita interpretes tantum non omnes, a quibus primus diſceſſit *Knatchbullus*, qui vertit: *prohibent mercedem ſuam;* applauſores nactus *Saubertum* in Opp. Poſthumis p. 85. *le Cene* in Projet p. 520. & *Amelium* Part. I. p. 81. Sed Knatchbullo ſe oppoſuit recte *Kühnius* in Pentade I. Quæſt. Philolog. p. 9. ſq. affirmans, inter verſum 1. & 2. admiſſa communi

muni verſione, non dari, quam is quidem urſerat, pugnam, cum v. 2. ratio ſubjiciatur, cur hypocritæ, ſe oſtentantes, non habeant mercedem, quia ſcilicet eam jam acceperint: diſtinctionem inter mercedem divinam & humanam non obtrudi textui, ſed potius ex eodem deſumi, quia mentionem facit τὸ ἔχειν μισθὸν παρὰ τῷ πατρὶ: denique vero uſum verbi ἀπέχω cum accuſativo μισθὸν nunquam prohibendi ſed ſemper accipiendi ſignificationem exigere, quod idoneis locis probat. Accedit, quod hypocritæ non dici poſſint prohiberi apud Deum mercedem ſuam, quippe quæ nulla prorſus ſit. In eandem ſententiam contra *Knatchbullum* diſſerit *Hombergius* p. 21-23. *Chriſtfridus Wæchtlerus* in Actis Erudit. 1712. p. 514. & *Aug. Herm. Franckius* in Obſervationibus Biblic. Continuatis p. 320. Conf. & *Bos* Exercitatt. p. 7. Beza hæc verba vertit: *referunt mercedem ſuam*, pro eo quod *Caſtellio: jam habent*, aut *receperunt mercedem*; quam interpretationem idem tuetur in Defenſione ſua adverſus Bezam, ſimili Plutarchi loco allato. Confer & *Gatackerum* ad Antonin. p. 178. qui vertit: *totam mercedem ſuam acceperunt.* Atque ita & R. Jona in lib. de timore: נוטל את שכרו, h. e. *refert*, ſeu *accipit mercedem ſuam.* *Salmaſii* de verbo hoc cogitata in Oſſilegio Linguæ Helleniſt. p. 291. allata confutat *Sarravius* in Epiſtolis p. 69.

Verſ. 3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, τί ποιεῖ ἡ δεξιά σου) Proverbiale eſt loquendi genus, quo ſignificatur, ea in occulto fieri debere. Aliud hujusmodi proverbium eſt apud *Polybium* p. 1354. qui ait, *ſiniſtra aliquem manu accipere, quæ dextra dentur:* h. e. non eo animo accipere, quo dentur. Vide de hoc Proverbio *Schotti* Adagia N. T. p. 11. Patet vero, id ſibi velle Chriſtum, occultandas eſſe eleemoſynas ita, ut, ſi fieri poſſit, ipſe homo neſciat, quid largiatur. Similiter *Antoninus* lib. V. §. 6. de liberali in pauperes: οὐδὲ οἶδεν, ὃ πεποίηκεν. Vide ibi omnino *Gatackerum* p. 190. ubi varias Patrum de h. l. ſententias affert, inter quas præ ceteris probat *Clementis Alexandr.* illam, quæ lib. IV. Strom. legitur: ἀλλ' οὐδὲ αὐτὸς ὁ ἐλεῶν, ὅτι ἐλεεῖ, γινώσκειν ὀφείλει. De Patribus confer *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 508. qui & ipſe Clementis illam & aliorum ſimiles aſſertiones probat. *Wedelius* hanc dat phraſeos hujus rationem, quod ordinarie demus dextra, ſiniſtra vero accipiamus: hanc itaque illam retinere & coercere non debere. Vide ejus diſput. de uſu rationis humanæ in ſacris p. 35.

Verſ. 4. αὐτὸς) Vocem hanc h. l. abundare, Beza ſtatuit, contra quem vide *Hombergium* p. 24.

ἐν τῷ φανερῷ) Deſunt hæc apud *Originem*, *Hieron. Vulg.* & alios quosdam, ſed plures tamen Patres habent: hinc & tanquam genuina recte tuetur *Whitby* in Examine p. 37. Confer *Arnaldi* Defenſionem Novam verſionis Gall. Montenſis lib. X. p. 395. ſqq. ubi is tum argumentis, tum auctoritate & verſionum variarum & commentatorum, voces has recte in verſione

ſua

ſua a ſe retentas eſſe evincit, contra *Malletum*, qui eum hinc conſenſionis cum Beza & aliis, quos vocat, hæreticis, poſtulaverat. Adde *Rich. Simonis* Hiſt. Crit. N. T. lib. III. p. 248.

Verſ. 5. Καὶ ὅταν προσεύχῃ) Simile præceptum habes apud R. *Jonam* lib. de timore apud *Lud. Cappellum* in Spicilegio Notarum.

ὅτι φιλοῦσιν) i. e. *ſolent*: ita etiam profani loquuntur Scriptores: vide *Feſſelii* Adverſaria Tom. II. p. 441.

ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Per Synagogas Scholas Judæorum hic plerique interpretum intelligunt. Cum vero Chriſto diſplicere non poſſet, precibus publicis in iis vacari, quippe quas & ipſe & diſcipuli ejus in templo facere conſueverant; convenientius nonnullis viſum eſt, Synagogas has interpretari de conventibus hominum quibuscunque, in porticibus, in foris, areis, plateis, aliisque locis, in quibus circulos agebant. Cujus ſententiæ præſidium repoſitum quoque videtur in eo, quod cum γωνίαις τῶν πλατειῶν i. e. *angulis platearum*, qui propriiſſime ſunt trivia & quadrivia, concurſibus hominum alias deſtinata, conjungantur. Lege in hanc ſententiam *Saubertum* in Palæſtra p. 116. & inprimis B. *Gottfr. Olearium* ad h. l. p. 172. Adde, quæ ſcripſimus ad v. 2. Si quis tamen, quod malim, communiorem & alias forte perpetuum in N. T. ſignificatum hujus vocis, quo Scholas infert, deſerere nolit, dicere poterat, Chriſtum id ſibi hic velle, quod Judæi tum temporis non ſolum in quadriviis ſed & in Synagogis, oſtentare conſueverint ſuam in precibus faciendis diligentiam. Quo ipſo non tam preces ipſæ, in Synagogis fieri ſolitæ, quam conjuncta cum iis etiam in eo loco, ubi minime decebat, oſtentatio rejiceretur. Atque hæc oſtentatio edi poterat in Synagogis, ſi qui in eminentiori loco, ab omnibus conſpiciendi, conſiſterent: qui habitus per ſequentem vocem ἑστῶτες indicari h. l. videtur.

ἑστῶτες) *ſtantes* h. e. ad orantium habitum ſe componentes, ut omnibus pateret, quid agerent. Alioquin enim animus ad Deum etiam iis in locis converti poterat. Solebant interim Judæi preces ſuas ſtantes perficere, unde & preces ipſæ עמידה i. e. *ſtationis* nomine appellari ab illis ſolent. Confer huc *Gaulmini* notas in R. *Simonis* Bibliotheca Critica Tom. IV. p. 186. Lege dicenda ad *Marc.* XI. 25.

Verſ. 6. εἰσελθε εἰς τὸ ταμιεῖόν σε) Contrarium huic præceptum exſtat in Talmude Cod. *Berachoth* cap. I. p. 6. ubi ita: אבא בניסין אימר אין תפלה של אדם נשמעת אלא בבית הכנסת: h. e. *Abba Benjamin ait: preces hominis non audiri, niſi in Synagoga.* Atque id quidem ille probare conatur ex 1. *Reg.* VIII. 28. Sed eodem tamen in loco rectior exſtat R. *Iſaaci* ſententia, ſtatuentis, Deum non ſolum in Eccleſia, ſed & ibi præſentem ſe ſiſtere, ubi

ubi duo vel tres, imo vel unus, exstent. Confer *Bartoloccii* Biblioth. Rabbinic. Tom. III. p. 362. sqq.

τὸ ταμιεῖον) De voce hac lege *Pet. Zornii* Disput. de Scholis Publicis Judæorum §. 5. & *Vitringam* de veteri Synagoga p. 151. ubi observat, Christum Dominum oratoria privata opponere publicis, sive συναγωγαῖς, & discipulos Christi, sive soli essent, sive haberent comites, privata ejusmodi oratoria prætulisse. Id quod patet ex *Act.* X. 9. &c. Locum quemvis abditum hic indicari, observant Patres, quorum loca vide apud *Suicerum* Tom. II. p. 1233.

ἀποδώσει σοι) Pontificii verbum hoc urgere solent ad justitiam operum asserendam, cum merces hic *reddenda* a Deo memoretur. Sed recte observatum est *Hackspanio* in Notis ad h. l. p. 36. verbum hoc triplici gaudere significatu, ut nunc *restituere*, nunc *recompensare*, nunc vero simpliciter, ut h. l. *dare* denotet: id quod aliis Scripturæ locis evincit.

Vers. 7. μὴ βαττολογήσητε) Voce hac πολυλογίαν seu *multiloquium* in precibus indicari, ipsum hoc comma in sequentibus extra dubium ponit. Non æque vero patet, unde vocis origo petenda sit. Vide huc post *Balthas. Stolbergium* in Dissertat. singulari, quæ cum ceteris ejus de Barbarismis & Solœcismis exstat, p. 243. sq. & 365. sq. *Gatackerum* p. 410. Adversar. *Dougtæum* Analect. N. T. Exc. VII. *Dilherrum* in Disputatt. Academ. Tom. III. p. 190. & in Farragine rituum sacrorum lib. II. c. 5. *Saldenum* in Otiis Theologic. lib. III. Exc. X. §. 9. & *Suicerum* in Thesauro Eccles. suo loco. Verisimillima videtur plerisque eorum sententia, qui βατταλογίαν a *Batto* quodam, non quidem Cyrenæo illo, *balbutiente*, sed Poëta & hymnographo, magno in hymnis πολυλογίας amatore, dictam esse post Suidam contendunt. Quam sententiam ex recentioribus præ ceteris ornarunt B. *Olearius* in Obss. ad h. l. p. 173. sq. & *Salom. Deylingius* in Obss. Sacr. Part. III. p. 208. sq.

Hos deserunt, qui legere malunt βατολογήσητε, & derivant vocem ex βάτος, quod mensuræ apud Hebr. genus est amplissimæ, quasi ingens verborum profluvium & liquida λογοδιαῤῥοια sic denotetur. Atque id verisimile videtur *Wolfburgio* p. 41. Obss. Sacr. quia probabilius sit, Matthæum, cui solenne sit ἑβραΐζειν, vocem induxisse, de cujus natura & derivatione tunc aliquid constiterit, quam ex nugis Græcorum allusionem feciisse. Affinem idem ait esse vocem Hebraicam בטא Lev. V. 4. Atque ab ipsâ hac voce Hebr. quæ idem est, ac temerarie & inconsiderate aliquid effutire, βαττολογίαν derivat *J. F. Miege* ad Maimonid. de Juramento p. 7. Novissime M. *Hilscherus* in Miscellan. Lipsiens. Tom. VII. p. 48. aliquo modo ad hos accessit, quando vocem hanc derivat ab infantum incondito sono *batta*, unde *butta batta*, quod ex puerorum vocibus primis formatum *Scaliger* observavit.

Jo. Pearsonius in Vindiciis epistolarum S. Ignatii p. 11. vocabulum hoc prorsus novum putat & a S. *Matthæo* primum adhibitum. Viciſſim *Gatackerus* in Adversariis p. 410. apud veteres id usu receptum fuisse contendit, quamvis in scriptis eorum exemplum vix inveniatur.

Quam varie Interpretes vocem hanc expresserint, intelligetur ex *Fullero* in Miscellaneis II. 16. Vulg. vertit: *nolite multum loqui*, non improbante *Casaubono* adv. Baron. p. 325. qui tamen præfert: *ne utimini battologia*, quod idem & placet *Boisio* in Collat. ad h. l. recte omnino, cum sic origo vocis simul subindicetur, & vox ipsa latitudini suæ relinquatur.

Quid vero inprimis per βαττολογίαν & πολυλογίαν indicetur, præterea disputatum est a Viris doctis. Patrum sententias collectas vide a *Suicero* Tom. I. p. 674. sq. & in Obsservatt. Sacr. cap. VI. p. 155. Duo hic castigata fuisse contendit B. *Olearius* p. 175. nempe repetitionem frequentiorem earundem petitionum, sive iisdem, sive diversis verbis factarum, & congesta ad nauseam complura Deorum, qui invocabantur, nomina, cujus rei exemplum præbeant *Orphei*, *Homeri* & *Callimachi* hymni. Consentit cum eo penitus Rev. *Deylingius* l. c. p. 269. sq. & ex parte, quod scilicet ad πολυωνυμίαν, sive cumulata eorundem Deorum nomina attinet, *Corn. Adami* in Obsservatt. ad h. l. p. 109. tum vero Anonymus im Heb-Opfer IX. Beytrag p. 847. Exempla hujus πολυωνυμίας lege apud *Grævium* ad Callimachi hymnum in Dianam v. 7. & *Ezech. Spanhemium* in Notis ad eundem p. 129. item *Rudolph. Cudworthum* in Systemate Intellectuali p. 480. & alibi. *Hombergius* in Parergis p. 24. reprehendi hic potissimum putat anxiam illam & solicitam orationem, quæ modum & finem quasi præscribat divinæ bonitati, ex impetu immoderatarum cupiditatum profluentem, illisque implendis inservientem. Sententiæ fulcrum affert ex verbis Christi sequentibus, *Patrem nosse, quibus opus habeamus.* Idem tamen paulo post obsservat, recte quoque huc advocari illam Deorum πολυωνυμίαν, in precibus receptam, de qua modo diximus. Præivit illi ex parte *Salmasius* lib. III. de Fœnore Trapezitico p. 795. βαττολογίαν illam ad rerum, quas expetere solebant, multitudinem referens, his verbis: *Plurima nimirum in precibus suis a Deo petebant, quæ sibi necessaria esse existimarent, castam uxorem, pulchros liberos, divitias, fundos, ædes, amicos fidos, servos fideles, dignitates, honores, alia. Cum tam multa peterent, non poterant breviter concludi eorum preces. Hinc* πολυλογίαι & βαττολογίαι *in orando. Non enim illi pauca poscebant, nec paucis.* Sed vide contra hæc disputantem *Petavium* Tom. IV. Dogmatum p. 199. sq. qui verborum inanitatem & pompam supervacaneam hic notari contendit. In alia abiit *Paulus Christianus Hilscherus* in Miscellaneis Lipsiensibus Tom. VII. p. 49. qui, cum vocem βαττολογίαι ab infantum incondito *batta* repetiisset, ea in precibus vitia caveri Salvatorem jussisse putat, quæ infantibus sint familiaria, nempe *jactantiam*, *ignorantiam* & *multiloquium.*

Prolixas preces hic per βαττολογίαν simpliciter condemnari, recte negat

gat *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 352. existimans, affectationem precum prolixarum potius reprehendi, quam ipsam prolixitatem.

Non solum autem Ethnicos, quod ad h. l. *Grotius* statuit, sed & Judæos battologiæ indulsisse, patebit preces eorum expendenti, quales attulit *Seldenus* lib. III. c. 12. de Synedriis, & *Wagenseilius* de Judæorum ratione scribendi & loquendi Hebræo-German. p. 94. sq. qui ibidem de recentioribus potissimum differit, & eadem opera nonnulla ex veterum Judæorum monimentis affert, isti consuetudini contraria. Neque enim omnibus promiscue istam placuisse merito statuas, sicut & ipse *Lucianus* in popularibus suis πολυωνυμίαν, in precibus receptam, false ridet in limine *Timonis*. Ita *Karæi* convenienter Christi institutis præcipiunt לא ירבה בשיחה בטלה בתפלתי i. e. *ne quis inanem sermonem in precibus suis multiplicet.* Vide Trigland. Dissert. de Karæis p. 168.

Exempla hymnorum *Arabicorum*, huc pertinentia, ex *Seldeno* affert *Grævius* ad Callimachum l. c.

Muhammedanorum battologiam castigat *Hottingerus* in præfat. ad Tom. VII. Histor. Eccles.

Quæ præter hæc afferri poterant, ea, si placet, leges apud *Montacutium* p. 249. Apparatus. *Jo. Schallerum* in Disp. singulari de battologia Ethnica in precibus frequentata, Lipsi. 1689. *Franzium* de Interpretat. Script. S. p. 901. *Lucerdam* in Adversariis p. 459. *Seldenum* de Diis Syris p. 56. *Saubertum* in Opp. Posthum. p. 70. *Wolfburgium*, in Observatt. Sacris p. 41. *Jo. Henr. a Seelen* in Annotatt. Philolog. in N. T. ex Plutarcho p. 6. sq. Freywillig Heb-Opfer Tom. I. p. 847. *Georg. Leop. Ponati*, qui brevitatem in precibus hic inprimis commendari statuit, Diss. de vetusta Judæorum orantium battologia a Christo vetita, Helmstad. 1709. 8. & *Jo. Rhodii* Disp. I. de battologicis Christianorum precibus, Hafn. 1721. 4.

Meo judicio, si quidem hoc superioribus subjungere fas sit, illi optime sentiunt, qui vocis βατταλογία originem derivant ab inconditis & primis infantum vocibus *bu, ta, ba, ta*, quas & sæpe & variis modis repetunt, nescii ipsi, quid per illas inprimis indicare velint. Hinc natum videtur Hebraicum בטא, quæ lingua, ut & aliæ omnes, varias exhibent voces, a naturalibus sonis petitas, cujusmodi exempla dedi in *Casaubonianis* p. 56. sq. ubi voces Græcæ exstant, quibus naturales animalium soni exprimi solent. Si hanc vocis originem præstruamus, ratio apparebit, cur illius non invenias apud profanos exemplum. Videtur enim reponenda in earum numero, quæ ut ad imitationem Linguarum Orientalium potissimum formatæ sunt, ita Scriptoribus Sacris, illarum gnaris, usu frequentari solent. Si a *Batto*, homine ethnico, verbum derivetur, mirum foret, illius nullum in Græcis Scriptoribus exstare exemplum: mirum quoque, Matthæum illam usurpasse inter suos, qui de *Batto* nihil penitus inaudivissent, adeoque in verbi significatum penetrare non potuissent. Ex hac vocis origine simul patebit,

tebit, quid potiſſimum inferat, nempe omne id, quod cum infantili & inepta garrulitate conjunctum eſſe conſuevit.

ὥσπερ οἱ ἐθνικοὶ) Millius memorat Codicem, in quo legitur οἱ ὑποκριταὶ, quam lectionem probat præ illa *Wottonus* in *Miſcellaneous Diſcourſes about the traditions* Diſſ. III. quia ſcilicet Chriſtus hic per totum Phariſæis ſe opponat, quos frequenter hypocritas appellet. Conf. *Biblioth. Anglic.* Tom. IV. Part. II. p. 394. Enimvero unus ille Codex temere opponitur tam conſtanti Codicum lectioni & tot verſionum auctoritati, præcipue cum ratio, cur unus ille librarius a ceteris hic abeat, in promtu ſit. Cogitabat ille adhuc de voce ὑποκριταὶ triplici vice in antecedentibus, in dedecus Phariſæorum, commemorata. Hinc eam commutavit cum voce ἐθνικοί; quæ omnino proba etiam hinc exiſtimari debet, quod Chriſtus in majorem Phariſæorum confuſionem eorum ritus cum Ethnicorum, quos alioquin averſabantur, inſtitutis comparat. Idem fit v. 32. hujus capitis. Ceterum de voce ἐθνικὸς lege, quæ commentatur B. *Jo. Diecmannus* in Specimine Gloſſarii MS. Latino-Theotiſci p. 111.

ἐν πολυλογίᾳ) *ob multiloquium.* Confer *Suicerum* Tom I. p. 446. Nullum hic Hebraiſmum eſſe, recte monet *Hombergius* p. 24. quia τὸ ἐν ex Græcorum, maxime antiquiſſimorum, conſuetudine frequentiſſime redundare ſoleat, id quod *Stolbergius* ad Sophoclis Ajacem exemplis comprobavit.

Ceterum ad hoc, & ſuperiora commata, rectius intelligenda, multum fecerit, noſſe ritus in precibus faciendis inter Judæos, vel olim, vel hodie, receptos. Itaque conferantur huc illi, quos de hoc argumento commentatos eſſe docet Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 363. Iis adde, ſi placet, *Nic. Polemanni* Diſſertat. ſingularem de ratione precandi Hebræorum veterum, *Witteb.* 1665. 4. *Rhenferdium* in Diſſertat. de decem Otioſis p. 41-63, & oppoſitas illi *Vitringæ* commentationes.

Verſ. 8. οἶδε γὰρ &c.) Simillimum huic locum de Numine ad auxilium promtiſſimo, & preces quoque ipſas antevertente, ex *Heliodoro* lib. IV. p. 188. affert *Elsnerus* p. 34. Huc pertinet illud Socratis apud Xenophontem: Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκλοις Ἀμμὶ δίδου i. e. *O Jupiter Rex, bona & precantibus & non precatis nobis imperti.* Commode quoque *Sophoclem* in Electr. v. 655. ſq. huc advocat Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 9. ὅτως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς) Itaque hac inprimis precandi formula & ſuos & Eccleſiam uti voluit Chriſtus, quod ex his verbis recte adſtruit *Joſ. Mede* in Opp. ſuis p. 1. ſqq. ac in hunc finem obſervat, Johannem itidem diſcipulis ſuis certam precum formulam præſcripſiſſe, quod pateat ex Luc. XI. unde & conjectura fiat, etiam ipſos Judæorum doctores idem facere olim conſueviſſe. De hoc argumento, quod ad uſum ſtatarum

tarum precum pertinet, constat, disputatum acriter fuisse inter Theologos Anglos hinc Episcopalium, hinc Presbyterianorum, partes sequentes, quorum commentationes hic recensere nimis longum foret, in ea præcipue causa, quæ facile definitur. Conf. Cl. *Fabricii* Bibliogr. Antiqu. p. 361. Huc spectat, quod a *Seldeno* p. 55. sq. ad Eutychii Annales observatum est, Judæis, Muhammedanis & Gentilibus certas precum formulas ad manum fuisse. Id hic non negligendum est, quod idem *Medus* p. 2. observat, nempe, formulam hanc orationis Dominicæ a Christo, repetita vice, suis præscriptam esse, nempe in hoc loco *Matthæi*, & secundum Luc. XI. Prior promulgatio, de qua Matthæus, partem constituebat concionis in monte habitæ, posterior facta est ad desiderium discipulorum, cum Christus ipse preces fecisset. Illa apud Matthæum secundo ministerii Christi anno; hæc apud Lucam, tertio. Consentit *Guil. Whistonus* in Harmonia IV. Evangelistarum p. 127.

Varias exstare in hac Oratione petitiones & phrases, quibus Judæi in suis precibus uti consueverint, post *Lightfootum* in Horis Hebraic. & Talmudicis ostendit *Ludov. Cappellus* in Spicilegio Notarum p. 15. & *Herm. Witsius* in Exercitat. de Orat. Dominica. Tres primas petitiones in Judæorum formula consueta, quam קדיש appellant, invenire sibi visus est *Beausobrius* in Notis ad vers. Gallic. N. T. De duabus prioribus, quasi ibi verbotenus exstantibus, jam ante ipsum monuerat *Vitringa* de veteri Synagoga p. 962. Adde ejus Archisynagogum p. 161. sq. Hinc factum est, ut *Gaulminus* existimaret, Salvatorem nostrum Orationem hanc ex receptis a Judæis precandi formulis mutuam sumsisse. Vide eum in *Rich. Simonis* Biblioth. Critica Tom. IV. p. 187.

Alii vestigia Orationis Dominicæ in Cabbala Judæorum, speciatimque in Arboris Cabbalisticæ *Sephiroth*, invenisse sibi visi sunt. Huc pertinent præter alios paucos *Christianus Knorrius* in Cabbala Denudata, speciatimque in præfat. ad *Portam Cœlorum*, & ex parte *Alex. Morus* in Notis ad N. T. p. 28. Novissime autem hoc argumentum disputatum est inter Theologos nostrates *Gottlieb Wernsdorfium* & *Jo. Franc. Buddeum*, illum quidem pro negantium, hunc pro affirmantium partibus propugnantem, in Obss. Halens. Tom. I. Obs. 1. in Moderamine Inculpatæ tutelæ p. 30. sq. ac in Theologia Morali Part. I. c. V. Cum his comparandæ sunt laudati *Wernsdorfii* Vindiciæ Orationis Dominicæ, *Witteb.* 1708. 4. & qui eandem causam cum ipso tuentur, *Paulus Bergerus* in Dissert. de Cabbalismo Judaico-Christiano cap. I. §. 7. sqq. & *Jo. Georg. Wachterus* in Elucidario Cabbalistico p. 33. Controversiæ hujus historiam habes in *Fr. Jo. Schraderi* Oratione Dominica historice & dogmatice proposita, præcipue autem Judaismo opposita, *Helmstad.* 1710. 4. Mihi quidem & tutius & rectius videtur, ab his originibus precationis sanctissimæ animum avocare, cum & Cabbalæ illius & liturgiæ Judaicæ origines incertæ sint, multisque veri videatur similius, Judæos post-

limino ea, quæ vel in hac parte, vel alias, N. T. tabulis conformia inveniuntur, inde ſua feciſſe, quam ſacra illa ex impuris ejusmodi rivulis defluxiſſe. Confer in eandem ſententiam *Jac. Bernardum* in Notis Reip. Literar. an. 1718. Septembr. p. 276. Adde, ſi placet, quæ ipſe ego de eodem argumento fuſius commentatus ſum in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 1236 ſqq. Interim perſuaſum quoque habeo, ſententias illas & phraſes Judaicas πρὸς τὸ παραζηλῶσαι τὸς Ἰουδαίους cum ſacris commode comparari poſſe, modo id caute & convenienter fiat.

Patrum expoſitiones & obſervationes, ad Orat. Dominicam pertinentes, habes apud *Suicerum* in Obſervationibus Sacris cap. VII. p. 161. ſqq. qui eadem opera paſſim in Theſauro Eccleſiaſt. defungitur. Confer laudati *Schraderi* Orationem Dominicam hiſtorice & dogmatice propoſitam ſub præſidio Rev. *Jo. Andr. Schmidii*, Helmſt. 1710. 4. & *Jo. Pauli Olivecrantz* brevem explicationem Orat. Domin. quæ cum B. Kortholti Diſquiſitt. Anti-Baronianis prodiit, Hamb. 1708. tum vero Rev. *Jo. Franc. Buddei* Theol. Moralem Part. I. c. V. p. 384. ſeqq.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Ethnicos quoque ſummum Deum *Patris* nomine appellaſſe, oſtendit ad h. l. *Morus* in Notis p. 25. Plura exempla habes apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. *Cudworthum* in Syſtemate Intellectuali hujus univerſi, ubi de nominibus commentatur diligenter, quibus Jovem, ut ſummum Deorum, appellare conſueverint. Dio Chryſ. p. 205. Δία πατρῶον appellat. *Reges* vero non minus *Patrum* nomine veniebant, quod oſtendit J. H. *Majus* Obſervatt. Sacr. lib. III. p. 145. ſq. hoc monito ſubjuncto: *Deum invocamus, Patrem ob benignitatem appellantes, Regem ob imperium, cujus & filii ſumus & ſubditi, cujus ut ad nos veniat regnum, petimus v. 10. cui tribuimus* τὴν βασιλείαν v. 13. Omitto, quæ de voce πάτερ affert Pricæus ad Luc. XV. 18. Vide etiam *Eraſmum* in Opp. T. V. p. 1122. & 1123.

ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Non præter rem hæc verba Salvatorem Sanctiſſimum addidiſſe, recte obſervat *Olearius* p. 177. ſq. Reſpici is putat mores Judæorum, qui adorandum Deum inprimis volebant בהיכל קדשו i. e. in templo Hieroſolymitano, adeo, ut, ſi in eo eſſe non poſſent, vultu tamen ad illud in orientalem plagam converſo, preces fieri debere contenderent. Jam vero aderat tempus, quo non amplius in templo illo, manu facto, ſed potius in Chriſto, filio Dei, templo νοητῷ, ad Patrem, in cœlis habitantem, & ubique cum eo præſentem, preces fieri debebant. Conf. *Johan.* IV. 25. Eadem phraſi compeſci quoque ipſi videtur Ethnicorum mos, qui Deum vel in idolis ſuis, vel in templis, ut vulgus fere, vel in certis quoque cœli regionibus commemorantem cultu proſequi ſolebant. Hos itaque ab hac ſuperſtitione avocaturus, Servator Patrem appellat τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς h. e. patrem ubique præſentem, & qui omni loco adorari poſſit omniaque impleat. Hanc enim ὁ μακαρίτης putat eſſe vocis שמים, a voce שם i. e. *ibi*, quod locum denotat, derivandæ notionem, ut quemadmodum omne tempus

pus עד i. e. *usque* dicitur, de quo non poteſt cogitari inſtans, ad quod non pertingat; ita שמים ſit quaſi omne שם omne ibi, ſeu πανταχοῦ. Ita *Olearius* cum Coccejo in Lexico Hebr. p. 913. Quæ quidem cogitata nos ſuo loco relinquimus, non neſcii alioquin, Gentiles quoque *Jovem* ſuum in precibus, ad ipſum factis, cœlum, tanquam ſedem ipſius, commemorare conſueviſſe, ad fulciendam procul dubio fiduciam, quam in omnipotentia ejus collocatam habebant.

ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σε) Verba hæc non tam *petentis*, quam *laudibus extollentis* Deum eſſe, adeoque *doxologiæ* potius, quam *petitionis*, loco habenda, contenderat multis B. *Olearius* in Obſervatt. Sacr. ad h. v. editis. Cujus cogitatis cum recte ſe opponeret præſtantiſſimus Wittenbergenſium Theologus *Gottlieb Wernsdorfius*, in Vindiciis Orationis Dominic. Witteb. 1708. propoſitis, ad eas autem ὁ μακαρίτης in notis, quas Obſervationibus illis Lipſiæ uno volumine 1713. editis, adſperſerat, reſpondere inſtitueret, *Wernsdorfius*, easdem Vindicias auctiores cum animadverſionibus, adſtructurus illas, recudi curavit, Witteb. 1714. Non ediſſeram cauſam ipſam, quam nemo præter *Olearium* egit, cum ſufficiat, noſſe, novam illam ſententiam & verborum, quibus hæc petitio abſolvitur, ſtructuræ, & antiquitatis conſenſui perpetuo, & libris denique noſtratis Eccleſiæ Symbolicis penitus adverſari, nec multum habere, quo ſe aliqua ex parte commendare queat. Adde de hac petitione *Suicerum* in Obſſ. Sacris cap. VIII. p. 195. ſqq. & in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 54. ubi oſtendit, ex Patrum ſententia verba hæc id velle, ut Deus tanquam res ſancta celebretur & agnoſcatur. Quid ſpeciatim per ὄνομα hic intelligatur ex mente Patrum, oſtendit idem in Theſauro Tom. II. p. 494.

Verſ. 10. ἐλθέτω ἡ βασιλεία σε) De hac petitione quæ monet B. *Olearius*, apud ipſum legantur p. 194.

γενηθήτω τὸ θέλημά σε) Ita in *Pirke Avoth* c. V. §. 20. *Eſto fortis ſicut leo, ad faciendam voluntatem Patris tui, qui eſt in cœlis.* Gentilium ſcriptorum ſimilia loca de voluntate noſtra, voluntati divinæ prorſus ſubjicienda, lege apud *Gatakerum* ad Antoninum p. 161. a. De ſenſu petitionis hujus lege *Suicerum* Theſauri Tom. I. p. 1348. & in Obſervatt. Sacr. l. c.

Verſ. 11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον) Longum foret, hic percenſere omnia, quæ ad panem ἐπιούσιον pertinent, & dici poterant. Ex diſſertationibus eruditorum noſtratium, huc relatis, potiores ſunt *Balthaſ. Stolbergii* in Exercitatt. variis p. 220. & in Theſauro Diſputatt. ad N. Teſt. p. 123. *Jo. Philip. Pfeiferi*, Regiom. 1680. in eodem Theſauro f. 116. recuſ. *Henr. Topferi* Scrutinium Orat. Dominic. *Chriſtiani Kortholti*, quæ cum disquiſitionibus ejus Anti-Baronian. Hamb. 1708. repetita vice prodiit, Baronio oppoſita, *Wedelii* Centur. I. Exercitatt. Dec. IV. Exerc. III. *Gottfr. Olearii* Obſſ. p. 199. & *Jo. Guil. Kirchmaieri* Diſput. *Witteb.* 1713. 4. His addi oportet

ex

ex Reformatis *Jo. Marckium* in Exercitatt. Juvenilibus p. 357. ſqq. variis diſſertationibus, quæ ſpeciatim panem hunc de corporali accipiendum evincunt, *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 111. ſq. *Suicerum* in Theſauro Eccleſiaſt. Tom. I. p. 1169. ſq. & in Obſervatt. Sacris c. IV. p. 128. ſq. & c. X. p. 243. ſqq. qui inprimis in enarrandis veterum doctorum ſententiis diligentem operam collocavit, qua & defunctus eſt Cl. *Jo. Georg. Eccardus* in præfat. ad Catecheſin Theotiſcam p. 15. ſq. *Dan. Chamierum* Tom. IV. Panſtratiæ Cathol. lib. IX. c. 11. *Matth. Martinium* in voce *Quotidianus*, Ravanellum in voce *Panis*, *Claud. Salmaſium* in libro adv. *Grotium* ſub Simplicii Verini nomine ſcripto p. 109. ſq. & de Fœnore Trapezitico lib. III. p. 794. ſqq. ubi tum de origine, tum de ſignificatu vocis ἐπιούσιος diligenter commentatur uſque ad p. 816. *Iſaac. Caſaubonum* in Caſaubonianis p. 88. cum notis meis p. 288. & inprimis in Exercitatt. adverſus Baronium XVI. 39.

Ex Pontificiis lege inprimis *Dionyſ. Petavii* Diſſertatt. Eccleſiaſt. p. 310. ſq. & 329. ſq. Tom. IV. Dogmatum p. 198. ſq. ubi contra Salmaſium diſputat, & *Richard. Simonem* in Hiſtor. Critica N. T. paſſim, v. c. lib. I. p. 76. lib. II. p. 30. 337. 491. & lib. III. p. 394.

Pauca adhuc dicemus de *origine*, & *ſignificatu* vocis. Originem alii repetunt ab ἐπὶ & οὐσία, (inter quos eſt *Abrah. Scultetus* in Exercitatt. Evangel. II. 32. & noviſſime *Martianæus* in *Eſſay*, qui vertit per panem ad ſuſtentationem noſtram neceſſarium; ex noſtratibus vero B. *Wegnerus* in Annotatis ad h. l. Matthæi,) alii vero a participio ἐπιών. Afferemus huc *Scaligeri* verba ex epiſtolis ejus p. 810. Ἐπιούσιος ἄρτος *elegantiſſime formatum ἀπὸ τῆς ἐπιούσης ἡμέρας: non ut major pars veterum & recentiorum, ἀπὸ τῆς οὐσίας, quod eſt ineptiſſimum. Tunc enim dicendum fuiſſet* ἐπούσιον, *non* ἐπιούσιον. *Igitur* ἄρτος ἐπιούσιος *eſt quod Hebraiſmus multis verbis circumlocutus eſt*, לחם חקנו דבר יום ביומו ἄρτον τῦ μέτρε ἡμετέρε τὸν καθ' ἡμέραν. *Omnino bene* ***quotidianum*** *vetus Interpres vertit. Et Galli noſtri dicerent* ***du jour au lendemain*** דבר יום ביומו. *Nam ἡ ἐπιοῦσα eſt craſtinus dies. Itaque Dominus, qui de gratia Dei deſperare nos vetat, ut ne craſtina quidem curemus, panem in diem hodiernum ab ipſomet Deo petere nos jubet. Miror doctiſſimum Bezam ab ἐπὶ & οὐσία deduxiſſe, & tamen* quotidianum, *ut vetus Interpres, vertiſſe, quæ ſunt pugnantia.* Hactenus *Scaliger.* Atque hujus ſententiam eruditi pleno agmine ſunt ſecuti, nominatim *Tan. Faber* lib. II. Epiſt. p. 183. *Colomeſius* Obſſ. Sacr. p. 3. *Ludolfus Kuſterus* ad Suidam Tom. I. p. 823. *Jo. Boiſius*, ipſa Scaligeri verba repetens, in Collatione p. 16. *Thom. Mareſchallus* in Notis ad verſionem Gothicam p. 393 - 396. cujus ex libro, rarius obvio, aliqua huc afferemus. Ait ſcilicet, Gothum vertere, ac ſi diceres *continuum*, *perpetuum*, vel ut Vulg. *quotidianum.* Eadem enim vox ab eodem Interprete alias uſurpatur, ubi occurrit vertenda vox πάντοτε, *ſemper*, ut *Job.* XVIII. 20. Hüic expoſitioni aptiſſime ait convenire תמידי, quod in Hebraico Matthæi Evangelio utroque, a Munſtero & Tilio edito, legatur.

Eadem

Eadem ratione interpretari Armenum, itemque Græco-barbarum, *Maximum Calliupolitam*, apud quem pro ἐπιούσιον legatur καθημερινόν. Nec alio modo accipere *Coptum* & *Arabem*, qui τὸ ἐπιούσιον pro *craſtino* ſeu *futuro* ſumant. Ipſe deinde derivat ab ἐπιοῦσα, ſubintellecto ἡμέρα, eo ſenſu, quem *Heſychius* & *Phavorinus* reddunt, vocem ἐπιοῦσα per ἐπερχομένη vertentes, cujus ſignificationis exemplum exſtat in τοῖς LXX. *Proverb.* XVII. 1. Nec obſtare monet Chriſti præceptum, quo vetamur ſoliciti eſſe de craſtino v. 34. Ideo enim orandum eſſe, ut illa ſolicitudine levemur. Ex noſtratibus eandem & derivationem & ſignificationem ſequuntur *Wagenſeilius* ad Sota p. 1122. *Strauchius* in Breviario Theologico p. 594. *Joſua Arndius* in Miſcell. Sacr. p. 25. *Tob. Eckard.* in Technic. Sac. p. 127. *Jo. Alb. Fabricius* ad Sextum Empiricum p. 702. b. & ad Cod. Apocryph. N. T. Part. I. p. 367. tum vero & B. *Gottfr. Olearius* in Obſſ. p. 201. qui inprimis contra *Gomarum*, *Paſorem*, *Abrah. Scultetum*, quem confutatum vide a *Joſ. Arndio* in Miſcell. Sacr. p. 22. ſq. & *Marckium*, (quibus ex noſtratibus accedit Rev. *Wolfburgius* in Obſervatt. p. 216.) negantes, adjectivum nomen apud Græcos unquam a participio derivari, productis idoneis exemplis feliciter diſputat, cauſam omnem ita tandem perorans p. 202. *Abjecta futurorum ſolicitudine providentiæ divinæ omnia permittuntur, dum oramus, ut ἄρτον ἐπιούσιον*, panem omnis temporis, *deinceps nobis vivendo tranſigendi, det nobis σήμερον, vel, ut Lucas id exprimit*, καθ' ἡμέραν, die quavis, *h. e. neceſſaria per omnem vitam ſuppeditet, quotidie nobis, quantum opus eſt, largiendo.* Atque id ſibi velle ait B. *Lutherum*, quando per *panem quotidianum* vertit, h. e. quo quotidie atque per omnem adeo vitam nobis opus eſt, quemque petamus dari *hodie*, i. e. cum opus eſt & quantum opus eſt, atque adeo ſingulis diebus. Eadem via incedit hic Cl. *Jo. Henr. Majus* in Obſſ. Sacr. Part. III. p. 6. ſq. ubi præterea aliqua affert ex utraque antiquitate Græca & Romana, quæ lucem huic phraſi affundant. Obſervat ſcilicet, Romanos & Græcos Imperatores non raro ſingulis quotidie diſtribui curaſſe panes, quos propterea διαιωνίζοντας & ἡμερησίας appellarint. Videri huc jubet *Vopiſcum* c. 35. *Codinum* de Orig. CPolit. n. 15. alios. Adde in eandem ſententiam differentes *Cornel. Adami* p. 113. ſq. & *Clericum* tum in notis ad Hammondum, tum in Arte Critica Part. I. p. 36. ubi breviter omnia ſic dicendo complectitur: *Da nobis inpoſterum, per reliquam vitam, quotidie, unde vivamus, ut ſit pauperibus, quibus quotidie victus ſuppeditatur.* Atque in hac interpretatione tuto me acquieſcere poſſe puto, ſine conquiſitis aliis firmamentis & præſidiis. Neque opus ſane eſt, cum *Alex. Moro* in Notis p. 27. eam phraſi huic notionem vindicare, quod ſic petamus id, quod & in craſtinum ſatis ſit, ſicut olim Manna die ſexto dabatur ea copia, quæ etiam ſeptimo ſufficeret. Vide quæ contra hæc affert *Olearius* p. 203. recte exiſtimans, fiduciæ in Deum adverſari, petere, ut hodie habeamus, quod craſtino ſufficiat. *Wedelius*, cujus ſupra meminimus, vi vocis ἐπιούσιος id comprehendi putat, ut petatur panis *conſecutivus* ſive *ſucceſſivus, neceſſarius*, tum vero *ſatians*, hinc *ordinarius* ſeu *cibarius*, & *tempeſtivus*.

Hinc igitur judicium facile formari poteſt de iis, qui cum P. *Amelote* in verſione Gallica vertunt per *notre pain, qui ſurpaſſe toute ſubſtance;* contra quem lege *Rich. Simonem* in Hiſt. Critic. de verſionibus N. T. p. 377. vel qui cum *Trillero* & *Reitzio* vocem hanc per *ſuperſubſtantiale* vel *ſupereſſentiale* verti volunt, ac ſi idem eſſet, quod überweſentlich vel zuweſentlich. Vide huc utriusque verſionem, tum vero etiam *Trilleri* Unterſuchung etlicher Oerter N. T. p. 188. ſq. ſed compara, quæ in contrariam partem allata ſunt a *Schönlandio* in Reſponſione vernacula p. 179. & *Pfeifero* in Obſervatis ſuis ad eundem libellum p. 12. ſq. Quemadmodum vero vocis ipſius habitus verſionem hanc reſpuit, ita nec locum tuebitur, quæ illi a nonnullis ſuperſtructa eſt, veterum multorum, & recentiorum aliquot, expoſitio, qui ſcilicet de pane *cæleſti* ſeu *ſpirituali*, h. e. vel *Chriſto* ipſo, vel *Sacra Cœna*, &c. ſermonem hic eſſe cenſuerunt. Hanc cauſam agendam inprimis cenſuit *Juſtus Pezronius*, ſive, qui ſub hoc nomine latet, *Pet. Zornius*, in *Vindiciis* pro perpetua Eccleſiæ veteris traditione de Chriſto, pane ἐπιϭσίᾳ, Colon. Agripp. 8. & in Elucidatione locorum aliquot N. T. Part. I. p. 117. ſq. Rev. *Gottlieb Wernsdorfii* Vindiciis Orationis Dominic. Witteb. editis ſe opponens, cui cum hic in recuſis an. 1714. Vindiciis iisdem p. 71. ſqq. reſpondiſſet, ille quidem, nec ſic acquieſcendum ratus, *Vindicias Pezronianas* auctiores *Opuſculis*, quæ *Sacra* appellat, ſuo *Zornii* nomine inſcriptis, inſerere præclarum ſibique honorificum credidit. Pro rectiori & communiori ſententia ex noſtratibus B. *Kortholtus* in Diſputat. Anti-Salmaſiana ante laudata, ex Reformatis autem *Marckius* diligenter pugnarunt.

Venit hic in mentem recordari *Joſ. Medi*, qui æque ac *Scultetus* l. c. vocem ἐπιϭσιος per לחם חקי quod exſtat Proverb. XXX. 8. 9. h. e. *panem competentem* explicat, in Fragmentis Sacris T. X. Opuſcul. Roterod. in 8. editorum, p. 260. & fuſius in Operibus p. 125. ubi inter cetera legas, τὸς LXX. vocem περιϭσιος de populo Iſraelitico *Deut.* VII. 6. &c. tanquam prorſus novam, Evangeliſtas vero, ad eorum exemplum, τὸ ἐπιϭσιος itidem novam adhibuiſſe, atque illam quidem *abundantiam* & *ſuperfluum* quid, hanc vero *ſufficientiam* inferre. Diſcedit ab hoc, & ceteris forte omnibus *Jac. Guſſetus* in Lexico Hebraico p. 466. cujus hæc habe verba: *Nunc ſi perpenderis ea, quæ de mercede operarii ſolvenda in hora, qua clauditur ſimul labor diurnus, & adeſt veſpera, diem ſequentem continuo inchoans, vidimus, facile credes, vocem* ἄρτϭ ἐπιϭσίϭ *Matth. VI. 11. a voce* ἐπιϭσα *craſtina derivatam, innuere, nos, tanquam Dei famulos, ac totam diem ejus ſervitio impendere obſtrictos, panem ab eo ſperare, ea lege, atque eo nomine, veſpera adveniente, quaſi* לחם מחירי h. e. mercenarium craſtinumque *ſimul. Quanquam non impoſſibile duco, aliam etymologiam aptiorem reperiri. Nec incommodum reor, donec certiſſima etymologiæ lux affulgeat, accipere* ἐπιϭσιον (*juxta vim præpoſitionis* ἐπὶ, ſeu ὄσιον ſit ab ἐιμὶ, ſeu ab ἔμι venio) *quaſi* ſuperaccedens, (ἐπίϑετον) additum, rei principali, *in aliis ejusdem orationis petitionibus deſignatæ, nem-*

nempe regno Dei, ejusque justitiæ, juxta Matth. VI. 33. Atque hæc quidem de his sufficiant, ni forte nimia sint. Conf ad *Luc.* XI. 3.

Vers. 12. ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα &c.) Totum hoc comma illustratur a *Marckio* in Exercitatt. Biblicis p. 646. sqq. ubi speciatim ostendit, per ὀφειλήματα seu *debita* hic intelligi peccata, qua de notione & *Suicerum* Tom. II. p. 530 & *Vorstium* Part. I. Philol. Sacr. p. 60. sq. consule, qui posterior etiam de voce ὀφειλέτης differit. Adde *Gottfr. Olearium* p. 204. sqq. qui inprimis verbi ἀφιέναι notionem & emphasin evolvit. Eadem vero phrasi utuntur profani Scriptores, ut *Lucianus* Saturn. p. 609. ἀφίημί σοι τὰ χρέα, & *Laërtius* in Lycone lib. V. καὶ εἴ τί μοι ὀφείλει, ἀφίημι αὐτῷ. Conf. *Lamb. Bos* in Exercitt. p. 8. Itaque non opus erit, ut in hac significatione vocis ὀφείλημα Chaldaismum quæramus cum *Keuchenio* ad h. l. Quamvis certum sit, vocem חטאתם Gen. XVIII. 20. in Targum reddi per חובתהון i. e. *debitum eorum* & Exod. XXXII. 32. legi שבק חובין i. e. *remittere debita.* Conf. *Relandi* Antt. Hebr. p. 321. Hanc petitionem & sanctis faciendam esse, veteres frequenter monuerunt. Lege Canon. 115. seq. Codicis Eccles. African. & confer *Elmenhorstium* ad Gennadium cap. 36. nec non *Suicerum* in Observatt. Sacris p. 253. itemque *Vossium* in Histor. Pelagiana p. 500. Ceterum mutuam remissionem peccatorum ex venia, quam a Deo nanciscimur, urget R. *Abrah. Jagel* in לקח טוב, *cogitandum* esse præcipiens, *quemadmodum nos omni die cumulamus peccata coram Deo benedicto, peccata nobis remittente, nos quoque, si filii ejus simus, obligatos esse ad peccata aliis eodem modo remittenda, quo ipse nobis condonat.* Conf. *Vitringam* lib. I. Obss. Sacr. p. 202.

ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν) B. *Olearius* p. 210. particulam ὡς mavult legere cum accentu ὧς, per ut idem sit, quod ὥτω, *similiter*, sensusque verborum iste nascatur: *Remitte nobis debita nostra, sic tuo exemplo nos quoque remittemus debitoribus nostris.* Quo ipso hoc additamentum *promissum* magis contineret de eo, quid facturi simus, quam *conditionem*, sub qua veniam expetamus, quamvis nec hanc excludam velit. Equidem negari non potest, particulam ὧς eo sensu adhiberi a Græcis consuevisse. Sed hic ex mente Christi eam illi tribui non crediderim. Certe, si permittamus, ut accentus sine ullo Codicis exemplo addatur ideo, quod primi & antiquissimi Codices illis semper fuerint destituti; non parum certe est, quod nec versio ulla antiqua, nec Interpres ullus in hæc cogitata descenderit. Nec de nihilo est, quod *Lucas* in loco parallelo hæc ita effert: καὶ γὰρ ἡμεῖς ἀφίεμεν. Ubi non sufficit, quod Vir doctus regerit p. 211. τὸ καὶ etiam ibi esse similitudinis, ut Hebr. ו & verti posse: *tuo exemplo* vel *simili modo nos quoque remissuri sumus debitoribus nostris.* Vim hoc modo inferri phrasi, per se alioquin clarissimæ, nemo, puto, non intelligit. Hac vero certe non opus est, in iis verbis, ad quæ ex nova interpretatione nihil vel lucis vel roboris accedit. Nam & ὁ μακαρίτης *conditionem* præstandæ remissionis,

quam alii omnes hic tantum urgent, retinendam censet. Et cur illud ἀφῶμεν in futuro tempore, quod fieri vult, accipiemus, cum nemo veniam peccati præstolari possit, qui non vel *remiserit*, vel *remittat* fratri suo injuriam eo tempore, quo cum Deo in gratiam redire cupit?

Vers. 13. μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν) Vide huc *Olearium* p. 212. sq. qui ostendit, his verbis utentes non, ex mente Christi, amoliri a se omne tentationum genus, cum multas earum etiam ex lege Christianissimi & cum commodis nostris subire debeamus; (vid. *Jacobi* I. 12.) sed id precari, ne tentationibus opprimamur, iisque succumbamus. Quæ interpretatio ut B. *Lutheri* aliorumque expositionibus conformis est, & argumento congrua; ita ipsi videtur ex phrasi Græca commode derivari posse, quippe quæ eadem sit, ut si dicas: ἡ ἐνέγκῃς ἡμᾶς ἐν πειρασμῷ. Præpositiones enim ἐν & εἰς sæpe secum invicem permutari. Phrasin autem μὴ ἐνέγκῃς vel μὴ φέρῃς ἡμᾶς ἐν πειρασμῷ porro explicat per: μὴ φέρεσθαι ἔα h. e. *ne sinas abripi nos in tentationibus, si quæ nobis obvenerint.* Nimiis ambagibus Vir doctus hic videtur usus ad firmandam expositionem alioquin veram, & iis quidem, quæ ex parte non videntur admitti posse. Præpositionem εἰς hic pro ἐν usurpari, credere non patitur geminatio ejus, verbo scilicet apposita & seorsim collocata. Conf. *Act.* XVII. 20. Id vero si non admiseris, reliqua per se ruunt. Placet mihi *Hammondus*, ita scribens: Εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμὸν *est illaqueari iis difficultatibus ac periculis, quibus nosmet ipsi expedire nequimus, Matth. XXIII. 14. ac proinde* εἰσφέρειν εἰς πειρασμὸν *est inferre, vel pati aliquem inferri ejusmodi periculo. Contraria est huic rei promissio Dei*, 1. Cor. X. 13. ποιεῖν τῷ πειρασμῷ καὶ τὴν ἔκβασιν. Conf. *le Cene* in Projet p. 490. *ne patiaris nos incidere in tentationem.* Ceterum per tentationem hic intelligi omne genus occasionis offendendi Deum, & conscientiam lædendi, opinatur *Martianæus* in *Essay* p. 77. qui proinde petitionem hanc simpliciter ad tentationes in se malas, atque adeo simpliciter amoliendas, refert. A qua sententia nec alienus est *Possinus* in Spicilegio p. 96. ubi disquirit, cur tentationem deprecemur. Quomodo Patres eam petitionem interpretentur, ostendit *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 655. sq.

ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) Oramus hic Deum, judice *Oleario* p. 214. ut ne nos periculis & tentationibus, quæ undiquaque pro vitæ hujus conditione nos obsident, abripi, suffocari, perire sinat, sed liberet tandem ab omni eo, quod malum in illis vel per se, vel ex accidente esse queat. Idem addit, vocem πονηρὸν non abstractive, quod nonnulli fecerunt, sed concretive cum B. Luthero accipi debere pro omni eo, quod felicitati nostræ adversum est, non excluso eo, qui est κατ' ἐξοχὴν πονηρὸς, i. e. Diabolus. Confer B. *Wegnerum* ad h. l. Matthæi. *Alex. Morus* in Notis p. 28. τὸ ῥῦσαι vertere mavult per *servare* quam *liberare*, ut sensus sit, *serva nos*, & immunes præsta *ab occursu mali*; atque adeo τὸ ῥῦσαι idem hic sit, quod

quod τηρεῖν Jo. XVII. 15. & *Apoc.* III. 10. Ita ait, *Hesychium* τὸ ῥῦσαι reddere per φυλάξαι, & Homerum quoque eo sensu adhibere. Sic putat, petitionem hanc cum priore rectius conjungi in hanc sententiam: *Ne nos inducas in tentationem, sed contra custodi nos, & averte a nobis tentatorem.* Meo quidem judicio recepta huc dum interpretatio convenientior est tum contextui, de quo vide *Olearium*, tum usui N. T. in quo quotiescunque occurrit, non *præservationem*, sed *liberationem* a malo infert. Non tam adversus Diabolum quam omnis generis mala precationem hanc fieri contendit *le Cene* in Projet p. 671. Et sic etiam Patres nonnulli apud *Suicerum* Tom. II. p. 807. qui tamen eorum præfert sententiam, qui de Diabolo accipi volunt.

Ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ βασιλεία &c.) Doxologia hæc, quæ vocari solet, in Codd. nonnullis Græcis, & Patribus aliquot antiquissimis, desideratur. Hinc & a multis, inprimis Criticis, pro supposita habetur. Ex Pontificiis huc tendunt, in gratiam Vulg. Interpretis, omnis, ex quibus nominasse hic sufficerit *Desider. Erasmum* Tom. IX. Opp. p. 132. *Jo. Morinum* in Exercitatt. lib. I. Exercit. II. p. 37. *Rich. Simonem* in Notis ad vers. Gall. & in Histor. Critica N. T. passim v. c. de Versionibus p. 163. sq. & novissime *Augustin. Calmetum* in Commentar. ad h. l. cui ex libris Liturgicis huc illata videtur. Ex *Anglis* eandem sententiam approbat post *Waltonum Millius* in Notis ad N. T. & inprimis in Prolegomenis §. 385. 388. 1098. & 1360. ubi eam Sæculo, quod Apostolico proximum est, a Viris Apostolicis concinnatam, & dehinc ex Liturgiis in Evangelium Matthæi relatam esse contendit. Ex nostratibus non memini, quemquam his vestigiis institisse, præter unum Theologum Tubingensem, Virum alioquin doctissimum, in notis ad *Grabii* Liturgiam Fragmentis Irenæi subjunctam, p. 517. nisi eum, quod malim, ex Grabii potius, quam sua sententia ita scripsisse statuas. Certe in Comm. ad Matthæum communem sententiam diserte tuetur. Alia sentientibus occurrerunt ex nostratibus B. *Gottfr. Olearius* p. 215. sqq. & novissime Cl. *Pet. Adolphus Boysen* in Dissertat. de Codice Græco N. T. p. 85. sq. ex Anglis *Dan. Whitby* in Examine p. 29. & in Notis ad h. l. ex Reformatis *Alex. Morus* in Causa Dei p. 111. *Werenfelsius* in Sylloge Dissertationum Theolog. p. 510. & *Herm. Witsius* Exercit. XIV. in Orat. Domin. §. 3. sqq. Recte omnino. Codicibus enim & versionibus, in quibus non leguntur, pari jure aliæ æque antiquæ, quemadmodum Patribus Latinis Græci tantum non omnes, opponuntur. Et verisimilius est, verba hæc ex contextu Matthæi in Liturgias, quam ex his in illum translata fuisse. Qui enim, quæso, alioquin factum sit, ut non similiter & Lucæ Evangelio inseretur? Nec obstat, quod ibi desit, nisi etiam alia quædam in ipsa Orationis formula, vel in verbis Institutionis Cœnæ Dominicæ mutata apud Matthæum cupias, quia apud Lucam aliter nonnulla leguntur. Fortasse & omissionis, apud Lucam occurrentis, ratio hæc reddi potest, quod formula hæc precandi ibi recitata, a Servatore nostro discipulis secunda vice (ut in limine monuimus) ibi præscripta

sit. Fortasse itaque & Christus ipse tunc certis de causis eam omisit, ex quo tamen nemo effecerit, etiam alias, cum prima vice præscriberetur, non traditam fuisse. Cum vero scioli nonnulli aliter judicarent, faciendum putarunt, ut, ad plenam utriusque Evangelistæ consensionem, Matthæo δοξολογίας formula demeretur. Provocant nonnulli, cum *Sauberto*, contra quem vide Rev. *Wernsdorfium* in Vindiciis Orat. Domin. p. 85. ad Judæorum consuetudinem, in precibus suis simili laudis formula utentium; ut omittam, ex *Luciani* Tom. II. p. 1011. nonnullis (vide inprimis *Olearium* & *Whitbium*) videri constare, quod in limine seculi II. a Christo nato formula hæc frequentata fuerit, cum ad eam alludere videatur homo intempestive dicax.

Ceterum Rev. *Jo. Franc. Buddeus* in doxologia invenire sibi visus est compendium doctrinæ Sephirothicæ Cabbalistarum, in Observationibus Halens. Tom. I. Obs. I. Sed vide, quæ in contrariam partem afferunt *Wernsdorfius* l. c. & B. *Olearius* p. 218. quorum uterque phrases V. T. istis, quæ hic exstant, similes in medium afferunt, ad quas Christum respexisse veri sit similius. Confer, quæ paulo ante in hanc rem diximus. Ad exemplum doxologiæ hujus divinæ aliæ a veteri Ecclesia usu receptæ fuerunt, de quibus videbis, si placet, *Eduardi Stillingfleeti* Vindicias doctrinæ de SS. Trinitate p. 198. sqq. & noviissime *Guil. Whistonum*, in defensione Arianismi, contra quem eas facere ostenderat Stillingfleetus, illis infeliciter abutentem, in Appendice ad Primitivum Christianismum p. 1. sqq. ubi formulas doxologicas in unum cumulum confert, quæ in Scriptura Sacra vel antiquissimis Patribus leguntur.

Ἀμήν) De particula hac multi commentati sunt, quorum præcipuos commemorabimus. Ex nostratibus huc pertinent *Salom. Glassius* in Philolog. Sacr. p. 715. sq. *Pfeiferus* in Locis Hebr. & Exotic. N. T. p. 502. sq. *Wagenseilius* ad Sota p. 379. *Dilherrus* in Farragine rituum Sacrorum lib. II. c. 20. *Alb. Voigtius* in Miscell. Biblic. p. 181. seq. *Schudtius* p. 138. Deliciar. *Gerhard. Mejer* & *Jo. Phil. Treffentlich* in Disputatt. singularibus, item J. C. *Dietericus* in Antiquitatt. N. T. voce Ἀμήν; ex *Anglis Fullerus* l. c. Miscell. *Jo. Weemsius* in Exposit. Decalogi Anglicana, *Seldenus* ad Eutychii Origines Alexandr. p. 37. Ex Reformatis *Suicerus* in Thesauro Eccles. voce ἀμήν & in Observatt. Sacris p. 291. sqq. *Jac. Lydius* de Juramentis c. II. §. 4. & *Jac. Gussetus* in Lexico Hebr. rad. אמן. Ex Pontificiis *Durantus* II. 17. de ritibus Ecclesiast. *Aloys. Novarinus* lib. V. p. 139. Schediasm. & *Pet. Possinus* in Spicileg. Evang. p. 23. cujus hæc est singularis, sed minus probabilis, sententia, τὸ אמן ex ראשי היבות conflatum idem sibi velle, ac si dixeris אדני מלך נאמן h. e. *Dominus Rex fidelis*. Junge istis, si placet, *Sam. Petitum* lib. I. c. 17. qui pro jurandi formula habet, *Caninium* c. 5. Locorum Hebr. *Cheitomæum* p. 28. & *Tollium* ad Auson. p. 103. & in Omissis p. 781.

In

In asseverationibus Christi divinitatis ejus indicium esse, contendit *Gussetus* l. c. Huc inprimis pertinet, quod Judæi quoque & olim & hodie preces suas formula hac, tanquam fiduciæ indice, uti consueverint. Nec ita pridem Scriptor recentior causam prolati in longius adventus Messiæ, quem imprudenter exspectant, in eam retulit causam, quod sub finem precum suarum τὸ אמן simplici vice repetere neglexerint.

Vers. 14. τὰ παραπτώματα αὐτῶν) Per ea non solum leviora, sed & graviora, peccata indicari, statuit *Keuchenius* ad h. l.

Vers. 16. Ὅταν δὲ νηστεύητε &c.) Comma hoc cum similibus phrasibus *Jes.* LVIII. 5. comparat *Altingius* in Paralleliſmo locorum V. T. in Novo citatorum p. 21. Tom. II. Opp.

οἱ ὑποκριταί) de voce hac vide *Corn. Adami* in Obss. ad h. l. p. 114. ubi existimat, Salvatorem perstringere hic mores Pharisæorum, qui, affectata gravitatis specie, auctoritatem sibi apud populum quæsierint, simulque ad gestus histrionum eorumque amictum & actiones alludere, cum de illis quidem hæc vox proprie adhiberi soleat.

σκυθρωποὶ) Voci huic duplex inprimis notio subjicitur apud Græcos, ut vel *tristitiam* denotet, vel *morositatem* & severitatem. Vide loca eorum apud *Adami* p. 115. Ex illis σκυθρωπότητα falsis sæculi sui Philosophis exprobrat *Lucianus* Tom. I. Opp. p. 412. & Tom. II. p. 219. *Mœstitiam* aut *tristitiam* hic indicari, contendunt Casaubonus in Casaubonianis p. 91. Scaliger apud *Schurtzfleisch.* in Actis Literar. p. 24. Cl. *Majus* in Obss. Sacr. P. I. p. 74. & *Elsnerus* p. 35. nec immerito, cum de re sermo sit, ad cultum Dei pertinente, & quem sibi cordi esse vultu tristiori significatum voluerunt. Addam locis, ab illis allegatis, unum *Alciphronis* ep. LXIV. p. 434. θεασάμενος γὰρ τὸν διδάσκαλον τῇ ἡμέρᾳ σεμνὸν καὶ σκυθρωπὸν καὶ τοῖς νέοις ἐπιτιμῶντα. Sed hic quidem *morositatem* potissimum indicari crediderim. Pullatos vultuque tetrico ac tristes innui censet *Keuchenius* ad h. l.

ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα αὐτῶν) *Vulg.* τὸ ἀφανίζειν vertit per *exterminant*, approbante *Boisio*, qui idem hoc esse ait, atque si dixeris *corrumpunt.* Adde pro Vulgato *Suicerum* Tom. I. p. 590. qui præterea observat, & veterum auctoritate confirmat, ἀφανίζειν τὸ πρόσωπον idem esse, quod *gravitatem præ se ferre* eumque in finem faciem quasi inquinare, cum interius in corde longe alia lateant. Confer pro Vulgato dicentem *Rich. Simonem* in Hist. Critic. de Version. N. Test. p. 256. *Hombergius* omnium diligentissime varias verbi hujus significationes ex Auctoribus recensét p. 27. Denotat autem, eo judice, a) *aliquid ita tollere, ut ne vestigium ejus appareat:* tum b) *nativum colorem vel aliam qualitatem rei alicui auferre*, sublatis iis, quibus maxime discernebatur. Denique vero c) *occultare.* Mediam is post *Bezam*, & alios Interpretes, ceteris quod ad h. l. præfert. Plus tamen hic notari existimat *Gatackerus* ad Antoninum p. 268. *Schottus* in Adag. N. T. p. 13. ita vertit: obscurant

rant colorem nativum, ut appareant macra & pallida facie. *Elsnerus* p. 35. non inconcinne ex ipsâ verbi origine genuinum ejus significatum derivat. Cum enim ab α privativo & φαίνειν deducatur, idem id esse ait, ac *facere*, ἵνα μὴ φανῇ πρόσωπον, i. e. *ne appareat*, aut potius *luceat vultus*, seu *exstinguere omnem ejus lucem*: quod fit, dum, abjecta omni lætitia, vultus componitur ad tristitiam. Addit idem, si quis τὸ ἀφανίζειν opponere malit sequenti φαίνειν, idem fore, quod *occultare*, quo sensu adhibuerit *Ælianus* Hist. Animal. II. 7. & I. 41. idque fieri potuisse vel veste pulla injecta, in morem lugentium, aut inspersô capiti aut faciei luto & cinere. Posterius hoc innui quoque visum est *Bartholino* de Morbis Biblicis c. VII. *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. ita παραφράζει: *ils se gatent le visage avec de certains drogues*. Meo judicio *deformationis* & *deturpationis*, quacunque demum ratione faciei inducatur, significatus loco huic convenientissimus est.

ὅπως φανῶσι) Vulg. *ut pareant*: rectè, judice *Boisio* in Collat. Conf. Cl. *Crenii* Animadversion. Part. VIII. c. II. p. 82.

Vers. 17. ἄλειψαί σε τὴν κεφαλήν) Fieri hoc jubet Christus a jejunantibus, quia non nisi loti & uncti accubare solebant, ut proinde jejunantium speciem præ se non ferant. Hæc est scita conjectura *de Roa* lib. I. p. 37. Confer J. C. *Dieterici* Antiquitatt. N. T. Tom. I. p. 77. & *Suiceri* Thesaur. Tom. I. p. 185. Versio ex Portu Regio profecta, & *Richardi Simonis* illa, habent *parfumez*: quod rectè improbatur in *Memor. Trivult.* 1702. Maj. p. 392. ex eo, quod in Græco hic non legatur ἀναθυμιᾷν, sed ἀλείφειν i. e. *ungere*, qui mos fuerit illius ætatis. Vide etiam B. *Dassovii* Dissertat. de Ave ungue secta Coroll. IV. & *Picinellum* in Lumin. Refl.

Vers. 18. ἐν τῷ φανερῷ) Abest a Codd. & versionibus variis, ideoque ex superioribus v. 4. & 6. petitum videtur *Rich. Simoni* in Notis ad h. l. & in Observationibus Novis p. 240. & C. M. *Pfaffio* de Variis Lect. N. T. p. 198. Imo *Millius* in v. 4. & 6. easdem voces pro additamento habet, ad quæ commata vide quæ scripsi.

Vers. 19. μὴ θησαυρίζετε &c.) Confertur v. 19. & 20. cum *Exod.* XVI. 16-24. im Heb. Opfer Tom. I. p. 102. ita scilicet, ut, sicut ibi manna in dies profestos repositum, computruisse, id vero quod in Sabbatum ante collectum erat, salvum mansisse, dicitur; sic bona secularia, cum cura collecta evanescere, ea vero, quæ in Sabbatum cœleste comportentur, servari dicantur. Cum θησαυρίζειν apud *Ælian.* Var. Hist. VI. 12. & Hist. Animal. III. 10. de frugibus reconditis usurpetur, & οἱ LXX. *Amosi* VIII. 5. θησαυρὸς de frumento adhibeant, ad frugum acervos hoc quoque loco respici existimat *Elsnerus* p. 37. De *vestibus* viciissim hic cogitari vult post *Bochartum*, loco mox citando, *Braunius* de Vestitu Sacerdotum Hebr. 835. *Solebant*, inquiens, *Reges thesauros suos ponere non tantum in auro, in argento & in gemmis, sed & in pretiosis vestimentis. Ideo Christus Matth. VI. 20. loquitur de thesauris*

ſauris, ubi tinea nihil corrumpit, quod intelligendum eſt non de auro, gemmis &c. tantum, ſed & de veſtibus, quæ a tineis corrumpi poſſunt. Facile patet, utramque rem accommodatam eſſe ad injuriam a tineis patiendam. *De latiori vocum* θησαυρὸς & θησαυρίζειν notione, qua ad res pretioſas quascunque referuntur, lege pluribus agentes *Homberg.* in Parergis p. 30. *Cornel. Adami* in Obſervatt. Theolog. Part. I. p. 87. & *Lamb. Bos* ad Matth. II. 11. qui & etymologiam ediſſerit in Diſſ. de Etymologia Græc. p. 26.

Ceterum hoc præceptum non ſimpliciter accipiendum eſt; ſed Chriſtus id ſibi vult, quod non præcipua cura in comparandis bonis ſecularibus collocari, ſed potius ad cœleſtia referri debeat. Confer *Joſ. Mede* p. 352. Opp.

ὅπου σὴς καὶ βρῶσις) Per ἓν διὰ δυοῖν exponunt varii, ut idem ſit, quod σὴς βρώσκουσα, *tinea comedens*, vel βρῶσις σητὸς, *comeſtio tineæ.* Hinc Lucam, ajunt, XII. 33. tantum σητὸς meminiſſe, & *Jac.* V. 2. veſtimenta dici σητόβρωτα. Ita poſt *Claud. Sarravium*, teſte Pricæo ad h. l. & *Caſaubonum* ſentit *Suicerus* in Theſauro Eccleſ. T. I. p. 718. *Bochartus* in Hierozoico Part. II. lib. IV. c. 25. inprimis vero Hombergius p. 29. ſq. ubi varia hujus loquendi formulæ exempla ex profanis adfert, & cum his Amelius Part. II. p. 857. At recte his ſe oppoſuerunt alii, ut *Guſſetus* in Veſperis Groninganis p. 394. ſq. & *Elsnerus* p. 37. ideo inprimis, quod v. 20. eadem phraſis repetatur diſtincte, ὅπου σὴς ὅπου βρῶσις. Itaque *Elsnerus* per βρῶσιν animalculum intelligit tale, quod, quia maxime βρώσκει, eo nomine veniat, ſicut *Malach.* III. 11. per Hebr. אוכל ejusmodi animal indicatur, ubi οἱ LXX. habent βρῶσιν. Sic *Aquila* Jeſ. L. 9. Hebr. עש per βρῶσιν interpretatur. Confirmat ſententiam hanc, quod *Boiſſus* ad h. l. affert in Collatione p. 29. ubi Excerpta ex veteribus Lexicis Græco-Lat. f. 258. ita tradere obſervat: *Tinea σὴς καὶ βρωτὴρ*, ex quo colligit, βρῶσιν capi hic poſſe ἀντὶ τοῦ βρωτῆρος. Perplacet mihi *Guſſeti* judicium l. c. p. 398. cui Chriſtus præcepiſſe videtur, non eſſe ponendam ſolicitudinem in convaſandis ejusmodi opibus & rebus, quæcunque ſint, quæ vel furto a nobis auferri poſſint, ut pecunia, aurum, argentum, gemmæ, vel quæ tinea poſſit abſumere, ut veſtes in arca aſſervatas, vel denique, quæ ab animalculis pluribus comedi poſſint, vel etiam ab hominibus, qui nobis illa poſſint ſurripere, & quæcunque ſolicite ſervantur ad alimoniam.

ἀφανίζει) i. e. διαφθείρει, ut *Luc.* XII. 33. Confer loca *Polybii* apud. *Raphelium* p. 47.

διορύσσουσιν) De verbo hoc lege *Suiceri* Theſaur. T. I. p. 922.

Verſ. 21. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 13. & *Suicer.* Tom. I. p. 1401. Quæ in hoc commate apud *Chryſoſt.* occurrunt legendi varietates, eas cum recepta lectione non commutandas eſſe oſtendit *Whitby* p. 37. Exam.

Verſ. 22. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμὸς &c.) Plerique Inter-

pretes oculum ſimplicem & malignum de animi indole & conditione acceperunt, & quidem ad imitationem Hebræorum, qui vocem עין frequenter ita uſurpant, ut *Prov.* XXII. 9. & XXIII. 6. &c. Speciatim vero ὀφθαλμὸς ἁπλῆς de *animo liberali* & ad eleemoſynas promto, πονηρὸς autem de ſorditie hic uſurpari nonnullis videtur, inter quos eſt *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 627. *Guil. Surenhuſius* ad *Codic. Terumoth* c. IV. §. 3. Tom. I. Operis Miſchnici & *Guſſetus* in Lexico Hebr. p. 599. At *Pfochenius*, in Diſſ. de Stylo N. T. §. 114. ſimiles phraſes apud profanos Scriptores invenire, ſibi viſus eſt, adverſarium nactus *Gatackerum* p. 253. cui adſtipulatur B. *Olearius* ad h. l. p. 226. qui tamen ibidem contendit, non opus hic eſſe omni iſta contentione, cum vox ὀφθαλμὸς propius de corporis oculo explicari queat. Ipſi ſcilicet totum hoc dicendi genus παροιμιῶδες videtur, cujus primam partem conſtituat paroemia: *oculus eſt corporis lux*; ſecundam deductio ejus per conſequentiam inde derivatam: *ſi igitur oculus tuus integer eſt* &c. tertiam denique applicatio abſolvat: *ſi igitur, quæ in te eſſe debebat, lux in tenebras degenerat, quantæ illæ tenebræ!* Ut proinde ſic tenebræ corporis ab oculo πονηρῷ, vitio laborante, profectæ, opponantur tenebris ἐν σοὶ h. e. *tenebris animi.* Sic argumentum hic erit a minori ad majus: *ſi miſera res eſt, corpus verſari in tenebris, ubi oculis ineſt vitium; quanto magis miſerum erit, ſi lumen, quod in te eſt, ſcilicet animi, h. e. principia juſti & boni, turpiſſimorum affectuum, & avaritiæ inprimis, tumultu fuerit exſtinctum?* Hæc interpretatio variis argumentis ibidem fulcitur, ſicut eorum, qui metaphoricum ſenſum ſectantur, & ſpeciatim *Hammondi* ſententia oppugnatur. Nec diffiteor, & mihi eam præferendam videri, cum ſic omnia in ſermonis ſerie rectius fluant, quam ſi oculum ἁπλῆν de animo liberali & non fallente, per πονηρὸν autem avarum & fallacem indicari putes. *Henr. Morus* easdem partes amplexus eſt in diſſertatione ſuper h. l. quæ exſtat in Diſſertationibus ejus Anglicanis ſuper varia Scripturæ loca p. 74. ſq. qui obſervat, Chriſtum id ſibi velle, ſicuti oculus purus & ſimplex illuminat corpus, ita in ratione requiri integritatem. Quam in rem affert Gentilium illud votum: ὦ φίλη ψυχὴ, πότε μία ἔσῃ καὶ γυμνὴ, καὶ ἁπλῆ, & *Antonini* illud ἅπλωσον σεαυτόν. Sed propius huc pertinet ejusdem *Antonini* locus, qui exſtat lib. XII. §. 15. τὸ μὲν τῇ λύχνῳ φῶς, μέχρι σβεσθῇ, φαίνει, καὶ τὴν αὐγὴν οὐκ ἀποβάλλει, ἡ δὲ ἐν σοὶ ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη, καὶ σωφροσύνη προαποσβήσεται; i. e. *An, cum lucernæ lumen, uſque dum exſtinguatur, luceat, nec ſplendorem amittat ſuum, tu admiſſurus es, ut in te veritas, juſtitia, temperantia, ante temet exſtinctum exſtinguatur?* Eodem modo *Polybius* oculum veritati comparat apud *Raphel.* in Not. Polyb. p. 47. Adde omnino in eandem ſententiam ad h. l. commentantem *Elsnerum* p. 39. qui & Hieroclis locum præfat. in Carmina Pythag. p. 10. huc adfert. Pro communiori interpretatione legi poteſt *Alethæus* Part. I. p. 196. ſqq. *Suicerus* T. I. p. 436. cum veterum nonnullis de animo ſincero accipi vult. Adde & *Vitringæ* Obſerv. Sacr. lib. III. p. 88. & 98. Conf. M. *Hier. Giesmanni* Diſſert. de recto oculorum uſu, Lipſ. 1711. 4.

Verſ.

Verſ. 23. Ἐὰν δὲ ὁ ὀφθαλμός σε πονηρὸς ᾖ &c.) πονηρὸς per *nequam* interpretatur Vulg. & cum eo *Boiſius* in Collat. Pro avaro accipit *le Moyne* ad Varia Sacra p. 627. Sed de his ex modo dictis judicium fieri poteſt.

τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ) Vide huc *Feſſelii* Adverſaria Tom. II. p. 140. qui per φῶς *hominis mentem* intelligit.

Verſ. 24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν) Vid. *Schotti* Adag. N. T. p. 14. *Epicteti* locum huic fere ſimilem habes apud *Raphel.* l. c. p. 47. Ex Patribus vide huc commentantem *Suicerum* Tom. I. p. 959.

τὸν ἕνα μισήσει) i. e. *poſthabebit*, ut *Gen.* XXIX. 30. vide *Hackſpanii* Notas p. 41. & *le Cene* in Projet. p. 450.

ἢ ἑνὸς ἀνθέξεται &c.) Ut hæc phraſis cum priori non eadem habeatur, notandum eſt, τὸ ἀντέχεσθαι aliquid amplius eſſe, quam τὸ ἀγαπᾶν, ut ſenſus ſit: licet utrumque amet, fieri poſſe, ut, dum in alterius voluntate exſequenda ſit promtior, erga alterum ſe gerat negligentius. Ita fere *Caſaubonus* ad h. l. quæ firmat *Raphelius* in notis Polybianis p. 48. ſq. variis *Polybii* locis adductis, in quibus hæc efficacia verbo ἀντέχεσθαι conſtat. Sed non placuit iſta Caſauboni obſervatio *Marco Meibomio*, exiſtimanti, Græcum verbum nullibi ea ſignificatione uſurpatum legi. Quam in rem cum multa erudite diſſeruiſſet, profitetur, ſe malle vertere: *pro uno ſtabit & alterum contemnet.* Vide ejus præfat. ad auctores antiquæ Muſicæ p. 35. ſqq. Atque ita quoque *Suicerus* Tom. I. p. 371. ad Heſychium inprimis provocans, *defendendi* & juvandi ſenſum hic obtinere arbitratur. Idem Tom. II. p. 215. de notione verbi δουλεύειν exponit. Conf. & p. 372. Sed *Vorſtius* Part. I. Philolog. p. 122. pro phraſibus æquipollentibus habet.

καὶ μαμμωνᾷ) Vide de hac voce *Pfeiferi* Quinquagenam in Opp. Critic. p. 474. *Cheitomæum* de vocibus Græco-barbaris, *Barthium* in Adverſariis LV. 4. *Lacerdam* in Adverſariis p. 295. & *Caninium* de Locis Hebr. N. T. p. 44. qui obſervat, Hebræis diſtingui דיני ממונות & דיני נפשות i. e. judicia ad *pecunias* & ad *animas* pertinentia. Conf. quæ ſcribentur ad Luc. XVI. 9. Compara ad hoc comma *Picinell.* in Luminibus Reflexis, & *Caſaubonum* adverſus Baronium p. 661. tum vero *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 259. ſq.

Verſ. 25. μὴ μεριμνᾶτε) *ne nimia ſolicitudine diſtrahamini.* Vide *Keuchenium* ad h. l. Conf. *Eraſmum* Tom. I. Opp. p. 688. F. Vim vocis Etymologi ex eo exſculpunt, quod dici putant quaſi μερίζειν τὸν νᾶν, de quo videatur Etymologicon M. Sed id quidem ineptum videtur *Lamb. Bos* Diſſ. de Etymologia Græca, quæ Exercitationibus ejus in N. T. ſubjuncta eſt, p. 32. A verbo μερίζειν recte derivari non negat, ſed vocem νᾶν huc referri poſſe inficiatur. Itaque mavult dictum eſſe, ex μερίζειν & μένος, i. e. *dividere mentem;*

vel potius simpliciter ex μερίζειν, unde participium passivum μεριζόμενος, & hinc per syncopen μερίμενος, μεριμένα, μερίμνη, μέριμνα.

τί πίητε) Hæc, quia in Codd. nonnullis & versionibus desiderantur, pro spuriis habet *Millius*; sed vide *Whitbium* p. 37. Exam.

Vers. 26. Ἐμβλέψατε εἰς τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ) Locum huic prorsus similem habes in Cod. *Kidduschin* Mischn. IV. §. 14. & alium in *Bereschith Rabba* quem attulit *Cappellus* in Observ. ad h. l. Πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ more Hebræorum dici, qui vocem שמים sæpe addunt, ubi abesse poterat, observavit *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 10. sq.

ἐχὶ πολλῶν διαφέρετε) Vide Suicerum Tom. I. p. 888.

Vers. 27. προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα) Dubium hic est, utrum vox ἡλικία, de *statura*, an de *ætate*, annisque vitæ hominis, intelligi debeat. Uterque certe significatus in sacris literis exstat: prior quidem *Luc.* XIX. 3. posterior *Luc.* II. 52. & *Joh.* IX. 21. & 23. Nec minus apud profanos. Vide loca apud *Salmasium* in præfat. ad Tabulam Cebetis **3. qui ibidem ἡλικίαν, si de statura sumatur, ab ἥλικος, si vero de ætate, ab ἥλιξ derivari vult. Adde alia apud *Rich. Bentlejum* in Dissertat. de epistolis Phalaridis p. 55. sqq. *Henr. Dodwellum* Diss. III. ad Irenæum p. 235. *Jo. Grojum* in Observatt. Sacr. p. 278. *Jo. Clericum* in Silvis Philolog. p. 264. *Jo. Vorstium* Philolog. Sacr. Part. I. c. 3. p. 108. & *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad N. T. p. 183. Itaque ex serie sermonis hic judicandum erit, utra significatio sit potior. *Ætatem* & vitæ tempus hic designari putat post *Andr. Dounæum*, Anglum, *Paul. Colomesius*, qui ad eum provocat in Obss. Sacr. p. 158. *Henr. Hammondus* in notis ad h. l. *Gussetus* in Vesperis Groninganis p. 398. sqq. & *Amelius* Part. II. p. 185. *Staturam* præferunt Interpretes plerique omnes, cum quibus facit *Fesselius* Adversar. Sacr. Tom. II. p. 519. & Cl. *Jo. Henr. von Seelen* in Annotatt. ad N. T. ex Plutarcho p. 11. Pro *ætate* hæc inprimis afferuntur a *Gussetio* l. c. homines posse arte & machinis, v. c. grallis, capillitio &c. staturæ suæ aliquid addere: eosdem non tanta solicitudine, de qua tamen Christus hic agat, in magnitudine corporis augenda occupari solere, quæ si cubito augeretur, immanis foret & molesta: incrementum staturæ nihil habere commercii cum solicitudine circa alenda & vestienda corpora, vitamque conservandam, de quibus tamen Christo hic sermo sit. Addit *Hammondus*, vocem πῆχυς de spatio v. c. stadio emetiendo, solere usurpari: cum eo vero spatium vitæ nostræ comparari *Job.* IX. 25. 2. *Tim.* IV. 7. unde & David Deum dicat *feciſſe dies ſuos ad latitudinem palmi.* Atque his rationibus adduci se passus est ex nostratibus *Wolfburgius* in Observatt. Sacr. p. 256. sq. ut huic sententiæ calculum adjiceret. Malim equidem Lectori optionem relinquere, quamvis & mihi hæ rationes probabiliores videantur.

Vers.

Verſ. 28. καταμάθετε τὰ κρῖνα) *conſiderate attente*: vide *Keuchen.* ad h. l. *Boiſii* Collationem p. 19. & *Amelii* Obſervata Part. II. p. 43. item *Suicer.* Tom. II. p. 52. Per κρῖνα hic volunt nonnulli intelligi non præciſe *lilia*, ſed flores quoscunque. Huc tendit *Keuchenius* ad h. l. idem *Adrianus Relandus* in Diſſertat. de Spoliis Templi Hieroſol p. 55. Nec negari ſane poteſt, τὸς LXX. vocem κρῖνον de quibuscunque floribus uſurpaſſe, v. c. *Jeſ.* XXXV. 1. & *Num.* VIII. 4. Alii in *liliis* perſiſtunt, ut *Wedelius* Centuria I. Decad. X. Exercit. VII. qui lilia hic non hortenſia, ſed ſylveſtria, & quidem montana ait reſpici, quia vocentur ἄγρια, & concio in monte facta occaſionem huic comparationi fecerit. Nonnulli vero ſpeciatim id liliorum genus intelligunt, quod rubro & purpureo colore ſe commendabat: quam in rem vide *Schacchii* Elæochriſmata Myrothecio I. p. 209. ſeq. & ex eo *Amelium* Part. II. p. 45. ſqq. Alii malunt alba lilia convallium, de quibus *Kimchius* in lib. Rad. ſub שושנים, quæ ſententia probabilis videtur *Wolfburgio* in Obſervatt. Sacr. p. 356. qui & ibidem contra eos differit, qui vocem κρῖνα per flores in genere interpretantur. Adde *Jo. Mich. Langii* Diſput. de Demonſtratione liliorum agri; quæ exſtat in Diſputatt. ejus Theolog. Decade I. n. 5. Digna quoque eſt, quæ legatur, *Soucieti* diſſertatio de numis Herodis I. in quibus שושן expreſſum eſt, in *Recueil de Diſſertations Critiques* p. 155. ſqq. Ibi is p. 158. inter cetera ſic diſſerit, prout ex Gallico Latine converti: *Lilium, quod in Judæa plerumque naſcitur, cujusque ſolius ſacræ meminerunt literæ, illud eſt, quod Hebræi appellant* שושן, *hoc vero* שושן *non eſt illud genus florum, quod* ***lilii*** *nomine communiter appellamus, ſed potius lilium Perſicum, quod alio nomine* corona Imperialis *vocatur.* Affert idem p. 160. locum *Dioſcoridis* iſtum ex lib. III. c. 116. Κρῖνον βασιλικόν. Τέτε τὸ ἄνθος ςεφανωματικόν ἐςι καλέμενον ὑπ' ἐνίων λείριον, ἀφ' ἧ καὶ τὸ χρίσμα κατασκευάζεται, ὅ τινες λείριον, οἱ δὲ Σόσινον καλέσι. Plura lege ibidem, in quibus & ego acquieſcere malim. Exſtat & *Blaſii Caryophili* ſive Abbatis *Garofali* Differt. de שושנים in Diſſertatt. ejus Miſcell. Part. I. Diſſ. V. Proverbio, a liliis deſumto, utitur *Julianus*, quando Orat. VI. adverſus Cynicos f. 181. pauperem vocat τὸ κρῖνε γυμνότερον, ſicut & κρῖνον de πλωχῷ ſeu paupere dici *Heſychius* & *Suidas* obſervant. Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. IV. p. 797. & *Bibliothecam Germanicam* Tom. IV. p. 190. ubi Cl. *Beauſobre* obſervat, ſi Servator noſter ad hanc parœmiam reſpexiſſe videatur, novam lucem phraſi ejus affundi, quia idem foret, ac ſi dixiſſet: *plantam omnium maxime nudam ſplendidius, quam Regem omnium maximum veſtitum fuiſſe.*

κρῖνα τὲ ἀγρὲ) per Hebraiſmum dici, ubi quippe vox ἀγρὸς ſæpe additur, ubi abeſſe poterat, judicat *Vorſtius* Philolog. S. Part. II. p. 13.

Verſ. 29. ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ) Per δόξαν hic tantum veſtes pretioſas Salomonis intellig debere monet *Keuchenius* ad h. l. De pompa Salomonis, cum liliis agri comparata, commentatur ex h. l. *Reyherus* in Matheſi Moſaica p. 786.

Verſ. 30. τὸν χόρτον τῦ ἀγρῦ) Per illum cum Caſaubono *ſiliquas* potius *ſtipulas* aut *frutices*, quam cum aliis *gramen* aut *fœnum* intelligere mayult *Elsnerus* p. 20. quia non pateat, cui uſui gramen in clibanum conjiceretur. Ita vero οἱ LXX. vertunt Hebræum קש i. e. *ſtipula* ut *Job.* XIII. 25. & עמיר *manipulum* Jer. IX. 21. per χόρτον.

ἕτως ἀμφιέννυτιν) Verba ἐνδύσασθαι & ἀμφιέννυσθαι, ut & latina *indui*, *veſtiri* & *cingi*, de plantis & arboribus eleganter dici, ubi hæ quidem fructu onerantur, illæ vero flore ac foliis ornantur, e Græcis videre eſt apud *Theophraſtum*, *Dioſcoridem*, *Athenæum* & *Nicandrum*, e Latinis vero apud *Plinium*, *Solinum*, *Columellam*, *Senecam*, *Petron.* & *Apulejum*, &c. ad h. l. in notis MSS. obſervat Cl. *Trillerus*, qui ſpeciatim ex Poetis affert *Virgilium* Eclog. III. v. 39. Georgic. I. 188. II. 219. & IV. 142. *Ovidium* item in Carmine de Nuce v. 129. ex proſariis vero *Columellam* lib. IV. c. 27. & cap. 24. tum vero *Apulejum* Metamorph. lib. X. & *Tertullianum* de Pallio c. II. Conferri præterea vult *Barthium* ad Claudianum p. 534. & 782.

Verſ. 31. Μὴ ἓν μεριμνήσητε &c.) Verba hæc diligenter conſiderat *Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sac. p. 847. ſqq. oſtendens, mentem Chriſti & inſtitutum hoc fuiſſe, ut amoliretur ſolicitudinem, cum diffidentia in Deum conjunctam.

τί φάγωμεν ἢ τί πίωμεν) Ita fere ſolicitudinem de victu reprehendit *Epictetus* lib. I. c. 9. p. 43. ὅτε χορτασθῆτε, inquiens, σήμερον, κάθησθε κλαίοντες περὶ τῆς ἄυριον, πόθεν φάγητε, h. e. *Cum ſaturati ſitis hodie, ſedetis flentes ob craſtinum diem, unde eſuri ſitis.*

Verſ. 32. οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐπάνιος) Gentilium dicta de cura Dei pro rebus omnibus, inprimis hominibus & piis, collecta vide a *Picinello* in Luminibus Reflexis ad h. l. item ab *Huetio* in Alnetan. Quæſtion. II. 6. p. 144. Adde *Rittershuſium* ad Oppiani Halieutic. β. v. 7. & *Gatackerum* ad Antoninum VI. 36. VIII. 27. ac paſſim alibi: quorum dicta etiam ea illuſtrant, quæ de cura Dei, circa aves, lilia & gramen verſante, Salvator monuit. De fiducia in Deum propterea collocanda, mirum eſt, quam ſapienter præcipiat *Epictetus* apud Arrian. lib. III. c. 26. p. 400. *At*, inquit is, *forti militi nunquam deeſt ſtipendii collator, nec mercenario, nec ſutori, & bono viro deerit? Ita ne Deus negligens eſt eorum, qui ipſi ſunt dediti, ſuorum ſervorum, ſuorum teſtium? quibus ſolis utitur tanquam exemplis erga imperitos, quod & ſit, & recte adminiſtret hoc univerſum & non negligat res humanas.* Conf. *Raphelii* Notas Polyb. p. 51.

Verſ. 33. Ζητεῖτε δὲ πρῶτον τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ) A Deo, & ejus cultu rerum omnium & curarum primordium capiendum eſſe, Gentiles quoque præceperunt. Vide *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. Ad hunc locum reſpexerunt *Clemens Alex.* Stromat. I. p. 346. & *Origenes* lib. de Orat. §. 2. 43. & alibi, quando, tanquam ex ore Chriſti profectam, afferunt hanc admonitionem

tionem : Αἰτεῖσθε τὰ μεγάλα, καὶ τὰ μικρὰ ὑμῖν προσεθήσεται. Conf. Cl. *Fabricii* Codicem Apocryphum N. T. p. 329.

καὶ ταῦτα πάντα προσεθήσεται ὑμῖν) προστίθεσθαι & προσθήκη a profanis quoque dici solet de eo, quod supra mensuram aut justum pondus adjicitur. Vide *Bos* Exercitatt. p. 9. & *Corn. Adami* in Observatt. p. 117. *Vitringa* hanc phrasin ita accipit, quod beneficium hoc tanquam temporale & externum πρόσθεσις quædam seu προσθήκη sit bonorum Novi Fœderis ceteris beneficiis longe majoribus adjicienda. Vid. lib. V. Observatt. Sacr. p. 88.

Vers. 34. Μὴ οὖν μεριμνήσητε εἰς τὴν ἄυριον) Per ἄυριον hic non simpliciter crastinum diem, sed futurum tempus omne, indicari, jam pridem ab eruditis observatum est, quorum plerique id per Hebraismum ad imitationem vocis מחר fieri censuerunt. Inter hos est *Gussetus* in Lexico Hebr. p. 466. qui voce hac ipsam quoque vesperam diei imminentem comprehendi putat, tanquam talem, a qua anxia solicitudo aliena esse debeat. Sed & profanos Scriptores vocem ἄυριον æque ampla significatione adhibuisse, ut tempus imminens quodcunque denotet, patet ex locis variis, ab *Alex. Moro* ad h. l. p. 29. sq. & B. *Gottfr. Oleario* p. 232. Obss. Sacr. ut & *Jo. Massono* in Hist. Critica Reip. Liter. Tom. I. p. 220. sq. qui Græcorum & Latinorum exempla affert, productis. Atque ut illa quidem gentilium dicta de cura, a futuris imminentibus retrahenda, maximam partem Epicuræo sensu prolata sunt, ita sono tantum cum isto Salvatoris nostri præcepto conveniunt. Is enim, recte monente *Moro*, non in diem, ut illi vivere jubet, aut omnem curam excludit, sed eam solicitudinem, quæ μέριμνα dicitur, comes egestatis & avaritiæ : nec vetat nos αἰτεῖν sed ζητεῖν, atque adeo jubet αἰτεῖν ἵνα μὴ ζητῶμεν. Petimus a Deo panem crastinum, non autem quærimus, tanquam summum bonorum, ut Ethnici, *quibus summa curarum fuit, quid ederent, quid biberent*, ut est apud Senecam. Interim tamen nec desunt in Gentilium scriptis admonitiones hujusmodi, ex meliori forte corde profectæ : Sic *Antoninus* XII. 1. ait : τὸ μέλλον ἐπιτρέψῃς τῇ προνοίᾳ h. e. *futura providentiæ permitte.* Conf. IV. 33. 34. VII. 8. & X. 11. cum notis *Gatackeri.* Nec desunt in Judæorum scriptis, nisi in hæc, ut mutua ex N. T. sumta, defluxisse existimemus. Ita in Sota fol. XLVIII. 2. *Quicunque habet panem in canistro suo, & dicit : quid edam cras? exiguam habet fidem.* Addam adhuc *Aristippi*, hominis voluptuosi, dictum, egregium omnino, si ex verbis, non item, si ex intentione & consilio loquentis æstimetur : προσέταττε, inquit de eo *Ælianus* Var. Hist. XIV. 6. ἀφ' ἡμέραν τὴν γνώμην ἔχειν, καὶ ἄν πάλιν τῆς ἡμέρας ἐπ' ἐκείνῳ τῷ μέρει, καθ' ὃ ἕκαστος ἢ πράττει τι, ἢ ἐννοεῖ.

ἡ γὰρ ἄυριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς) *crastinum namque curabit sua.* Ibi verbum μεριμνᾶν effectum potius curæ, quam curam ipsam, per metonymiam scilicet causæ pro effectu, vel saltem curam efficacem denotare, existimat B. *Olearius* ad h. l. ut sensus sit : *crastina dies suis prospiciet necessitatibus.*

bus. Quod vero diei sic tribuitur, non ita capiendum est, ac si indicetur, omni solicitudine non levatum iri curas cras exantlandas; sed ad Deum potius referri debet, omnia die crastino curaturum. Sic v. c. 1 *Cor.* III. 13. ἡμέρα δηλώσει seu *dies manifestatura* dicitur, quod Deus in ea manifestaturus est. Atque ista quidem omnino recte se habent, & tum scopo sermonis Christi, tum rei ipsi sunt accommodata. Christus ab anxia cura animos avocare volebat. Illa vero non tam tolli aut levari poterat, quam augeri, si intelligeretur, crastinum solicitudinem suam certissime secum laturum esse; quando viciſſim tranquillitas omnino consequitur ex certissima persuasione, esse Deum, qui illius necessitatibus consulat. Et sic alibi de hac re Scriptura loquitur: v. c. 1. *Pet.* V. 7. ubi curæ omnes in Deum conferri jubentur, quippe qui curam nostri agat.

ἀρκετὸν τῇ ἡμέρᾳ ἡ κακία αὐτῆς) Adagium hoc est Hebræis admodum frequentatum. Ita Gemara Cod. Berachoth ad cap. I. Mischn. I. p. 95. edit. Edzardianæ דיה לצרה בשעתה h. e. *sufficit horæ adflictio sua.* Conf. plura apud *Vorstium* de Adagiis N. T. c. 9. Quod ad verba ipsa attinet, duplicem hic Hebraismum nonnulli observare sibi visi sunt, alterum in constructione vocis neutrius generis ἀρκετὸν cum κακία, in fœminino positæ; alterum in significatu vocis κακία, quæ calamitatem hic ad exemplum τῶν LXX. de quibus vide inprimis *Keuchenium*, inferat. At prius loquendi genus Atticum esse, & Græcis æque ac Latinis familiarissimum, ostenderunt post *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 53. *Vechnerus* in Hellenolexia lib. I. c. 15. & *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 23. De κακία vero *calamitatis* significatum *Pfochenius* l. c. vel inde satis ex Græcis probavit, quod κακότης eundem habeat: quamvis vel sic *Gatackerus* p. 138. in Hebraismo statuendo persistat. Id adde, Xenophontem lib. VII. p. 155. Cyropæd. homines, inopia pressos, κακοβιωτάτους appellare. Quod ad sensum in omnia alia hic abit B. *Olearius* p. 237. ita verba vertenda esse statuens *sufficientia diei: miseria ejus* i. e. *mala dies, in qua necessaria tantum nobis suppetent*, vel clarius: *infausta etiam maxime die, necessariis tamen non destituemini*, prospiciente vobis cœlestis Patris providentia. Similem hanc ait esse phrasin illi, qua in proverbiis dicitur: τρόπος γυναικὸς ὁ κόσμος αὐτῆς. Enimvero adversatur novæ interpretationi sensus adagii illius apud Hebræos receptus, in quo aliorsum deflectendo frustra mihi desudasse videtur ὁ μακχείτης. Nec ostendere debebat eundem constructio vocis ἀρκετὸν cum κακία, quia illa non est insolens, & per ellipsin etiam tunc ad rationes Grammaticas revocari debet, si explicatio ejus admittatur. Ita phraseos hujus exempla permulta ex profanis attulit Cl. *Trillerus* in notis MSS. ad h. l. speciatim vero ex *Menandri* Fragmentis, qui in Autopentunte dixit: ὁ πλοῦτος τυφλὸν, in Agricola: ἐυκαταφρόνητον πένης &c. Idem in Navicular. ἐλπὶς κακὸν, & alibi ἀσυλλόγιστον ἡ πονηρία, ἄπιστον ἡ γυναικεία φύσις. Ita *Arius* sapiens apud *Plutarchum* in Antonio πολυκαισαρίη ἐκ ἀγαθὸν &c. Idem vero scite observat, subintelligi in his locutionibus

bus debere κλῆμα, χρῆμα, πρᾶγμα vel voculam τι, quemadmodum *Menander* in Piscatore χαλεπὸν θυγάτης κλῆμα. Itaque recte a B. *Olearii* interpretatione tanquam duriuscula recedit, id vero novum habet, quod sub voce αὐτῆς intelligi vult μερίμνης i. e. *curæ*. Nec præterea scopo Christi, quippe ab anxiis curis animos avocantis, communis expositio adversatur. Per istam enim non ea mens Domino tribuitur, ac si necesse sit, ut quotidie cum curis luctemur; sed ista potius, quod, si qua calamitas hoc vel illo die nobis offeratur, sufficiat, operam dedisse, ut per fiduciam, in Deo collocatam, eam superemus. Confer interim de eodem proverbio *Schottum* in Adagial. N. T. p. 15. Novum est, quod *Corn. Adami* ad h. l. p. 117. monet, Christum scilicet Gentilium superstitionem hic taxare, quæ forte ad Judæos tum temporis manaverit, ut quidam dies auspicati, quidam inauspicati haberentur, cum tamen quivis dies suum secum ferat incommodum. Quo ille referenda putat verba Christi: πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ. Mihi quidem illa huc non pertinere videntur, quippe quæ ad victum & amictum, anxie quæsitum, a Christo referuntur. Nec video, ullum hujus superstitionis vestigium in antiquitate Judaica offerri.

Emserus & *Langerus* vocem κακία, quam B. *Lutherus* per Plage vertit, per Ubel, Noth und Arbeit reddendam censuerunt, contra quos vide *Raithii* Vindicias p. 339. Adde B. *Dorschei* præfat. ad Miscellanea Semestria.

CAP. VII.

Vers. 1. Μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε) τὸ κρίνειν respondet Hebræo דין & שפט, quorum utrumque & *judicare* & *condemnare* significat: quam posteriorem notionem hic locum habere censet *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 43. sq. ut eo felicius responderi possit iis, qui hoc loco alioquin ad legitimum judiciorum genus tollendum abutuntur. Ita etiam multi veterum, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 169. Malim tamen cum plerisque aliis Interpretibus dicere, quod judicium, sed præceps & temerarium, ceu ex sequentibus patet, prohibeatur, quod cum plerumque cum condemnatione & reprehensione alterius conjunctum sit, patet, cur Lucas in loco parallelo VI. 37. speciatim condemnationis fecerit mentionem, addendo: μὴ καταδικάζετε, καὶ οὐ μὴ καταδικασθῆτε. Hæc ipsa sententia legitur etiam in Vulgata, & *Maldonatus* adduci se passus est, ut hac de causa ex contextu Græco aliquid excidisse statueret, temere omnino, ceu idem *Hackspanius* l. c. ostendit, qui tamen itidem præceps nimis asseruit, esse id contra omnium Codd. fidem, cum teste *Millio* Stephanicus unus habeat. Atque in hunc deveniisse recte dicetur ex *Luca*, a sciolo quodam cum *Marci* Evangelio comparato. Recte itaque & B. Lutherus omisit, præter rem ideo castigatus ab *Emsero* & aliis, contra quos lege *Raithii* Vindicias p. 338. Confer ad hunc versum *Schulzii* Florum Sparsionem p. 119.

Vers. 2. Ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν) Cum multi Codd. Gr. & versiones quoque hic legant verbum simplex μετρηθήσεται, *Millius* ceteros illos ad Vulgatam castigatos putat, in qua legitur: *remetietur*, approbatorem nactus *Pfaffium* de Var. Lect. p. 212. Sed primum quidem *Millius* ipse monet, quædam exemplaria Latina vetustiora habere *metietur*, unde saltem fons interpolationis creditæ dubius redditur: deinde *Lucas* VI. 38. idem hoc verbum ἀντιμετρηθήσεται exhibet, nullo Cod. Gr. contradicente, ubi tamen, ceu ex eodem *Millio* patet, quædam versiones simplex tantum verbum convertunt, ut proinde in Matthæi loco certus esse non possis, quodnam verbum Interpretes in Codd. suis invenerint. Taceo Patres plurimos, ad quos inprimis *Whitby* in Examine p. 38. provocat, communem lectionem in allegationibus suis retinere. Itaque & in ea acquiescere præstat, præcipue cum sensus utrinque sit idem. Sententia ipsa Orientalibus, nominatim Judæis, Syris, Arabibus admodum frequentatur. Vide *Saubertum* in Palæstra p. 277. *Wagenseilium* ad Sota p. 53. ubi in Mischna idem exstat proverbium, quod deinde n. 8. & 9. variis Scripturæ locis confirmatur. Adde *Gaulminum* in notis ad Vitam & Mortem Mosis p. 322. sqq. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 321. De aliis scriptoribus lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. & *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 16.

Vers. 3. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος &c.) Similia veterum dicta lege apud *Tollium* ad Longinum p. 28. *Lacerdam* in Adversariis p. 449. & *Bos* in Exercitatt. ad N. T. p. 9. nec non *Picinellum* l. c.

τὸ κάρφος) Polybio est minutulum quoddam lignum, quo, nota quadam insignito, pro tessera militari utebantur Romani; vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 52. Confirmat id *Hesychius*, qui κάρφη exponit per ξύλα λεπτὰ καὶ ξηρά. Confer *Hammondum*.

ὃ κατανοεῖς) Vulg. *non vides*: quod tuetur *Boisius* in Collat.

Vers. 4. ἡ δοκὸς ἐν τῷ ὀφθαλμῷ σου) ita & Hebræi. Vide post alios *Saubertum* in Palæstra p. 277.

Vers. 5. ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν) Dictum hoc cum *Zephania* II. 1. confert, & explicat *Gussetus* in Lexico p. 763. De binis proverbiis, hoc commate comprehensis, lege *Vorstium* de Adagiis N. T. cap. V. & *Lud. Cappel.* in Spicilegio ad Notas Jac. Cappelli. Veterum dicta huc pertinentia lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 938.

Vers. 6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσὶ) Simile huic Pythagoræ symbolum affert *Bos* in Exercitt. ad N. T. p. 9. De proverbiis hic exstantibus lege quoque *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 17. sq. *Vorstii* Diss. de Adagiis N. T. c. IV. & *Ursini* Analecta II. p. 310. sq. De re ipsa veterum cogitata apud *Suicerum* Tom. II. p. 199. & 300. & 1527. sq.

μήποτε

μήποτε καταπατήσωσιν) Eodem verbo in argumento simili utitur *Epictetus* lib. I. c. 8. notante *Raphelio*.

ῥήξωσιν) *Boisius* in Collat. ad *Marc.* IX. 18. mavult legere : ῥάξωσιν, præter rem. Vide quæ ad istum Marci locum dicemus. In hoc commate transpositionem verborum factam, statuit cum *Heinsio le Cene* in Projet. p. 552. quia τὸ ῥήσσειν magis ad canes, τὸ καταπατεῖν vero magis ad porcos quadret. Neque puto aliud indicare voluisse Matthæum, qui scilicet τὸ καταπατήσωσιν primo loco commemoravit, quia proxime antecedit mentio porcorum. Plura hujusmodi exempla ex N. Test. affert *Hammondus* ad h. l. Per *Sanctum* & *Margaritas* quid innuat Christus, disquirit *Vitringa* in Observatt. Sacr. VI. 20. p. 485. &, expositis aliorum sententiis, cum *Grotio* statuit, significari dogmata sapientiæ cœlestis magis recondita, interiora, secretiora, sublimioris contemplationis, minime accommodata ad omnium captum; nedum profanorum, carnalium, malorum hominum, quibus proposita riderentur, non crederentur.

Vers. 7. Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 19. Simile huic dictum usurpat *Libanius* Orat. XXIV. Tom. II. p. 568. Ἐι δ' ἓν ἔτε ἐζητήσατε, ἔτε ηὑρήσατε. Alia ejusmodi lege apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Vers. 8. καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται). Κρούειν τὴν θύραν Græce dicitur, quod contra *Phrynichum* ad h. l. ostendit *Raphel.* in Annotatt. Xenophonteis p. 23.

Vers. 9. Ἢ τίς ἐστιν) i. e. *cedo vel age : num quis ex vobis ? Boisius* in Collatione. Vel potius τίς pro εἴ τις, *si quis*, per Hebraismum, de quo lege *Vorstium* Part. I. p. 170. sq.

Vers. 11. πονηροὶ ὄντες) *cum sitis mali :* Vulg. quem defendit hic *Boisius* l. c. qui & δόματα per *data* recte ab eodem verti contendit.

Vers. 12. Πάντα οὖν, ὅσα ἂν θέλητε) Idem præceptum passim urgent Hebræi in Talmude, & alias. Lege *Hackspan.* in Notis ad h. l. p. 42. & de Usu librorum Rabbinic. p. 431. *Saubertum* in Palæstra p. 277. Græcorum dicta similia videbis apud *Stobæum* Sermone LXXXII. p. 477. (ubi inprimis *Hieroclis* quoddam dictum notandum est) & apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis. Confer *Vorstium* de Adagiis N. T. cap. X.

Vers. 13. Cum Jerem. VI. 16. confert *Altingius* in Paralleliſmis Vaticiniorum V. T. p. 21. Tom. II. Opp. Verborum sententiam illustrat *Amelius* Part. I. p. 1029. sq. qui inprimis ostendit, Judæos æque ac gentiles in rebus, ad sacra pertinentibus, portarum facere mentionem, atque ea si-

mul dogmata invehere, quæ viam ad ſalutem facilem admodum & expeditam reddant. Adde *Beyerum* in Additamentis ad Seldenum de diis Syris p. 258. Phraſi huic ſimili utitur *Libanius* Orat. IX. Tom. II. Opp. p. 251. καὶ νῦν ἀνέωκλαι κατὰ τῶν ἐπιεικῶν τοῖς ἀνόσια δρῶσιν ὁδὸς εὐρεῖα καὶ κλισιάδες μεγάλαι. Similem *Xenophontis* ſententiam habes apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 24. Alias lege apud *Elsnerum* p. 41. De bivio virtutis & vitii, apud Gentiles noto, lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. De duabus viis, altera in hortum Eden, altera in Gehennam ducente, illuſtris eſt locus in Gemara *Berachoth* c. IV. §. 11. quem expoſitum vide a *Vitringa* lib. III. Obſervatt. Sacrar. p. 199.

ἕτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται) De phraſi hac lege *Vorſtium* Philolog. Sac. P. I. p. 237.

Verſ. 14. Ὅτι στενὴ ἡ πύλη) Nonnulli Codices legunt τί, quos Verſiones quædam ſequuntur, approbante *Grotio*, qui, τί illud pro ὡς Helleniſticum eſſe, exemplis nonnullis probare conatur, quemadmodum *Salmaſius* in Didicat. Commentarii de Lingua Helleniſt. id Alexandrinum eſſe, alibi ſe probare ſcribit. Sed receptam lectionem ὅτι non eſt, cur hic deſeramus. Reſpondet enim verbis prioris commatis: ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη, recte obſervante *Elsnero* p. 41. Conſentit *Millius*, qui lectiones per τί originem duplicem ſibi inveniſſe videtur, alteram in Prolegomenis §. 383 alteram in notis ad textum ipſum prodens: utraque mihi quidem ſubtilior videtur, & apud Auctorem ipſum legenda. *Boiſius* in Vulgato inveniens *quam* (quod Millius ex *quoniam* natum credit) *anguſta*, τὸ τι approbat, idemque facit R. *Simon* in Notis ad Verſ. Gall. Sed verſionis certe tanta non debeat eſſe auctoritas. Millius inter verſiones, quæ eandem ſecutæ ſint lectionem, refert etiam *Copticam*, repugnante Wilkinſio, in Prolegomenis ad N. T. Copticum p. 12. ubi ſcribit, eandem in hoc verſu particulam occurrere, quæ exſtet v. 13. antecedente, ubi omnes verſiones *quia* habeant: quemadmodum & ſemper ea notione uſurpanda ſit. Τὸ ὅτι hic per *ſed* exprimendum eſſe ſtatuit *Keucheniùs* ad h. l. De *anguſta porta* lege *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 19.

De phraſi εὐρύχωρος & τεθλιμμένη ὁδὸς lege Suicerum Tom. II. p. 452.

Verſ. 15. ἐν ἐνδύμασι προβάτων) Vide eundem *Schottum* l. c. Nonnulli, nominatim *Bochartus* Hierozoic. Part. I. p. 533. per iſta indumenta Prophetarum veſtes innui putant, quibus ſcilicet induti impoſtores verorum Prophetarum animum & doctrinam præ ſe tulerint. At *Adami* in Obſervatt. p. 95. mores ſimulatos prætextumque pietatis his reſpici cenſet. Veterum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 1112. qui præterea oſtendit, ἐν ἐνδύμασι προβάτων idem hic eſſe, quod ὡς πρόβατα ἐνδεδυμένοι, neque opus adeo eſſe, ut cum *Pricæo* ad h. l. legamus ἐν ἐκδύμασι προβάτων i. e. *in exuviis ovium*. Vide etiam Tom. II. p. 836.

Verſ.

Verſ. 16. μήτι συλλέγουσιν) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 20. *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. *Gatackerum* ad Antonin. VIII. 15. p. 300. IX. 9. & X. 9. p. 360. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. affert huc *Theognidis* Gnomas v. 537. ſq. & ſimiles, quamvis in ſenſum contrarium, locutiones *Theocriti* Idyll. I. 132. & *Virgilii* Ecl. IV. 29. De ſenſu ipſius comparationis lege *Adriani Cocquii* Phytolog. Sacr. p. 113.

Verſ. 17. καρπὸς καλὸς ποιεῖ) Pro Hebraiſmo habet *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Claſſ. I. c. V. pro Chaldaiſmo *Keuchenius* ad h. l. Sed & Græcos ita loqui variis locis *Ariſtotelis* probat *Horat. Vitringa* in Animadverſion. ad Vorſtium p. 215. in calce Obſervatt. Criticarum *Lamb. Bos.*

σαπρὸν δένδρον) σαπρὸν hic ſignificare *turpe* & *malum*, per quod veteres *putridum* ac *vetus* denotarint, affirmat Salmaſ. de Helleniſt. p. 110. Vide & *Vorſtium* l. c. c. II. p. 18. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 53. ex eo, quod opponitur δένδρῳ ἀγαθῷ, efficit, idem eſſe quod πονηρὸν, quo verbo *Chryſoſtomus* hic, tanquam ſynonymo, ſive *arborem malæ indolis*, non vero putrem aut carie vitiatam, quæ, ſi alioqui bonæ ſit indolis, fructus omnino bonos ferre poſſit. Mala vero arbor, eodem recte ita judicante, eſt *malus homo*, *qui*, interprete ipſo Salvatore, *ex malo theſauro cordis ſui profert malum* Luc. VI. 45. Pſeudopropheta vero is, qui non recte de Deo ſentit, & de rebus divinis habet σαπρὰ δόγματα, quo nomine *Epictetus* appellat falſas doctrinas de rebus expetendis & fugiendis apud *Arrianum* lib. III. cap. 22. *Chriſtian. Schwenckenbecher* in Ἀποσπασματίοις τῶν ἱερῶν γραμματῶν p. 36. ſtatuit, per σαπρὸν δένδρον alludi hic ad arbores præputiatas, ex quibus per triennium non licuerit veſci fructibus, qui potius in terram cadere & putreſcere debebant. Vide Levit. XIX. 23. & *Lundium*. IV. 31. Antiquitatt. Chriſtum igitur velle, Pſeudoprophetarum doctrinam inſtar fructuum arboris præputiatæ cavendam eſſe. Provocat is ad conſenſum B. *Theodor. Daſſovii* in ſcholis MSS. Sententiam ipſam, quod ſcilicet homines pravi boni quid præſtare non poſſint, illuſtrat *Adr. Cocquius* in Phytologia Sacra p. 57. ſqq. ubi etiam oſtendit, cur, & quo fine, homines cum arboribus comparentur?

Verſ. 21 - 23. diligenter illuſtrat *Gottfr. Olearius* in Obſervatt. ad Matthæum p. 238. ſqq. Primo quidem loco obſervat, commata illa a *Juſtino Martyre*, in Apologia, quæ hodie vocatur ſecunda, & in dialogo cum Tryphone, præterea vero etiam a *Clemente Romano* in fragmentis epiſtolæ poſterioris ad Corinthios varie mutata & interpolata exhiberi, ſive quod *Juſtinus* inprimis ita in Ebionæorum Nazaræorumve Evangeliis, aliisque ejus generis hiſtoriæ Matthæi editionibus apocryphis ita concepta legerit, ſive quod ſanctus Pater verba ipſa partim ex memoria repetierit, partim de induſtria, explicandi cauſa, de ſuo locupletarit. Poſterius hoc & ipſi magis probatur, & meo judicio præferendum eſt, cum doctores veteris Eccleſiæ frequenter ita egiſſe conſtet, quod ab aliis, inprimis a *Crojo* in Ob-

ſervatt. Sacris ad oculum demonſtratum eſt, qui etiam p. 141. ſqq. in exemplum affert ipſum hunc Matthæi locum, varie citatum. Interim forte non unus mecum mirabitur, *Millium* varietates illas ad h. l. non memoraſſe, qui tamen alias hanc diligentiam a ſe exſpectare juſſit. Idem *Olearius* p. 243. phraſin εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ novo prorſus modo interpretatur. *Regnum* enim *Dei* de regno Chriſti, quod & ipſe & Johannes regnum cœlorum vocare ſoleant, interpretatur, ut proinde τὸ *introire in illud* nihil aliud ſit, quam fieri civem regni Chriſti, i. e. verum Chriſti diſcipulum, verumque Eccleſiæ Chriſti membrum. Argumenti loco affert verba v. 23. ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς i. e. ut idem vertit: *nunquam vos pro meis habui*; fruſtra vos pro civibus meis geritis, atque ut tales ad bonorum gloriæ admitti poſtulatis communionem; utcunque profeſſione externa vos tales ſimulaveritis, nunquam tamen cives mei, diſcipuli mei, eccleſiæ meæ membra vera exſtitiſtis. At iſta quidem ſubtilius mihi quam verius excogitata videntur. Βασιλείαν τῶν οὐρανῶν non ſolum de *regno gratiæ* ſed & *gloriæ* ſæpius a Chriſto dici non negaverit vir doctus. Res manifeſta eſt vel ex *Matth.* V. 3. 10. 20. &c. Itaque & hic iſta ſignificatio locum obtinere poteſt, ſi cetera patiantur. Illa vero non ſolum patiuntur, ſed etiam requirere videntur. Multi enim in regnum gratiæ introeunt, qui & ſibi & aliis genuini ejus cives videntur. Hinc illud comparatur cum reti, quod bonos & malos ſeu putres piſces trahit, a ſe invicem deinde diſtinguendos. *Matth.* XIII. 47. Hic itaque homines, vana ejusmodi perſuaſione de ſe turgidos, atque adeo regnum gloriæ aliquando certo exſpectantes, cavere ſibi jubet, ne ex ſe & verbis ſuis in extremo die, quo Angeli bonos & malos a ſe invicem ſeparaturi ſint, (*Matth.* XIII. 49.) aliud intelligant, & ſpe gloriæ præcepta excidant. Huic interpretationi non obſtant verba: οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς, ſed potius Fundamentum præbent introitus in regnum gloriæ denegandi, qui ſcilicet tales ſe non præſtiterint, ut coram Patre ſuo Chriſtus ipſos tanquam ſuos & cohæredes profiteri poſſit. Sane non magis h. l. quam *Luc.* XVIII. 24. 25. τὸ εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ, quod ibi diſcipuli v. 20. per σωθῆναι, explicant, aliter quam de regno gloriæ accipi poteſt. De Adagio, hoc commate comprehenſo, lege *Schotti* Adagialia N. T. p. 21.

Verſ. 21. ὁ ποιῶν τὸ θέλημα) B. *Lutheri* gloſſam ad h. l. ab *Emſero* notatam, tuetur recte *Raithius* in Vindiciis p. 341.

Verſ. 22. ἐ τῷ σῷ ὀνόματι) i. e. B. *Oleario* Interprete: nonne ſub nomine Chriſtianorum, ſive a te appellati, adeoque ut tui, patravimus miracula? Quo ſenſu eandem phraſin exſtare credit Matth. XIX. 27. & XXIV. 5. Malim ego latius extendere hujus phraſeos vim & notionem, qualis ſcilicet clare infertur *Act.* XVI. 18. ubi Paulus malum dæmonem deſerere feminam

nam jubet ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ, quibus verbis omnino teſtatur Paulus, cujus auctoritate & potentia id præcipiat & efficere poſſit. Eadem iſtorum hominum conſuetudo fuiſſe merito creditur, ut ſcilicet, nomine Chriſti pronunciato, tale quid & ſuſceperint, & perfecerint.

Verſ. 23. ὅτι οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς) i. e. *nunquam approbavi vos.* Vide ad v. 21 & adde *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 45. item *Suicerum* Tom. I. p. 762. & 771. Τὸ ὅτι *Hammondus* hic vertendum cenſet per *ſcilicet.* Sed recte monuit ibi *Clericus*, eſſe potius phraſin optimis quibusque Scriptoribus Græcis receptam, qua ſubito ab oratione obliqua ad directam tranſeant, atque ita hic capiendam, ac ſi Chriſtus dixerit: *profitebor eis, me nunquam eos noviſſe, jubeboque, a me diſcedere.*

οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν) *Beza* vertit: *omnibus ſceleribus & flagitiis addicti homines:* ſed *Caſtalio* in Defenſione verſionis ſuæ p. 487. hoc modo viam ſalutis nimis latam fieri opinatus, non alios hic intelligi vult, quam eos, qui *Johannis* V. dicuntur φαῦλα πράξαντες.

ἀνδρὶ φρονίμῳ) i. e. γινώσκοντι ἃ δεῖ ποιεῖν, *gnaro rerum, quas facere oportet*, ut vocem exponit *Xenophon* Oecon. p. 670. apud *Raphelium* in Notis Xenophont. p. 25.

Verſ. 25. τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν) Vide huc *Schotti* Adagialia N. T. p. 21.

Verſ. 29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων) Alii hic putant, poteſtatem vocari eam, qua quis ſuo ipſius nutu & auctoritate leges ferre poteſt. Alii poteſtatem non aures tantum exterius, ſed animos etiam interius feriendi ac permovendi. Alii demum miraculorum poteſtatem, quibus, quod verbo docebat, re ipſa confirmabat Dominus. Ita *Serarius* in Trihæreſio lib. II. cap. 3. qui hæc omnia conjungi cupit. Nos de hac ἐξουσίᾳ docendi plura ad Marc. I. 22. Vocem ἐξουσία in N. T. nunc *licentiam*, nunc *auctoritatem* inferre, utramque vero notionem etiam apud profanos Scriptores occurrere, oſtendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 124. De re ipſa legenda eſt B. *Jo. Fechtii* Diſp. de admiranda Chriſti in docendo virtute, *Roſtoch.* 1711. 4.

CAP. VIII.

VErſ. 2. Κύριε ἐὰν θέλῃς) Ita prorſus ægrotus ad medicum apud *Arrian.* Differt. III. 20. p. 306. obſervante *Raphelio.* Scilicet Chriſto *voluiſſe feciſſe eſt:* cujusmodi dicta veterum plura habes apud *Gatackerum* in Adverſariis p. 397. ex Scriptoribus Eccleſiaſticis: ex profanis vero, de Dei potentia loquentibus, apud *Elsnerum* in Obſſ. ad h. l. p. 42.

Verſ.

Vers. 3. ἐκτείνας τὴν χεῖρα) Hebraica est loquendi forma secundum *Vorstium* Philolog. S. Part. II. p. 235.

ἐκαθαρίσθη αὐτοῦ ἡ λέπρα) Hypallagen hic observarunt nonnulli, cum dici potius debuisset: *ipse mundatus est a lepra sua.* Sed ea nihil opus esse existimat Rev. *Jo. Joach. Weidnerus*, in Disputat. de Hypallage explosa, *Rostoch.* 1708. 4. ubi verti vult: *& statim munda declarata est lepra ejus.*

Vers. 4. ὅρα μηδενὶ εἴπῃς) Non indicitur hic homini perpetuum silentium, sed eo usque, dum purgationem sui probasset Sacerdotibus, recte existimante *Witsio* in Meletematibus, p. 350. Idem eodem in loco alias quoque instituti hujus rationes, diversis casibus, in Evangelica historia relatis, applicandas ediserit, quod & ante ipsum fecit *Simon Episcopius* in Respons. ad Quæst. XI. p. 10. Tom. I. Opp. qui eandem quoque causam silentii hic imperati adfert, quam ex *Witsio* recensuimus, rectequæ præterea monet, Christum modestiæ causa id nunquam jussisse, quippe qui passim in turba hominum miracula ediderit, eaque conspici voluerit ab omnibus. Alii ideo id a Christo factum volunt, ne occasionem seditionis præberet Judæis, Messiam, ut Regem temporalem, exspectantibus. Vide *Clerici* Biblioth. Select. Tom. II. p. 288. sq.

τῷ ἱερεῖ) i. e. ἀρχιερεῖ, seu Sacerdoti Summo: vide *Fabricium* Tom. I. Apocryph. N. T. p. 84.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) Lutheri versionem & glossam tuetur *Raithius* in Vindiciis p. 343.

Vers. 5. τῷ Ἰησοῦ) Varii Codd. habent αὐτῷ, quam lectionem imitantur Versiones nonnullæ, speciatim *Gothica*, de qua *Marcschallus* p. 397. Lectio hæc a sciolis profecta est, qui, in v. 4. *JEsu* mentionem invenientes factam, non necesse putabant id repetere. Sed hæc tanti non sunt.

ἑκατόνταρχος) Syrus Interpres latinam vocem *Centurio* hic retinuit, quasi pro nomine hominis proprio haberet: quod & placuit Auctori Evangelii, quod sub Nicodemi nomine circumfertur, apud *Fabricium* in Codic. Apocr. N. T. p. 254. qui recte in Notis monet, esse nomen officii, & in Addendis p. 982. veterum quorundam de nomine ejus & Episcopatu narrationes affert. Conf. p. 261.

Disputatum fuit inter Interpretes, utrum historia hæc eadem sit cum ea, de qua *Lucas* VII. 1. Et plerique id post *Grotium* & *Hammondum* recte affirmant, partim, quod, quæ intercedere videntur varietates, leviores sint, quam ut, diversa hic miracula referri, credi possit. Ita leve omnino est, quod ajunt, Centurionem hic dici ipsum venisse ad JEsum, oratum, a Luca vero id Senioribus tribui. Quod enim jussu ejus factum est, qui non recte ipsi tribui queat? Sic certe sæpe Hebræi. Confer *Keuchen.* ad h. l. Exemplum simile habes *Marc.* X. 35. ubi *Jacobus* & *Johannes* dicuntur venire

ad

ad Christum, scilicet per matrem suam, quod patet ex *Matth.* XX. 20. Conf. *le Cene* in Projet p. 344. & *Lamium* in Harmonia p. 152.

Vers. 6. παραλυτικὸς) De paralytico hoc lege *Bartholini* Tract. de paralyticis N. T. recusam in Fascicul. V. Opuscul. Philolog. p. 333. sqq. & p. 411. tum vero *Wedelium* in Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. I. Dec. V. Exerc. II. qui generatim observat, hic non fuisse paralysin sibi relictam, simplicem & vulgarem, qualis alibi in Evangeliis memoretur; sed ex circumstantiis patere, non unum motum hic cessasse, ut in aliis, non sensum etiam, adaucto malo; sed diversam fuisse speciem & singularem.

ὁ παῖς μου) i. e. *servus meus*: ita etiam profani Scriptores. Vid. *Pfochen.* de Stylo N. T. §. 45. qui hanc notionem ab Hebraismo satis liberat.

δεινῶς βασανιζόμενος) Verbum posterius minus Græcum nonnullis videtur. Leg. *Lamb. Bos* ad Thomam Magistrum p. 11. & quæ scribentur ad *Marc.* V. 7.

Vers. 8. & 9. Vide huc *Gusseti* Disputat. III. in epist. ad Hebr. quæ exstat in calce Refutationis libri *Chissuck Emuna* p. 479. sq. ubi inprimis de singulari Christi potentia agit, quæ ex eo eluxerit, quod vel verbo miracula patraret. Speciatim vero ad hunc locum *Matthæi* allusisse putat Paulum ad *Hebr.* I. 3. ubi ait: Christum φέρειν τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ.

Vers. 8. ἵνα μου ὑπὸ τὴν στέγην εἰσέλθῃς) Hanc vocem a centurione non solum ideo editam esse, quod esset homo paganus, cui προσέρχεσθαι ἀθέμιτον ἦν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ Act. X. 28. nec tantum, quod Christum superiorem dignioremque agnosceret, se vero eo honore indignum, cum superiorem inferior adire debeat, ut *Luc.* I. 43. Elisabeth statuebat; sed, quod tantus sibi peccator videatur, ac tot tamque gravium facinorum reus, cui fieri ὁμωρόφιον aut ὁμότοιχον i. e. *idem tectum cum tali subire*, summum nefas a suæ religionis hominibus putabatur; statuit *Elsnerus* ad h. l. p. 44. qui postremum hoc variis veterum locis evincit. Conf. *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum hym. in Cererem v. 117. & de Judæis idem sentientibus *Hottingerum* ad Goodwini Mosen & Aaronem lib. I. c. 10. §. 18.

ἀλλὰ μόνον εἰπὲ λόγον) Codd. nonnulli hic legunt λόγῳ atque hoc ideo præferunt quidam ad novam quandam interpretationem stabiliendam, quos mox appellabimus. Cum vero & plures & probatiores Codd. λόγον retineant, alterum illud ex *Luc.* VII. 7. huc translatum recte creditur. Interim ipsa illa lectio εἰπὲ λόγῳ effecit, ut nonnulli singularem mentem centurioni affingerent, ac si vellet, ut Christus *verbo suo* i. e. Spiritui cuidam Sancto, seu Angelo, aut virtuti, præciperet, & injungeret sanationem perficiendam. Ita *Sandius* in Interpretationibus paradoxis p. 30. qui hanc in rem auctorem Operis Imperfecti tanquam sibi ὁμόψηφον affert, *Souverainius* item, auctor Platonismi Detecti p. 159. *Jo. Clericus* in notis ad versionem Gallic. N. T.

Amelius Part. I. p. 219. ſqq. Sed recte ſe oppoſuit illis B. *Gottfr. Olearius* in Notis ad Matthæum p. 250. ſqq. Quamvis enim negari non poſſit, voce λόγος Angelos, quos *mentes* & *intelligentias* Latine appellant, indicari a *Philone* & *Plotino*, quorum loca afferunt *Sandius* in Diſſertat. de λόγῳ & *Steph. Nye* in epiſtola II. de myſterio Trinitatis, nusquam tamen in Sacris Scriptoribus eum ſignificatum occurrere, nec ante *Philonem* ullibi inveniri, cum eodem aſſeverare auſim, &, ſi occurreret, nihil tamen ad hanc cauſam præſidii accederе. Ipſa enim lectio Matthæi, ἐιπὲ λόγον, qua retenta, interpretatio iſta corruit, non temere ſolicitanda eſt. Eam vero confirmat præterea phraſis v. 16. occurrens, ubi de Chriſto dicitur, ὅτι ἐξέβαλε πνεύματα τῷ λόγῳ i. e. *vel verbo pronunciato.* Neque tertium comparationis longius hic quærendum eſt, quod nonnulli, inprimis eo conſilio, urgent, ut Chriſtus cum centurione & Angelus cum milite conferatur; cum illud inveniri poſſit, in efficacia verbi ſuperioris in inferiores generatim, hoc ſenſu; ut meis verbis, qui homo ſum, aliorumque obnoxius imperiis, parent tamen inferiore loco poſiti milites; ſic tuo verbo omnes creaturæ, mare, tempeſtates, morbi cedere tenentur. Qui a *Souverainio* locus ex libro *Sapientiæ* XVIII. 5. affertur, ita habens, ὁ παντοδύναμός σε λόγος ἀπ' ἐραιῶν ἐις μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς, certe non poſtulat, ut λόγον de Angelo interpretemur, cum magis obvium ſit, vocem hanc vel ad *verbum* & *mandatum* Dei referre, quod paſſim in Scriptura de Deo ipſo ſumitur; vel de מימרא דיי, qua phraſi Paraphraſtæ Chaldæi tam crebro utuntur, explicare. Denique & hoc tenendum eſt, profanis quoque Scriptoribus phraſin iſtam ἐιπεῖν λόγῳ vel ἐιπεῖν λόγον receptam eſſe. Exempla proſtant apud *Henricum Stephanum* in Theſauro Græcæ Linguæ Tom. I. p. 621. qui ibidem de ſignificatu ejus & ratione fuſius commentatur.

Iidem Scriptores externi Deum ſolo juſſu ac dicto omnia perficere poſſe, paſſim ſcribunt. Vide *Elsnerum* p. 43.

Verſ. 9. ἄνθρωπός ἐιμι ὑπὸ ἐξουσίαν) Mutile hæc interpretatur *Gothicus*, non quod aliter legerit, ſed quod omiſſa vocum diſtinctio fraudi ipſi eſſet. Vide *Mareſchallum* p. 398.

ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν) Ita prorſus *Polybius* V. 65. notante *Raphelio* p. 55. ad *Xenophont.* Cyropæd. III. p. 61. vide eundem p. 25.

πορεύθητι, καὶ πορεύεται) Eodem modo loquitur *Arrianus* lib. I. c. 25. v. *Raphel.* in Notis Polybian. p. 55.

Verſ. 11. ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν) Per enallagen hæc in plurium numero dici, recte pridem eſt a multis obſervatum. Lege, ſi placet, *Saubertum* in Palæſtra p. 280. & *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra Tom. II. p. 319. qui inter cetera ita: *nam hic ἀνατολὰς θερινὰς, ἰσημερινὰς καὶ χειμερινὰς, ortus æſtivos, æquinoctiales & hybernos quærere & excogitare mihi videtur nimis acutum, & ſubtilitate ſua in lectorum animis aliquam diffidentiam & falſi ſuſpicionem ingenerare.* Vide tamen, quæ ad tollendam enallagen attulit *Herzogius* in Diſſertat. de Certitudine

titudine Hermenevtices §. 15. Quod ad rem ipſam attinet, palam eſt, omnes orbis regiones hic indicari, ſicut *Xenophon* in Cyropædia lib. I. p. 2. gentium, Cyro ſubjectarum, multitudinem indicaturus, ait, ἥντε πρὸς ἕω, ἥντε πρὸς ἑσπέραν, ἥντε πρὸς ἄρκτον, ἥντε μεσημβρίαν. Nec putem per *Orientem* ſpeciatim Judæos, per totum imperium Romanum diſperſos, aut Samaritanos, aliosve Orientis populos, qui ex converſatione cum Judæis aliquid de vero Deo audiverant; per *Occidentem* vero gentes, a luce hac remotiores, intelligi debere, ceu aliquando ſuſpicatum ſe eſſe ſcribit *Corn. Adami* in Obſervatt. ad h. l. p. 121. Interim hanc ſententiam ornare conatus eſt nuper Anonymus im Heb-Opfer Tom. IV. 4. ſqq. qui ſcilicet comma 11. & 12. penitus ad regnum gratiæ refert, ad quod gentiles ſint vocandi, Judæis interim ob pertinaciam ſuam ejectis. Sed iſti quidem interpretationi obſtat, ut cetera taceam, commemoratio Abrahami, Iſaaci & Jacobi, quorum certe ſocietate non fruuntur conſortes regni gratiæ. Neque ſufficit reſpondere cum Auctore p. 9. ſimili modo Prophetas & Apoſtolos Epheſ. II. 20. dici fundamentum Eccleſiæ Chriſtianæ, in qua tamen non amplius inveniuntur. Tales enim illi dicuntur non tam ratione confeſſionis, quam promulgationis doctrinæ Chriſtianæ, & ſcriptorum adhuc exſtantium.

ἀνακλιθήσονται) Phraſes, a conviviis veterum in hoc commate petitas, ex antiquitate & ritibus illuſtratas, vide ab eodem p. 119. ſqq. Confer *Jo. d'Outrein* Diſſertatiunculam ad idem hoc comma, quæ exſtat in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. p. 1071. ſqq. Atque hinc ſimul in genere apparebit, Gentiles æque ac Judæos delicias vitæ cœleſtis ſub convivii habitu & ſpecie repræſentare conſueviſſe. De *Judæis* huc vide *Hottingerum* ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu p. 97. Hac vero occaſione inter eruditos diſceptatum eſt, utrum Judæi imaginem hanc a Gentilibus, & ſpeciatim Græcis, an hi ab illis mutuam ſumſerint. Prius placet *Clerico* ad Hammondum & ad *Luciani* Scholiaſten Tom. I. p. 37. Poſterius mavult *Corn. Adami* l. c. p. 124 ſqq. data opera iſtam Clerici ſententiam impugnans; ad cujus partes accedit etiam Cl. *Majus* Obſervatt. Sacrar. III. p. 105. ſqq. ſi quidem altera gens ab altera hanc comparationem accepiſſe exiſtimetur. Quod tamen idem p. 108. non opus eſſe ſtatuit, ut dicamus, cum & Græci, & Ebræi, & nationes mundi omnes nil præſtantius in hac vita & jucundius putent magnifico convivio, atque adeo venturam illam vitam dignioribus delineare coloribus non potuerint. Meo quidem judicio gentiles omnem iſtam de vitæ futuræ felicitate doctrinam Judæis debent, atque illi traditioni, quæ varie ad ipſos de ea perlata eſt. Unde nec mirum, eosdem illis quoque phraſibus & comparationibus uſos, quæ in Sacro Codice V. T. inprimis Pſ. XXIII. 5. XXXVI. 6. & alias, de bonis tum ſpiritualibus, tum æternis, adhibentur.

μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακώβ) Per hæc nomina tria indicari putat *d'Outrein* l. c. p. 1076. nempe primo, fideles ex gentibus Eccleſiæ Judaicæ, in Chriſtum credenti, vel credituræ, inferendos eſſe: deinde, fideles ex

gentibus ejusdem salutis participes fore cum fidelibus istis Patriarchis: denique cum Abraham, Isaac & Jacob cœlitibus annumerentur, simul innui, eosdem ex gentibus fideles cœlitibus aliquando jungendos. Hinc patet, *Outreinium* τὴν βασιλείαν τ. Θ. hic de regno gratiæ potissimum accipere, quod & p. 1075. disertius, & ita, proponit, ut simul opinari se profiteatur, neminem id iturum inficias. Idem statuit *Adami* l. c. p. 126. & ex nostratibus *Jo. Henr. Majus* in Theol. Evangelic. ad h. l. p. 329. At enimvero si recogitemus, v. 12. eas usurpari phrases, quæ alias v. c. *Matth.* XXII. 13. & XXV. 30. &c. diserte de infernalibus pœnis usurpantur, non potest, vi oppositorum, regnum cœlorum v. 11. ad aliud, quam ad præmia cœlestia, referri. Confer in hanc sententiam *Grotium* ad h. l. & ex nostratibus *Calovium* in Bibliis Illustratis. Cum tamen regnum gloriæ a regno gratiæ pendeat, nolim inficiari, ad posterius illud in tantum hic respectum haberi, in quantum ex ejectione ex regno gloriæ judicari potest, quales se ejecti adversus regnum gratiæ præstiterint.

Vers. 12. Οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας) Judæi hic filii regni vocantur per Hebraismum, non quod proprie ad illud pertinerent, multo minus, quod soli convivæ forent, sed, quod externe viderentur ad illud regnum pertinere ob plurima, quæ acceperunt, bona: *Ps.* CXLVII. 19. 20. *Rom.* IX. 4. deinde, quod jactarent & gloriarentur se filios legitimos, adeoque regni hujus heredes esse, ut *Joh.* VIII. 41. sicut & illis prius hoc regnum erat offerendum *Act.* XIII. 46. vide *Adami* p. 128. Confer *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 62. qui similiter contendit, filios regni vocari hic Judæos ideo, quod, in regno cœlesti locum sibi deberi, ipsi sibi persuaderent, & opinarentur. Adde p. 64.

ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον) Quidam hic putant, alludi ad conjectionem in carcerem squalidum, illum præsertim, in quem malefici Hierosolymis conjici solebant, fame, egestate, frigore, & tenebris ipsis enecandi, quæ sententia est *Villalpandi* & *Veilii*. *Lamius* in Apparatu Geographico cap. XIII. §. 3. respici credit ad vallem cadaverum extra Hierosolymam, locum tenebricosum, quem *Adrichomius* de publica custodia interpretatur. Rectius vero alii monuerunt, *tenebras exteriores hic*, quæ verba sunt *Dilherri* Disp. Academic. Tom. I. p. 709. *opponi copioso tædarum, lampadum, lychnorum lumini, quo cœnaculum illustrabatur.* Idem amplectitur *Clericus* in notis ad Hammondum h. l. & in Arte Critica lib. I. c. 1. §. 3. item in Biblioth. Selecta Tom. XIX. p. 422. sq. pluribus autem ornat *Adami* l. c. p. 128. sqq. & *Amelius* Part. II. p. 66. sqq.

B. *Lutherus* in versione sua verba hæc ita convertit: Die Kinder des Reichs werden ausgestossen in das Finsterniß hinaus, notatus ideo ab *Aug. Herm. Franckio* in Anmerckungen p. 186. qui ita potius reddi debuisse censet, ut τὸ ἐξώτερον converteretur per: welches das äusserste ist, atque adeo discrimen & gravi-

gravitas pœnarum infernalium eadem opera indicaretur. Putat idem, B. Lutherum forte in exemplari ſuo τὸ ἐξώτερον non inveniſſe. Enimvero hoc quidem, quod in excuſationem Lutheri afferri videtur, veriſimile non eſt. Nam nulla hic in Codd. vel editis vel MSS. varietas a *Millio* aut alio quoquam obſervata eſt. Itaque legit & Lutherus, inprimis cum credi non poſſit, etiam in locis Matthæi aliis, XXII. 13. & XXV. 30. ubi idem ἐξώτερον occurrit, nec a Luthero verſum ejusdem judicio videtur, vocem hanc omiſſam fuiſſe. Deinde palam eſt, Lutherum non ſolum legiſſe, ſed & vertiſſe, nunc planius, nunc obſcurius. Sic noſtro loco τὸ ἐκβληθήσονται converſum eſt per ausgeſtoſſen werden, τὸ ἐξώτερον vero per hinaus, ſic & Matth. XXV. 30. Et *Matth.* XXII. 13. planius, ubi diſerte das äuſſerſte Finſterniß commemoratur. Scilicet ὁ μακαρίτης his verbis ſimpliciter indicari ſtatuit excluſionem a loco convivii, ſeu gaudii cœleſtis, ſeu pœnam infernalem generatim, non autem gradus ejusdem. Atque idem viſum eſt *Jac. Cappello* ad h. l. ſcribenti: *Dei filiis eſt univerſitas ſua, extra quam, quicquid eſt, id dicitur κατ' ἐξοχὴν ἐξώτερον ſeu exterius.* Atque in hac ſententia perſiſti vult B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l.

κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων) Phraſin hanc illuſtrat *Adami* l. c. p. 133. κλαυθμὸν non per *fletum*, ſed *clamorem* verti vult *Hammondus*, præter Græcæ Linguæ uſum, ceu recte ibi obſervavit *Clericus*. Gentilium loca de inferno, fletus pleno, & de ſtridore dentium, in iratis hominibus obſervando, lege apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Verſ. 14. Comma hoc Codd. nonnulli ita exhibent, ut in *Luc.* IV. 38. legitur, atque hinc a ſciolis præter rem interpolationem iſtam ſubnatam eſſe merito judicamus.

τὴν πενθερὰν αὐτοῦ) Hæc mentio ſocrus Petri omnino evincit, ipſum in conjugio vixiſſe. Lege huc B. *Jo. Frid. Mayeri* Diſſert. de Conjugio Petri, *Viteb.* 1718. recuſ. & alios ibi citatos. Conjugium hoc etiam ab Apoſtolo continuatum eſſe, oſtendit *Pitſchmannus* in Supplem. ad Dubia Vexata Eccl. priorum IV. Seculorum N. T. p. 5. ſqq. Sanatio ipſa ab ea, de qua *Marcus* I. 30. diſtinguenda nonnullis videtur, qua de re ad Marcum dicemus.

Verſ. 15. αὐτοῖς) Nonnulli Codd. hic legunt αὐτῷ, idque rectius putat *Millius*, quia ibi de ſolo JEſu ſermo ſit, altera vero iſta lectio ex *Marco* vel *Luca* petita videatur. Conſentit *Pfaffius* de Variant. Lection. p. 224. Mihi videtur *Matthæus*, qui hanc narrationem breviſſime perſequitur, deſtinata opera voce αὐτοῖς hic uſus eſſe, ut vel ſic innueret, Chriſtum non ſolum in ædibus Petri fuiſſe, ſed, quod ceteri Evangeliſtæ addunt, Apoſtolis ſtipatum.

Verſ. 16. πάντας τοὺς κακῶς ἔχοντας ἐθεράπευσε &c.) Quæritur in Veſperis Groninganis p. 68. num ægroti omnes, a Chriſto ſanati, fuerint fideles,

quorum languores & morbos tulerit Christus, in quantum tulit pœnam peccatorum, cum non verisimile videatur, decem leprosos, quorum unus tantum redibat, inter credentes numerari posse. Respondetur ibi inter cetera ex *Alex. Moro* ad Jes. c. LIII. Morborum curationem fuisse typum remissionis peccatorum, & hanc illius comitem individuam : nunquam enim Christum legi ægrum sanasse, quin ei peccata condonaverit. Leprosos vero illos eo ipso fidem suam & spem recuperandæ valetudinis declarasse, quod, jubente Christo, omnes ad Sacerdotes abierint. Confer *V. H. Vogler.* de rebus naturalibus p. 265. & *Conr. Johrenii* Dissert. de morbis Biblic. N. T. p. 10. sqq. De obsessione Satanica speciatim huc commentatur *Jo. Georg. Dorscheus* in Disput. 1672. habita.

Vers. 17. τὸ ῥηθὲν διὰ Ἡσαΐου) Comma hoc nostrum cum *Jes.* LIII. 4. diligenter comparant, præter Interpretes Prophetæ, nominatim *Vitringam*, *Altingius* in Paralleliſmo Vaticiniorum V. Test. p. 21. Tom. II. Opp. *Alexand. Morus* in Notis ad Jes. LIII. p. 138. & *Guil. Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 222. sqq.

ἔλαβε - καὶ ἐβάστασεν) Hæc verba de morbis ita intelligenda sunt, non quod cum hujusmodi morbis corpus Christi conflictatum fuerit; sed quod curando ægrotos sublevarit, & morbos ab ipsis abstulerit. Conf. *Joh.* XX. 15. Ita vero etiam *Polybium* I. 48. locutum esse, ostendit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 56. Vim phraseos nonnihil deprimit *Martianæus* in *Essay* ita vertens: *Il a eu compassion de nos infirmitez, & il a gueri tous nos maux.* De *Tertulliani* versione ex lib. III. adv. Marcionem cap. 17. *Ipse enim imbecillitates nostras abstulit, & languores portavit*, lege contra Grotium, *Jo. Pearsonum* in Notis ad Ignatii Epistolas p. 25. Ceterum ad h. l. laborarunt Interpretes inprimis de eo, quomodo Matthæus Jesaiæ oraculum, quod de peccatis nostris, a Christo portatis & sublatis, exponit, ad morbos eorumque sanationem transferre potuerit. Diversas veterum & recentiorum sententias legere licebit ex nostratibus apud *Gottfr. Olearium* ad Matthæum p. 252. sqq. ubi de *Grotii*, *Calovii Brentii* & *Chemnitii* interpretationibus, *Hackspanium* in Notis Philolog. p. 47. sq. & in Sylloge p. 601. & *Amelium* Part. I. p. 113. sq. ex ceteris autem apud *Alex. Morum* ad Jes. LIII. *Witsium* in Meletematibus Leidensibus Exercit. IX. & *Surenhusium* l. c. Ex prioribus B. *Calovius* in Bibliis Illustratis statuit, Jesaiam agere de pœnis peccatorum, a Christo portatis, qui languores & dolores, omniaque mala, quæ meriti eramus peccatis, sustinuerit, ut ab iis, peccatorum remissione impetrata, nos liberaret. Atque eadem de causa Matthæum Prophetæ verba ad morbos corporis recte, ait, retulisse; quia, obstructo peccatorum fonte, unde scaturiunt morbi, hos etiam ablatos censeri fas sit, cum, impetrata remissione culpæ, nullus pœnæ locus supersit. Cum vero hoc modo Propheta de spirituali atque adeo universali morborum humanorum sanatione exponat,

ad

ad particularem & corporalem hic Evangelista adplicet, B. *Oleario* l. c. consultum visum est, ex Matthæo, ejusque interpretatione, quam ab ea τῶν LXX. diversam, non sine singulari consilio attulerit, verum Oraculi Prophetici sensum investigare. Qua quidem opera ita defungitur, ut verbum Hebr. סבל, & respondens ei Græcum βασάζω, non *receptionem* morborum, sed potius *auxilium* & *curam*, quæ nostro concipiendi modo oneris aliquid & molestiæ habet, inferre, atque adeo de morbis corporis, in hominibus sanatis accipi debere existimet. Eandem notionem verbo סבל *Jes.* XLVI. 4. tribui, ibidem observat. De Jesaiæ loco hic citato confer, si placet, *Franc. Vavassorem* de Forma Christi p. 322. sq. Opp.

Vers. 19. εἷς γραμματεὺς) τὸ εἷς hic ponitur pro τὶς, *quidam*. Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 1037.

Vers. 20. Καὶ λέγει αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς) Verba hæc, tanquam ex indignatione a Christo pronunciata, affert *Lipmannus*, Judæus, in carmine Memoriali apud *Wagenseilium* in Telis Igneis Satanæ p. 204.

αἱ ἀλώπεκες φωλεὸς ἔχουσι) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 22. Ultimæ egestatis indicium in hac phrasi latet. Vide *Suicerum* Tom. II. p. 1477.

κατασκηνώσεις) i. e. non *nidos*, ut Vulg. sed *umbracula*, aut *diversoria*, ut *Cyprianus* transtulit, judice *Colomesio* in Obs. Sacris p. 79.

ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) Interpretes tantum non omnes de Christo hunc titulum interpretantur, allatis diversis rationibus, quæ tamen se minus probant *Hackspanio* in Notis ad h. l. qui simpliciter in eo acquiescit, quod per Hebraismum ita appelletur, nihilque aliud inferatur, quam si *hominem* appelles, ut *Ezech.* I. 2. Propheta filius hominis vocatur. In hac causa quæsitum a nonnullis est, an non phrasis ista: ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου pro pure Græca haberi possit, cum Græci passim dicant υἱὲ Ἀχαιῶν, pro Ἀχαιὸς, ut *Homerus* Iliad. α v. 162. παῖδες ἰατρῶν, μεσικῶν, ῥητόρων &c. Hoc argumento utitur inprimis *Pfochenius* §. 55. Ceterum in contrariam sententiam ab aliis recte observatum est, nusquam apud profanos dici υἱοὶ ἀνθρώπων pro ἄνθρωποι, ut homines in universum denotentur. Confer *Gatackerum* de Stylo N. Test. p. 165. *Vorstium* in Philolog. Sac. Part. I. c. 13. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 92. Ceterum *Hackspanii* verba ita accepit *le Cene* in Projet p. 743. ac si negaret, phrasin istam h. l. de Christo accipiendam, sed de homine quocunque; cum tamen is id tantum velit, quod rationes appellationis hujus, a variis allatæ, subtiliores sint, quam ut locum tueri possint. Non alium vero, quam Christum, hic intelligi, contextus ostendit, & auctor *Chissuck Emuna* sibi persuasit, qui hinc inepte conficere conatur, Christum non esse Deum, qui se ipsum filium hominis appellet. Sed vide *Gussetum* in Confutatione libri virulentissimi p. 374. Denique *Jac. Cappellus* ad h. l. observat, nomen hoc omnium, quæ quidem a Prophetis, & inprimis Ps. VIII. 5. data sint, esse modestissimum, & Salvatorem optimum, quoties eo utatur, innuere, eum se esse, quem David & alii Prophetæ ita appellarint. Conf. ad *Luc.* IX. 58.

πῦ τὴν

πᾶ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ) Est locutio proverbialis, ultimam egestatem indicans, cujusmodi locutiones ex profanis affert *Suicerus* Tom. II. p. 98.

Vers. 21. Ἕτερος δὲ τῶν μαθητῶν) Hic *Philippus* creditur fuisse veteribus. Vide *Clementem Alexandr.* Stromatum III. p. 436.

καὶ θάψαι τὸν πατέρα μου) Post hæc repetendum ex v. 19. *ante quam sequar te.* Vide *le Cene* in Projet p. 19. non inconcinne, quo ipso etiam stabilitur vox πρῶτον, quam nonnulli Codd. vitiose omittunt.

Vers. 22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς.) Vide *Schotti* Adagial. N. T p. 23. Νεκροὶ hic sunt seculo viventes & cupiditatibus suis. Ita Hebræi passim. Vide *Triglandi* Dissertat. de Karæorum secta p. 157. & *le Cene* in Projet p. 758. Nec minus Gentiles: lege *Grotium* ad h. l. *Pricæum* ad 1 Tim. V. 5. & *Pearsonium* ad Ignatii epistolas p. 15. De sensu verborum lege *Wolfburgium* in Observatt. Sacris, p. 412. sqq. Veterum sententias collegit *Suicerus* Tom. II. p. 393. sq.

Vers. 23. ἐμβάντι εἰς τὸ πλοῖον) Ita & Xenophon: v. *Raphel.* p. 25.

Vers. 25. σῶσον ἡμᾶς) *salva nos* i. e. eripe nos ex præsenti periculo: vide *Keuchenium* ad h. l.

ἀπολλύμεθα) Ita *Arrianus* lib. II. c. 19. p. 219.

Vers. 26. ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις) De phrasi hac profanis, cum dandi casu frequenter, sed non semper, usitata, ejusque efficacia lege Bibliothec. Bremensem Tom. I. p. 61. sq. Non tam objurgationem, quam præceptionem, simpliciter hic innui censet *Simon* in notis cum Euthymio, quem & approbaverat lib. III. Hist. Crit. p. 413. Sed merito verbo propria significatio relinquitur, & vis verborum vehementiæ fluctuum hic a Christo opposita recte creditur.

Vers. 27. ποταπὸς) i. e. ποῖος, *qualis*, judice *Boisio* in Collat. ad h. l.

οἱ ἄνεμοι ὑπακούουσιν) De ventis, Deo obedientibus, lege veterum dicta apud *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Vers. 28. sqq. Narrationem, hic contextam de duobus Dæmoniacis, Interpretes & Harmonici Scriptores tantum non omnes eandem putant cum ea, quæ exstat *Marci* V. & *Lucæ* VIII. & certe præter rationem distinxit *Osiander*, quemadmodum, quid hic statuendum sit, dubitavit *Andr. Masius* Tom. II. Supplem. Criticorum ad h. l. Allegorice hanc historiam interpretatus est *Anton. Driessen* in Diatribe de principiis & legibus Theologiæ emblematicæ &c. cap. IV.

Γεργεσηνῶν) *Marcus* c. V. 1. Γαδαρηνῶν, qua de re ad eum locum dicemus. De *Gergesenis* lege huc *Carpzovium* ad Schickardi Jus Regium Hebræorum p. 286. & ab eo citatos.

ἐκ τῶν μνημείων ἐξερχόμενοι) *Grotius* & *Hammondus* existimant, Diabolum ideo hos homines ad sepulchra compulisse, ut Judæorum opinionem confirmaret, credentium, animas defunctorum circa cadavera hærere, & in dæmonum esse potestate. Atque eam Judæorum fuisse opinionem, evicit *Lightfootus* in Horis ad Joh. XI. 39. & *Vitringa* de Synagoga vetere lib. I. p. 222. Apud Gentiles eandem sententiam viguisse, patet ex iis, quæ *Elsnerus* ad h. l. attulit p. 47. Ea tamen sententia occasionem huic dæmonum juxta sepulchra commorationi non feciſſe videtur *Clerico*, & post eum *Elsnero*, qui speciatim observat, Diabolum τὸς δαιμονιζομένος ideo potius ad sepulchreta abegisse, quod remota sint ab hominum frequentia, ipse autem solitudine delectetur, secundum *Luc.* VIII. 26. vel etiam ipsos homines obsessos eo confugere debuisse, quod nemo illos ædibus excipere sustineret. Confer quæ ad Marcum scribemus.

Vers. 29. Τί ὑμῖν καὶ σοι) frequens loquendi forma inprimis apud *Arrianum* in Dissert. Epictet. qua plerumque utuntur de re, quam ad se pertinere non putant, sed contemnunt & rejiciunt. Interdum tamen Græcis idem notat, quod *Grotius*, Hebræis significare, ait, nimirum *cur nobis molestiam habes?* observante, & idoneis locis probante, *Raphelio* in Notis Polybian. p. 57. Confer *Majum* lib. I. Obss. Sacrar. p. 18. & *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 40. & deseres multos illos, cum quibus *Drusius* Miscell. II. 26. & *Lud. Cappellus* in Spicilegio ad h. l. de Hebraismo hic cogitant.

πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς) *Steph. Morinus* in Dissertatt. Sacris p. 224. intelligit de tempore victoriæ a Christo in cruce relatæ.

Vers. 30. ἦν δὲ μακρὰν ἀπ' αὐτῶν) Vulgata hic vertit: *non longe*. Atque hinc emendandum contextum Græcum censent *Boisius* in Collat. *Amelotus*, *Maldonatus*, *Zegerus*, & noviſſime *Rich. Simon* in Notis ad versionem Gallic. item in Historia Critica de Versionibus N. T. p. 418. sqq. & in Observatt. Novis p. 361. sqq. Cum vero ne unus quidem Codex Græcus particulam negandi exhibeat, quod *Beza* fatetur, & ex *Millio* constat, in communi lectione omnino acquiescendum est, inprimis cum, judice *Millio*, ea ex interpolatione Hieronymi demum in Latinam versionem irrepserit, certe in exemplari Bezæ Cantabrigiensi non exstet. Neque hic pugna est cum *Marco* & *Luca*, qui habent h. l. ἐκεῖ, aut cum textus serie, quæ in propinquo porcos fuisse docet. Nam τὸ μακρὰν æque ac Hebræorum רחוק distantiam seu intervallum quodcunque, ex circumstantiis æstimandum, infert. Vide Exod. XXXIII. 7. & *Jos.* III. 4. Itaque nec necesse est, ut ellipsin particulæ ὡ hic statuamus cum *Noldio* in Concordantiis Particularum p. 491. & not. 1545.

ἀγέλη χοίρων) Qui huc tanta porcorum copia pervenerit, disputarunt inprimis *Lempereur* ad Bava Kamma p. 178. sq. & *Bochartus* Hierozoici lib. II. cap. 57. aliique, a *Carpzovio* ad Schickardi Jus Regium Hebr. p. 392. citati. *Lempereur* l. c. speciatim observat, porcos hos fuisse alienigenarum, qui loca ultra Jordanem remotiora frequentes habitarint, legibus Judaicis, per quas porcos alere non licebat, non subjecti.

Vers. 31. ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν) Quomodo potestas in porcos migrandi illis facta cum amore Christiano conciliari possit, ostendit *Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. III. p. 87. Migrationem vero istam vere factam esse, probat *Marckius* Exercit. Textuali XXIX. p. 285. sq. Confer, quæ scribentur ad Marcum.

Vers. 13. ἀπελθόντες) *& venientes* Vulg. i. e. cum venissent, ut *Marc.* III. 13. approbante *Boisio* in Collat. ad h. l. quamvis alii malint vertere: *cum abiissent.* Addit *Boisius* ex Viri docti, quem non appellat, sententia, τὸ ἀπέρχεσθαι sæpe *adire*, τὸ ἀπάγειν vero *adducere* significare.

CAP. IX.

Vers. 1. εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν) i. e. in urbem, quam incolebat: ita enim *Græci* loqui amant. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 58. Non minus autem *Latini*, ut Ovid. *Trist.* II. 415. & *Seneca* Consolat. ad Helv. cap. 6. quæ loca observavit Cl. *Heumannus* in Poecile Tom. I. lib. I. p. 82. Eam vero ideo Christus in incolatum elegisse videtur *Lamio*, quod apta esset promulgando Evangelio suo, quia in diversas civitates regionesque navibus momento huc illuc ferri poterat. Vide ejus Harmoniam p. 111. De hac & aliis Christi urbibus, nempe *Bethlehem* & *Nazaret*, confer B. *Jo. Frid. Mayeri* Eclog. ad Dominic. XIX. post Trinit. in qua alia hujus pericopæ loca illustrata videbis.

Vers. 2. παραλυτικόν) De hac paralysi, quam universalem vocat, vide *Wedelii* Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. I. Dec. VIII. Exerc. III. qui eam monet inferre movendi impotentiam membrorum plenariam, sine dolore omni, cum resolutione & flacciditate tendinum ac musculorum, citra τάσιν seu tensionem & strictura ullam. Adde *Conr. Johrenium* de Morbis Biblic. p. 1. sq. & V. H. *Voglerum* de rebus naturalibus p. 278. sqq. B. *Lutherus* vocem Græcam interpretatur gichtbrüchig; de qua vide *Stadenii* Explicationem vocum Germanicarum difficiliorum in Lutheri versione p. 71. Dubitant cetera eruditi Interpretes, utrum Paralyticus, hic descriptus, idem sit cum eo, de quo *Marc.* II. & *Luc.* V. & plerique eundem recte putant.

Distin-

Distinguendus vero est ab eo, de quo *Johan.* V. Vide *Bartholin.* de Paralyticis N. T. Fascic. V. Opuscul. Philolog. p. 357. & 414. sqq. ubi & alia huc pertinentia leguntur.

τὴν πίστιν αὐτῶν) Itaque Christus ad fidem bajulorum quoque hic respexit; sed videntur tamen verba ad solum paralyticum referri posse *Hombergio* ad h. l. p. 36. quia scilicet Græci plurium numero uti sæpius ad unum designandum soleant, sive id fiat per abusum, sive elegantiæ causa. Exempla tamen, quæ affert, huc non quadrare videntur, cum hic paulo ante memorentur portantes plures, ad quos τὸ αὐτῶν non potest non referri. Nec obstat, quod Christus statim se ad paralyticum sermone suo converterit. Is enim, non item ceteri, alloquio, solatii pleno, indigebat. Interim certissimum est, Christum non solum in portantibus sed & in paralytico fidem & vidisse & respexisse.

θάρσει) i. e. *ne time.* Vide *Keuchenium* ad h. l.

ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου) i. e. non simpliciter: *remissa tibi sunt peccata tua:* sed *remissa tibi sint*, vel *sunto*, imperandi modo. Ita B. *Gottfr. Olearius* in Obss. ad h. l. p. 259. Habet enim pro tempore aoristo modi subjunctivi, cui vis sit imperandi, quam hic verbo huic vindicandam censet ideo, quia alioquin nihil aliud inferretur, quam nuda remissionis peccatorum annunciatio, quæ arrogatæ potestatis majoris, quam in hominem cadere possit, ne minimum quidem haberet vestigium, atque adeo adversariis Domini nullam cavillandi occasionem suppeditare potuisset. Putat vir doctus, primum se in eam sententiam incidisse. Sed illius jampridem in mentem venit *Osiandro*, qui, teste *Melanchthone*, Wormatiæ contendit, esse hic conjunctivum vel optativum, ita vertendum: es mögen dir deine Sünden vergeben seyn. Sed idem ipse refutatus quoque est ab *Erasmo Schmidio* ad h. l. qui ex Grammaticæ rationibus manifestum facit, τὸ ἀφέωνται esse præteritum passivum Indicativi modi, Attico more formatum. Atque ista quidem recte dici, patet vel ex aliis locis N. T. in quibus eadem verbi forma occurrit, & necessario pro Indicativo haberi debet. Vide *Luc.* VII. 47. & 1. *Joh.* II. 12. Nèque opus erat, ut alia ratione loqueretur Christus, quia Pharisæi facile vel ex effectu intelligebant, Christum remissionem peccatorum ita annunciare, ut simul exhiberet. Ceterum idem Vir doctus recte refutat Anonymum, apud *Sandium*, hæc verba ita interpretantem: *relinquant te morbi tui.*

Vers. 3. οὗτος βλασφημεῖ) *hic blasphemus est:* ita etiam Græci, ceu ostendit *Olearius* l. c. 263. qui tamen verbi notionem hic ampliandam putat, ut, quemadmodum Hebræorum נגף, cui hæc vox respondet, quamcunque sive vocem sive actionem significat, qua Deus offendi queat; ita τὸ βλασφημεῖν quamcunque Dei offensam inferat. Mihi quidem proprius ille verbi significatus retinendus hic videtur, cum nihil tam durum aut malum cogitari possit, quod illi non libenter in Christum effutierint. *Grotius* ad h. l.

verbum βλασφημῶν affirmat tantum de injuriis Deo illatis usurpari. Est tamen idem verbum de injuriis in homines conjectis apud *Plutarchum* adversus Colot. nec non apud *Platonem*, *Demosth.* & *Isocratem*, itemque *Ælianum* Var. Hist. XII. 57. de quibus monet Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l.

Vers. 5. Τί ἐστιν εὐκοπώτερον) *utrum tolerabilius est, dicere* &c. ita verti hæc vult *Olearius* l. c. p. 264. quia putat, vocem εὔκοπον non ad Christum, sed ad Scribas, verba ejus captantes, referri debere, ideo, quod non tam fuerit quæstio de eo, utra verba facilius proferre posset Servator, quam de eo, in quibus minus esset offensæ, & quæ illi quidem magis ferre possent. Enimvero, si vel maxime significatum illum vocis εὔκοπος admittere velimus, certe pro εἰπεῖν legi debebat ἀκοῦσαι vel ἰδεῖν εἰπόντα, ut verbum referatur etiam ad eum, cui hoc vel illud facile esse dicitur. In hac vero interpretatione τὸ εὐκοπώτερον ad Scribas, τὸ εἰπεῖν autem ad Christum refertur. Deinde manifestum est, τὸ εἰπεῖν hic usurpari non de nuda annunciatione aut præceptione, sed de tali, quæ cum singulari vi & effectu sit conjuncta. Itaque præstat dicere, Christum id tantum sibi velle, utrumque horum eandem requirere potestatem, nempe divinam, atque adeo ex posteriore, a se nunc exercenda, eos colligere debere, etiam priorem sibi datam esse. Hoc enim inprimis Scribæ admittere nolebant.

περιπάτει) i. e. *abi*, ut v. 6. ὕπαγε, secundum Anonymum in Novis Reipubl. Literar. an. 1702. Tom. I. p. 38. Sed meo judicio communis *ambulandi* notio rectius retinetur, nec comma 5 ex 6 explicandum venit. Nam in priori dicto Christus in universum innuit, se quaquaversum eundi facultatem homini misero conferre posse, in posteriore vero eam exerceri vult a paralytico domum eundo.

Vers. 6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε &c.) Quia oratio hæc duriuscula visa est nonnullis, *Knatchbullus* medelam afferri posse putavit, mutata interpunctione, & sublata parenthesi, qua inclusa sunt verba: τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ, subintellectisque verbis nonnullis, in hunc omnino sensum: *ut vero sciatis, filium hominis habere potestatem remittendi peccata in terra, dixi paralytico:* remissa sunt tibi peccata. Deinde vero novum comma incipit a verbis: Τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ. *Sam. Petitus* vocem τότε scribi vult per τό, τε, eo sensu: *hocce dicit paralytico;* putatque, nihil planius aut certius ad lucem hujus loci afferri posse. Vide Observatt. ejus p. 367. Utrumque approbandum videtur *Pfaffio* de Variant. Lection. p. 179. At durior omnino mutatio hæc ipsa, quæ tantopere urgetur, sermonis duritie videtur. Confer *Hombergium* ad h. l. p. 37. sq. Scilicet Evangelista brevi narratione complectitur, quomodo & verbis & factis confutarit Scribas. Utrumque vero distinguit verbis suis interjectis: τότε λέγει τῷ παραλυτικῷ.

ἐξουσίαν ἔχει) Discrimen inter ἐξουσίαν & δύναμιν perperam statui, ostendit ad h. l. *Hackspanius* p. 53.

ἐπὶ

ἐπὶ τῆς γῆς) Hic effectus non restringitur, sed actionis locus ἐμφατικῶς designatur. Vide *Grotium* Tom. III. Opp. p. 305.

Vers. 8. ἐθαύμασαν) Nonnulli Codd. habent ἐφοβήθησαν, procul dubio ex Luca. Utrumque conjungit Interpres Gothicus, vertens: *metuebant mirantes.* Conf. omnino *Mareschallum* p. 339.

τὸν δόντα ἐξουσίαν τοιαύτην) Non nemo verti voluit: *qui tam potentem Angelum Judæis addixit*, ideo scilicet, quia in epist. ad Colos. & alias hæc vox de certo Angelorum ordine usurpetur. Sed vel solum comma 6, ubi itidem ἐξουσία legitur, interpretationem hanc insolentem esse evincit. Confer etiam *Olearium* l. c. p. 265.

Vers. 9. εἶδεν ἄνθρωπον) Loquitur hic Matthæus de se ipso, tanquam de alio, more scilicet Hebræorum. Vid. *Hackspan.* ad h. l. p. 55.

ἐπὶ τὸ τελώνιον) De voce hac vide *Lacerdam* in Adversar. p. 295. JEsum a telonio Matthæum ad se vocasse ideo, ut indicaret, Rempublicam Judæorum, qui Cæsari tributum & vectigal solvere debebant, auctoritatem suam penitus amisisse, statuit *Allixius* in Consideratt. super loca N. T. p. 295.

Vers. 10. πολλοὶ τελῶναι καὶ ἁμαρτωλοὶ) Duo eo tempore erant hominum genera, qui publicanorum nomine appellabantur. Alii dignitate erant conspicui, ii scilicet, qui vectigalia certa argenti summa redemerant. Hi vero non per se portoria exigebant, sed per alios, servos, libertos aut vilioris sortis homines, qui & ipsi hoc nomine veniebant. Atque hujus generis sunt publicani, qui in historia Evangelica memorantur. Istis autem Judæi maximopere infensi erant, tum, quod libertati suæ fraudi esse viderentur, tum, quia plus æquo (v. *Luc.* III. 13.) exigere solebant. Hinc & apud Hebræos æque ac gentiles ista de ipsis proverbia feruntur, quæ sinistre de eorum moribus existimatum produnt. Vide huc *Casaubonum* contra Baron. Exercit. XIII. p. 220. *Clericum* ad Hammond. in Matth. XI. 19. & *Salom. Deylingium* in Observatt. Sacris Part. I. p. 109. Vide etiam C. S. *Schurtzfleischii* Dissert. de ordine Publicanorum, *Witteb.* 1689. 4. Conf. quæ scripta sunt ad *Matth.* X. 46.

ἁμαρτωλοὶ) ὁι LXX. ἁμαρτωλὲς vocant, quos Hebræi רשעים. Vide *Keuchenium* ad h. l.

Vers. 12. οὐ χρείαν ἔχουσι οἱ ἰσχύοντες) Similia effata ex profanis ad h. l. affert *Boisius* in Collat. & *Schottus* Adagialibus N. T. p. 23. Conf. & *Suicer.* Tom. I. p. 1433. *Keuchenius* ad h. l. ita accipi vult: non solum sani sed & ægroti medico opus habent.

Vers. 13. Πορευθέντες δὲ μάθετε) Eadem allegandi formula exstat in Tanchuma f. 42. col. 3. צא ולמד מאבימלך *ito, & discito de Abimelech.*

ἔλεον θέλω καὶ ϑυσίαν) Eſt locus *Hoſ.* VI. 6. cum quo verba hæc confert *Altingius* in Paralleliſmo Vaticiniorum p. 22. Tom. II. Opp. & *Surenhuſius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 223. ſeqq. qui oſtendit, veteres Hebræos ſæpe ſine formula allegandi ad Scripturæ loca ſe recepiſſe, atque illis ſtatim ita explicationem, qualis hic quoque datur, adjeciſſe, ac ſi ibidem legeretur. Chriſtum vero adjeciſſe eam ideo, ut doceret, quid ibi per חסד intelligatur, nempe non tantum liberalitas in erogandis eleemoſynis, quæ Phariſæorum erat ſententia, ſed & beneficentia & converſatio cum peccatoribus, eo fine, ut ad frugem convertantur. Confer *Guſſeti* Lexicon p. 274. Ipſum vero dictum hoc ἔλεον θέλω καὶ ϑυσίαν comparate plerique vertunt; *miſericordiam magis volo, quam ſacrificium;* cum quibus facit & *R. Simon.* Alii vero malunt ad literam interpretari, ita, ut ſacrificium, nempe ἄπιϛον, impium & hypocritum penitus rejiciatur. Utriusque ſententiæ patronos lege apud *Noldium* in Concordant. Particularum p. 979. B. Lutheri verſionem defendit *Raithius* in Vindiciis p. 344.

οὐ γὰρ ἦλθον) Vide huc *Arnaldi* Nouvelle defenſe de la Traduction du N. T. a Mons, lib. VIII. p. 154. ſqq.

καλέσαι δικαίους) i. e. hypocritas, qui juſti ſibi videntur: v. *Suicerum* Tom. I. p. 909.

καλέσαι τοὺς ἁμαρτωλοὺς) De voce ἁμαρτωλὸς lege huc *Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 86.

εἰς μετάνοιαν) Nonnulli Codd. & verſiones non habent, interque eas nec Gothica, ad quam vide *Mareſchalli* Obſervatt. p. 400. Hinc ex *Lucæ* V. 32. translatum huc putat *Millius*, adſtipulante *Pfaffio* Variant. Lect. N. T. p. 154. quemadmodum & in verſione ſua Gallica omiſit *R. Simon.* At cum & Marcus habeat II. 17. & antiquiſſimi Patres, quos *Millius* ipſe, plures autem *Whitbius*, loco mox citando, affert, ſenſus præterea omnino poſtulet, tenenda eſt hæc lectio cum *Mareſchallo* l. c. & *Whitbio* in Examine Var. Lect. p. 38. a. *Mareſchallus* inter cetera ita: *In hac ingrata diverſitate hoc præfidenter ſtatuendum: verba* εἰς μετάνοιαν *neceſſario ſubintelligenda ſunt iis in exemplaribus, quæ diſerte non agnoſcunt, in duobus locis* (Marci ſcil. & Matthæi) *modo citatis, quod abunde probatur ex altero parallelo Luc.* V. 32. *ubi totidem verbis legitur. Hoc autem comma integre referunt omnes ad unum Codices & verſiones qualescunque, inter quas & noſtra.*

Verſ. 14. νηϛεύομεν) De jejuniis Phariſæorum frequentibus diſſerit ad h. l. nonnihil *Scrarius* de Trihæreſio p. 36.

πολλὰ) i. e. πυκνὰ, *frequenter*, v. *Boiſius* in Collat. ad h. l.

Verſ. 15. μὴ δύνανται) i. e. *num debent?* aut: *num cum ratione debent?* Vid. *le Cene* in Projet p. 511. Conf. *Hackſpan.* in Notis ad h. l. p. 56. qui verti cupit, non præter rem: *num convenit, num decet?* De adagio ipſo confer *Schotti* Adagialia N. T. p. 24.

οἱ υἱοὶ

οἱ υἱοὶ τῆς νυμφῶνος) Vid. ad Luc. V. 34.

ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, καὶ τότε νηστεύσουσιν) Nonnulli hæc ad literam intelligunt, & inprimis interpretantur de diebus illis, quibus Christus in sepulchro fuit, & quos non solum tunc, sed & deinde quotannis, memoriæ causa, jejunio a discipulis transactos putant. Ita statuit *Beveregius* in Codice Canonum Vindicato, quæ in summa repetunt B. *Ittigius* in Dissert. de Hæresiarchis Apostolic. p. 206. sq. & *Amelius* Part. II. p. 227. sq. Sed veri est similius, Christum hic respicere abitum suum ad Patrem cœlestem, & subsecutas discipulorum calamitates, quæ illis dolendi causam passim suggerebant. Christus vero hic se comparat cum *sponso*, quo nomine eum veteres Hebræi appellant, præeuntibus *Psal.* XLV. *Hos.* II. & aliis V. T. locis, quos de Messia interpretari antiquos Judæorum Interpretes ostendit *Tillius* ad Psalmos p. 353. & *Amelius* l. c. qui & de υἱοῖς τῆς νυμφῶνος differit, de quibus nos ad *Marcum* II. 19. dicemus.

Vers. 16. οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου) *Boisius* in Collat. ad h. l. vertit per *particulam* vel *portiunculam panni rudis*, eo sensu: *nemo, qui sapit, ex rudi & recenti panno sumit, quod veteri & detrito addat: Nam, ut inquit Lucas, duplex hinc incommodum nascitur, primum, quod recens est, violatur, & deinde nova cum veteribus parum decore aut utiliter commiscentur.* Ῥάκος pannus est vilis: vide *Brissonium* de regno Vett. Persarum p. 70. & *Casaubonum* ad Suetonii Augustum p. 85. ἄγναφον dicitur, quod fullonem nondum est expertum: vide *Dieterici* Antiquitates N. T. p. 28. De more ipso vestimenta trita resarciendi & reficiendi, quod Belgæ utrumque lappen & stoppen dicunt, vide *Braunium* de Vestitu Sacerdotum Hebr. p. 339.

αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου) *Boisius* l. c. monet, se, nisi *Marcus* obstaret, τὸ πλήρωμα quarti casus esse putaturum, hoc sensu: *tollit* (sc. vestium consarcinator) *supplementum ejus*, (sc. vestimenti veteris) *e vestimento* (sc. novo) *& fit pejor scissura* i. e. scinditur novus pannus veteris vestimenti. Aliorum interpretationes lege apud *Amelium* Part. I. p. 266. His addidit aliam *Hombergius* p. 38. sq. qui totum hoc comma ita vertit: *Nemo superinjicit vestem panni impoliti* (vel vestem impolitam) *vestimento veteri: tollit enim integritas illius* (novi scilicet) *a vestimento* (veteri) *& pessimum fit dissidium.* Ex quo patet, eum τὸ ἐπιβάλλειν non de *adjectione ad justam mensuram*, aut *supplemento ejus, cui deerat aliquid*, sed de *superadditamento seu superinjectione*, ἐπίβλημα verbo de *vestimento exteriori*, ac ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου simpliciter de veste nova & impolita, duobus substantivis ejusdem sensus conjunctis, explicare. Sensum tandem hunc elicit, quod, si novum vestimentum insuatur veteri, hoc ab illo magis deteratur, sicque fiat, ut illa male conveniant, & appareat, nova cum veteribus non esse combinanda. Singula ista examinare hic non licet. Id tantum monere fas sit, interpretationem hanc vix conciliari posse cum verbis *Lucæ* V. 36. εἰ δὲ μή γε, καὶ τὸ καινὸν σχίζει, καὶ τῷ παλαιῷ

παλαιῷ δὲ συμφωνεῖ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. Ibi enim manifeste, duo diversa incommoda hinc oritura, inferuntur, nempe, quod novum *findat, scindat, rumpat*, & quod veteri illi supplementum, a novo desumtum, non concordet. Ex quo patet, τὸ χίζειν, ac deinde χίσμα omnino hic sumi debere pro *fissura*, non autem de *dissensione* seu *dissidio*, quippe quod deinde sequentibus verbis a Luca exponitur. Prævidit, ni fallor, hanc exceptionem Vir doctus, eamque p. 41. deluere eo conatus est, quod ista ultima verba καὶ τῷ παλαιῷ δὲ συμφωνεῖ &c. pro explicatione verborum proxime antecedentium habenda putat. At repetitum illud καὶ hunc sensum omnino non patitur. Taceo, vocem χίσμα proprie *fissuram* seu *sciissuram* inferre, atque adeo, ubi de rebus, eam admittentibus, quo omnino & vestes pertinent, sermo est, ad denotandum *dissidium* seu *differentiam*, quæ tralatitia & moralis notio est, trahi non debere. Ceterum, quocunque demum modo versum hunc convertas, manifestum erit, Christum id sibi velle; vetera illa majorum instituta ceremonialia non amplius doctrinæ Evangelicæ, quippe recens promulgatæ, & ab Apostolis receptæ, tanquam necessario observanda jungi debere, instar supplementi necessarii: periculum enim esse, ne alterum alteri noceat, & fraudi sit. Hanc Christi scopum fusius explanat *van Til* in Commentario ad h. l. p. 353. & ex eo *Amelius* p. 265. sqq. De Adagio hoc v. *Schotti* Adagialia N. Test. p. 25. Quod *Marcion* ex hoc loco duo diversa Principia V. & N. Testamenti exculpere conatus sit, vix credidisset quisquam, nisi luculenta veterum testimonia in hanc rem exstarent. Vide *Wetsteinium* ad Origen. p. 47.

Vers. 17. Οὐδὲ βάλλουσιν οἶνον νέον) v. *Schotti* Adagialia N. T. p. 25. Phrasi eadem utitur *Arrianus*, monente *Raphelio* in Annotatt. Polybian. ad h. l.

εἰς ἀσκοὺς παλαιούς) i. e. *utres coriaceos*, quibus veteres pro vasis utebantur: unde & utres diserte in versione exprimendos esse recte monuit *le Cene* in Projet p. 275. & *Martianæus*, quod & scite fecit B. *Lutherus*. De ritu ipso lege, post *Casaubonum* ad Athenæum, *Abrah. Scultetum* in Exercitatt. Evangel. ad h. l. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblic. p. 310. & 329. Sententia comparationis hujus eadem est, quæ prioris v. 16. nempe nova cum veteribus non imprudenter conjungenda esse. Ad eundem enim scopum utraque similitudo hic refertur. Itaque non putem audiendum *Scaligerum* in Scaligeranis p. 328. putantem, notari hic, *nihil esse violenter faciendum*. Quæ amplius illustrat his verbis: *Vos vinum prius finitis ebullire & quiescere, tum ponitur in utribus veteribus; ita discipuli, dum me habent, possunt lætari, juveniliter exsultare, & cum non amplius ero cum ipsis, tunc jejunabunt & affligentur, ubi ebulliverint juventutem suam, tunc erit tempus, ut affligantur. Ita vesti veteri priusquam apponatis panni partem novam, illam oportet inveterascere, ne quid violenti fiat.* Veterum nonnulli parabolicam hanc locutionem ita accipiunt, quod discipuli Christi utpote adhuc infirmi, nondum adigendi sint ad severiorem

rem disciplinam, cui ferendæ adhuc fuerint impares. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 550.

Vers. 18. sqq. Diversam esse hanc narrationem ab ea, quæ *Marc.* V. & *Luc.* VIII. exstat, statuit *Masius* Tom. II. Supplementi Criticorum Sacr. ad h. l. Sed recte is ab omnibus, quos sciam, Interpretibus deseritur. Lege inprimis contra hanc sententiam differentem ex nostratibus *Chemnitium* in Harmonia p. 1249. sq.

Ἰδὲ, ἄρχων ἐλθὼν προσεκύνει αὐτῷ) Ad hæc verba lege *Sauerbreyii* Programma singulare, quod exstat in *Gabr. Ternii* Sylloge Programmatum I. p. 397. sqq.

ὅτι ἡ θυγάτηρ μου ἄρτι ἐτελεύτησεν) τὸ ὅτι hic ex more Græcorum Scriptorum pleonasticum esse, nemo, credo, negaverit. Xenophontem ita passim locutum esse, ostendit *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 26. Phrasin hanc *Matthæi* alia exprimit *Marcus* V. 23. τὸ θυγάτριόν μου ἐσχάτως ἔχει, i. e. *filiola mea animam agit*, quam ut cum altera ista conciliarent, Interpretes varias vias ingressi sunt. Potiores conciliandi modos attulit & examinavit *Olearius* in Obss. ad h. l. p. 266. sqq. *Nortonus Knatchbullus* verti vult: *filia mea prope defuncta est*, qui τὸ ἄρτι *vicinum* aliquid, & quod prope futurum sit, inferre auctoritate *Phavorini* existimat. Sed vide occurrentem ipsi *Olearium* p. 269. qui & p. 268. satis evicit, τὸ ἄρτι semper vel *præsens*, vel *præteritum* tempus inferre. Atque prius illud hic innui eidem videtur hoc sensu: *filia mea jam moritur*, vel *animam agit*. Aoristum enim non præteritum tempus præcise, sed tempus indefinite, atque adeo etiam præsens denotare, quale quid etiam hic usu venire ex *Luc.* VIII. 41. patere putat, ubi de eadem puella dicitur: καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν, i. e. *& illa moriebatur*, seu *animam agebat*. *Kuhnius* in Pentade II. p. 8. contra *Knatchbullum* disputans, propriæ verbi & temporis hujus notioni insistendum esse arbitratur, & ἐναντιοφάνειαν utriusque Evangelistæ tollit, observans, *Matthæum*, omnia συντόμως sine ordine circumstantiarum narraturum, non potuisse melius & succinctius agere, quam si ipsi Parenti daret nuncium mortis filiolæ suæ, atque ita modo mortuam, modo vitæ restitutam puellam mira brevitate complecti. Mihi res ita concipienda videtur. Pater filiæ, morti proximæ, procul dubio conjecit, eam, dum viam ad Christum conficeret, obiisse: hanc itaque conjecturam suam proposuisse merito existimatur. Eam *Marcus* clare exprimit, hæc ipsi verba tribuens: ἐν ἐσχάτοις ἔχει. *Matthæus* vero obscurius, sed ita, ac si Germanice diceres: meine Tochter wird jetzo gestorben seyn. Huc tendit post *Grotium Rich. Simon* in Notis.

Vers. 20. αἱμορροοῦσα) De ea vide *Bartholinum* de morbis Biblicis c. XVII. in Fasciculo V. Opuscul. Philologic. p. 480. sq. *Wedelium* in Exercitatt. Medico-Philolog. Cent. II. Dec. V. p. 45. sq. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 57. nec non *Fesselii* Adversar. Sacra lib. II. c. 29. p. 182. Diversa est ab ea, quam Talmudici appellant נדה. Vide *Nidda* X. 4. & confer

Relandum in Antiquitatt. Hebr. p. 77. Eam a nonnullis veterum vocari *Veronicam*, oſtendit *Fabricius* ad Cod. Apocryph. N. T. Tom. I. p. 252.

ἥψατο τῆς κρασπέδου) *Saubertus* in Palæſtra p. 101. hic intelligit ציצית ſive *peniculamenta* Judæis recepta. Idem fere viſum eſt *Jac. Cappello.* Vide ejus Opera p. 638. b.

Verſ. 21. ἐὰν μόνον ἅψωμαι) Hinc nonnulli eam feminæ opinionem elicere conati ſunt, quod ſanationem Chriſto quaſi clam ſurrepturam ſe crederet. Sed vide, quæ dicemus ad Marc. V.

Verſ. 22. θάρσει θύγατερ) *confide filia.* Ea compellandi ratio Orientalibus inprimis recepta, nec Græcis, ſpeciatim Homero, inſolens eſt: vide huc Cl. *Rich. Bentley* in Diſſert. de epiſtolis Phalaridis p. 413.

σέσωκέ σε) *Robinſonus* in Endoxis p. 91. obſervat, ex his verbis nonnullos efficere conatos, quod Chriſtus miracula non fecerit, niſi fidem invenerit vel in ipſis, quorum commodo inſervire debebant, vel in aliis, eorum commodum quærentibus. Id quod ipſe negat, allatis eorum exemplis, qui Matth. 27. Chriſto mortuo reſuſcitati dicuntur, apud quos certe fidem fruſtra præſtruas. Sed hoc quidem exemplum huc pertinere non videtur, cum in eos eo tempore, quo per miraculum excitabantur, fides cadere non potuerit, quæ in vivis eſſe, adeoque & a Chriſto requiri poterat. Ceterum veteres Scriptores paſſim enarrant, αἱμορῤῥοοῦσαν hanc grati animi cauſa ſtatuam Chriſto poſuiſſe. Vide inprimis *Euſeb.* VII. 18. Hiſt. Eccleſ. ex quo repetit *Fabricius* in Codice Apocr. N. T. Part. III. p. 445. ſqq. apud quem tum alia huc pertinentia, tum eos etiam p. 449. laudatos videbis, qui ejusdem rei meminerunt. Ibidem legis etiam p. 449. ſqq. epiſtolam, quam eadem, ut ſibi id facere liceret, ad Herodem ſcripſiſſe dicitur a *Malela* in Chronographia p. 305. ſqq. Sed illam ſuppoſitam eſſe poſt alios, quos & appellat, variis argumentis evincit *Gottfr. Olearius* ad Matthæum p. 273. ſqq. qui tamen de ſtatua, quam iidem fere Viri exſtitiſſe negarunt, quamque in dubium etiam vocat *Triglandius* in Diſſertat. de Karæis p. 178. benignius ſentit, ejusque veritatem contra *Dallæum*, de Cultu Imaginum III. 2. graviter impugnantem, vindicare conatur p. 277. ſq. Non rejicienda hic veterum fides viſa quoque eſt *Chemnitio* in Examine Concil. Trident. Part. IV. & *Forbeſio* lib. VII. c. 10. Inſtruct. Conf. etiam B. *Ittigii* Selecta Capita Hiſt. Eccleſ. Sec. I. p. 235. ſqq. Totam hanc de ſtatua hiſtoriam copioſiſſime exponit *Philoſtorgius* Hiſt. Eccleſ. lib. VII. p. 87. & ad eum Gothofredus, ex quo præcipua capita repetiit *Suicerus* Tom. I. p. 116. ſqq.

Verſ. 23. τοὺς αὐλητὰς) Poſt hanc vocem Interpres *Gothicus* addit: *& buccinatores buccinantes*, quod, quorſum addiderit, nuſpiam niſi in hoc uno Codice repertum, ignorare ſe profitetur *Marejchallus* p. 401. Morem illum tubis

tubis vel tibiis cohoneſtandi funera, non minus Judæis, quam Græcis & Romanis receptum fuiſſe jampridem eſt oſtenſum. De Judæis ſpeciatim vide *Geierum* de Luctu Ebræorum cap. V. §. 16. *Dilherrum* in Diſputatt. Academic. Tom. I. p. 197. & in Farragine rituum lib. II. c. 21. & *Lamium* in Harmonia p. 177. De ceteris *Hammondum* ad h. l. *Corn. Adamum* Obſſ. p. 134. *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. *Dougtæum* Anal. N. T. p. 12. ſq. *Magium* in Miſcell. II. c. 13. Tom. II. Theſauri Critici p. 1295. *Caſp. Bartholinum* de Tibiis veterum p. 274. ſq. *d' Outrein* in Commentar. in parabolam de filio prodigo §. 44. & in Obſervatt. Miſcellan. p. 201. *Urſinum* in Analect. I. p. 9. *Joſ. Arndium* in Miſcellan. p. 97. & noviſſime *Jo. Zach. Hilligerum* in ſingulari Diſſert. de αὐλητταῖς in funere adhibitis, Wittenberg. 1717. De eo vero diſputatur, utrum hæc conſuetudo ab Hebræis ad gentes, an ab his ad illos, pervenerit. Utriusque ſententiæ patronos allegat *Geierus* l. c. & *Pfeiferus* in Antiquit. Hebr. IV. 4. Ceterum *Hammondus* ad h. l. *Schickardus* de Jure Regio Hebr. p. 418. *Quenſtedius* de Sepultura vett. c. 6. *Barthol. Meyerus*, *Kippingius* Antiq. Rom. IV. 6. *Lacerda* in Adverſariis p. 368. ritum eſſe ſtatuunt origine gentilem: quamvis idem *Lacerda*, dubius de hoc argumento, p. 499. moneat, fortaſſe ex Hebræis gentiles didiciſſe. Negant vero id ex noſtratibus *Chytræus*, ex ceteris *Grotius*, aliique. Mihi quidem origo apud Gentiles quærenda videtur, cum in V. T. tabulis illius ritus veſtigia non exſtent, cetera vero, quæ ex *Joſepho* de Bello Judaico III. 15. & Miſchnicis monimentis afferuntur, exempla omnino juniora ſint illis teſtimoniis, quæ antiquitas profana ſuppeditat.

Fuerunt, qui hos αὐλητὰς non de *tubicinibus*, ſed *tibicinibus* acciperent, ideo, quod illos primariis & majoribus funeribus, hos autem minoris ætatis, quale hoc fuerit, adhiberi conſueviſſe veteres teſtentur. Vide *Hier. Magium*, & *Mareſchallum* ll. cc. itemque *Knatchbullum* ad h. l. Sed diſcrimen hoc non fuiſſe obſervatum, oſtendit B. *Nicolai* de Luctu Græcorum c. IX. §. 21.

τὸν ὄχλον θορυβούμενον) De præficis accipit *Bartholinus* l. c.

Verſ. 24. τὸ κοράσιον) Vocem Græcam non eſſe exiſtimat *Crojus* in Obſervatt. Sac. p. 267. Sic quoque *Olearius* de Stylo N. T. p. 283. Sed vide in contrariam ſententiam *Schwarzii* notas ad l. c.

καθεύδει) Tralatitium eſt & pervulgatum, mortem dici *ſomnum*, & mori *dormire*. Vide tamen *Quenſtedium* de Sepultura veterum cap. VII. & Biblioth. Bremenſ. Tom. V. p. 872. ſqq.

Verſ. 27. vide V. H. *Vogler.* de rebus naturalibus p. 290. ſqq.

Verſ. 30. καὶ ἀνεῴχθησαν αὐτῶν οἱ ὀφθαλμοὶ) Phraſis eſt Hebraica, de qua legatur *Vorſtius* Part. II. Philolog. Sac. p. 226.

ἐνεβριμήσατο) i. e. *ſevere*, *vehementer objurgavit*, ut *Suidas* exponit. Vide huc *Suicerum* Tom. I. p. 1099.

ὁρᾶτε, μηδεὶς γινωσκέτω) Causas mandati de non divulgando hoc miraculo alii alias attulerunt. *Episcopio* judice in Respons. ad LXIV. Quæstiones, quæst. XI. Christum ideo vetuisse putat, quod intra privatos parietes illud patrasset, fraudis autem suspicio videri potuisset subesse, si illud divulgari pateretur, sufficerentque præterea, quæ jam antea patraverat, miracula. In eandem sententiam pronunciat *Witsius* in Meletematibus p. 350.

Vers. 30. Vide V. H. *Voglerum* de rebus natural. p. 285. sq. 297. sqq.

Vers. 31. διεφήμισαν αὐτὸν) *dissiparunt famam ejus.* Ita *Boisius* in Collat. ad h. l.

Vers. 32. ἄνθρωπον κωφὸν) Gothicus vertit: *hominem surdum*, observante *Mareschallo* p. 402. Scilicet κωφὸς denotat & *surdum* & *mutum*, quemadmodum *Hesychius* scribit: κωφὸς ἔτε λαλῶν ἔτε ἀκέων. Adde *Suicerum* Tom. II. p. 203.

Vers. 33. ὅτι οὐδέποτε) Deest ὅτι in Codd. nonnullis & editionibus, scilicet, quod abundare videretur. Sed sic etiam in plurimis aliis locis, in quibus eadem vox πλεονάζει, omittenda erat.

Vers. 34. ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων) Profani quoque Scriptores δαιμόνιον κόρανον, ἡγεμόνα &c. nominant. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 49.

Vers. 35. καὶ τὰς κώμας) *castella* vertit Vulg. approbante *Boisio* in Collat. Confer etiam *Raphel.* in Notis Polybian. p. 58. qui observat, non male forsitan interdum ita ab eo verti, quia sic oppida minuta, sed mœnibus cincta, appellentur, quod contra *Henr. Stephanum* ibidem ex *Arriano* probat, a quo & κῶμαι a πόλεσι distinguantur.

ἐν τῷ λαῷ) In nonnullis Codd. non legitur, & propterea cap. IV. 23 huc relatum putat *Millius*, sicut & *Rich. Simon* in versione sua Gallica omisit. *Whitbius* vicissim in Examine p. 38. necessario hæc subaudienda esse monet, cum nullos, præter populi, labores & infirmitates curaverit Christus.

Vers. 36. ἐσπλαγχνίσθη) De verbo σπλαγχνίζομαι vide *Eckardi* Technicam Sacram p. 129. & *Joh. Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 29. *Beza* vertit: *commiseratione intima commotus est*, improbante *Boisio* in Collat. qui illud Vulgati *misertus est* retineri mavult. Confer R. *Simonem* de Version. Nov. Test. p. 448. qui eandem interpretationem, in versione Gall. Montensi exstantem, minus probat.

ἐκλελυμένοι) Multi Codd. a *Millio* citati, quibus & unus meus, de quo Tom. III. Anecdotorum sacrorum, accedit, legunt ἐσκυλμένοι, atque hoc probat

probat *Millius* post *Grotium* & *Boisium* in Collatione p. III. ad Marci V. H. *Stephanum* in præfat. ad Herodianum, item *Suicerum* Tom. II. p. 981. *Alexandr. Morum* & *Hammondum*, sed eum dubium ad h. l. Idem Millius præter auctoritatem Codicum affert etiam hoc, quod τὸ ἐκλελυμένοι videatur esse interpretamentum τῶ ἐσκυλμένοι, tanquam vocis ignotioris ex margine in contextum relatum. Tuetur communem lectionem præter *Whitbium* in Examine p. 38. *Elsnerus* in Obss. ad h. l. p. 48. quemadmodum nec *Hombergius* deserit. Video vero inter hos de vera vocis ἐκλελυμένοι significatione pugnam esse. *Hombergius* p. 42. *Bezam* non probat, qui verti vult *dissipati*, eo quod a proprio significatu verbi recedat. Ipse igitur mavult convertere: *remissi*, *languidi*, *enervati*. At pro *Beza* contra eum hic stat *Elsnerus* p. 50. atque, ea notione retenta, vindicari tantum posse putat receptam lectionem. Nec negari potest, & ipsum, & *Hammondum* ad h. l. idoneis locis probasse, hunc significatum verbo isti subjici posse. At nec illud quoque negat vir doctus, quod ad animum translatum *remissum* & *languidum* inferat. Imo addi poterat ad corporis quoque defatigationem referri. Utrumque ex *Polybio* probavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 59. Is enim p. 980. ait, προεκλῦσαι τῶ κόπω τὰ σώματα τῶν πολεμίων i. e. *hostium corpora ante pugnam fatigare*. jam dum recogito in Novo Instrumento nunquam hoc verbum nisi de languore *corporis*, ut infra XV. 32. & *Marc.* VIII. 3. aut *animi*, ut *Gal.* VI. 9. & Hebr. XII. 3. usurpari, caussam non video, cur ab ea hic recedamus. Facile autem patet, *Matth.* XV. 32. & *Marc.* VIII. 3. non posse de *dispersione* accipi. Priori enim loco Christus ait: καὶ ἀπολῦσαι αὐτὰς νήστεις οὐ θέλω, μήποτε ἐκλυθῶσιν ἐν τῆ ὁδῶ. Nonne jejunium & inedia *languorem corporis* propius, quam *dispersionem* infert? Posterio i loco eandem caussam affert Christus, & præterea addit: τινὲς γὰρ αὐτῶν μακρόθεν ἥκασι. Nonne intelligis, ex longitudine viæ, a nonnullis conficiendæ, Christum magis veritum esse, ne præ inedia in languorem inciderent, quam ne hinc inde dispergerentur, & vagarentur? Unicuique enim certe viæ suæ ratio constabat. Accedit locus 2. Sam. XVII. 29. ubi ὁ λαὸς πεινῶν καὶ ἐκλελυμένος i. e. *populus esuriens & defessus* memoratur. Persistamus igitur in ista *languoris* & *remissionis*, atque ejus speciatim, quæ ad animum pertinet, notione, quam & B. Lutherus retinuit, & illi quoque spectasse videntur, qui hic ἐσκυλμένοι, i. e. *fatigati* legunt. Confer *Raphelium* ad h. l. qui homines hic ἐκλελυμένους dici credit, ideo, quod Pharisæi animos eorum enervarent frigida Propheticorum scriptorum tractatione, maxime vero frivolis traditionum nugis. Unum est, quod *Elsnerum* p. 50. obiter objicere video, nempe oves, absente pastore, non necessario semper langueiscere, quemadmodum vicissim dissipentur. Enim vero cum pastorum cura sit, non solum, ut recta via, sed ut ad pascua ducantur, patet, utriusque defectum a pastoris absentia inferri. Quod ad *Millium* attinet, glossema opinantem esse τὸ ἐκλελυμένοι vocis ἐσκυλμένοι, non videtur Vir doctus animo repetiisse, τὸ σκύλλειν vocem adeo insolentem non esse, cum

triplici vice in Nov. Teſt. occurrat, v. c. *Marc.* V. 35. *Luc.* VII. 6. & VIII. 49. Hæc in B. *Lutheri* noſtri & ipſius veritatis gratiam nonnihil fuſius ediſſerenda putavi.

ἐῤῥιμμένοι) *Beza* vertit: *disjecti*: *Alex. Morus* ad h. l. *jactati*: Keuchenius: *abjecti* ſive *contemti*: Hombergius: *projecti in terram*: Elsnerus: *projecti*, aut *abjecti* palantiumque luporum i. e. pernicioſorum hominum inſultibus expoſiti. Mihi quidem palandi & oberrandi notio hic maxime accommodata videtur, quam *Raphelius* l. c. p. 60. ex *Polybio* probat p. 546. ubi hoſtes *palati* atque *ebrii* vocantur ἐῤῥιμμένοι καὶ μεθύοντες. Atque ſic ſapienter duo incommoda exponuntur, quæ in oves, paſtore deſtitutas, cadunt, nempe inedia atque hinc conſequens languor, atque diſſipatio & varii viæ errores.

ὥσει πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα) Hæc verba cum *Jerem.* XXIII. 1-4. 1. Regg. XXII. 17. confert *Altingius* in Parallelismo Vaticiniorum V. T. p. 22. Tom. II. Opp.

Verſ. 37. 38. Vide huc *Jo. d'Outrein* Bibelſche Keurſtoffen p. 457-490.

ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς) v. *Schotti* Adagialia N. T. p. 26. *Boiſius* in Collat. explicat: multi ſunt, qui doceantur, ſed pauci, qui doceant.

Verſ. 38. ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας) *Hombergius* p. 43, relatis variis verbi ἐκβάλλω ſignificationibus, monet, hic vulgarem *emittendi* ſignificatum ſine ulla emphaſi, quaſi operarii celeriter mittendi ſint in opus Dei, vel etiam inviti & cunctantes extrudendi, obtinere. Confer, quæ ad hanc obſervationem monuit *Wæchtlerus* in Actis Erudit. an. 1712. p. 516. ubi inter cetera hæc legas: Sicut non repugnat, paſtorem ἐκβάλλειν τὰ ἴδια πρόβατα, i. e. *totum gregem*, v. c. *mille ovium* Joh. X. 4. ita conſentaneum etiam eſt, rogari Dominum meſſis, ὅπως ἐκβάλῃ ἐργάτας multos in meſſem ſuam, tam amplam utpote & copioſam, ut a paucis operariis non poſſit adminiſtrari, ſed exercitum quaſi aliquem requirat, emphaſi ex Pſ. LXVIII. 12. repetenda. Adde quæ ſcribentur ad Joh. X. 4. Ad copiam operariorum hic reſpici, oſtendit quoque *Jo. d'Outrein* in Bibelſche Keurſtoffen p. 472. variis allatis rationibus, quibus aliam addit *Almeloveenius* in Biblioth. Bremenſi Tom. III. p. 251. monens, quia de ſatis ſermo ſit, forte metaphoram deſumtam eſſe a ſparſione ſeminis, adeo, ut quaſi plena manu inſtar ſeminum projiceret dominus. Alii violentiam hic innui atque adeo difficultatem muneris Paſtoralis ſubindicari cenſent, quorſum vide Heb-Opfer XII. Beytrag p. 112. ſqq. Ἐργάτας hic ſervi ſunt, quos Dominus pro lubitu mittere poſſit, obſervante *Keuchenio* ad h. l.

CAP.

CAP. X.

Vers. 1. ἐξουσίαν πνευμάτων) i. e. *potestatem in spiritus.* Ita *Polybius* apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 60. & alii apud *Hombergium* p. 43. & *Stolbergium* ad Ajacem p. 235. Ut proinde non opus sit præpositione κατὰ, quam nonnulli Codd. hic exhibent, procul dubio ex interpretamento marginali, quod & *Millius* hic agnoscit. Luculentus est *Polybii* locus p. 1416. παραλαβὼν τὴν τῶν χρημάτων ἐξουσίαν.

ὥστε ἐκβάλλειν) Habet hic particula ὥστε vim declarandi, qualis illa sit in spiritus immundos potestas, observante *Raphelio* l. c.

Vers. 2. πρῶτος) Ordinem hic, non vero dignitatem inferri, adeoque primatum Petri, a Pontificiis huic loco superstrui solitum, nullum esse, ostendit *Hackspanius* ad h. l. p. 57. & *Saubertus* in Operibus Posthumis p. 138. Patrum appellationes & elogia, in Petrum ex ordine hoc collata, lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 706. sq. Euthymio primus hic appellari Petrus visus est, tum quod Andream fratrem suum annis superaret, tum quod ceteris omnibus animo esset superior. Conf. *Rich. Simonis* Hist. Crit. lib. III. p. 413. qui idem p. 757. recte animadvertit in Bezam, in notis ad h. l. suspicantem, vocem πρῶτος ab aliquo textui, ad Papæ primatum stabiliendum, additam esse.

Vers. 3. Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς) Hæc, quia in *Vulg. Copt.* & *Hieron.* (qui tamen alibi lectum ait, & in lib. de Nominibus Hebr. explicat) desunt, ex scholio marginali nata putat, & loco etiam non suo addita, *Millius* in Prolegom. §. 386. his usus verbis: *Infertum illud haud aliud est, quam studiosi cujusdam scholion, qui e regione τῷ* Ματθαῖος *adnotarat in margine* ἐπικληθεὶς Λεββαῖος, *quo significatum volebat, Matthæum hunc publicanum illum esse, qui Marco & Lucæ* Λευὶ *seu* Λεββαῖος *dicitur. In hoc incidens scriba, cum partem textus esse crederet, neque vero sciret, ad quam præcise partem spectaret, voces hasce transpositas conjecit in corpus libri, loco non suo.* Enimvero nimis hoc puto temerarium, constanti omnium Codicum Græcorum, Oriental. item versionum, consensui opponere duas versiones, & unum sequi Hieronymum, eumque sibi ipsi non constantem. Cur non potius acquiescimus in verbis *Origenis*, quæ leguntur in præfatione explanationis ejus in epist. ad Romanos? *Matthæus in Catalogo Apostolorum dicit* Jacobus Alphæi & Lebbæus; *Marcus* Jacobus, Alphæi, & Thaddæus; *Lucas vero ita posuit:* Jacobus, & Judas Jacobi. *Igitur eundem, quem Matthæus* Lebbæum, *Marcus* Thaddæum *dixit*, Lucas *Judam Jacobi scripsit. Certum est autem, Evangelistas non errasse in nominibus Apostolorum, sed quia moris erat, binis vel ternis nominibus uti Hebræos, unius & ejusdem viri diversa singuli nominum vocabula posuere.* Sic & Hieronymus: *Thaddæus Apostolus ab Evangelista Luca Judas Jacobi dicitur, & alibi appellatur Lebbæus, credendumque est, eum fuisse trinomium.* Confer. *Whitbius* in Exami-

Examine ad h. l. p. 38. Inprimis vero miror, Millium hæc verba Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς ad Matthæum, ſcholii inſtar, in margine ſcriptum opinari. Præterquam enim quod ſic in verbis ipſis aliquid mutatur, pro certo ponitur, Λευὶν ſeu Λεββαῖον a Marco memoratum, eundem eſſe cum Matthæo, quod tam certum non eſſe oſtendemus ad *Marc.* II. 14. Non diſplicent alioquin *Lamii* verba in Harmonia p. 183. ita ſcribentis: *Ex collatione Evangeliſtarum ille Thaddæus ipſe eſt, qui Judas dicebatur. Cauſam ſupra dedimus, cur Judæ nomen mutaretur in Thaddæum. Idem autem cognominari potuit* Λεββαῖος, *Lebbæus* לב *a* לבי *cor, quaſi dicas virum cordatum:* vel a לביא *leone, per alluſionem ad vaticinium Jacobi, qui de Juda vaticinatus erat, eum fore catulum leonis. Alii volunt, Judam dictum Lebbæum a Lebba, oppido Galilææ, cujus meminit Plinius.*

Verſ. 4. Σίμων ὁ Κανανίτης) Alii Codd. legunt hic Καναναῖος vel Καννᾶιος vel Χαναναῖος. Atque hinc quidam adducti ſunt, ut ſcribendum putarent Καννίτης. Primus, ni fallor, ita ſtatuit *Caninius* de Locis N. T. p. 67. qui ita: *Simon* Cananæus *perperam ſcribitur a Latinis, cum ſcribendum procul dubio ſit* Cannæus *vel* Cannita, *ut Græce quoque* Καννίτης, *niſi Evangeliſtis credere nolumus, qui* ζηλωτὴν, Zelotem *vel* æmulatorem *interpretantur. Porro* Zelator *Hebraice & Syriace dicitur* קנא. *Scribendum ergo Latine* Cannæus *vel* Cannita, *Græce* Καννίτης. *Nam Cananæorum nomen, quod crebrum eſt in Scripturis, librariis parum doctis impoſuit.* Eum ſequitur *Boiſſius* in Collatione p. 28. qui etiam pro ſe tanquam ὁμοψήφου affert *Scaligerum* in Elencho Trihæreſii c. 1. & 2 & *Caſaubonum* adverſus Baronium. Cum iisdem facit *Suicerus* Tom. II. p. 960. Neque dubitandum ipſe puto, Κανανίτην, qui in plerisque Codicibus tum hoc loco, tum *Marc.* III. 18. & *Act.* I. 13. vocatur, non tanquam ex χαναὰν vel Κανὰ derivatum de patria interpretandum eſſe, ſed potius ex Hebræo קנא, quod *Zelum* infert, quia primo quidem incertum eſt, Apoſtolum hunc inde ortum fuiſſe, deinde vero *Matth.* XV. 22. γυνὴ χαναναῖα, & alibi χαναναῖον, ubi de locis his ſermo eſt, ſcribitur, denique vero *Luc.* VI. 15. noſter hic Simon diſerte ζηλωτὴς vocatur. Atque hanc etymi rationem propterea & alii hic luadent retinendam, ut *Seldenus* de Jure Nat. & Gent. lib. IV. c. 4. *Saldenus* in Otiis Theolog. lib. IV. Exerc. I. §. 17. *Colomeſius* p. 149. Obſſ. Sacr. *Knatchbullus* ad h. l. *Keuchenius* item, & *Lydius* in Florum Sparſione p. 81. nec non *Schindlerus* in Lexico Pentagl. p. 1627. Neque tamen propterea opus eſt, ut quidquam in ſcriptione mutetur. Qui enim meminerit, cui varietati in pronunciando aut ſcribendo Nomina Propria obnoxia ſint, is non mirabitur, eundem nunc Cananitam, nunc Cannitam, nunc Cannæum appellari, habito tamen ubique ad eandem originem reſpectu.

Ἰούδας ὁ Ἰσκαριώτης) Nominis hujus rationes varii varias reddiderunt, cum tædio hic non repetendas. Vide eas, ſi placet, apud *Pfeiferum* in Opp. Philolog. p. 475. *Saubertum* Var. Lect. in Matthæum p. 253. *Caninium* de Locis N. T. & *Montacut.* II. Originum Eccl. p. 128. Ceteris præferenda omnino eſt, quæ

quæ & plerosque invenit approbatores, quæ nempe Ἰσκαριώτην quasi איש קריות i. e. *Cariothæum* seu *Cariothensem* ab oppido Jos. XV. 25. dictum tradit. Ita statuunt *Caninius*, *Drusius*, *Beza*, qui quinquies in Codice suo N. T. Græco legi refert ἀπὸ τῆ Καριωτ, *Saldenus* in Otiis p. 369. aliique. *Bartoloccius* Tom. III. Biblioth. Rabbin. p. 10. sq & p. 22. sq. speciatim dictum ait a loco seu planitie urbis Jerichuntinæ, quæ *caryothis* seu palmulis abundarit.

Vers. 5. εἰς ὁδὸν ἐθνῶν) Per ἔθνη hic intelliguntur per Hebraismum Gentiles: vide *Vorstii* Philolog. S. Part. I. p. 34. *Suicerum* Tom. I. p. 1006. qui cur dicantur pagani &c. ostendunt *Vossius* Etymolog. voce *Pagus*, *Rittershusius* ad Salvianum p. 565. & *Dilherrus* Elect. II. 6.

εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν) De Samaritanis alibi dicemus. Vide interim huc *Suicerum* Tom. II. p. 925. sqq.

Vers. 7. ἤγγικεν) Hombergius p. 144. pessime putat verti: *appropinquavit*, quia præteritum hic pro præsenti ponatur, adeoque reddi vult: *appropinquat*: quem sensum meliorem esse opinatur. Neque tamen video, quomodo erret, qui regnum gratiæ etiam tunc per præconium, a Johanne & Christo factum, jam *appropinquasse* i. e. Judæis annunciatum esse dixerit.

Vers. 8. νεκροὺς ἐγείρετε) Desunt hæc in variis Codd. & versionibus, unde & *R. Simon* ea expellit in Novis Obss. p. 244. & *Millius* ad h. l. ex *Matth.* XI. 5. huc revocata putat, cum neminem ante Christi resurrectionem ab Apostolis vitæ redditum legamus. At cum antiquissimæ versiones, *Vulg.* scilicet & *Syriaca* ea exhibeant, unde ea, & ab ipsis Christianissimi principiis jam adfuisse Millius fatetur, merito ut genuina vindicantur. Ratio a Viro docto allata, si quid valeret, efficeret, ut & illa verba: λεπροὺς καθαρίζετε, suspecta habeamus, cum nec leprosorum, ab Apostolis sanatorum, mentio occurrat. Et cur non ea quoque momenta commemorata hic dici possunt a Christo, quæ non statim se exseruerunt, ut tantum intelligerent discipuli, qua potestate essent instructi?

δωρεὰν ἐλάβετε) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 26. Hebræorum dicta de Lege non scripta, gratis docenda, lege apud *Cappellum* in Spicileg. Notarum ad h. l. p. 18. ubi etiam alia huc pertinentia. De beneficiis, sine præmio collatis, differit hic ex veteribus *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

Vers. 9. Μὴ κτήσησθε) Vulg. *nolite possidere*, quem tueri conatur *Boisius* ad h. l. ut idem sit, quod: nolite habere aut portare aurum in balteis vestris. Sic *Luc.* IX. 3. & X. 4. Interim malim cum *Beza*: *ne comparate*. Confer *Hombergium* p. 44.

εἰς τὰς ζώνας ὑμῶν) De Zonis cavis apud Hebræos eo fine receptis, ut pecunia illis reconderetur, lege *Braunium* de Vestitu Sacerd. Hebr. p. 482. qui ex Codice *Beracoth* c. IX. hoc affert veterum dictum: *ne ingre-*

dixerit montem Templi cum baculo fuo, aut cum calceis fuis, aut cum crumena fua. Atque huc Chriſtum reſpexiſſe exiſtimat *Braunius.* & *Relandus.* qui præterea in Antt. Hebr. p. 80. hinc conficit, mutata per Meſſiæ adventum rerum facie, reverentiam, ante montis Templi debitam, toti terræ Iſraeliticæ hac communem reddi. Conf. *Arnaldi* Miſcell. Sacr. p. 94. Vide & *Joh. Nic. Rhefii* Diſſ. de veterum Zona pecuniaria, *Jen.* 1681. item *Sinceri* Tom. I. p. 1307. Ex profanis Scriptoribus iſtum Zonarum unium veteribus receptum poſſe *Grotius* ad h. l. probat *Dongius* Analect. Sacr. Part. II. Excurſu XXI. Illis Cl. *Triller.* in Notis MSS. addit *Phædrum* lib. IV. Fab. XX. cujus commentatores conſuli ſimul poſſunt.

Verſ. 10. Μὴ πήραν εἰς ὁδὸν) *Diogenem* poculum & vilia utenſilia alia in pera geſtantem iter feciſſe, ex Collectione Epiſtolarum Aldina Part. II. fol. 293. b. 294. & 295 ubi Diogenis epiſtola quædam legitur, obſervat ad h. l. Cl. *Triller.* in Notis MSS.

μηδὲ δύο χιτῶνας) Vide huc ſingularem Diſſertationem *Jo. Augusti Grabii* de duabus tunicis, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. XII. p. 137. ſqq. ubi oſtendit, quid per χιτῶνα proprie ſit intelligendum, tum vero, delicatulos & luxuriosos apud varias gentes duabus tunicis uti conſueviſſe, atque ab hac luxurie ſuos tenuiſſimum Salvatorem avocaſſe. Judæos duas tunicas geſtaſſe, aut tunicam cum pallio, oſtendit *Braunius* de Veſtitu Sacro Hebr. p. 555.

μηδὲ ὑποδήματα) De voce ὑπόδημα vide, quos citavimus ad *Marc.* III. 11. Hoc loco inprimis quæritur, quomodo præceptum hoc conciliandum ſit cum illo *Marc.* VI. 9. ubi Apoſtoli jubentur eſſe ὑποδεδεμένους σανδάλοις. Vide in hanc rem *Salmaſium* in Notis ad Tertullianum de Pallio p. 70. & 381. item in Confutatione Animadverſionum Cercoeti p. 220. ſq. tum vero in Epiſtolis p. 22. ubi obſervat, Græcos vocem ὑπόδημα ſtrictiore notione ſumere pro altiore & profundiore calceamento, atque ſic a ſandaliis diſtinguere. In eandem ſententiam differit *Reland.* de Calceo p. 112. ſq. & 258. item *Lightfoot.* ad h. l. & ex noſtratibus *Seguierius* de Nudipedalibus veterum c. I. §. 19. Cum vero diſcrimen illud, quod inter ὑποδήματα & σανδάλια dicitur intercedere, non ſatis ſit evictum, quod poſt *Erasmum* & *Grotium* recte obſervavit *Bynæus* de Calceo Hebræorum lib. I. c. VI. §. 10. rectius alii contendunt, Salvatorem hic non ſimpliciter τὰ ὑποδήματα, ſed duplicia geſtare prohibuiſſe, quemadmodum δύο χιτῶνας apud ſuos eſſe nolebat. Ita ſtatuunt ex noſtratibus plerique interque eos *Hackſpanius* in Notis p. 61. *B. Carpzov.* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. ex aliis vero *Bynæus* l. c. & *Corn. Adamus* in Obſervatt. p. 136. Ab iis abit aliorum ſententia, de qua ad *Marc.* VI. 9. dicemus. Adde quæ de hac cauſa diſputat *Jo. à Ouerveen* in Comment. ad parabolam de filio prodigo §. 289. & in Obſervatt. Miſcellan. p. 295. & *Epiſcopius* Reſponſ. ad LXIV. Quæſtiones Quæſt. XXVI.

μηδὲ

μηδὲ ῥάβδον) Videtur hic iterum obstare *Marcus* VI. 8. ubi discipulis conceditur ῥάβδος in verbis: εἰ μὴ ῥάβδον μόνον. Conciliationis itaque alii aliam viam ingressi sunt. Nonnulli legi h. l. voluerunt μηδὲ ῥάβδες in plurium numero, quod diserte Luc. IX. 3. & in variis MSS. Codd. Matthæi exstat. Atque hoc præstructo, ajunt, Christum apud Marcum unum baculum permisisse, hic autem duobus uti vetasse. Atque ita speciatim statuit *Bynæus* de Calceo Hebræorum p. 94. & ex nostratibus, quamvis dubius, Cl. *Wolfburgius* p. 526. Observatt. Sacr. Sed verisimilius videtur, quod *Millius* etiam statuit, lectionem ῥάβδες ad tollendam hanc pugnam a librariis vel sciolis huc translatam esse. Alii, inter quos est *Andr. Osiander*, apud *Marcum* pro εἰ μὴ legi malunt μήτε, quibus universalis Codicum in altera lectione consensus merito opponitur. Alii apud Matthæum intelligi volunt baculum, ferro seu cuspide ferrea instructum, quo quis ad defensionem uti possit, apud Marcum vero baculum sine ferro, & qui ad innitendum tantum sit idoneus. Ita nonnulli ex nostratibus, ex Pontificiis vero permulti, inter quos lege inprimis *Lacerdam* in Adversariis, p. 382. qui ibidem confutat eos, qui apud Marcum μὴ pro εἰ μὴ legendum existimant. Pertinet huc quoque *Alex. Morus* in Causa Dei p. 112. qui baculum hic intelligit ad tutelam vindictamve accommodum, non autem gressui firmando idoneum, quem Dominus apud Marcum concesserit. Addit idem, unum baculum illis concedi, sed ita, ne sint solliciti de novo successore habendo, si forte ille amissus aut corruptus fuerit.

Ab omnibus his recedit Rev. *Val. Ern. Løscherus* in Decimis Evangelic. Part. V. p. 250. sq. Statuit is, Christum anno ministerii sui tertio Apostolos suos ad docendum ablegasse: semel in initio ejus, cum in Galilæa esset ante Johannem decollatum; deinde eodem anno medio, cum adhuc in Judæa in finibus Galilææ versaretur. De priori missione loqui Matthæum & Lucam, de posteriori vero Marcum. In illa Christum prohibuisse gestationem baculi, in hac vero permisisse, gravibus procul dubio de causis, ipsi Domino satis perspectis. Mihi quidem illi se inprimis probant, qui Dominum h. l. prohibere putant, ne alium baculum, quam, quem manu gerant, in subsidium ejus secum ferant. Non omittenda est *Heinsii* sententia, existimantis, τὸ εἰ μὴ apud Marcum idem esse, quod, *imo nec*. Eam approbat *le Cene* in Projet p. 571. De voce ῥάβδος lege *Braunium* de Vestitu Hebr. p. 527. Confer ad hoc comma, quæ ex Patribus affert *Suicerus* in Thesauro Ecclesiast. p. 1386. sq. & 1520.

Vers. 11. ἐξετάσατε) i. e. *examinate, inquirite, explorate*. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 51.

τίς ἐν αὐτῇ ἄξιός ἐστιν) *quis in ea dignus sit*, scil. ut ibi maneatis. Hæc subintelligenda putat *Knatchbullus* p. 15. quia scilicet statim sequitur: κἀκεῖ μείνατε. *Erasmus* putat indicari idoneum & commodum hospitem. *Beza* sta-

tuit, eum dignum haberi, qui se indignum profiteatur. *Hombergius* p. 45. eos, quos Apostoli debebant ἐξετάζειν, non esse inquit alios, quam illos, qui Apostolos erant excepturi, & sermones eorum audituri, quod pateat ex v. 14. ubi dicitur: *Si quis vero non receperit vos, nec audiverit sermones vestros* &c. Atque hinc subintelligi vult sub voce ἄξιος, vel αἰωνίᾳ ζωῇ, vel τῷ Εὐαγγελίῳ ut *Actor.* XIII. 46. & *Matth.* XXII. 8. Id vero necessarium ipsi videtur, quia vox ἄξιος raro sine casu rei, qua quis dignus sit, inveniatur, &, ubi non inveniatur, ex circumstantiis suppleri debeat. Sed vide *Elsnerum* p. 51. sq. qui varia habet loca, ubi casus nominis deest, ita ut nihil subintelligi debeat. Itaque ait τὸ ἄξιος idem hic esse, quod Galli dicunt, *qui le merite* (i. e. *qui id mereatur*): quid autem? nempe, ut apud eum maneatis. Nec putem melius quidquam huc dici posse.

ἕως ἂν ἐξέλθητε) *donec egrediamini*, scilicet: ex urbe. Confer *Luc.* X. 7. & inspice *Hombergium.*

Vers. 12. ἀσπάσασθε αὐτὴν) Hebraicæ phrasi שאלו שלום hoc respondere cum *Grotio* statuit *Keuchenius*, quem vide. Lutheri versionem contra mastigas ejus defendit B. *Raithius* p. 345.

Vers. 14. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται) i. e. ἐάν τις μὴ δέξηται, ut *Arrianus* in Hist. Ind. XV. 11. confer *Raphel.* in Notis Polybian. p. 61.

δέξηται ὑμᾶς) *exceperit vos*, sc. hospitio: *Polybius* apud eundem.

ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν) Vid. *Schottus* in Adagial. N. Test. p. 27. inprimis vero *Mart. Frisii* Schediasma de cerimonia τῷ ἐκτινάσσειν τὸν κονιορτὸν, *Hafn.* 1706.

Vers. 15. ἀνεκτότερον ἔσται) De gradibus damnationis ex Hebræis scriptoribus ad h. l. differit *Windetus* de Vita functorum statu Sect. XI. in Fasc. IV. Opuscul. Philolog. p. 168.

Vers. 16. ὡς πρόβατα ἐν μ. λ.) v. *Schotti* Adagialia p. 27. Cl. *Dav. Millius* in Corollar. V. ad Disput. I. qua Maimonides de Æstimation. vertitur, aliter hæc verba accipit, quam fieri plerumque solet. Vertit enim: *mitto vos ad* (ita ut ὡς pro εἰς vertatur) *agnos inter lupos dispersos.* Sensus sane in se optimus est: sed vereor, ut menti Christi hic respondeat, quippe qui h. l. inprimis monere vult Apostolos, quid imposterum exspectare in munere suo, & quomodo ad id sustinendum se parare debeant. Patet hoc ex v. 17. Videtur etiam τὸ ὡς communi suo significatui eo magis hic relinquendum, quod statim eodem commate eum tuetur, nec unquam alibi in N. T. eadem notione occurrit. Apollonii discipulos προβάτων nomine vocatos esse, monuit *Elsnerus* p. 53.

φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 28. & *Dougtæi* Anal. N. T. p. 13. ubi de quatuor momentis astutiæ serpentinæ. Talia ex Patribus

bus affert *Suicerus* Tom. II. p. 535. Elegans inprimis est paraphrasis *Gregorii* Theologi, quæ exstat apud *Stobæum* Serm. III. p. 39. & a Cl. *Trillero* in notis MSS. affertur.

ἀκέραιοι) *De Prado* in Pentecontarcho p. 3. ἀκέραιος per *sine cornu* interpretatur, atque ita verba Christi accipit, ut moneantur, ne referiant, quod proprium est columbarum. Secutus scilicet est eos, qui per *excornis*, quasi a κέρας, verterunt. Sed eos pridem confutavit *Bochartus* Part. II. Hierozoici p. 20. & *Bos* in Differt. de Etymologia Græca, quæ subjuncta est ejus Exercitatt. in N. T. p. 16. qui recte cum *Eustathio* ad Iliad. χ a κεραΐζω derivat. Ita enim is: ἔθεν ἀκέραιος λέγεται, ὡς μηδένα κεραΐζων, ὅ ἐστι βλάπτων. Hinc conficit *Bos*, significare passive eum, qui *integer* ac *illæsus* est, & active: *qui alium non lædit*, seu *innocentem*. Atque eum imitatus ex parte videtur *Elsnerus* p. 53. quo judice denotat vel *calamitatis*, vel *vitii fraudisque expertem*. Utramque notionem idoneis exemplis veterum confirmat. Ita scholia ad *Euripid.* Orestem. v. 920. ἀκέραιος explicant per ἁπλᾶς. Confer huc *Suicerum* Tom. I. p. 154. Subaudiri idem vir doctus vult vel κακῆ vel πάθει, quod alicubi addit *Plutarchus*, vel ἀπάτης. Confer *Rom.* XVI. 9. *Sinceritatem* speciatim inferri putat *Hombergius* p. 45. atque ita fere plerique interpretes, quibus & præivit auctor Etymologici Magni, qui ἀκέραιον dici vult ὡς μὴ κεκραμένον κακοῖς i. e. *qui nullam mali misturam habeat*. Vide & J. C. *Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 70. b. De re ipsa confer, quæ habet *Lambec.* Tom. I. Comment. de Bibl. Vindobon. p. 48. & *Jo. Edward* in Exercitatt. Criticis super varia Scripturæ loca Exerc. X. qua comma hoc integrum explicatur, nec non *Jo. Henr. Reitzius* in Prudentia Ecclesiast. *Heidelb.* 1692. 4. De homine, feris crudeliore, ex Gentilibus ad h. l. differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

ὡς περιστεραί) De simplicitate columbarum lege *Suicerum* Tom. I. p. 154. & II. p. 685.

Vers. 17. καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστιγώσουσιν ὑμᾶς) Dura sunt, recte judicante *Campeg. Vitringa*, Bezæ ad h. l. verba: *Denique cum neque Synagogas alibi inveniam de Judicii domibus dici, ut loquuntur Hebræi, neque in Synagogis fuisse sumtas civiles pœnas, mihi suspectus est hic locus.* Suspicioni certe ejusmodi locus esse non debebat ibi; ubi & constans Codicum Græcorum consensus adest, & alio quoque in loco, nempe *Matth.* XXIII. 34. idem omnino traditur. Itaque alii rem ipsam non in dubium vocarunt, sed συναγωγὴν hic de conventu civili & juridico accipiendam censuerunt cum *Grotio* ad h. l. qui hujus significatus exemplum ex libro Maccab. & Additamentis Danielis affert. Talem vero etiam in N. T. & quidem *Luc.* XXI. 12. obtinere, judicat *Vitringa* de vetere Synagoga p. 770. Ibi enim cum συναγωγαὶ & φυλακαὶ conjungantur, per illas commodissime *Synedria Juridica*, carceribus quippe juncta, intelligi posse persuasus est hoc magis, quod Lucas per παραδώσουσι εἰς

συνέδρια expressit, quemadmodum etiam Hebræi in scriptis suis conventus civiles כנסיות appellant. Sed nec illa sufficere ad h. l. videntur. Nam συναγωγαὶ apud nostrum a συνεδρίῳ differte distinguuntur, nec præterea desunt Scripturæ loca, in quibus flagellandi pœna in Synagogis inflicta narratur, v. c. *Act.* XXII. 19. denique ex monumentis Judaicis probari potest, idem inter Judæos receptum fuisse. Vide *Seldenum* de Synedr. I. 7. p. 105. & inprimis *Vitringam* l. c. p. 774. sqq. qui eandem pœnam *Urieli Acostæ* in Synagoga Amstelodamensi publice inflictam esse ex Exemplari Vitæ Humanæ, Collationi Limborchianæ cum erudito Judæo præmisso, commemorat. Itaque non est, cur de sensu verborum Christi amplius laboremus. Confer *Relandi* Antiquitates Hebr. p. 130. & *Vitringam* in Archisynagogo p. 351.

Vers. 18. ἐπὶ ἡγεμόνας ἀχθήσεσθε) Phrasi hac utitur etiam *Polybius*. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 61.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) Lutherus: zum Zeugniß über sie: quæ defenditur ab *Hackspanio* in Notis p. 63. monente, τὸ αὐτοῖς idem hic esse, quod *contra eos*. Confer *le Cene* in Projet p. 442.

Vers. 19. ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ) i. e. in illo momento: v. *Salmasium* ad Solinum p. 459. a.

Vers. 20. οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες) v. *Schotti* Adagialia N. Test. p. 19. Gentiles quoque in causa dicenda hoc, quod Christus suis præstitit, confidenter de se jactarunt. Vide *Elsneram* p. 54. Ceterum palam est, verba ipsa id sibi velle: *non tam vos estis, qui loquimini, quam* &c. Conf. *Simon* in Notis, & *Fesselius* Adversar. Sacr. lib. IV. c. 3. p. 323. ubi ostendit, subintelligi hic debere vocem μόνος.

Vers. 22. Comma hoc cum 18. arctissime conjungendum, aliqua autem interjecta parenthesi includenda esse existimat *Hombergius* ad h. l. p. 46.

Καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ π.) De exoso vel solo nomine Christianorum ex antiquitate erudite ad h. l. commentatur *Deylingius* in Observatt. Sacris Part. II. p. 293. Sic *Athenagoras* scribit: ἐπὶ μόνῳ ὀνόματι προσπολεμῆσαι τοὺς πολλούς. Confer *Vossii* & aliorum notas in epist. Plinii 97. & 98. lib. X.

ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 30. Hæc verba communiter de perseverantia usque ad finem vitæ, atque inde sequente salute accipiuntur. Nonnullis tamen, in contextu ea spectantibus, restringenda visa sunt ad Apostolos, cum quibus tunc res erat Salvatori nostro, eorumque perseverantiam in doctrina Christi, usque ad exitium urbis Hierosolymitanæ promulganda. Ita statuit post *Hammondum* ad h. l. *Olearius* ad Matth. p. 279. & cum eo *Amelius* Part. I. p. 237. *Nempe*, (verba legis *Olearii*) *præfinitum*

nitum erat Judæis ex sapientissimo Dei consilio & indebita benignitate καιρὸς τῆς ἐπισκοπῆς, *tempus visitationis gratiosæ*, Luc. XIX. 44. *quod usque adurbis & templi totiusque adeo Reipublicæ destructionem porrigi manifestum est. Ad ejus itaque finem usque munere suo in Judæa defungi Apostolos Servator volebat, nihil territos, cum sibi curæ futura sit ipsorum conservatio.* His præstructis idem ita verba hæc vertenda vult: *at qui ad extremam etiam Reipublicæ Judaicæ periodum perseveraverit, servabitur*, h. e. peculiari Dei cura incolumis & salvus erit, cum nemo communem stragem evitare posse videatur. Lux accedit ex *Matth.* XXIV. 6. & sqq. ubi, cum Dominus discipulis varias calamitates prædixisset, addit hanc clausulam: ἀλλ' ἔπω ἐστὶ τὸ τέλος i. e. *urbis excidium;* ubi tum v. 15. eadem verba adhibet: ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται h. e. illi Pella & montana Judææ instar asyli inservient. Vide locum ipse, & judica. In hanc interpretationem cur descenderint, versus sequens efficit.

Vers. 23. ἐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τῦ Ἰσραὴλ) *Grotius* & cum eo B. *Calovius* noster hæc ita interpretatur: *Dixi, quæ mala vobis imminerent, dixi nihilo minus, vestrum esse instare cœpto, sed nolite animum despondere, præ foribus est mea magna & regia potestas, quæ apparitura est brevi, imo antequam finem feceritis docendis Judæis, intra fines Palæstinæ.* Iisdem adstipulantur illi omnes, qui τὸ τελεῖν πόλεις per *obire, peragrare, perambulare urbes* cum *Beza* verti volunt, non inconvenienter Græcæ dictioni. Ita enim & *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. I. p. 202. dixit διατελέσαι & alibi ἐκπερᾶναι, quæ loca ad lucem nostro huic fœnerandam affert Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 27. *Polybius* verbum affine ἀνύειν & διανύειν eodem sensu adhibuit frequenter, quam in rem lege eundem *Raphelium* in Notis Polybianis p. 62. Accedit his Cl. *Elsnerus* p. 55. contra *Hombergium* pro Beza disputans; & observans, *Ciceronem* eodem sensu dixisse *obire urbem* lib. V. de Finibus cap. 19. & *Thucydidem* lib. III. p. 168. item *Aristidem* p. 569. τεμεῖν de itinere absoluto dixisse. Sic & Paulus 2. Tim. IV. 7. dixit τελεῖν δρόμον. Non nihil ab his abeunt, qui τὸ τελεῖν per *doctrina perficere* interpretantur. Inter hos est *Heinsius*, & novissime *Hombergius* in Parergis p. 47. Provocant illi ad usum veterum Scriptorum, qui phrasi τελεταὶς τελεῖν de sacris rebus obeundis utuntur, tum vero ἐκτελεῖν μέγα ἔργον ut *Hesiodus* Scut. Hercul. v. 22. i. e. *rem magnam perficere* dicunt, denique & de institutione pleniore, ut *Lucian.* τελῶσι τὰ ἀπόῤῥητα, usurpant. Hinc, judice *Hombergio* l. c. sensus iste nasceretur: *si vel maxime vos ex una urbe in aliam persequantur, nolite timere, vos non habituros locum, ubi prædicare possitis Evangelium: nam ne poteritis quidem singulis urbibus prædicare, donec venerit Filius hominis.* Poterant iidem se recipere ad Hebræum גמר, quod, ut proprie *absolvere* & *perficere* significat, atque sic Græco τελεῖν respondet; ita quoque de *doctrina* & institutione adhibetur. Vide, quæ in hanc rem diximus ad *Matth.* V. 17. In alia abit B. *Gottfr. Olearius* in Obss. Sacr. ad h. l. p. 283. sq. Is enim verbum τελεῖν respondere hic putat Hebraico חמם, quod, ut significat proprie *perficere*,

ficere, ita non minus infert *cessare*, *desinere*, *auferri*. Hunc itaque phraseos istius sensum esse vult: *non desituentur a vobis urbes, non cessabitis in iis, non carebunt prædicatione & ministerio vestro.* Ac si Hebraice dixeris: לא תתמו מן הערות quod LXX. dicerent: ὐ μὴ ἐκλίπητε ἀπὸ τῶν πόλεων Ἰσραήλ. Atque hanc sententiam amplexus primum est *Amelius* i. e. *Pet. Zornius* Part. I. der Erörterung p. 240. sq. deinde vero in Opusculis Sacr. p. 301. alteram illam *Hombergii*, tanquam multo simpliciorem & veriorem, prætulit. Et sane, qui recte omnia expenderit, perspiciet haud difficulter, istum *obeundi urbes* (nempe *docendo*, quod mihi quidem non tam verbum ipsum, quam argumentum, de quo sermo est, indicare videtur) significatum & Græcismo & Hebraismo convenientiorem esse, quam, quod ex Hebraismo huc affert *Olearius* ὁ μακαρίτης. Ut enim cetera taceam, necesse saltem erat, ut in præsidium ejus vel unus afferretur locus, in quo LXX. Interpretes verbum תמם, quod passim in hoc significatu, quamvis sub alia constructione, occurrit, per τελεῖν expresserint. Denique ad conversionem Judæorum omnium, ante extremum diem non perficiendam, hæc spectare existimat B. *Augustus Pfeiferus* in Scepticismo Speneriano Part. I. c. V. p. 111. sqq.

Vers. 24. ὐκ ἔστι &c.) De duabus his proverbialibus, quæ videntur, locutionibus lege *Schotti* Adagialia N. Test. p. 30. Adde *Suicerum* Tom. I. p. 903. & 958.

Vers. 25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ) Ita etiam Hebræi, quod post *Drusium* ostendit *Vorstius* de Adagiis N. T. c. IX.

Βεελζεβούλ) Pauci Codd. habent Βεελζεβούβ, atque id mavult *Millius* ex 2. Regg. I. 6. ubi ad rationem vocis Hebr. בעל זבוב idolum illud a LXX. Intt. vocatur Βεέλ μυῖα. Conf. *Rich. Simonem* in Notis ad vers. Gall. & *Dougtæum* Anal. N. T. p. 16. Sic & *Gualtperius* Syll. I. p. 102. ἁβλεψίαν librariorum hic accusat. Sed non opus est hac incusatione in scriptione, quæ tam universaliter in N. T. recepta est. Alii itaque respectum quidem ad nomen Βεελζεβούβ habitum, sed simul ultimam literam β in λ mutatam dicunt ad contemtum indicandum, quasi *Deum stercoreum* seu *sterculinum* diceres. Ita post *Drusium Pfeiferus* in Opp. Criticis p. 476. *Bartoloccius* Tom. I. Biblioth. Rabb. p. 308. & alii. Ab his recedit Anonymus Gallus apud *Lud. Cappellum* in Critica Sacra p. 457. ubi hæc legis: *In Novo etiam Testamento videre licet similem errorem, qui ipsum Hieronymum & sequentes Interpretes occupavit, adeoque & ipsum Syrum Interpretem. Nam omnes in suis versionibus habent Beelzebub, cum tamen in omnibus tum MSS. tum excusis legatur* Βεελζεβούλ. *Procul dubio hujus nominis affinitas cum nomine Beelzebub, quod exstat lib. 1. Regum, eos decepit, atque in errorem induxit, quasi utrobique esset idem nomen, cum tamen planum sit, in libro Regum non agi de fictitiis & falsis Diis in genere, verum in specie de Accaronitarum idolo, cujus oraculum Rex Ochozias consultum volebat. At in Evangelio per nomen istud* Βεελζεβούλ *fictitii in genere dii atque*

que dæmonia denotantur, juxta Prophetis usitatam appellationem, a quibus passim stercorei ei dii vocitantur: cum זבל *Syris & Arabibus stercus significet.* Sententiam hanc non parum mihi placere fateor. Nova prorsus est, quam affert *Gussetus* in Lexic. p. 223. Is enim ex זבול i. e. *habitatio, domicilium,* dici putat, quasi *Dominum domicilii,* sicut 1. *Chron.* V. 8. vocatur בעל מעון. Principem stercoris, ait idem, si dicere voluisset Scriptura, appellasset potius, consueto nomine גלוליים. Hanc etymologiam addit accommodatam esse locis Evangeliorum, ubi scilicet de domiciliis dæmoniorum distribuendis, ut vel ibi maneant, vel alio migrent, agi soleat. Vide interim aliorum de hoc nomine sententias apud *Bochartum* in Hierozoico Part. II. p. 499. sq. *Possinum* in Spicileg. p. 30. *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbar. N. T. p. 34. sq. *Owenum* V. 5. Theologum. *Montacut.* II. Origg. p. 137. sq. *Kircherum* Tom. I. Oedipi p. 271. sq. *Voetium* in Dissert. Select. Tom. I. p. 906. sq. *Lomeierum* de Lustrationibus p. 23. & Rev. *Brandan. Henr. Gebhardum* in Diss. Philolog. singulari, Gryphiswald. 1702. habita.

Vers. 26. οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον &c.) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 31. & *Picinelli* Lumina Refl. ad h. l.

Vers. 27. Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 31.

ὃ εἰς τὸ ἠκούσατε) Phrasin hanc ex Hebræorum ritu illustrant Interpretes, nominatim *Saubertus* in Palæstra p. 378. qui observat, apud eos in תיב המדרש, seu auditorio communium studiorum, spinosas quæstiones Theologicas & Philosophicas proponi solitas, ita ut doctores singuli assignatum sibi haberent Interpretem, cui illi submisse & voce leni susurrabant in aurem, quæ interpres clara voce collegio & populo, in terra sedenti, edisserebat. Loca habes huc pertinentia apud *Lightfootum* in Horis Hebraic. & *Hammondum* ad h. l. quos & sequitur *Lamius* in Harmonia, itemque *Amelius* Part. II. p. 31. Conferri etiam phrasin hanc cum Exodi XI. 2. cupit *Keuchenius* ad h. l.

ἐπὶ τῶν δωμάτων) i. e. *super tectis*, quam phrasin post *Bezam* multi a τοῖς LXX. desumtam esse contendunt, quippe qui frequenter Hebræorum גג i. e. *tectum*, per δῶμα exprimunt, & ab οἶκῳ i. domo distinguunt, quæ a Græcis Scriptoribus δώματος nomine tantum appellari solet. Intercessit quidem *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 75. & *Ramirezius de Prado* in Pentecontarcho cap. 27. quorum ille Æsopi quendam, hic vero aliorum etiam locos attulit, ut phrasin pure Græcam ostenderet. Utrique vero se opposuit *Gatackerus* c. XXIII. p. 205. Mihi quidem ob usum, in N. T. frequentem, phrasis hæc in tantum Hellenistica videtur, qua tamen non dubitem, Græcos quoque uti potuisse, & fortasse usos esse, quibus non insolens est, totum appellare, ubi pars aliqua proprie intelligenda est. Cetera necesse non est, moneamus, δώματα hæc seu *tecta* apud Hebræos plana fuisse, non

autem, ut hodie, in culmen fastigiata. Vide in hanc rem *Boisium* ad h. l. in Collatione, *le Cene* in Projet p. 274. & *Rohrium* in Pictore Errante Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 867.

Vers. 28. De toto hoc commate lege *Seb. Schmidii* Colleg. Biblic. Posterius p. 401. sqq. & *Jo. Henniges* Dissertt. Exegetic. p. 91. sq.

ἀποκτεινόντων) *Castalio* verterat per *trucidare*, sed Vulg. per *occidere* rectius, judice *Beza*, quia prius illud proprie est *occidere ictibus*; τὸ ἀποκτείνειν vero latius patet. De phrasi hebraizante ἀποκτείνειν ψυχὴν lege *Vorstii* Philolog. S. Part. II. p. 248.

Vers. 29-31. Vide *Seb. Schmidii* Colleg. Biblic. Posterius p. 123. sqq.

Vers. 29. δύο στρουθία) Quia duo hic passerculi memorantur, cum unus ad causæ caput suffeciisset, nonnulli putarunt, hic respici duos illos passeres, qui in purgatione leprosi adhibendi erant, ita ut alter quidem mactaretur, alter in aerem dimitteretur, non sine providentiæ divinæ directione. Hæc *Jo. d' Espagne* Part. II. libri de miraculis Dei in harmonia Temporum p. 713. & ex eo *Amelius* Part. I. p. 668. Sed ista quidem subtilius excogitata videntur. Nam Christus eo manifesto tendit, ut vilitatem passerum indicet, quorum scilicet duo vel uno assario vendantur, & vel sic tamen neuter eorum sine voluntate Dei vitam amittat.

ἀσσαρίου) Bonæ notæ vocem esse ostendit *Honertus* de Stylo N. Test. p. 354. Idem vero esse, quod veteres alias λεπτὸν vocant, statuit *Salmasius* in Refutat. utriusque Elenchi Cercopetaviani p. 33. Confer *Gronovium* de Pecunia vetere p. 439. *Strigelio* judice in Hypomn. ad h. l., as secundum Polybium lib. II. valet tantum, duo ut obolum æquare videantur. Confer *Raphel.* Notas Polybian. p. 62. *Le Cene* in Projet p. 306. vertit per *un sol.* Hebræi hoc ἀσσάριον indicare videntur, quando איסר האיטליקי *octavam partem Assaræ Italicæ* memorant. Vide *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 702. & junge *Lempereurium* ad *Bava Kamma* p. 216. qui contra Tremellium ostendit, ἀσσάριον non recte conferri cum *astira* vel *istira*, quasi eadem esset moneta. Confer scribenda ad *Luc.* XII. 6.

ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται ἐπὶ τὴν γῆν) Vide *Schotti* Adagial. N. Test. p. 32. Simile quid legitur in Talmude Hierosol. tr. שביעית fol. 38. col. 4. ubi ita: *Avicula sine voluntate Dei haud perit, quanto minus homo*; & alibi, ceu observat J. H. *Majus* in Obss. Sacris T. II. p. 40. & ante ipsum *Jac. Cappellus* ex Bereschith Rabba Sect. 79. in Spicilegio Notarum p. 19. Ceterum nec paganos animalia aut minima quæque a providentiæ divinæ circulis excluisse, ex variis eorum effatis apparet, quæ collecta vide a *Rittershusio* ad *Oppiani* Halieut. lib. II. v. 7. & *Gatackero* ad Antoninum lib. II. §. 3. & 11. VI. 36. VII. 32. & VIII. 20. quanquam idem alii eorum temere negarunt, de quibus legatur idem *Gatackerus* ad Antonin. VII. §. 31. Alias non solent Græci τὸ οὐ particulæ

ticulæ εἰς postponere, quod hic fit. Vide *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 255.

Vers. 30. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες) Capilli etiam leviſſimi hic indicantur, quia non κόμαι ſed τρίχες memorantur. Confer *Salmaſ.* de Coma p. 74. ſq. & *Amelium* Part. I. p. 159.

Vers. 31. πολλῶν στρουθίων διαφέρετε) Habet hoc verbum cum Genitivo ſignificationem diſcriminis excellentis. Probat hoc poſt *Camerarium* ex Xenophonte *Raphelius* in Notis ex eo petitis p. 27.

Vers. 32. 33. Lege B. *Chriſtoph. Franckii* Diſp. de Confeſſione Chriſti, *Kilon.* 1682.

Vers. 32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ) h. e. *publice me aſſeret*, aut *agnoſcet*. Per Hebraiſmum id dici pro eo, quod Græci dicerent: ὁμολογήσει ἐμὲ, oſtendit *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 198. *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 183. c. 18. ubi etiam obſervat, phraſin hanc a *Pfochenio* neglectam eſſe. At commemoravit eam omnino *Pfochenius* §. 167. ſed obiter, & aliud quaſi agendo.

Vers. 33. ἀρνήσηταί με) ſcil. μὴ γινώσκειν, quod fortaſſe non male ſubintelligatur, ſicut *Polybius* hac phraſi utitur. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 62. Simili phraſi utuntur Hebræi: vide *Trigland.* de Karæis p. 24.

Vers. 34. μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 32. Quomodo hoc conciliari poſſit cum illis vaticiniis V. T. ubi de pace N. T. futura ſermo eſt, aut cum appellatione Meſſiæ, ſecundum quam Princeps pacis audit, contra Judæos, hic neſcio quam contradictionem inveniſſe ſe putantes, oſtenſum eſt a multis. Scilicet in Scriptura Sacra ſæpe ſententia aliqua, quæ eventum tantum notat, ita recenſetur, ac ſi ex intentione facta eſſet ut *Num.* XXXII. 14. Confer *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 63. Eventurum ſcilicet hoc erat, occaſione malignæ repugnantiæ incredulorum, pacem fidelium perſecutionibus turbantium. Vide *Guſſetum* contra Chiſſuck Emuna Part. I. c. 1. §. 19. & II. c. 13. §. 1. Pluribus argumentum hoc perſequitur *Rich. Kidderus* Part. III. Demonſtrationis Meſſiæ p. 69. ſqq. & *Benjamin Hoadly* tribus ſermonibus, quos recuſos invenies in diverſis ejus Tractatibus, Lond. 1715. 8. editis.

Vers. 35. 36. cum *Michæ* VII. 6. confert *Altingius* in Paralleliſmo Vaticiniorum p. 22. Tom. II. Opp. Conf. *Cappelli* Opera p. 94. b. qui obſervat, oſtendi hic inſignem Judæorum, Evangelio reſiſtentium, pravitatem. De ſententia Vers. 36. confer *Schotti* Adagial.

Vers. 37. οὐκ ἔστι μου ἄξιος) non eſt dignus, ut ſit diſcipulus meus. Vi-

de Simonem in Notis ad verſionem Gall. Eadem phraſi profani Scriptores itidem utuntur. Lege *Gataker.* ad Antonin. XII. 1. p. 418.

Verſ. 38. λαμβάνει τὸν ϛαυρὸν αὐτῦ) Vide huc ex Patribus differentem *Suicerum* Tom. II. p. 1005.

ἀκολουθεῖ ὀπίσω μυ) ita etiam Scriptores Græci profani: vide *Horat. Vitringam* in Animadverſion. contra *Vorſtium*, Hebraiſmum ſtatuentem, Philolog. Sacr. Part. II. p. 192. quæ cum *Lamb. Bos* Obſervatt. prodierunt p. 247.

Verſ. 39. Confer ad hoc comma *Suicerum* Tom. I. p. 1310. & II. p. 1578. & *Vorſtium* Part. I. Philolog. p. 122. ubi oſtendit, τὸ ἀπολέσαι ψυχὴν idem eſſe, ac *vitam* vel potius *animam*, quam hic innui putat, *non curare*, ſed, ſi opus ſit, propter Chriſtum amittere. Conf. eundem p. 97. ubi contra Grotium diſputat, phraſin ψυχὴν αὐτῦ pro ἑαυτὸν poni exiſtimantem.

τὴν ψυχὴν αὐτῦ) i. e. *vitam.* Ita etiam *Xenophon:* vid. *Raphel.* p. 27. *Keuchenius* ad h. l. conferri vult τὰς LXX. *Jerem.* XXXVIII. 2. & XXXIX. 18. & obſervat, ſenſum hunc eſſe, eos, qui animam ſibi ſervaſſe, & ſpolii inſtar abſtuliſſe videantur, eam prodituros eſſe.

Verſ. 40. Ὁ δεχόμενος ὑμᾶς ἐμὲ δέχεται) Verbum δέχεσθαι etiam apud profanos, ut h. l. habere ſignificationem approbationis, amoris & gratiæ, oſtendit *Schwarzius* in notis ad *Olearium* de Stylo N. T. p. 348. Uſurpatur vero tum de perſonis, tum de rebus. Ex hoc commate objectionem quandam formare conatur auctor *Chiſſuck Emuna*, quem vix adſequaris, quid ſibi velit. Vide *Guſſetum* Part. II. c. XIV. §. 1.

εἰς ὄνομα προφήτυ) per Hebraiſmum pro ἢ προφήτην i. e. *qua Prophetam, quia Propheta* eſt. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 260.

Verſ. 42. ποτήριον ψυχρῦ) Ita *Plutarchus* de Garrulitate p. 511. τῦ ψυχρῦ κύλικα, ceu monet *Elsnerus* p. 56. ψυχρῦ ſubintellige ὕδατος. Vide *Bos* de Ellipſi p. 210. Vulg. vertit *frigidæ* ſc. aquæ, recte, judice *Boiſio* ad h. l. qui oſtendit, *Suetonium* in Claudio c. 40. *frigidam* ſimpliciter dixiſſe. Bezæ Codex addit diſerte ὕδατος, a manu ſcilicet interpretantis, ſicut & Gothicus interpres addit, ubi vide *Mareſchalli* Notas p. 403.

Vocem μόνον ex margine irrepſiſſe in contextum credit Millius, quia in nonnullis Codd. deeſt. Sed tuetur id recte tanquam genuinum *Whitby* in Examine p. 38. b. & *Freinshemius* de Calidæ potu c. I. (qui libellus recuſus exſtat Tom. IX. Antiquitatt. Græcarum p. 511.) valde ſignificanter hanc particulam additam eſſe ſibi perſuaſit, ibidemque frigidæ vel gelidæ potum calida viliorem olim habitum eſſe oſtendit.

ἀπολέσῃ τὸν μισθὸν) ita etiam Græci profani: v. *Elsnerus* ad h. l.

CAP.

CAP. XI.

Ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν) αὐτῶν rectius ad Judæos, quam discipulos, licet proxime memoratos, refertur, judice *Rich. Simone* in Notis.

Vers. 2--10. primum concione singulari, deinde vero justo tractatu Germanico sub tit. JEsus, der wahre Messias, illustravit B. *Gottfr. Olearius*, Lipsiæ 1714. 8.

Vers. 2. ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ) Vulg. in *vinculis*; Erasmus *in carcere*: posterius præfert *Boisius* in Collat. ad h. l. De Joannei carceris loco ex *Josepho* & *Barradio* differit B. *Mayerus* in Ecloga Evangel. ad Dominic. III. Adventus.

πέμψας δύο τῶν μαθητῶν) *Millius* ad h. l. ita in Prolegomenis §. 387. Διὰ τῶν μαθητῶν αὐτῦ. *Vulg.* initio (uti patet ex Latinis *Juvenco, Ambrosio, Hilario*) *Cant. Goth. Syr. Pers. Armen. nec dubium, quin textus Archetypus. Quis enim ista, δύο τῶν μαθητῶν, quæ expressiora sunt, & cum textu Lucæ conveniunt, mutarit in διὰ τῶν μαθητῶν, ex industria. Ne dicam, Interpretem Matthæi potius (quod alias c. XXI. 1.) scripturum δύο μαθητὰς, quam δύο τῶν μαθητῶν. Verum ita se res habebat; in margine e regione voculæ διὰ adscripserat quispiam ex Luca δύο, quod adsumtum mox in contextum loco τῦ διὰ, ne quidem aliter fieri poterat, quam ut in Apographo, ad illud descripto, adeoque aliis post atque aliis occuparet sedem lectionis genuinæ.* Miror, Virum doctum tanto conatu adstruere lectionem διὰ, procul dubio falsam. Unus Codex Græcus opponitur tot aliis, & plus præterea tribuitur versionibus, quarum pleræque ad unam vel comparatæ sunt, vel interpolatæ, quam exemplari Græco. Τὸ δύο legitur in loco Lucæ parallelo, δύο τινὰς τῶν μαθητῶν αὐτῦ. Atque idem hic occasionem interpolationi fecisse *Millio* videtur. Ergone tam difficile est, ut aliquis pro δύο legat διὰ, inprimis, si memineris, figuræ τῦ υ in Codd. MSS. antiquioribus, qui præterea accentibus forte erant destituti? Num etiam verisimile est, Matthæum (pro quo hic Millius male Interpretem nominat, quia Matthæus Hebraice ipsi scripsisse videtur) phrasi usum esse non Græca? Quod enim sibi vult πέμψας διὰ τῶν μαθητῶν αὐτῦ. Certe quovis pignore contendere ausim, nullum Græcorum unquam ita locutum, quippe qui τὸ πέμπειν vel absolute, vel cum casu quarto, ponunt. In novo sane Instrumento nusquam alio modo usurpatur. Neque obvertere licebit, illud διὰ τῶν μαθητῶν conjungendum esse cum sequenti εἶπε. Nam & hujus phraseos exemplum adhuc requiro. Poterat, fateor, scribere: δύο μαθητὰς, quemadmodum c. XXI. 1. sed non erat causa, cur hoc alteri præferret: unde & *Lucas* XIX. 29. ἀπέστειλε δύο τῶν μαθητῶν. Imo causa erat, cur hanc posteriorem formam præferret, quia ita agere consueverunt Græci, ubi duo memorantur ex pluribus ejusdem ordinis & generis. Atque tum obtinet ellipsis præpositionis ἐκ. Id patet ex *Joh.* I. 35. qui plene hac phrasi utitur, dicens: τῇ ἐπαύριον πάλιν εἰστήκει ὁ Ἰωάννης, καὶ ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτῦ δύο. Nihil itaque hic mutandum.

πέμψας εἶπε) ita etiam Xenophon passim. Vide huc *Raphelium* p. 28.

Vers. 3. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος) Plerique Interpretes vertunt: *tune es, qui venturus erat*, aut, *qui venturus est?* recte & concinne: Sed mavult tamen κατὰ πόδα *Boisius* in Collat. ad h. l. p. 34. ita: *tu is es, qui venit?* (i. e. qui tam certo venturus est, ac si jam præ foribus adesset) *an alium exspectamus?* (i. e. exspectare quotidie debemus) qui proinde τὸ προσδοκῶμεν pro Indicativo habet, ita ut continuus actus denotetur. Malim tamen τὸ προσδοκῶμεν habere pro præsenti Conjunctivo, cujusmodi sæpe pro futuro Indicativo adhibetur, maxime in interrogandi formis. Conferatur *Bos* in Exercitatt. ad h. l. p. 10. Atque ita etiam B. *Lutherus* accepit. De causa hujus quæstionis lege B. *Mayeri* Eclogam Evangel. ad Domin. III. Adventus, ubi ostendit, nec Johannis incredulitatem, ceu *Tertullianus* de baptismo c. 10. voluit, contra quem legatur *Lud. de la Cerda* in notis p. 188. nec exspectationem liberationis e carcere, quæ *Lightfooti* in h. l. sententia est, illi occasionem fecisse.

Vers. 5. Τυφλοὶ ἀναβλέπουσιν &c.) Contrahuntur hic duo *Jesaiæ* loca ex c. XXXV. 5. & Jes. LXI. 1. in unum, quem veterum quoque Judæorum in allegando morem fuisse, ostendit *Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 227. Monet idem, addi præterea sententiam integram: λεπροὶ καθαρίζονται, ideo scilicet, quia Jesaias cap. XXXV. Messiam dicit omne genus morborum, adeoque & hunc, curaturum. Idem monet, quæ v. 6. occurrunt: καὶ μακάριός ἐστιν, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοὶ, esse porisma ex variis locis Prophetarum, in quibus de humili Messiæ statu prædicitur, ob quem plurimi Israelitarum eum assumere dubitarint, inprimis vero ex *Jes.* VIII. 14. petitum. Vide etiam quæ habet *Altingius* T. II. Opp. in Paralleliſmo Vaticiniorum p. 22.

χωλοὶ περιπατοῦσι) Quia hæc desunt in *Cantabrig.* Codice, *Millius* ea ex Luca huc translata credit. Sed facilius puto fieri, ut unus Codex aliquid omittat, quam ut in tot Codices aliquid ex alieno loco inferatur.

πτωχοὶ εὐαγγελίζονται) Interpretes & versiones tantum non omnes passive hoc verbum accipiunt, ut sensus sit, pauperibus Evangelium annunciari. At B. *Wolfgangus Franzius* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 696. sq. multam operam in eo collocat, ut ostendat, active capi posse, eo sensu, ut discipuli, tanquam pauperes homines, evangelium aliis prædicare dicantur. Neque negandum est, fieri id posse, modo & id admittatur, hoc in loco alteram illam notionem multis nominibus esse præferendam, quia hoc officium Christi in pauperes præstandum prædictum est *Jes.* LXI. 1. quem locum ad se accommodat Christus *Luc.* IV. 18. Conf. *Erasmum Schmidium* ad h. l. De cetero ad hoc comma illustrandum *Rich. Kidderus* in Demonstrat. *Messiæ* Part. I. c. V. p. 105. sqq. de miraculis Christi in genere diligenter commentatur, ostenditque contra *Maimonidem*, Messiam miracula omnino patrare debuisse, tum vero, Christi miracula talia fuisse, & ita comparata, ut hinc recte pro veritate religionis Christianæ argumentum petatur.

Vers.

Vers. 6. ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί.) Hebraismum hic observat *Vorstius* Philolog. Sac. Part. II. p. 201.

Vers. 7. τούτων δὲ πορευομένων) Vide *Raphelii* Notas Xenophont. ad h. l. de toto hoc commate lege freywilliges Heb-Opfer Tom. I. p. 410.

ἤρξατο λέγειν) i. e. *dixit.* Ita etiam *Polybius:* vid. idem in Not. Polybian. p. 63.

κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον) Subintellige particulam interrogandi μὴ, & sic etiam in sequentibus ἄνθρωπον, προφήτην. Vid. *Bos* de Ellipsi p. 376. De sententia ipsa lege *Schotti* Adagialia N. T. p. 32. sqq. Per κάλαμον hic indicari hominem illustrem & in sublimi collocatum statuit *Keuchenius* ad h. l. qui confert 2. *Maccab.* II. 16. & cum eo *Amelius* Part. II. p. 848. *Rich. Simon* in notis proverbialiter dici opinatur hoc sensu: vos illuc non iivistis frustra. Vide ad h. v. Freywilliges Heb-Opfer Tom. I. p. 410. ubi Anonymus de arundine proprie sic dicta verba accipi vult, hoc sensu, eos certe non exiisse in desertum, ut talem arundinem vel simile quid intuerentur. Idem statuit *Witsius* Miscell. Sacr. T. II. p. 549. Quod ad phrasin ipsam attinet, ad eam illustrandam Cl. *Trillerus* commode affert Fabulam CXLIII. quæ est inter Æsopicas. Ibi enim oliva καλάμῳ, sive arundini, acerbum factura convitium, ei inter alia objicit, quod sit ἀδύνατος καὶ ῥᾳδίως ὑποκλινόμενος πᾶσι τοῖς ἀνέμοις, *imbecillis, ac facile omnibus ventis se submittens.*

ἐξήλθετε θεάσασθαι) Enallagen hic statuit B. *Gottfr. Olearius* in libro vernaculo de Jesu vero Messia p. 169. ut idem sit, ac si diceretur: τί ἐξελθόντες ἐθεάσασθε; i. e. *quid egressi in desertum vidistis?*

Vers. 8. ἄνθρωπον ἐν μαλακοῖς ἱματίοις) μαλακῶν i. e. sericorum vestimentorum mentio frequens est apud profanos. V. *Suicerum* Tom. II. p. 296. & *Elsnerum* ad h. l. p. 57. qui & ostendit, eorum usum viris gravibus vitio fuisse versum. Conf. *Adami* Observatt. Theol. Philolog. p. 137. sq. qui speciatim evincit, vestitum μαλακὸν apud profanos non solum vitæ aulicæ assectis, sed & viris dissolutis ac mollibus, tribui. Vide etiam *Schotti* Adagialia N. T. p. 33. *Josuæ Arndio* in Miscellan. Sacris p. 52. μαλακὸν ἔνδυμα non tam indumentum, e molli materia contextum, quam muliebre & minus virile esse videtur. Sed præstat acquiescere hic in materia, quippe quam vox ipsa primario infert, & quo respici a Christo videtur ob vestitum penitus contrarium, quo Johannes utebatur. Adde *Olearii* Tract. German. de JEsu, vero Messia, p. 172. sq.

Vers. 9. Ἀλλὰ τί) i. e. ἢ τί. Nam τὸ ἀλλὰ eleganter pro *aut* usurpatur & quidem cum interrogatione, quod ex *Xenophontis* pluribus locis evincit *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 28. sq. & aliis in Notis Polybianis p. 63. sq. Conferatur *Budæus* in Commentar. Græc. Linguæ p. 1264. & *Matthæus Devarius*

varius de particulis Græc. Linguæ p. 16. Non igitur τὸ ἀλλὰ hic interrogat, ſed τὸ τί.

καὶ περισσότερον προφήτου) Vulg. *& plus quam Prophetam.* Erasmus *excellentiorem:* minus recte, judice *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad N. T. p. 11. quia vox iſta h. l. neutrius generis eſt, ſicut πλεῖον *Luc.* XI. 31. & *Matth.* XII. 41. Res manifeſta eſt. Johannem & Prophetam fuiſſe, & ceteris Prophetis ſuperiorem, ratione donorum ſingularium, quæ eluxerint tum in concionibus ejus pœnitentialibus, tum in vaticiniis de JEſu editis, tum in modo Propheticarum revelationum, oſtendit B. *Gottfr. Olearius* de JEſu vero Meſſia p. 185. ſq.

Verſ. 10. ἰδοὺ, ἐγὼ ἀποστέλλω) Reſpicitur omnino *Malach.* III. 1. quem locum cum noſtro hoc compararunt diligenter *Altingius* in Parallelismo Vaticiniorum p. 23. T. II. Opp. *Cappellus* in Opp. p. 205. ſqq. *Surenhuſius* in Libro καταλλαγῆς p. 228. & *Gottfr. Olearius* ad Matthæum p. 285. ſqq. Difficultatem aliquam hic parit diverſitas, quæ in Codice Hebræo ſe prodit, ubi exſtat לפני i. e. ἔμπροσθέν μου, quod hic redditur ἔμπροσθέν σου, quemadmodum דרך ſeu via per ὁδόν σου, & addito πρὸ προσώπου σου, exprimitur. Sed nihil hic a Chriſto in allegatione iſta factum eſſe præter morem veterum, qui paſſim oracula V. T. explicatione ſua ad rem, de qua ibi ſermo obſcurior erat, cum majori perſpicuitate accommodarunt, oſtendit *Surenhuſius* l. c. Non igitur erat, cur *Socinus* in Anti-Wiecko Claſſ. I. argum. XI. in vulgatis Codd. Hebræis olim aliter, & ad Græcum textum accommodate, lectum fuiſſe aſſeveret. Neque enim ullum varietatis veſtigium in Codd. Hebr. vel verſionibus occurrit, & tamen tres Evangeliſtæ adeo in eadem lectione conſentiunt. Rectius igitur *Lud. Wolzogenius* ad Matth. III. 4. profeſſus eſt, Malachiæ locum a Chriſto citando quodammodo explicari. Cetera, quæ huc pertinent, longiora ſunt, quam ut brevibus h. l. repeti poſſint. Itaque malim ea ll. cc. legi, & inprimis apud *Olearium*, qui contra Socinianos oſtendit, egregium ex hac citatione argumentum pro divinitate Chriſti deſumi poſſe. Ita vero argumentatur ex loco Malachiæ. *Via* (דרך) *eſt venientis. Cujus via eſt vero, ille hoc loco etiam mittere dicitur Angelum ante faciem ſuam, viam ſibi præparantem: atque adeo idem hic veniens atque mittens. Mittentem eſſe* יהוה *ſummum Deum, in confeſſo eſt. Nam ejus nomine directe ſermo Propheticus profertur. Sique adeo illum, qui venit, Chriſtum eſſe probari poſſit, Chriſtum Jehovam ſive ſummum Deum eſſe, certo argumento ex eo loco conſtabit, cum veniens & mittens ſint idem, mittentem vero Jehovam dici eo loco ſit manifeſtum.* In his probandis Vir doctus eo in loco totus eſt, qui & p. 288. obſervat, in Matthæi quidem loco *mittentem* diſtingui ab eo, ante cujus faciem mittitur, ſed nihilominus tamen vel ſic illos eosdem eſſe. Cum enim Pater & Filius idem ſint *Joh.* X. 30. & Pater & Filius mittere ſimul poſſunt, & quem mittit Filius ante faciem ſuam, eum Pater quoque mittit. In hanc ſententiam *Cappellus* l. c. p. 205.

p. 205. a. ait: *Pater dici potest Johannem misisse, sed mediate per Filium, per quem omnia facit. Filius autem immediate Johannem misit. Rex enim est, non alius, qui ante se præmittit ministros, qui parant sibi viam.*

τὸν ἄγγελόν μȣ) *angelum meum:* ita Vulg. repugnante *Cappello* l. c. qui verti mavult per *nuncium*, *ministrum*. Ceterum Sacerdotes & Prophetas in Veteri, doctores autem & Pastores in N. T. Angelorum nomine appellari, ostendit *Braunius* in Selectis Sacris lib. II. p. 191. sq. qui ibidem hujus appellationis causas edisserit.

πρὸ προσώπȣ σȣ) per Hebraismum, ut לפני. Vide *Vorstii* Philolog. Sac. Part. I. p. 295.

Vers. 11. ἐν γεννητοῖς γυναικῶν) i. e. *inter natos ex mulieribus*, per Hebraismum, ut putat *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. I. p. 334. & 337. cui Græce dicendum videtur γεννητοῖς ὑπὸ γυναικῶν. Idem hæc phrasis vult, quod Hebraica: ילידי אשה. Vide *Scaligerum* in *Schurtzfleischii* Actis Literariis p. 24. Per γεννητὸς γυναικῶν *pios*, ut *Joh.* XIV. 1. inprimis hic indicari, statuit *Altingius* in Heptade Dissertatt. Tom. V. Opp. p. 121. quod minus affectatum recte videtur B. *Oleario* in Obss. ad h. l. p. 292. Prærogativas Johannis, ad quas hic respiciatur, ex veterum & recentiorum sententia exponit B. *Mayerus* in Ecloga ad Evangelium Festi S. Johannis Qv. III. Τὸ ἐν etiam apud Græcos profanos idem esse, quod *inter*, locis nonnullis probare conatus est *Pfochenius* §. 43. quibus adde alios, magis huc facientes, quos affert *Moses Solanus* in Dissert. de Stylo N. T. §. LX. p. 313. Syntagmatis Rhenferdiani.

ἐκ ἐγήγερται μείζων Ἰωάννȣ τȣ̃ βαπτιστȣ̃) Patrum quorundam sententias de eo, quo sensu Johannes hic major dicatur omnibus, lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 1468. Ex recentioribus *Trillerus* in der Untersuchung p. 138. prærogativæ, Johanni h. l. vindicatæ, rationem quærendam putat in verbo ἐγήγερται, quippe quod de illis inprimis usurpari, ait, qui ex mortuis suscitati sint, ut proinde Johannes hic dicatur natus ex Parentibus decrepitis, & ad hoc negotium per ætatem ineptis. Johannem itaque putant in tantum præferri Prophetis omnibus, in quantum illi matres habuerint juvenes, cum viciissim Johanni mater obtigerit antea sterilis. Sed vide, quæ recte hic excipit *Schönlandius* in Apologia versionis B. Lutheri, p. 219. sqq. & *Pfeiferus* in Disputatione sua Anti-Trilleriana p. 11. Scilicet vox ἐγείρεσθαι nusquam in V. vel N. Test. de indicanda partus insoliti ratione, frequenter autem de Prophetis, ad munus suum accedentibus, vel eo defungentibus, adhibetur. Vide v. c. *Luc.* VII. 16. *Joh.* VII. 42. & *Matth.* XXIV. 11. Conf. *Hackspanii* Notas p. 66. Atque hæc verbi notio in verum horum verborum sensum perducit. Confertur scilicet hic Johannes, ut vir *magnus*, quo nomine doctores & Prophetæ appellari solent v. c. *Luc.* XXIV. 19. & Ecclesiastici XLIX. 22. & *Propheta*, cum Prophetis aliis, atque iisdem vel eo nomine hic præfertur, quod ratione Prophetici muneris ipsis præstet. Explicatio-

nem hanc diſerte fulcit *Luc.* VII. 28. Chriſti verba ita proponens: *Dico enim vobis, quod inter natos ex mulieribus major Propheta Johanne Baptiſta nemo ſit* &c.

ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστιν) Vide huc inprimis B. *Olearium* p. 294. ſqq. qui primum quidem contra *Epiſcopium* diſputat, τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν de ſtatu rerum, qui tunc erat, interpretantem; deinde *Chryſoſtomi* interpunctationem novam, ſecundum quam ita verba legenda forent: ὁ δὲ μικρότερος, ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστιν h. e. *qui vero minor eſt, is major erit eo in regno cœlorum;* deſerendam eſſe oſtendit; tandemque in B. *Gerhardi, Lyſeri* & *Quiſtorpii*, Interpretum noſtratium, ſententia acquieſcit. Hi vero ſtatuunt, Johannem hic comparari cum diſcipulis Chriſti ac miniſtris verbi in N. T. eorumque minimum poſt paſſionem & reſurrectionem Chriſti ac miſſionem Spiritus S. majorem dici Johanne, qua cognitionem de Chriſto uberiorem.

Ad fideles N. T. quoscunque refert *Alexand. Morus* in præfat. ad Comment. in *Jeſ.* c. LIII. ***. 4. *Maximus*, inquit is, *hic dicitur Johannes, quod Chriſtum multo certius cognoſceret, quam Prophetæ, qui Chriſtum præſentem non viderant; licet minimus eorum, qui nunc vivunt ſub oeconomia cœleſti Eccleſiæ Chriſtianæ, majori luce fruatur, quam Baptiſta, quia Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum intuetur.* Conferantur ejusdem Notæ ad h. l. Noviſſime ex Reformatis fidelem quemcunque in N. T. hic per μικρότερον intelligi contendit quoque *Jo. Marckius* in Exercitatt. Scripturariis n. III. p. 73. ſq. Vide etiam *le Moyne* ad Varia Sacra p. 23. qui μικρότερον de diſcipulo in regno Chriſti hic interpretatur. Regnum vero illud de regno Meſſiæ in Eccleſia accipiendum eſſe, evicit inter ceteros *Hottingerus* de Uſu Scriptorum Hebraic. in N. T. apud *Rhenferdium* in Syntagmate p. 400.

Tertia, quæ duabus illis fere palmam dubiam facit, ſententia ad h. l. eorum eſt, qui per μικρότερον hic Chriſtum intelligunt, eumque Johanne minorem dici arbitrantur, qua ſtatum κενώσεως & ταπεινώσεως, paulo tamen poſt cum oppoſito altero in tanto majorem Chriſti gloriam permutandum. Hanc tuentur permulti noſtratium, & cum iis *Calovius* in Bibliis Illuſtratis. Suam quoque fecit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 240. Chriſtum ſe μικρότερον i. e. minorem in regno cœlorum appellare ſtatuens, vel quia talis finiſtra hominum maleferiatorum opinione habebatur, vel potius, quia minor erat ætate, atque in miniſterii functione Johannem demum ſequebatur, quo pacto *Jacobus Alphæi* vocatur ὁ μικρὸς, *parvus* Marc. XV. i. e. junior, reſpectu Jacobi Zebedæi, qui major appellatur. Ceterum Johannem Prophetam fuiſſe, tum diſertis Scripturæ locis, tum definitione Prophetæ propria, tum teſtimoniis Patrum contra *Epiſcopium* & *Hammondum* evicit B. *Olearius* l. c. p. 298. ſqq. quemadmodum idem p. 312. ſqq. prærogativas enarrat, quæ cum Prophetarum maximum conſtituant, tandemque p. 322. ſqq. accurate oſtendit, quæ ſint prærogativæ fidelium N. T. præ Johanne, earumque

funda-

fundamentum præcipuum in eo collocat, quod Johannes tantum in confinio quasi V. & N. T. hæserit, fidelibus in plena ejus luce constitutis.

Vers. 12. Ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννε τῦ Βαπτισῦ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν ἐρανῶν βιάζεται) Vide huc *Jo. Marckii* Exercitat. Scripturar. n. IV. p. 116. sqq. *Corn. Adamum* in Observatt. Theolog. Philolog. p. 139. & *Gussetum* in Confutat. libri Chissuck Emuna p. 376. ex nostratibus vero B. *Gottfr. Olearium* in Obss. Sacr. p. 329. sqq. Auctores des Heb-Opfers Tom I. p. 842. & Tom. II. p. 113. item *Amelium* Part. I. p. 358. Controversia inprimis de eo est, quomodo vox βιάζεσθαι hic sit accipienda. Alii enim *passive* interpretantur, ut idem sit, ac si dixeris: *regno cœlorum vis infertur* ab illis, qui ingredi illud vehementer cupiunt. Alii *active* explicant, quod regnum cœlorum vim suam exserat. Alii denique, passivum sensum itidem tenentes, de *persecutionibus* hic sermonem esse, putant, quibus regnum Dei urgeatur. Primam interpretationem tuentur cum B. Luthero nostro *Hammondus*, *Alex. Morus* in Notis, itemque *Rich. Simon*, & *Jo. Clericus* in Notis ad versiones suas Gallicas, nec non *Jo. Gregorius* & *Gussetus* l. c. Atque illi quidem per βιασταὶ intelligunt homines *publicanos* & *scortatores*, qui, ut postea gentiles, rigentibus Pharisæis, tanquam non jure sed vi agentes, ad Christum confluebant. Adde illis *Schönlandium* in Commentatione Ante-Trilleriana p. 238. sq. & *Wolfburgium* in Observ. Saer. p. 49. Sunt, qui hanc significationem itidem amplectuntur, sed ita, ut non violentia quædam, absque jure adhibita, sed *vehementissimus* potius *acerrimeque instans conatus*, qualem natura fidei justificantis secum fert, indicetur. Atque ita statuit B. *Chemnitius*, cum quo & facit B. *Gottfr. Olearius* p. 332. sqq. si hoc exceperis, quod hic quidem verba hæc non ad tempora Johannis refert, sed ad tempora Christi, Johannis ministerium consecuta, quo sensu phrasin ἀπὸ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννε accipiendam esse contendit, ut *Matth.* XXVII. 45. Respici is inprimis hic putat ad Exod. XIX. 24. μὴ βιαζέσθωσαν ἀναβῆναι πρὸς τὸν Θεὸν, atque adeo hic inferri prærogativam fidelium N. T. præ illis Veteris eo quidem sensu: *Inde a tempore consummati ministerii Joanni cum παῤῥησίᾳ accedunt ad regnum Dei homines, adultorum filiorum jus jam adepti, remotisque pædagogis tutoribusque avide & cum παῤῥησίᾳ hæreditatem occupant; quod antea non licuit, servitutis atque δειλίας spiritu sub lege & Prophetis prævalente.* Idem p. 336. sqq. παῤῥησίαν istam fuse & diligenter exponit.

Activam significationem hic præferunt, quasi regnum Dei vim suam exserat, post *Erasmum* alii, & ex recentissimis *Vitringa* in Jesaiæ XI. 11. p. 353. b. *Corn. Adami* l. c. p. 139. & *Amelius* Part. I. p. 359. sq. Huic vero id inprimis obstat, quod proxime dicitur, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν. *Si enim vi ultro irrumpit regnum cœlorum, quomodo violenti agonistæ illud rapiunt?* quæ *Wolfburgii* verba sunt p. 49. Passivam quoque notionem huic verbo profanis tribui vel Lexica docent.

Illi denique minime omnium audiendi videntur, qui de *persecutione* hic cogitant, cui regnum Dei sit obnoxium. Inter hos sunt post

Lightfootum, *Trillerus* in der Unterſuchung p. 238. ſ. & Auctores des Heb. Opfers Tom. I. p. 842. ſqq. Sed vide, quæ *Trillero* ſpeciatim oppoſita ſunt a *Schönlandio* l. c. De verbo βιάζεσθαι ejusque uſu confer *Henckii* Diſſert. de uſu LXX. Intt. in N. T. p. 46. & aliam ejusdem de uſu librorum Apocryph. V. T. in Novo p. 14.

καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτήν) De βιασταῖς illis ex Patribus commentatur *Suicerus* Tom. I. p. 685. Vocem ipſam apud profanos vix inveneris. Pindarus tamen Olymp. Ode IX. p. 175. βιατὰν νόον i. e. mentem ſtrenuam memorat, *Xenophon* vero & *Galenus* pro noſtra hac voce affini βιασάμενοι utuntur, quod obſervat Rev. *Raphelius* p. 31. Notarum Xenophontearum, qui etiam βιασὰς h. l. appellari putat eos, qui in regnum cœlorum irruperint βίᾳ τῶν Φαρισαίων καὶ τῶν λοιπῶν Ἰουδαίων i. e. invitis & repugnantibus Phariſæis. Verbum ἁρπάζειν de ſeria attentione & ardenti deſiderio ſcopum ſuum aſſequendi uſurpari, conſtat vel ex *Sophoclis* Ajace Flagellifero v. 16. ubi Scholiaſtes verbum ἐξαρπάζειν exponit per: ὀξέως ξυνίημι καὶ ἀντιλαμβάνομαι. Monuit de h. l. Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 13. Πάντες οἱ προφῆται καὶ ὁ νόμος ἕως Ἰωάννου) Ex hoc loco Vitringa lib. VI. Obſſ. Sacrar. p. 394. patere putat, initia Oeconomiæ N. T. non poſſe altius arceſſi, quam a miniſterio Johannis Baptiſtæ, quia id Chriſtus ſibi h. l. velit, a tempore Johannis implementum conſecutura eſſe, quæ in Lege & Prophetis de Oeconomia nova prædicta ſint. Non autem hic reſpici natales ejus, quo tempore nihil in Eccleſiæ ſtatu novi acciderit, ſed miniſterium & baptiſmum, quando ſe Prophetam populo oſtentarit, ad reſipiſcentiam & ſpem meliorum temporum animas excitantem. Confer de hoc commate B. *Seb. Schmidium* in Collegio Biblic. Poſteriore p. 123. ſqq. Adde ſcribenda ad *Luc.* XVI. 16.

Verſ. 14. εἰ θέλετε δέξασθαι) *Accipere* Hebræis & Græcis uſurpari ſolet de diſcipulis auſcultantibus & diſcentibus. Ita לקח *Prov.* IV. 10. & παραλαμβάνειν I. *Cor.* XI. 23. XV. 1. 3. *Gal.* I. 9. 12. item δέχεσθαι *Act.* XI. 1. &c. Nec Latinis profanis hæc phraſeos notio ignota eſt. Vide hæc apud *Majum* lib. III. Obſſ. Sacrar. p. 41. ſq. Quæ ut recte monentur, ita vereor, ut eo ſenſu h. l. phraſis adhibita credi poſſit. Vult enim hanc eſſe Chriſti mentem: *ſi volueritis, ut, quæ neſcitis, vobis dicam.* Vel: *quod propitiis veſtris auribus dictum ſit, eſt ille Elias.* Addit, τὸ δέξασθαι idem hic eſſe, quod *audire*, ex verbis ſequentibus patere: ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν. Mihi quidem nullum dubium eſt, reſpici hic ſimpliciter Johannem, quem cum doctrina prædicata recipi vult a Judæis tanquam Eliam illum prædictum. Patet hoc tum ex phraſi ipſa, qua Chriſtus etiam alias utitur, ubi agit de ſe, vel Apoſtolis, tanquam genuinis doctoribus cognoſcendis & recipiendis. Vide *Matth.* X. 14. 40. 41. XVIII. 5. *Marc.* VI. 11. &c. Patet vero etiam ex ſequentibus, ubi Chriſtus repre-

reprehendit Judæos, quod Johannem non ut talem agnoverint, ſed potius calumniis oneratum averſati ſint. Verba ὁ ἔχων ὦς &c. non ſimpliciter aut primario ad ultimum illud comma, quam ad totam Chriſti orationem antecedentem referri debent, quod & alias frequenter fit. Placet itaque hic *Hammondi* paraphraſis: *Sive illum admittatis, ſive rejiciatis, hic eſt Elias* &c.

αὐτός ἐϛιν Ἠλίας) Scilicet nomina Propria non ſemper eos, quibus primum impoſita ſunt, denotant, ſed illos quoque, qui iſtis operibus ſunt ſimiles. Ita Judæi ipſi in *Sanhedrin* & alibi ſanciunt, quo vide *Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς p. 230. qui & obſervat, in *Berachoth* fol. 61. col. 2. doceri, Eliam venturum non eſſe ipſam Eliæ perſonam, ſed alium ei factis ſimilem. Contra Pontificios, Eliam proprie dictum ante mundi finem exſpectantes, diſputat *Cappellus* in Operibus p. 211. b. ad Malachiæ locum. Veteres quosdam Patres, idem ſtatuentes, recenſet *Suicerus* in Theſauro Tom. I. p. 1318.

Verſ. 15. Ὁ ἔχων ὦτα) *Martianæus* in Eſſay ita vertit, ac ſi ſenſus eſſet: is, cui Deus aures dedit ad intelligendum, ea in uſum convertere ſtudeat, quæ intelligit. Conferri is vult Pſ. XVII. 45. & *Deuter.* XXIX. 3. 4. Eadem fere phraſi, indice Cl. *Trillero*, utitur *Ælianus* de Natura Animal. lib. VIII. c. 17. ἕτος ὑπέχων τὰ ὦτα, ἀκουέτω.

Verſ. 16. Pro παιδαρίοις & ἐν ἀγορᾷς in nonnullis Codd. legitur παιδίοις & ἐν ἀγορᾷ, procul dubio eorum cura, qui apud *Lucam* in loco huic parallelo utrumque inveniebant. Senſus eſt idem, & mutatione iſta ſuperſederi poterat.

τοῖς ἑταίροις) *Gothicus* vertit per: *aliis*. Legit ſcilicet ἑτέροις. Vide *Mareſchallum* p. 404. Niſi malis, eum perſpicuitatis cauſa ita convertiſſe. Ad ſenſum verborum monet hic *R. Simon* in Notis, Chriſtum & Johannem eos eſſe, qui clamaverint, & quibus Judæi non reſponderint, ut par erat.

Verſ. 17. ηὐλήσαμεν ὑμῖν) Ita etiam Judæi proverbialiter loquuntur in Gemara *Sanhedrin* fol. 103. 1. vide *Vorſtium* de Adagiis N. T. c. XI. De exteris lege *Schotti* Adagialia N. T. p. 34. ſq. & *Picinelli* Lumina Reflexa p. 622. Adde *Wagenſeilium* Commentat. de Noriberga p. 167. qui inprimis probat ea, quæ *Buxtorfius* de duplicibus tibiis commentatus eſt in Lexico Talmudico voce חליל. Similiter piſcator indignabundus Fab. CXXX. Æſopica piſces ita alloquitur: ὦ κάκιϛα ζῶα ὅτε ἠυλεν, οὐκ ὠρχεῖϑε ὅτε δὲ πέπαυμαι, τοῦτο ποιεῖτε. Debeo hunc locum Cl. *Trilleri* Notis MSS. in h. l.

ἐθρηνήσαμεν) i. e. oratione triſti & lacrymis apta uſi ſumus. Neque enim verbum hoc *flere* denotat, ſed potius *lamentari*, & *mœſto ſermone dolorem ſuum teſtari*, ut apud *Polybium* p. 918. & alias. Vide *Raphelium* in Notis Polyb. p. 65. *Scultetus* in Exercit. Evangel. II. 55. putat hic reſpici ritum tibicinum funebrium. Nihil tamen definire hac in re audet *Bartholin.* de Tibiis vete-

rum p. 274. Nec admodum veri est simile. Salvator enim ipse pueris, in foro sedentibus, voces has diserte tribuit. Itaque malim cum *Vorstio* l. c. ita *statuere : Ea verba Salvator tribuit pueris in foro sedentibus, qui ludendo imitari solent, quæ a majoribus natu serio agi viderunt, & nunc nuptias celebrant, nunc funera deducunt, nunc aliud hujusmodi agunt, neque tamen quosdam, qui morosiores sunt, movere possunt, ut & ipsi talibus operam navent. Utque ea verba Salvator usurparet, effecerunt mali mores Pharisæorum, quibus nec Johannis Baptistæ durior ac severior, neque Salvatoris Christi liberior vita placebat. Nimirum Pharisæos similes esse vult pueris istis morosioribus, qui nullis sodalium studiis delectantur, sed ea omnia respuunt atque refugiunt.*

Vers. 18. Δαιμόνιον ἔχει) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 35.

Vers. 19. ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς) Variis expositionibus hæc verba obnoxia fuerunt. Vide eas collectas a *Stolbergio* in Exercitatt. Gr. Linguæ, Exerc. VIII. p. 343. sqq. *Seb. Schmidio* in Dissertatt. Theolog. XIII. Argentorati 1682. junctim editis Exerc. IX. & in Colleg. Biblic. Poster. p. 180. sq. *Joh. Tarnovio* in Exercitt. Bibl. p. 465. & *Jo. Marckio* in Exercitt. Biblicis Exerc. XXX. Plerique huc tendunt, quod Christus ab illis ipsis, qui eum ex publicanis & aliis recipiebant, pro justo agnitus, declaratus & defensus dicatur. Vide hanc in rem inprimis ex nostratibus *Tarnovium* l. c. *Calovium* in Bibliis Illustratis ad h. l. *Stolbergium* l. c. *Hackspanium* in Notis p. 68. ex ceteris autem *Hammondum* ad h. l. *Suicerum* Tom. I. p. 915. & *Marckium* l. c. Atque hæc sententia reliquis omnino præferenda videtur. Opponuntur sibi hic judicia Pharisæorum, in incredulitate pertinacium, eoque nomine Christo adversantium, & publicanorum credentium, qui Christum ut filii seu discipuli sapientiæ receperant, atque adeo ut justum & genuinum doctorem declarabant. Hanc vocis δικαιῶν notionem, in qua inprimis cardo causæ versatur, in hoc loco obtinere, vel parallelum Lucæ dictum VII. 29. 30. efficit, ut credamus. Ibi enim hæc legas: καὶ πᾶς ὁ λαὸς ἀκούσας καὶ οἱ τελῶναι ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν, βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα Ἰωάνου. Οἱ δὲ Φαρισαῖοι καὶ οἱ νομικοὶ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς. Huc etiam tendit *Gerh. Titius*, cujus animadversionem ad h. l. *Ritmeierus* in Disquisitionibus suis ita exhibet: *quamvis sapientiam Dei condemnatis, habet tamen Deus liberos suos, qui sapientiam justificant, ut eam amplectantur.* Nec multum abit *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 35. ita exponens: *Sapientia justa & irreprehensibilis agnita est, quod scilicet nihil omiserit eorum, quæ facere debuit ad hominum salutem.* Ita fere etiam *Coccejus* in Opp. Posthumis Tom. II. p. 627. in epistola ad Ludov. de Dieu. Postquam enim ibi testatus erat, se cogitasse aliquando verba hæc ita vertenda: Sapientia in ordinem redacta est, quia τὸ δικαιῶν Græcis etiam denotet, *justum factu censere*, & *condemnare*, ut apud *Plutarchum* de sera Numinis vindicta; addit, se nunc id nimis argutum putare, atque adeo malle sic accipere: *filii sapientiæ nihil causari possunt, quin ipsis omni debita ratione*

sapientia

ſapientia ſe accommodarit: ſapientia fecit, quod ipſius erat. Interpres *Gothicus* ſimpliciter vertit: *juſta judicata eſt ſapientia.* Vide ibi *Mareſchallum* p. 406. *Hombergius* in Parergis ſcite obſervat, verba tribus diverſis loquentium perſonis tribui poſſe, ut ſcilicet ſint vel *Judæorum* iſta æque ac antecedentia: *ecce homo eſt edax* &c. proferentium; vel Chriſti, de Judæis judicium ferentis; vel Evangeliſtæ eodem ſcopo, quo de Chriſto id dictum modo eſt, ea proferentis. Addit idem, ſi ad Chriſtum vel Evangeliſtam referantur, ab illis dici poſſe reſpectum habitum ad τὰ παιδάρια in foro ſedentia, de quibus v. 16. ut ſenſus ſit: illos publice redarguiſſe Judæorum cœcitatem, incredulitatem & malitiam, Johannem præcurſorem & Chriſtum ipſum rejicientium, viciſſim vero teſtatos eſſe de bonitate, veritate & juſtitia Dei mittentis Servatorem, & ſeſe accommodantis ad eorum infirmitatem. Hoc modo τὸ δικαιῶν idem eſſe quod *defendere cauſam alicujus*, quemadmodum δικαίωσις apud *Harpocrationem* pro δικαιολογία uſurpetur. Provocat in probationem ad Pſ. VIII. ubi Deus ex ore infantum laudem ſibi paraſſe dicitur, & ad hujus capitis v. 25. ubi Chriſtus gratias agit Deo, quod hæc abſconderit ſapientibus. Addit denique, τὸ ἀπὸ in verbis ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς hic non ita accipi debere, ut cauſa agens innuatur, ſed ut potius excludatur, hoc ſenſu: *ſapientia juſtificata eſt a filiis ſuis* i. e. *iis excluſis*, ut infra v. 25. & *Joh.* XII. 36. ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν. Ut plena ſententia hæc foret: *ſapientiam divinam, quæ omnia liberis ſuis fecerat, quæ poterat, juſtificatam eſſe a calumniis liberorum, ſicut innocens abſolvitur ab accuſatione & calumniis actoris.* Subtilius forte hæc plerisque cogitata videbuntur. Neque enim video, qui probare Vir doctus velit, quod Chriſtus v. 16. & 17. provocet ad infantes, ſpeciatim ſuum & Johannis præconium ut divinum agnoſcentes, & aliis commendantes. Nihil tale ab Evangeliſtis memoratum invenimus, ſi illud exceperis, quod *Matth.* XXI. 15. ſub Chriſti *ingreſſum* in urbem Hieroſol. a pueris acclamatum legimus, quod vero huc trahi non poteſt. Aliud ſibi velle hic Chriſtum ex iis, quæ ad hoc comma dicta ſunt, patet, nempe id quidem, Judæos illius ætatis agere, ut infantes inter ſe invicem ſoleant, quorum alii alios, quamvis recte præeuntes, non ſequantur, ſed potius ſuo indulgeant genio. Et videtur ſane Auctor huic interpretationi diffidere, unde p. 51. monet, poſſe τὸ δικαιῶν ex *Heſychio*, qui per κολάζειν & δικαιῶν interpretetur, in ſenſu judicandi, caſtigandi, & reprehendendi accipi, ut ſapientia præpoſtero ordine a liberis ſuis caſtigata innuatur.

Quam idem p. 49. ſententiam, nempe Judæis refractariis verba hic tribui poſſe, rejecerat, tanquam talem, quæ commodum aliquem ſenſum præbere non poſſit, eam & amplexus eſt, & ſic ſatis ornavit *Elsnerus* p. 58. Is enim tanquam a Judæis in Chriſtum dicta & a Chriſto tantum, ut præcedentia proxime, relata accipit hoc ſenſu: *Et* (ſc. ἀπὸ τῆ κοινῆ, λέγουσι porro dicunt) *condemnata eſt doctrina a diſcipulis ſuis.* Quæ porro ita παραφράζει: *Publicanorum amicus eſt & peccatorum: definite igitur amplius inquirere, quæ & qualis*

qualis ejus sit doctrina; eos modo adspicite, quibus illa communicatur, profanis nempe, impurisque hominibus; tales cum illi se in disciplinam tradant, atque sine initiis recipiantur, facile quisque de pretio hujus doctrinæ judicaverit, condemnatur videlicet ab illius discipulis. Sed videtur sane illa verbi λέγεσι repetitio durior, nec oratio ipsa convenit satis cum τῷ ἰδὲ, quod eam inchoaverit. Præterea vox σοφία nusquam non in laude ponitur, etiam iis in locis, quos Vir doctus attulit ex *Matth.* XIII. 54. *Act.* VI. 10. & VII. 22. ubi etiam non *doctrinam* speciatim, sed aliquid amplius infert. Neque tamen probabile est, Judæos eo in loco, quo reprehendendum volebant Christum, tam benigne & modeste locuturos fuisse.

Noviſſime primam illam, quam attulimus & probavimus, interpretationem ea de causa repudiandam putavit *Joh. Jensius* in Ferculo literario p. 17. quod τὸ ἀπὸ sic sumeretur pro ὑπὸ vel παρὰ, cujus tamen exempla ita se desiderare profitetur, ut si contra infinita loca unus item & alter locus daretur contrarius, ὑπὸ legendum esse putaret. Itaque sic putat reddenda verba: *& tamen sapientiæ causa probata est liberis suis*, i. e. per liberos, sive, a parte liberorum suorum: h. e. si contra hanc calumniam inspiciantur liberi sapientiæ, sive mei, satis ab hac calumnia vindicor. Per liberos autem intelligit fetus, effecta, opera, facta, quibus probatum sit, nec Joannem malo agitari genio, nec filium hominis esse malum compotorem. Integra ergo sententia foret: *ex* vel *ab operibus testata facta est sapientia.* Idem tamen p. 21. lubens concedit, posse simpliciter τέκνα σοφίας verti per: *liberos sapientum* i. e. Christi discipulos, præcones Evangelii, sed ita, ut ex illis ita sanctis, castis, probis & piis appareat, qualis sit eorum magister. Id tamen huic explicationi fraudi esse putat, quod discipuli Christi eo tempore tantos in doctrina progressus nondum fecissent. Ex his apparet, Viri docti sententiam a nostra quod ad summam rei parum abesse, quia etiam eo tendit, ut Christus ejusque doctrina adversus alios ut justa & sancta declarata existimetur. Discrimen tantum in eo est, utrum hoc a certis personis sive discipulis, an factis & operibus demonstratum sit. Si nihil aliud obest, quam τὸ ἀπὸ pro ὑπὸ usurpatum, nostram explicationem locum facile spero obtenturam. Sunt enim loca apud sacros & profanos Scriptores, in quibus ἀπὸ vices τῆ ὑπὸ sustinet. Ipse Vir doctus quædam attulit, v. c. *Actor.* II. 22. & *Apocal.* XII. 6. ubi meo judicio ἀπὸ θεῦ ἀποδεδειγμένος simplicius & rectius vertitur: *demonstratus a Deo*, quam, quod Vir doctus mavult, *a parte Dei*, i. e. arcana ejus vi, & ἡτοιμασμένος ἀπὸ θεῦ non minus convenienter redditur: *paratus a Deo*, quam jussu Dei & ex voluntate ejus. Omitto cetera, quæ ibidem affert. Sed iis addi velim *Luc.* XVI. 18. & XVII. 25. ubi itidem τὸ ἀπὸ significatum τῆ ὑπὸ sustinet. Τέκνα de fructibus & operibus dici a Poetis, quos excitat, largior; in Novo vero Testamento vix admiserim, in quo tam sæpe in ejusmodi circumstantiis vox τέκνον, v. c. τέκνα θεῦ, τέκνα φωτὸς, τέκνα ὀργῆς, τέκνα ὑπακοῆς, occurrit, sed nun-

nunquam eo, qui hic urgetur, sensu. Conferantur ad horum verborum intellectum ea, quæ de verbo δικαιόω disputarunt *Pfochenius* §. 65. & 115. & *Gatackerus* de Stylo Nov. Testam. cap. VIII. item *Tobias Eccardus* in Technic. Sacr. p. 123.

In eodem versu Christus dicitur τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν, quam in rem vide dicta ad *Matth.* IX. 19. Hic observamus, *Seldenum*, de Jure Nat. & Gent. p. 178. odii in publicanos rationem redditurum, observare, & Gentiles & Judæos vectigalia ac censum Romanis solvendum ab eis conduxisse. Gentiles itaque ipsis fuisse invisos, quod essent idololatræ: Judæos vero, quod illi cum Gentilibus, velut Præsidibus, Quæstoribusque Romanis conductionis ejusmodi contractum & consuetudinem contra morem majorum inierint.

Vers. 21. Οὐαί σοι χοραζίν) Legere hic nonnulli malunt divisa voce in duas, χῶρα Ζὶν, eo quod nominis χοραζὶν mentio, nec in historia Evangelica alibi, nec in Geographia veterum, occurrat, de quo etiam *Cellarius* lib. III. Geograph. Antiquæ p. 492. exponit. Probat itaque hanc novam lectionem *Henr. Ernstius* in Observatt. variis lib. II. cap. 6. existimans, nomen hoc esse regionis, ita dictæ, adjecta voce χῶρα, ut a solitudine *Sin* distinguatur, quandoquidem & apud *Origenem* in Exodum & in Philocalia ita legatur. Ei adstipulati sunt *Henr. Christian. Henninius* in Hellenismo Ὀρθωϊδῷ, *Augusti. Bischof* in Disput. de Interpunctionibus Græcorum, præsertim N. Test. p. 6. *Jo. Georg. Straubius* in Disputat. de emphasi Græcæ Linguæ N. T. §. 22. apud *Honertum* in Syntagmate de Stylo N. Test. p. 91. & *Amelius* Part. I. p. 177. Inprimis vero hæc causa disputata est inter *Jo. Dan. Majorem*, Professorem quondam Medicum Kilonienſem, & *Franc. Woergerum*, Pastorem Lubecensem. Cum enim ille Henninianam sententiam in Dissert. *de Numis Græce inscriptis*, amplexus esset, hic in singulari Dissertat. de *Chorazin* eam confutandam sumsit. Neque prior tam opinionem suam tutatus est postea, quam de illatis sibi a Wörgero injuriis, ut ait, conquestus edito Schediasmate, quod inscripsit: *Justi dolores expressi ob injurias graves a* Fr. Wœrgero *sibi illatas in causa, an apud Matth. XI. 20. & Luc. X. 13.* Chorazin, vel Chora Zin *sit legendum?* Kilon. 1686. 4. B. *Wörgerus* ursit institutum editis eodem anno *Ultimis Exsequiis Regionis Zin & novitatis fictæ Græcorum Accentuum, quas jam justis it doloribus D. Major.* Lubec. 1686. 8. Et recte omnino illa vocis divisio, tanquam nullo Codicis MSS. exemplo superstructa, deseritur, & ut talis, quæ contextui verborum Evangelistæ repugnet. Christus enim v. 20. dicitur increpasse τὰς πόλεις i. e. *urbes*, quæ quales fuerint, statim comma sequens 21. docet, nempe *Chorazin* & *Bethsaida*. Itaque non magis in *Chorazin* de regione cogitandum est, quam in *Bethsaida*, quam urbem fuisse constat, sicut idem de *Tyro* & *Sydone*, ibidem commemoratis palam est. Vestigium no-

nimis hujus exſtat in חרשין i. e. *ſaltus, ſylvæ*, vel כרזין, qui locus in *Menachoth* fol. 85. 1. a tritico commendatur, quod monuit *Relandus* in Palæſtina, p. 722. Atque hoc nomine כורזין exprimitur *Chorazin* in verſione Hebraica Evangelii Matthæi, quam *Tilius* edidit, *Pariſ.* 1555. Itaque recte lectio iſta nova ingenioſior, quam verior, ut ſpuria rejicitur ab Interpretibus, quos quidem ſciam, omnibus. Conf. inprimis *Relandum* l. c. & *Chriſtian. Schwenckenbecherum* in Apoſpaſmatiis τῶν ἱερῶν γραμμάτων p. 39.

ἐαί σοι Βηθσαϊδάν) *Millius* legere mavult: καὶ Βηθσαϊδάν, vel Βηθσαϊδὰ in gratiam unius Codicis *Cantabrig.* atque alterum illud Lucæ eſſe putat. Sed vide *Whitbii* Examen p. 39. a. De urbe ipſa & nomine ejus a piſcatu ducto, quaſi בית צירן, lege *Relandi* Palæſtinam p. 653.

ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ) Ut vox ſacci communis omnium linguarum, ita cineris in luctu ſparſio communis omnium populorum, quod ad hunc locum oſtendit *Alex. Morus* in Notis p. 39.

Quod ad rem ipſam attinet, hoc commate traditam, lege inprimis ex noſtratibus B. *Scherzeri* Diſſertat. ſingularem in Faſciculo Diſputationum ejus num. II. recuſam, & *Wolfgang. Franzium* de Interpretat. Scriptur. Sacr. p. 152. ſqq. *Chriſtoph. Woelflinum* de pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum ſub conditione prævisa Diſpp. V. *Tubing.* 1665. item *Sebaſt. Schmidium* in Myſterio Gratiæ divinæ p. 812. & Auctores des Heb. Opfers Tom. II. p. 126. ſq. Sic habebis, quod opponas Doctoribus Reformatis, ex quibus poſt *Spanhemium* in Dubiis Evangelicis III. 12 - 14. fuſe ad hæc commentatur *Ruard. Andala* in Exegeſi illuſtrium locorum p. 329. ſq. *Alex. Morus* in Notis p. 37. σφοδρότητα, quam Patres καταφορικὸν λέγον, ſeu vehementem & impetuoſum ſermonem appellant, agnoſcit, additque, impetus ejusmodi patheticos ſub leges ſedatæ orationis revocari non debere.

Verſ. 23. ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ) Pauci quidam Codd. & cum iis Vulg. legunt: μὴ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθήσῃ; ἕως ᾅδου καταβήσῃ. Poſteriorem illam lectionem genuinam arbitratur *Millius*, clariorem autem illam, quæ in exemplaribus plerisque omnibus MSS. & editt. hodie comparet, quamque in hujus duriuſculæ locum e Luca jam olim ſuffectam putat. Miror, quod non potius utrinque, nempe apud *Matth.* & *Lucam* priorem illam lectionem loco movendam voluerit, cum etiam apud Lucam Codex Cantabrig. eandem, quam apud Matthæum, hic invexerit. Dum vero ibi genuinam putat, non video, cur non apud Matthæum librariorum lapſum agnoſcere, quam interpolationem factam ſtatuere malit, præcipue cum lapſus illius occaſio oſtendi poſſit. Librarius enim facile inprimis ex antiquis Codd. in quibus voces non ſolent a ſe invicem curate ſeparari nec accentibus inſtrui, τὸ μ ex præcedente voce Καπερναοὺμ repetiit, & cum articulo ἡ conjunxit: hinc natum eſt μὴ, quod cum ad participium ὑψωθεῖσα non quadraret, factum eſt, ut in ὑψωθήσῃ converteretur. Quæcunque tandem

erroris

erroris causa sit, certe Matthæus ita non scripsit ex ore Christi, quem factum Capernaumi, ex florentibus rebus ortum, & cum incredulitate conjunctum, deprimere hic voluisse nimis manifestum est. Nihilominus tamen illam lectionem *R. Simon* in Vers. sua Gallica expressit.

ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ) Diximus modo, pro hoc verbo in nonnullis MSS. legi καταβήσῃ. Atque hoc præfert *Hammondus* ad h. l. ideo inprimis, quod Jacobus apud τὸν LXX. Gen. XXXVII. 35. ita inducitur loquens: καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου. Hoc vero nihil aliud efficit, quam Christum ita loqui hic potuisse. Locutum autem ita non esse, antecedens sententia εἰς οὐρανὸν ὑψωθεῖσα efficit, ut credamus. Hæc enim forma passiva est, cui efficaciter in τῷ καταβιβασθήσῃ eadem forma respondet, ut indicetur, quemadmodum florente rerum statu evecta sit, ita divinis judiciis depressum iri. Taceo, verbum καταβιβάζειν in hoc sensu frequentissime apud profanos etiam scriptores occurrere. Situs Capernaum hodie ignoratur, teste *Relando* in Palæstina Sacr. p. 683. Adeo Christi comminatio eventu confirmata est. Ceterum de voce ᾅδης, quæ hic prima occurrit vice, multa commentatur *Hammondus*, & ad eum *Clericus*, quorum prior *statum excidii & desolationis*, posterior *miserrimam conditionem & sortem* urbi hic prædici asseverat. Atque hic quidem præeuntem habet ad h. l. *Grotium*, cui & adstipulatur ex nostratibus *Calovius*. Nec dubitabit de re, qui meminerit, vocem Hebr. שְׁאוֹל, cui τὸ ᾅδης in LXX. Intt. respondet, eadem notione adhiberi. Afferemus hic nonnullos, qui utramque hanc vocem ex sacris & profanis monimentis examinarunt. Huc pertinent *Jac. Windetus* in lib. singulari de vita functorum statu, qui recusus est in Opusculis Philolog. *Jo. Pearsonius* ad Symbolum Apostol. p. 423. *Teelmannus* in explicatione Parabolæ de epulone p. 108. sq. *Rich. Simon* in Biblioth. Critica Tom. II. p. 515. sq. *Jo. Casp. Suicerus* in Thesauro Eccles. Tom. I. p. 81. sqq. *Stolbergius* ad Sophoclis Ajacem p. 170. *Jo. Conr. Dietericus* Antiquitt. N. Test. Tom. I. p. 44. sq. *Erasmus Schmidius* ad h. l. *Grabius* in Appendice Apologet. ad Urbani Rhegii libellum de formulis caute loquendi, & *Lethus* in Disput. Philolog. de Scheol Hebræorum.

Vers. 24. ἢ σοί.) Codd. perpauci legunt ἢ ὑμῖν, quod repetendum est ab ingenio scioli critici, qui ad phrasin: πλὴν λέγω ὑμῖν respiciens, τὸ σοὶ in ὑμῖν mutandum censuit: cum tamen manifestum sit, Christo adhuc cum urbe Capernaum rem esse, atque hujus dejectionem audientibus graviter annunciare.

Vers. 25. ἀποκριθεὶς) i. e. *locutus*: vide *Keuchenium* ad h. l. Vide & *Suicer.* Tom. I. p. 455.

ἐξομολογοῦμαι) Vulg. *confiteor*: recte, judice *Boisio* in Collatione, quando de celebratione & laudatione sermo est. Atque hinc alii malunt verti

per: *laudo* & *celebro* te. Vide *Vorſtii* Philol. Sacr. Part. I. p. 137. *Suicer.* Tom. I. p. 345. & 1143. *le Cene* in Projet p. 490. & *Joſ. Mede* in Opp. p. 93.

πάτερ, κύριε τοῦ οὐρανοῦ) Vide huc *Druſii* Miſcellan. Centur. I. c. 55.

ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα) Qui ideo Patrem laudet Chriſtus, ex veteribus docet *Suicerus* Tom. I. p. 457.

συνετῶν) συνετοὶ ſunt, qui ingenio ſunt promto, & ad res intelligendas facili. Ita *Raphel.* ex Polybio ad h. l. p. 65.

νηπίοις) Vulg. *parvulis* recte, judice *Boiſio* ad h. l. qui cum *Druſio* in Præteritis confert cum Hebræo פתאים. *Diſcipulos* Chriſti ſpeciatim innui exiſtimat *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 724. ubi ita: *opponit* σοφὸς & συνετὸς, חכמים & אבות, *Doctores, Præceptores, eos, qui inter Judæos erant eruditiores, & ſapientiores habebantur,* τοῖς νηπίοις, קטנים *diſcipulis, iis, qui extremis labris tantum literas delibaverunt,* i. e. *pueris & infantibus. Sic Apoſtoli rudes & nullis literis exculti dicuntur* קטנים, νήπιοι, παιδία. Ejusmodi homines rudes alias Judæis vocabantur עמי הארץ, de quibus contemtim Talmudici loqui ſolent. Vide *Relandi* Palæſtinam p. 24. ſq. Per νηπίους carnalis ſapientiæ expertes deſignari cenſet *Suicerus* Tom. I. p. 398. ubi & veterum loca affert. Quemadmodum per σοφοὺς homines hujus ſeculi perſpicaces indicari idem evincit p. 987. Ad ſententiam hujus commatis *Alex. Morus* p. 39. in Notis monet, Platonicum alias dogma eſſe: *credi a ſapientibus, quod erat incredibile ſubtilibus ingeniis & contentioſis.* Longe aliter Chriſtus, qui celatum ait non modo ſubtiles, ſed ſapientes ipſos id, quod νηπίοις fide revelatur. Νηπίοις per unmündig vertit Lutherus, ringente *Emſero*, contra quem lege R. *Raithium* in Vindiciis p. 345.

Verſ. 26. ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία) i. e. *ita tibi placuit*, qua phraſi ſæpe Judæi in precibus ſuis utuntur, notante ad h. l. *Cappello* in Spicilegio p. 19. Vide præterea *Suicerum* Tom. I. p. 1240.

Verſ. 27. οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν, εἰ μὴ ὁ πατήρ) Patrum cogitata huc pertinentia lege apud *Petavium* Tom. I. Dogmatum p. 288. & 295. item Tom. II. p. 102. & p. 104.

Verſ. 28. Δεῦτε πρός με) Vide huc *Georg. Fridr. Schröeri* Diſput. de Gratia Dei univerſali, Vitemberg. 1713. 4. Verſus 28. & 29. duabus Diſſertationibus illuſtrat *Joſ. Mede* in Opp. p. 150-164. Phraſin hanc eandem putat eſſe *Guſſetus* in Commentar. Linguæ Hebr. p. 111. cum illa, qua Deus in Geneſi utitur ad Abrahamum התהלך לפני, qua non opera, ſed fidem requiri contendit. Vide eum & judica. Subtiliora ſane videntur, quæ ad hujus loci lucem attulit *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacr. p. 72. quando Chriſtum ad Atrium, quod עזרה vocabatur, & in quo Judæi ſuas ad Deum preces de obtinendo auxilio, quod itidem eadem voce Hebraica ſignificatur, faciebant, alluſiſſe putat, hoc ſenſu: *non atrio, non templo, non* לעזרה *adjutorio*

rio isti, in quo preces vestras exaudiri, & calamitatibus vestris operam affuturam existimatis; sed mihi, in cujus nomine exaudiendæ sunt omnes preces vestræ, adsitis. Fortasse cogitari hæc rectius poterant, si qua adhibita fuisset Græca vox, quæ עזר sive auxilium proxime infert. At hic videmus verbum ἀναπαύσω. Quæ hic *Clericus* ad Hammondum affert, & repetiit *Amelius* Part. II. p. 852. ea examinat *Wolfburgius* in Obss. Sacris p. 187. sq.

πάντες οἱ κοπιῶντες) Qui per hos intelligantur, ostendit ex Patrum monimentis *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 145.

ἀναπαύσω ὑμᾶς) Auctor der Untersuchung etlicher Oerter des Neuen Testaments p. 288. animadvertit in Lutherum, qui hæc verterit: ich will euch erquicken, pro quo ipse mavult: ich will euch in Ruhe stellen. Lutherum vero hoc ipsum voluisse, & cum altero illo permutasse, quia statim sequitur: so werdet ihr Ruhe finden ꝛc. manifestum est. Conf. *Pfeiferi* Observatt. ipsi oppositas p. 25. Usurpari hoc verbum, quando a laboribus nos in otium recipimus, & quieti damus, probavit B. *Chemnitius*: historicos vero speciatim de militibus adhibere, quibus itinerum labore, aut alias, fatigatis quies detur, ostendit ex *Polybio* & *Arriano* Raphelius ad h. l. p. 66. De Christo omnes juvante simulque de divitiis ex Gentilium sententia onerosis commentatur hic *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

Vers. 29. Ἄρατε τὸν ζυγόν μου) Quasi dicat: jungite vos, & assumite jugum meum, quod est facile, qui olim assumsistis jugum Rehoboami, quod grave erat 1. Regg. XII. 14. Ita *Lightfootus* in Opp. Posth. p. 138. b. Phrasin ipsam Judaicam esse evincit *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum p. 19. seq. De eadem lege & *Schotti* Adagial. N. T. p. 36. & *Elsnerum* p. 60. ubi intelliges, profanos etiam Scriptores ita loqui, ac *Lucianum* nominatim in Fugitiv. p. 789. de doctrina mandatisque observandis adhibere.

ὅτι πραΰς εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ) πραΰς i. e. *comis* & *clemens*, ταπεινὸς autem *modestus*, qui non altos gravesque spiritus gerit, sed qui possit συμπαθῆσαι ταῖς ἀσθενείαις suorum, Hebr. IV. 15. adeoque non graviora sit impositurus, quam ferre valeant. Vide *Elsnerum* p. 61. qui ibidem recte monet, Christum his verbis se non proponere in exemplar τῆς πραότητος καὶ ταπεινώσεως, sed rationem reddere, quare ad se accedere & docentem audire debeant, nempe quod non durus & ferox esset, ut Pharisæi, de quibus infra XXIII. 4. In eandem causam *Clericus* ad h. l. observat, legis doctoribus se Christum hic opponere, quippe qui neque mites erant, neque humiles, cum onera illa Legis crudeliter exigerent, & superbirent, quod plebem Judæam sibi vectigalem viderent. Conf. Josephi Antt. Judaic. XX. 6. Ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ is est, quem alias & Græci ταπεινόφρονα dicunt, observante *Pischenio* §. 127. qui phrasin illam ibidem ab Hebraismo liberare conatur. Sed vide in contrarium *Vorstium* Philolog. Sacr. Part. II. p. 15.

καὶ εὑρήσετε) τὸ καὶ hic significat, quid inde sit secuturum. Ita etiam *Arrianus* II. 21. Diss. Epictet. V. *Raphel.* p. 66.

Vers. 30. Ὁ γὰρ ζυγός μου) Vide huc *Jo. Hoornbeckii* Dispp. Miscellan. lib. III. p. 312. sq. Agitur hic de jugo vel *crucis* vel *doctrinæ* Christi, ex sententia *Hackspanii* ad h. l. p. 70. Præstat posterius. Conf. huc *Amelium* Part. II. p. 515. sq. ubi post *Lightfootum* in Horis Talmud. ad h. l. & *Grellotum* in Prodromo commemorat, Judæos in scriptis suis de duplici jugo, *altero legis & præceptorum*, altero *cœlorum*, quod recipiendum suadent, loqui, quæ deinde ad præsens comma accommodantur. Vide & quæ ex Patribus in hanc sententiam affert *Suicerus* Tom. I. p. 1298.

χρηστὸς) *suavis*. Vulg. recte, secundum *Boisium* in Collat. ad h. l. Alii *utile* & *fructuosum* jugum hic dici putant, quod non tale sit, qualia homines imponunt, quibus se invicem adfigunt. Vide *Clericum* ad Hammond. & *Homberg.* p. 52. Alii *facile* reddunt cum *Beza*: Alii *lene*, *mite*, *benignum*, ut B. *Lutherus*, *Majus* Obss. Sacr. Part. I. p. 31. *Elsnerus* ad h. l. p. 61. qui *lene ac benignum* Christi imperium hic opponi putat ζυγῷ δυσβαστάκτῳ Pharisæorum *Act.* XV. 10. sicut φορτίον ἐλαφρὸν τῷ φορτίῳ βαρεῖ *Matth.* XXIII. 4. Certe vox χρηστὸς omnes illas significationes habet. Lenitatis suavitatisve & utilitatis tamen notio hic potior est, quæ utraque, monente *Alex. Moro* ad h. l. p. 41. conjuncta est, quia suavis benignusque censetur, qui se præbet aliis utilem. Hinc & *Tertullianus* Apolog. cap. 3. cum *Christianum* perperam *Chrestianum* ab Ethnicis dici observasset, id nominis a *suavitate* & *benignitate* compositum esse addit. Et bono omine *Christi*, quem *Suetonius* & alii Gentiles *Chrestum* vocant (vide *Rossalii* Dissert. de Chresto) jugum χρηστὸν vocatur. Vide *Morum* & *Majum* ll. cc. *Clericus* ad Hammondum per χρηστὸν ad Mosaicum jugum, quod, quatenus Evangelico jugo opponitur, nihil per se prodest, respici putat; per ἐλαφρὸν autem ad easdem Mosis Leges, in quantum illæ non sine maxima molestia observari poterant, cum viciissim observatio Evangelii longe sit facilior. Confer *Wolfburgium* l. c. p. 190.

CAP. XII.

VErs. 1. sqq. Vide huc *Spencerum* de Legibus Hebræorum Ritual. lib. I. c. 4. p. 109. ubi ostendere conatur, Pharisæos spicarum evulsionem in discipulis Christi hic castigasse, non quod Sabbati religionem labore vel minimo lædi crederent, sed quod præter necessitatem id ab illis factum existimarent, cum alioquin saniores opera servilia animæ, i. e. vitæ causa die Sabbati peracta in licitis habuerint. *Rich. Simon* viciissim in Notis ad vers. Gall. observat, Rabbinos inter res Sabbato illicitas retulisse τὸ *messem facere*; huic autem simile credidisse τὸ *evellere spicas*.

τοῖς

τοῖς σάββασι) Plerique Interpretes pluralem numerum pro singulari hic alibi occurrere recte arbitrantur, qua de re alio loco diximus. Hic observamus, *Surenhusio* singulari de causa Matthæum plurium numero usum videri, quod non ad vulgare quoddam Sabbatum, sed id, quod semel tantum quotannis veniebat, i. e. ad secundum diem festi Paschatis respectus habeatur, quod ex *Lucæ* VI. pateat, ubi Sabbatum hoc vocetur δευτεροπρωτον. Enimvero cum & alibi τὰ σάββατα in plurali numero de communi Sabbato dicantur, non crediderim, hic emphasin aliquam quæri debere. Vocem σάββασι pro σαββάτοις per ἑτεροκλισίαν positum non minus ferendum est, quam πρόβασι & κρίνεσι ex πρόβατον & κρῖνον, quod observat *Ostermannus* in Positionibus Philolog. ad N. T. Disp. I. §. 4. qui addit, ἑτεροκλισίαν ejusmodi ex Ætolorum consuetudine desumtam esse, testante Scholiaste *Lycophronis*.

διὰ τῶν σπορίμων) per *sata*, i. e. per agros frugibus consitos: per hos enim olim semitas fuisse constat e Codice Mischnico *Demai*.

ἤρξαντο τίλλειν) i. e. ἔτιλλον, *evellebant*. Τὸ ἄρχεσθαι enim sæpe abundat. Licebat vero eo tempore frugibus vesci, quia messis hordeacea erat matura, & ad demetendum ac comedendum licita, ideo quod secundo die Paschatis manipulus hordeaceus offerebatur, atque hinc cuique messem faciendi potestas fiebat. Vid. *Levit.* XXIII. & Menachoth cap. X. Confer *Surenhus.* l. c.

ἐπείνασαν) Fames hæc inde videtur orta, quod Sabbatum Hierosolymis celebraverant, cibumque nondum ceperant. Hinc JEsus, qui Hierosolymis non pernoctasse, nec cibum cepisse, ad Pharisæorum insidias cavendas, videtur, in suburbium urbi proximum ad prandium reversurus, in via, qualem Sabbato facere licebat, cum discipulis, famem sentientibus, per sata ibat. Vide *Lamium* p. 215.

Vers. 3. sqq. Vide huc *Altingii* Paralleliſmum Vaticiniorum V. T. p. 23. Tomo II. Opp. *Surenhusium* l. c. *Kidderum* in Demonstratione Messiæ Part. III. p. 78. B. *Gottfr. Olearium* ad Matthæum p. 369. sq. & Celeb. *Gottlieb Wernsdorfium* in Davide Ἀρτεφάγῳ a filio Davidis excusato, Wittenb. 1717.

Τί ἐποίησε Δαβὶδ) Judæi scilicet statuebant, ad imperium vel exemplum Prophetæ alicujus, quodcunque legis præceptum secure posse violari: vide *Grotium* de Veritate Relig. Christ. V. 6. & adde *Olearium* p. 370.

αὐτὸς καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ) *Jac. Amramides*, Judæus, in libro MSS. Anti-Christiano, quem *Portam veritatis* dixit, ex h. l. malæ fidei postulare audet Evangelicum textum, quod ibi sociorum Davidis mentio occurrat, cum tamen 1. *Sam.* XXI. 1. interrogetur David: *qui venis solus, & nemo tecum est?* Respondet recte *Kidderus* l. c. Davidem solum introiisse in Dei sanctuarium, quod & JEsus v. 4. memorat, postulasse autem panes non solum pro se, sed & pro

& pro ſuis, hinc Sacerdos v. 4. præſtruit, ſervos & ſocios Davidis a conſuetudine cum feminis puros eſſe debere, ſi panibus illis veſci vellent.

Verſ. 4. εἰ μὴ τοῖς ἱερεῦσι μόνοις) εἰ μὴ hic non *exceptive*, ſed *adverſative* pro ἀλλὰ ſumendum eſſe obſervat *Hackſpanius* in Notis p. 70. qua ratione ſæpe uſurpatur Hebr. כי אם & לא אם ut Pſ. I. 2. 4. Adde *Galat.* II. 16. *Eraſmus* tamen reddidit per *niſi*, reprehenſus ideo a *Beza*, ſed defenſus ab *Hombergio* ad h. l. p. 53. qui monet, τὸ εἰ μὴ hic jungendum eſſe cum ἐξὸν ἦν φαγεῖν, & ſegreganda verba αὐτῷ cum iſtis οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτῷ, cum nihil frequentius ſit in his libris, quam, ut, ſervata conſtructione, addita reperiantur orationi aut commati verba, quæ ſenſum quidem explicant, attamen intelligi poſſunt, etſi non addita eſſent.

Verſ. 5. Vide *Altingii* Parallelismum Vaticiniorum p. 24. T. II. Opp.

ἐν τῷ ἱερῷ) i. e. *propter templum* ex ſententia *Olearii* p. 371. per Hebraiſmum ſcilicet, in quo particula ב frequentiſſime hanc notionem habet. Senſus foret, eos id facere, ut cultus & religio templi ſine intermiſſione obſervaretur. Hac vero ratione putat optime reſpondere cetera, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε. Idem jam innuit *Hammondus*, qui ita παραφράζει: *Si templi & ſacrorum cauſa lex de Sabbato non obſervatur; multo magis idem fiet propter Chriſtum, qui eſt major templo.*

τὸ σάββατον βεβηλοῦσι) *Chryſoſtomus* Homil. XL. in Matth. p. 376. emphaſin hinc quærit, ita ſcribens: ἐκ εἶπε, λύουσι τὸ σάββατον, ἀλλὰ, τὸ φορτικώτερον, βεβηλοῦσι. Sed videtur Dominus noſter reſpicere ad phraſin in hac cauſa Judæis receptam, qui eos vocant מחללין, qui Sabbatum profanant. Phraſis ipſa ſibi vult, obſervante *Simone* in Notis, ac ſi diceretur: *faciunt ea, quæ violarent Sabbatum, niſi cultum Dei reſpicerent.* Vel id infert Chriſtus, Sacerdotes id egiſſe Sabbato, quando nempe ligna ſcindebant, ignem accendebant &c. quod ſi egiſſet alius, is Sabbatum profanaſſet. Vide *Vitringam* de decem otioſis p. 125. qui commode huc refert *Maimonidæ* & *Bartenoræ* obſervationem ad c. V. *Peſachim*, אין שבות במקדש i. e. nullum in ſanctuario ſeu templo otium eſſe. Confer *Outramum* de Sacrificiis I. 16. §. 7. & *Relandum* in Antiquitatt. Hebr. p. 483. Atque hinc forte vera cauſa, cur Chriſtus τοῦ ἱεροῦ hic mentionem fecerit, reddi poteſt, non ſcilicet eo præciſe ſenſu, ut ad cultum Dei reſpiciatur, quod antea ex ſententia Virorum doctorum attulimus, ſed ut innuatur, in ipſo quoque templo tale quid facere licuiſſe Sacerdotibus, quod alibi nec illis, nec cuiquam fas erat. Subtilius hinc colligit *Spencerus* de Legibus ritual. Hebr. p. 139. Judæos laborem etiam Sabbato non detrectaſſe, modo actionum ſuarum circumſtantiæ omnem idololatriæ ſpeciem aut ſuſpicionem amoverent.

Verſ.

Verſ. 6. μείζων ἐστὶν ὧδε) Codd. nonnulli habent μεῖζον, atque id mavult *Bos* in Exercitatt. p. 11. tum ob Codices, ut putat, veteres & optimos, tum quod v. 41. dicatur πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε. Non videtur diſſentire Millius. Accedit & *Olearius* p. 371. qui id Chriſtum putat innuere: *majus hic eſt & præſtantius templum*, ipſe nempe Chriſtus, in quo longe magis auguſte divina majeſtas habitet, & tanquam in templo quodam reſideat. *Coloſſ.* I. 9. II. 9. Sed quemadmodum in phraſi πλεῖον Σολομῶντος & Ἰωνᾶ ὧδε *Luc.* XI. 31. & *Matth.* XII. 41. non dixit Chriſtus, ſe eſſe *Salomonem* aut *Jonam*, ſed utroque excellentiorem; ita nec templum ſe appellare, ſed prærogativam tantum præ eo indicare videtur. Interim ſenſus utrinque idem eſt, & utrumque genus Grammaticæ rationes admittunt.

Verſ. 7. Εἰ δὲ ἐγνώκειτε & v. 5. ἢ οὐκ ἀνέγνωτε) ita etiam Hebræi, ubi aliquid allegare volunt: vide *Surenhuſ.* p. 32.

ἔλεον θέλω) Quomodo actio diſcipulorum ex hoc loco vindicari poſſit, oſtendit *Guſſetus* in Commentar. L. Hebr. p. 828. Non dubitaverim facere hic cum *Oleario* p. 373. qui verba hæc opponi putat judicio Phariſæorum immiti & rigido, de diſcipulis, tanquam Sabbati violatoribus, lato. Hinc ſtatim dicitur: οὐκ ἂν κατεδικάσατε. Jam vero etiam alias Salvator Optimus, ubi ſuos vult eſſe εὐσπλάγχνους, inprimis jubet: μὴ κρίνεσθε *Luc.* VI. 37. Sic ἔλεος opponitur τῇ κρίσει *Jac.* II. 13. Id itaque vult Chriſtus, Phariſæos de diſcipulis famelicis æquius & benignius judicaturos fuiſſe, ſi recte cogitaſſent de miſericordia & benignitate, tam graviter a Deo præcepta.

Verſ. 8. Κύριος) Hac voce ſimul ad Davidem reſpici hic putat *Olearius* p. 370. qui Meſſiam in Spiritu Dominum ſuum vocaverit Pſ. CX.

καὶ τοῦ σαββάτου) Quia τὸ καὶ in variis Codd. Græcis deeſt, Marci aut Lucæ eſſe putat *Millius*; ſed recte retinendum ſuadet *Whitby* p. 39.

ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) Diſputatur hic ab Interpretibus, utrum hac appellatione homo quivis an vero Chriſtus κατ' ἐξοχὴν intelligatur. Prius placuit multis, quorum præcipuos nominabimus. Hi ſunt *Alph. Toſtatus*, *Crellius*, *Wolzogenius*, *Grotius*, *Rich. Simon* in notis ad N. T. *le Cene* in Projet p. 744. At *Grotio* ſe oppoſuit præter *Hammondum* ad h. l. B. *Calovius* noſter in Bibliis illuſtratis. Cumque *Clericus* ad Hammondum Grotii cauſam adſerere conaretur, *Olearius* p. 373. ſqq. pro Hammondo ſtetit, quemadmodum *Carolo le Cene* ſe oppoſuit *Guſſetus* in Conſiderat. Theologicis Gallice editis Sect. IV. lib. I. *Rich. Simon* a fidei ſuæ ſociis propter eandem interpretationem notatus vindicias ſui ſuſcepit in Bibl. Criticæ Tom. IV. ep. 40. Plerique Chriſtum hic denotari recte arbitrantur, cum & perpetua hæc ſit appellationis υἱὸς τοῦ

ἀνθρώπε notio in N. T. in quo octoginta octo vicibus occurrit, & series sermonis adstipuletur, nec Marci locus II. 27. ad quem inprimis provocat *Grotius*, obstet. Vide, quæ ibi dicemus. Placent omnino *Cocceji* verba, quæ in Epistolis ejus p. 76. b. Tomo VI. Opp. ita leguntur: *Non sequitur: Hominis causa factum est Sabbatum; Ergo homo est Dominus Sabbati. Sed bene sequitur: Ergo is, cujus est homo, & qui propter hominem venit in mundum, quique omnem potestatem in cœlo & terra possidet, in hominis salutem & bonum est, & Dominus Sabbati. Ceterum Dominus Sabbati non esset, nisi esset supremus νομοθέτης, & nisi ad ipsius gloriam pertineret Sabbati institutio, & ejus usus ad salutem hominis.* Lege præterea *Henningii* programma singulare, quod exstat in Sylloge Programmatum I. a *Gabr. Ternio* edita p. 409. sqq.

Addendum hoc loco est, B. *Olearium* ad Matth. p. 376. sqq. ex ista cum Pharisæis disputatione Domini nostri de Sabbato, occasionem sumere disquirendi, quid tandem in celebratione Sabbati morale, quidque cerimoniale sit. Totam summam eo existimat redire, ut, quicquid fiat honoris divini causa, eidemque vel per se immediate subordinetur, vel ad eum promovendum quomodocunque faciat, illud ad Sabbatum profanandum non pertineat. Constat satis alioquin, de hoc argumento, tum in Belgio, tum superioribus annis etiam in Germania, multis disputatum esse, qua de re alibi dicendum est pluribus.

Vers. 10. Ad hoc comma de miraculis Christi & Vespasiani differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 623. Totam vero hanc pericopen illustrat *Jo. Andr. Danzius* in Disput. de Curatione Christi Sabbatica vindicata ex legibus Judaicis contra calumnias Judaicas, Jen. 1699. 4.

τὴν χεῖρα ἔχων ξηρὰν) Vide V. H. *Voglerum* de rebus naturalibus p. 304. seq.

Vers. 11. ἐὰν ἐμπέσῃ τοῦτο τοῖς σάββασιν εἰς βόθυνον) Contrarium huic videtur sancire, & tanquam Judæis receptum describere *Moses Constensis*: sed vide *Jac. Cappellum* p. 25. Obss. in N. T. ubi & alia de moribus Judæorum in Sabbato probatis. Adde & *Schickardum* ad Jus Regium Hebr. p. 385. In Talmud quidem negatur hoc ipsum de ove ex fossa extrahenda; at id factum videtur esse destinato consilio in fraudem veritatis Evangelicæ, quod observat ad h. l. *Gussetus* in Confutatione *Chissuck Emuna* p. 331. Receptam autem usu fuisse Christi tempore traditionem hanc vel inde patet, quod alioquin Christus eam adversariis suis obvertere tam confidenter non potuisset. Confer *Buxtorf.* in Synagoga Judaica cap. XI. qui scite monet, negatam illam ovis ex fossa extractionem non in Mischna sed in Gemara, cujus ætas recentior est, occurrere, quod luculentum præbet susceptæ hic mutationis argumentum. Est tamen vel sic aliquid huic simile in *Maimoni-*

de

de Tract. de Sabbato c. 25. Conf. *Lamium* p. 217. Ceterum ex hoc non sequi, quod Sabbatum a Christo penitus abrogatum sit, ostendit *Altingius* Tom. V. Opp. ubi de Sabbato, p. 68.

Vers. 12. καλῶς ποιεῖν) per Hebraismum id dici pro εὖ ποιεῖν jampridem monuerunt eruditi, quibus se opposuit minus feliciter *Pfochenius* §. 78. ceu ostendit *Gatackerus* in opposita ipsi commentatione c. XXVII.

Vers. 14. κατ' αὐτῦ ἐξελθόντες) i. e. *contra ipsum expeditionem quasi suscipientes*, judice *Oleario* ad h. l. p. 385. Eo enim sensu τὸ ἐξέρχεσθαι in profanis Scriptoribus, v. c. *Xenophonte*, & aliis passim occurrit sicut & in Hebr. יצא ut *Exod.* XX. 10. & *Deut.* XXVIII. 7. 28. ubi apud τὸς LXX. τὸ ἐξέρχεσθαι respondet. Atque hoc malim, quam cum *Lamio* p. 234. Harmoniæ suspicari, miraculum, proxime relatum, factum esse in Judæa, hinc vero Christum ad declinandum Pharisæorum odium in Galilæam digressum, atque illuc eum secutos esse Pharisæos, ut ministerio aulicorum Herodis Christum caperent, & morti traderent. At huic conjecturæ obstat, quod JEsus ex eo loco, in quo prius illud miraculum ediderat, non dicitur ante digressus, quam insidiæ a Pharisæis ipsi structæ innotuissent.

Vers. 15. ἀνεχώρησεν ἐκεῖθεν) *retrocessit inde*: vox militaris, quæ nunc de fuga, nunc de prudenti subductione, qualis hic erat, usurpatur.

Vers. 16. καὶ ἐπετίμησεν) *imperavit*, secundum Vulgatum, quem tamen alii deferentes verti maluerunt: *prohibuit cum comminatione*. Sed vide *Rich. Simonis* Hist. Critic. lib. III. p. 885. & p. 891.

ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν) *Episcopius* Tom. I. Opp. Part. II. in Responsione ad LXIV. Quæstiones, p. 10. mandatum illud speciatim ad obsessos, &, qui in illis erant, dæmones pertinere putat, quibus hic injunxerit Christus, ne tam opera & miracula sua non divulgarent, quæ in tanta hominum multitudine facta, occultari certe non poterant, quam non dicerent & prædicarent, *ipsum esse filium Dei*. Accedit illi *Herm. Witsius* in Meletematibus Leidens. p. 352. Sed sensui verborum propius accesserimus, ni fallor, si verbis ipsis pressius insistamus. Loquitur Evangelista de Christo ipso & ejus persona, (αὐτὸν) adeoque non de sermonibus ejus aut miraculis. Hæc isto quidem loco taceri non jubet, sed divulgari vetat *personam*, in quam scilicet Judæi conjuraverant. Confer *Olearium* l. c. p. 386. Phrasi Græca φανερὸν ποιεῖν usus etiam est *Polybius*. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 67.

Vers. 17. seq. Dictum Jesaiæ cum citatione hac diligenter comparant *Olearius* l. c. *Altingius* in Paralleliſmo Vaticin. p. 24. Tom. II. Opp. *Witsius* in Meletematibus Leidensibus Exerc. VIII. *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 235. sq. & *Campeg. Vitringa* in Commentario super Jesaiam Tom. II. p. 423. sq.

Verſ. 18. Ἰδὲ, ὁ παῖς μȣ) *Matthæus* in h. l. τὸν LXX aliquoties deſerit, cujus inſtituti rationem reddit *Jo. Conr. Schwarzius* in Notis ad Olear. de Stylo N. T. p. 147. ſq. In Hebræo eſt עבדי, i. e. *ſervus meus*. Eam vero notionem obtinet quoque Græcum παῖς. Vide *Alex. Morum* ad N. T. p. 196. & *Surenhuſium* p. 237. qui præterea monet, Evangeliſtam maluiſſe hac voce uti, quam δȣ̃λος vel τεραπεὺς (ſcribere voluit θεραπων) adhibere, ut ſimul benevolentia Patris in Filium declarata innueretur. Vereor ſane, ut id ſatis ſolide dicatur, cum ſequens ἀγαπητὸς id ipſum exprimat.

ὁ ἀγαπητός μȣ) i. e. *unicus:* hoc enim ſenſu vocem iſtam a LXX. Intt. & Græcis quoque externis uſurpari, oſtendit *Heinſius* in Exercitatt. Sacris p. 94. ſq. Conf. *le Cene* in Projet. p. 564.

καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ) *Hombergius* phraſin hanc conferri vult cum ea, qua utuntur οἱ LXX. in *Jeſ.* XLII. 1. Idem ita accipit, ac ſi Latine dixerit: *diem dicet gentibus.* Enimvero id quidem contextus non facile admittit, ubi non tam de judicio, quam miſericordia & lenitate exercenda ſermo eſt. Itaque alii rectius τὴν κρίσιν in genere de doctrina Chriſti ſancta, vera, ſalutari, juſta (ad Hebr. משפט) acceperunt, *vel ſpeciatim de Evangelio & ſalutari nuncio*, qualis in Evangelio revelatur. Conf. *Hammondum* ad h. l. & *Guſſetum* in Commentar. L. Hebr. p. 881. qui ita habet: *Nempe* חשים משפט *Jeſ. XLII. 4. non eſt judicii exſecutio per ſupplicia: ſed eſt Evangelii conſtitutio in terra. Quæ terra hic ſumenda eſt pro orbe univerſo, quippe continere debens inſulas illas, quæ ſpem in Chriſtum negotio hoc facto concipient, ut ait textus. Communit & conſpirat v. 3.* יוציא משפט *educet judicium. Legem iſtam educet ex Judæorum terminis, deducet ad Gentiles. Et felici ſucceſſu illam ad hos educet* לאמת *in veritatem, ut ea Lex eſſe veritas agnoſcatur a Gentibus. Robertus Flemingius* in Chriſtologia ſua verba hæc ita exprimit: *totam Oeconomiam N. T. exponet.* Conf. Acta Erudit. Tom. IV. Supplem. p. 349. Ceterum non videtur opus eſſe illa parentheſi, cui, quæ poſt hæc verba uſque ad ἕως ἂν ἐκβάλῃ &c. ſequuntur, includi vult *Knatchbullus*, ad h. l. p. 11. Conveniens enim eſt, ut prædicatio doctrinæ & modus eam annunciandi arctiſſime conjungatur, & memoretur ante, quam finis exponatur. Confer *Hombergium* p. 53.

Verſ. 19. οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει) Ad placidum ſedatumque docendi ac diſputandi cum adverſariis morem hoc retulerunt Interpretes tantum non omnes, recte quidem, quorum ſententiam nuper ex Plutarcho inſigni loco illuſtravit *Elsnerus* p. 63. *Trigl.andius* quoque in Diſſert. de Karæis hæc appoſite dici ait ad Rabbinorum ſolitos ſtrepitus atque clamores, p. 122. At *Olearius* p. 389. ad tumultum reſpici putat, qualis in bello manibusque conſertis excitari ſoleat. Sic enim hæc cum antecedentibus, in quibus, ceu docuimus, Phariſæi tanquam accincti, in Chriſtum prodiiſſe dicuntur, magis conſpirare putat. Mihi quidem in univerſum hic mitis lenisque & injuriarum patiens Chriſti animus innui videtur, qualem is non ſolum

lum in isto casu, sed & per totam officii administrationem probaturus sit, ut proinde necesse non videatur, verbis his ex ista circumstantia sensum subjicere.

Vers. 20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 36. B. *Dassovius* Diss. III. de Emphasibus Sacrorum Vocum p. 10. ad veterum Hebræorum ritus hic putat alludi. Tabernacula enim festo illis proprio tegi solebant arundinibus, ita, ut si illæ vel fractæ essent, vel aliquot etiam foliis orbatæ, tamen legitime adhiberentur. Vide *Maimonidem* tract. סוכה cap. V. §. 1. & 6. Similiter ubi in candelabri sacri lampade aliqua ellychnium adhuc fumigaret, eo tempore, quo accendendæ omnes erant, idem illud accendebatur, sicut vicissim, si semel esset exstinctum, etiam oleo adhuc suppetente, totum ellychnium removebatur & abjiciebatur. Hæc ad scopum Christi accommodaturus addit, fidelem infirmum cum arundine fracta & ellychnio fumigante comparari, quæ Christus tueatur, foveat, excitet &c. In eandem sententiam lege *Hammondum* & *Clericum*, qui phrases ejusmodi Latinis quoque receptas fuisse ostendit. At intercedit *Amelius* Parte I. p. 661. qui cum *Gurtlero* in Systemate Theologiæ Propheticæ p. 388. calamum quassatum & linum fumigans de Judæis Christi hostibus non statim exstirpandis, sed ad tempus tolerandis, quamvis exitio propinquis, interpretari mavult. Interpretatio hæc alienior nata videtur ex male & nimis proprie accepta voce κρίσις, quæ tamen hic, ceu ostendimus, ad Hebr. vocis משפט exemplum latius extendenda, & de tota Christi doctrina intelligenda est.

De verbo κατεάξει vide diligenter agentem *Soucietum* in Collectione Dissertatt. Criticarum p. 570. ubi ostendit inter cetera, id non a verbo ἄγω vel ἄγνυμι sed ἄσσω unde κατάσσω, derivandum esse, quia τὸ κατάσσειν apud *Artemidorum* & in *Etymologico* M. occurrit. Τὸ ε vero putat ex Atticismo natum, secundum quem scilicet τὸ η resolvi soleat in εα, ut ἔαγε dicatur pro ἦγε, hinc vero etiam nonnunquam occurrat in Temporibus, v. c. hic in Futuro, ubi alias locum non habet. *Erasmus Schmidius* ad h. l. singularem formam hic observat.

ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν) Hæc verba respondere possunt duplici phrasi, quæ apud Jes. c. XLII. exstat, nempe vel illi עד ישים בארץ משפט i. e. *donec posuerit in terra judicium*; vel isti: לאמת יוציא משפט. Ad priorem hic potius respici censet *Surenhusius* p. 238. Ad posteriorem *Olearius* p. 395. inprimis ideo, quod τὸ ἐκβάλῃ diserte exprimat Hebraicum יוציא quod LXX. Intt. voce illa Græca passim exprimunt. Sic itaque *educere in veritatem judicium*, idem foret, ac: eo usque perducere causam ac urgere, ut veritas ejus & bonitas pateat, adeoque superior evadat. Existimaverim, recte nos facturos, si dixerimus, Matthæum hic utramque illam phrasin compendii causa in unam compegisse, quod in eodem hoc loco synonyma etiam

alia Jesaiæ eum, recte observante *Grotio*, omisisse videmus. Huc tendit *Gussetus* in Lexico p. 748. ita παραφράζων: *Ad fidelitatem firmam exercendam edet in lucem judicium, quod non restringitur, nec frangetur, usque quo constituerit in terra judicium, & in ejus Lege Gentes spem suam ponant. Sic fit plena victoria, & impletur vox νῖκος.* Nihilominus tamen & *Hammondus* ad posteriorem illam phrasin Matthæi יוציא לאמת משפט respectum haberi contendit, contra quem *Clericus* monet, Jesaiam, si idem, quod Matthæus habet, exprimere voluisset, dicturum potius fuisse: יוציא משפט אמת. Itaque mavult is, Evangelistam non tam verba ipsa, quam eorum sententiam hic repræsentasse, ut sensus sit, Christum doctrinam de veritate ita prolaturum, ut vincat mendacium, atque ita vera videatur. Hi itaque omnes recte τὸ νῖκος de victoria accipiunt. At *Hombergius*, τὸ νῖκος pro ἀληθείᾳ, quod est apud τὲς LXX. poni videns, idem hic esse vult, quod *plane, ad finem, perfecte, vere*, εἰς τέλος.

Alii non tam ad Hebraicum textum, quam ad ipsius Græcæ phraseos conditionem sensum venantes aliam viam ingrediuntur. Sic *Raphelius* in Notis Polybian. p. 67. post *Luc. Osiandrum* id dici vult hac phrasi: *restaurabit doctrinam a sumnis Pontificibus, Pharisæis & Scribis depravatam;* seu: *vere proferet judicium* i. e. ita late proferet Evangelium, ut vere prolatum & propagatum dici possit: er wird das Evangelium rechtschaffen hervor bringen und ausbreiten. *Elsnerus* interpretatur p. 63. *dum causa superior discedat* i. e. dum victoriam causæ suæ judicem constituat, cujusmodi phrasin ex Plutarcho in Cicerone p. 865. affert. Sed ita quidem vox κρίσις prorsus deflectitur ab eo significatu, quem v 18. omnino obtinet, & hic obtinere debet.

Τὸ ἕως *Hombergius* non per *donec*, sed per *dum* seu *quamdiu* reddendum hic putat. Sed præstat in consueta illa significatione persistere, quia a se invicem hic distinguuntur *prædicatio* doctrinæ v. 18. ἀπαγγελεῖ τὴν κρίσιν, & firma ejus in animis ad convictionem fundatio, quæ prioris illius effectus & finis est.

Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι) Jesaias habet בתורתו i. e. *in Lege ejus.* Utramque phrasin erudite confert *Keuchenius* p. 60. ad h. l. *le Cene* p. 711. sensum esse ait: Gentiles profitebuntur doctrinam ejus. Hebraismum in hac structura statuit *Vorstius* Philolog. Sac. Part. II. p. 209.

Vers. 22. Τότε προσηνέχθη αὐτῷ δαιμονιζόμενος) Hunc dæmoniacum ab illis distinguendum esse, de quibus *Marc.* III. & *Luc.* XI. contendit B. *Sandhagenius* in Epistolis Theolog. Dec. I. p. 73. sq.

ὥστε τὸν τυφλὸν καὶ κωφὸν καὶ λαλεῖν καὶ βλέπειν) Chiasmus hic est, quando primum nomen construitur cum ultimo verbo, & contra: Vide huc *Knatchbullum* p. 70.

Ad h. l. *Grotius* in notis ostendit, Jesum tanquam Messiam omnino miracula facere debuisse. Atque id quidem & alii contra Judæos demonstrarunt. Vide quos citat J. A. *Fabricius* in Bibliograph. Antiquar. p. 424.

Vers

Verſ. 24. ἐν τῷ Βεελζεβὰλ) Vide de hoc nomine ad h. l. *Brand. Henr. Gebhardi* Diſput. *Gryphiswald.* 1702. 4.

Verſ. 25. πᾶσα βασιλεία &c.) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 37. & *Vorſtium* cap. X. De diſcordia regna vaſtante hic differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis. Locis a *Grotio* allatis Cl. *Trillerus* in Notis MSS. addit unum *Hippocratis* ex lib. I. de Diæt. §. 7.

Verſ. 27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν ἐν τίνι ἐκβάλλουσι) *filios* ſeu *diſcipulos* Phariſæorum hic dici eos, qui vel doctrinam eorum ſequerentur, vel mores etiam exprimerent, monet *le Cene* in Projet p. 739. Recte omnino, quod Interpretes recentiores tantum non omnes merito amplectuntur. At *Athanaſius*, & cum eo veterum Doctorum multi, per eos intelligi volunt Apoſtolos Chriſti, quippe ex Judæis ortos. Sed recte obſervat *Sam. Basnage* in Exercitatt. Hiſtorico-Criticis p. 630. abſtruſam & forte præpoſteram rationem eſſe, cur Chriſtus ſuos diſcipulos, Phariſæorum, ſe verbis amaris inceſſentium, filios appellarit. Nec ullam rationis umbram linguarum rabidarum habuiſſet calumnia, cum Apoſtoli auctoritate Chriſti atque nomine imperarent dæmonibus. Poſſe tamen *filiorum* nomen ſenſu proprio ad deſignandos illos, qui ortum duxerint ex Phariſæis, accipi idem monet, modo Judæi Exorciſtæ intelligantur. Atque de illorum incantationibus & adjurationibus, de quibus ad h. l. *Grotius* & *Hammondus*, idem commentatur, præterque eum alii, quos laudat Celeb. *Fabricius* ad Codicem Pſeudepigraphum V. T. p. 1036. De iisdem lege & *Calmetum* in ſingulari Diſſert. ad h. l.

Verſ. 29. Vide huc *Vitringæ* Commentar. ad Jeſ. XL. 10. p. 365. ubi inprimis oſtendit, per τὸν ἰσχυρὸν Satanam intelligi, qui fortis & robuſtus vocetur, tum, quod naturali vi in maximis effectis, ſecundum naturæ legem producendis, polleat, tum vero aſtutia polleat & poteſtate in dæmones, & in Rectores mundi, temporibus ignorantiæ ipſi ſubjectos & obnoxios, quam, Deo permittente, ita exercuerit, ut dicatur ſeduxiſſe totum Orbem *Apoc.* XX. 1.

Verſ. 30. καὶ ὁ μὴ συνάγων) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 37. De collectione & diſperſione ovium hic ſermonem eſſe putat *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 540.

Verſ. 31. βλασφημία) B. Lutherus recte reddit Gotteslåſterung, indignante *Chriſtoph. Sandio* in Interpretationibus Paradoxis ad h. l. ubi opinatur, blasphemiam nomen eſſe generale, & quamlibet calumniam denotare. Ferre ſcilicet non poterat, ut, cum de Chriſto hic etiam ſermo ſit, ille vel hinc etiam Deus eſſe crederetur. Sed vide *Olearium* ad h. l. p. 397.

κατὰ

κατὰ τὸ υἱὸ τὸ ἀνθρώπε) Cur Christus ita vocetur, ostendit *Suicerus* ex Patribus Tom. II. Thesauri p. 1355.

ἀφεθήσεται) i. e. *remitti potest*, ex Hebraismo, cujus ductu in Scriptura S. ea, quæ intelliguntur de potentia, sæpe ita efferuntur, ac si jam facta essent. Vide *Hackspanium* ad h. l. p. 71.

Ad hunc & sequentes versus lege ex nostratibus inprimis *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sacr. p. 132. seq. & eos, qui ex hoc potissimum loco doctrinam de Peccato in Spiritum S. exposuerunt. Ex Reformatis legatur *Marckius* in Exercitatt. Biblicis p. 681. sqq. Ex Pontificiis *Aug. Calmetus* in singulari Dissert. Commentario ejus in Marcum præmissa. Id addere adhuc fas sit, *Olearium* ad h. l. p. 392. sqq. confutare illos veteris Ecclesiæ doctores, ac nominatim Cyprianum, qui peccatores in Spiritum S. eos esse ajunt, qui divinam Christi naturam inficientur. Hanc sententiam amplexus quoque non ita pridem est *Amelius* Part. I. p. 137. sq. & 641. sqq. postquam eandem impugnasset *Jo. Nicol. Quistorpius* in Diss. contra novam de Peccato in Spiritum S. hypothesin, *Rostoch.* 1709. 4. ubi cum data opera ostensum fuisset, non solos Judæos tempore Christi hujus criminis reos fuisse, quod ὁ δεῖνα in *epistola singulari de Peccato in Spiritum S. & descensu Christi ad inferos* affirmaverat, in Epimetro alterius illius opinionis confutatio suscipitur. Quid Patres de peccato hoc in Spiritum S. senserint, lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 698. sqq. ubi & videbis, quid per peccatum in filium hominis indicari censeant.

Quæ Auctor τὸ *Chissuck Emuna* ex hoc commate, in quo diversitas peccati in SS. Trinitatis personas exponitur, attulit, ut unitatem essentiæ divinæ infringat, ad ea respondet *Gussetus* in Confutat. sacerrimi libellii p. 68. & 377.

Vers. 32. ἐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ) Id quidam per μείωσιν dici putant pro: *is gravissime punitur*. Vide *Pfochenium* §. 86.

ἔτε ἐν τέτῳ αἰῶνι, ἔτε ἐν τῷ μέλλοντι) Ita passim Hebræi, ut omne tempus excludant. Vide *Hackspan.* in Notis p. 76. sq. & de Usu Librorum Rabbinicorum p. 432. Adde *Witsii* Miscell. Sacr. lib. II. Tom. I. p. 621. sq. (qui præterea Grotio adstipulatur, statuenti, Christum utrumque sæculum hic nominasse, ut Judæis auferret persuasionem, peccata saltem post mortem Judæis, nisi in vita id factum esset, remitti) *Jo. Vorstium* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 33. & Part. II. p. 259. *Drusium* in Proverb. Class. II. lib. III. n. 24. *Fesselium* Adversar. Sacr. III. 2. p. 231. & *Suicerum* Tom. I. p. 141. Pontificios nihil hic pro adstruendo purgatorio suo invenire, tum *Hackspanius*, tum vero etiam *Saubertus* in Palæstra p. 354. & B. *Ittigius* in Opusculis p. 167. evicit. *Wedelius* in Exercitat. de usu rationis p. 48. existimat, peccatores hos ideo peccatorum remissione excidere, quia mentem diaboli, omni ipe veniæ excluſi, assumserint. Huc fere tendit & *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 43. quando peccati hujus πρωτότυπον in diabolo cerni monet, quippe qui

peccet,

peccet, ut peccet, nullo fructu, tota voluntate. Addit idem occasionem anathematis hujus forte petendam esse ex dicto Rabbinorum: החולק על רבו כחולק על שכינה i. e. *qui contendit contra Magistrum suum, est quasi contendens contra Spiritum S.* Quasi Pharisæis, hoc inter discipulos jactantibus, exprobrare voluisset, nescire ipsos, quid sit peccare in Spiritum S.

Vers. 33. ἢ ποιήσατε τὸ δένδρον καλὸν &c.) i. e. edite fructum, ut arboris bonitas innotescat. Vide *Hackspan.* ad h. l. p. 79. qui præterea monet, non deesse ex nostratibus, qui hæc non de Pharisæis, sed de Christo accipiant, quasi Christus diceret: *miracula jam feci, declarate ergo ex illis, an arbor bona sim, an mala.* Facile patet, prius esse præferendum.

Vers. 34. Γεννήματα ἐχιδνῶν) De ingratis dici, ostendit *Schottus* in Adagial. N. T. p. 38. Confer de hac phrasi *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 754.

πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν) De verbis, animum prodentibus, lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. & *Schottum* l. c. p. 38. qui & ibidem de phrasi sequente ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας &c. quæ etiam Hebræis recepta est, differit. Vide *Triglandium* de Karæis p. 14. Adde *Gatackerum* ad Antoninum p. 148. b.

Vers. 35. Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος &c.) *Schottus* l. c. p. 39.

θησαυροῦ τῆς καρδίας) τῆς καρδίας omittunt hic Codd. nonnulli, idque propterea ex Lucæ loco parallelo huc translatum putat *Millius* ac *Pfaffius* de Variant. Lect. p. 187. Cum vero v. 34. dicatur ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας, non video, cur non Matthæus eadem voce hic uti voluerit. Conf. *Whitby* p. 39. Examinis.

ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ) Locum *Polybii*, in quo idem verbum ter occurrit, lege apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 69. Vide etiam Cl. *Frid. Adolph. Lampe* in Exercitatt. ad Ps. XLV. p. 80. Idem *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 32. post *Casaubonum* monet, articulum τὰ in phrasi ἐκβάλλει πονηρὰ omissum esse, ut intelligatur, alterius quidem animum totum malum esse, alterius vero non sine admixtione mali: unde delectu opus sit, ut ea sola, quæ bona sunt, proferantur, malis suppressis.

Vers. 36. Λέγω δὲ ὑμῖν) Per hanc formulam ad Christum λόγον respici putat *Jo. Faes* in Christo incœnato p. 130.

ῥῆμα ἀργὸν) Huic respondent apud Judæos דברים בטלים i. e. *verba inania*, quæ illi passim memorant, v. c. *Abrah. Jagel* in לקח טוב quæst. 26. ubi inter peccata numerantur. Alia loca vide apud *Odhelium* in Synagoga Bifronte p. 126. *Hackspanium* de usu librorum Rabbinicorum p. 436. & *Triglandium* de Karæis p. 168. Pro sermone *inutili* accipit auctor præfationis ad Opera Lightfooti * *. 3. qui id otiosum ait esse, quod fiat sine utilitate loquentis.

quentis. Idem probat *Vorſtius* Part. I. Philolog. Sac. p. 65. *Mericus Caſaubonus* in Tractat. de uſu verborum per *verba ſimulata* explicat. Vide illum recuſum cum Epiſtolis Iſ. Caſauboni p. 146. ſq. Verba *mendacia* innui, contendit *Keuchenius* ad h. l. & *Rich. Simon* in notis. *Perniciosa* vero *le Cene* in *Projet* &c. contra quem lege *Guſſeti* Conſiderationes Theologic. lib. III. Sect. 2. Diligenter de eadem voce ex Græcis inprimis Scriptoribus commentatur, præter *Hammondum* & *Clericum*, *Alex. Morus* p. 44. ſq. *de Prado* in Pentecontarcho p. 121. *Amelius* Part. I. p. 189. & in ſingulari Diſſertat. de Verbo otioſo, Kilon. 1710. 8. edita, itemque Auctor epiſtolæ (quem de Cl. *Lenfantio* interpretor) quæ exſtat in Biblioth. German. Gallice edita Tom. III. p. 98. ſq. Plerique eo tendunt, ut per μειότητα *otioſus* & *vanus* ſermo de peſſimo quoque, atque adeo non ſolum *vano*, aut *inutili*, ſed *noxio*, *impio*, *injurio* & *blaſphemo* accipiant, unde & in ſcholiis nonnullorum Codd. marginalibus per πονηρὸν explicatur. Atque in horum mente acquieſcimus. Præclarum omnino eſt, modo verum, quod *Maimonides* in Hilchoth דעות cap. II. §. 4. tradit: אמרו על רב תלמיד רבינו הקדיש שלא שח שיחה בטילה כל ימיו: i. e. *Referunt de Rab diſcipulo Magiſtri noſtri Sancti*, (i. e. R. Jehuda) *quod nunquam ſermonem inutilem ſeu otioſum locutus ſit.* Adde Andr. Glauchii Diſſert. de verbo otioſo, *Martisburgi* 1678. & B. *Schelguigii* Diſp. de otioſi verbi rigido Examine, Gedan. 1686.

Verſ. 37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σε) i. e. *propter ſermones tuos*: vide *Elsnerum* p. 64. Confer *Gatackerum* de Stylo N. T. c. 30.

Verſ. 38. θέλομεν) i. e. *velimus*, ſeu *optamus*. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 32. & *Eraſmum Schmidium* ad N. T. p. 33. Hunc ſenſum indicare voluiſſe videntur, qui hic ſcripſerunt θέλωμεν, in forma ſubjunctivi, qua tamen non opus eſt mutatione.

σημεῖον) Hic non miraculum quodcunque, cum plura quotidie ederet JEſus, ſed tale indicatur, quod *Matth.* XVI. 1. *Marc.* VIII. 11. & *Luc.* XI. 16. vocatur σημεῖον ἐκ τῦ ὐρανῦ, h. e. ejusmodi, quod in cœlo & circa res cœleſtes verſaretur. Vide *Vitringam* lib. II. Obſervatt. Sacrarum p. 253. ſq. qui exiſtimat, Phariſæos, cum viderent, populum miraculo, in cœco & muto edito, eo perductum, ut clamaret: *nonne iſte eſt filius Davidis?* v. 23. bonam hanc de Chriſto opinionem ex animis hominum abolere, vel ſaltem dubiam facere voluiſſe poſtulatione ſigni hujus generis, indicaturus hoc ipſo, omnia iſta, quæ huc dum vidiſſent, non ſufficere. Confer & *Olearium* p. 398. ſq.

Verſ. 39. Cum Jeſaiæ LVII. 3. & 4. comparat *Altingius* in Paralleliſmo Vaticiniorum V. T. p. 25. Tom. II. Opp.

Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς) Vide huc *Suicerum* Tom. I. p. 745.

εἰ μὴ

εἰ μὴ τὸ σημεῖον Ἰωνᾶ) Postulatum Phariſæorum, ex cœlo ſignum exſpectantium, ita eludit Salvator, ut ſignum illis, non ipſorum quidem electionis, ſed ſuæ & cœleſtis Patris ſui deſtinationis, ſe editurum diceret, non e cœlo deductum, ſed ex terra, imo ex interioribus terræ viſceribus, quod tamen vim habiturum ſit, omnem cœleſtium ſignorum evidentiam ſuperantem, nempe tale, quale fuerit ſignum Prophetæ Jonæ, quod ut ſuffecerit Ninevitis ad probandum *e cœlo* eſſe, quicquid ab eo diceretur fieretve, ita ſufficere quoque debere Judæis ſignum terrenum Chriſti ex terræ viſceribus a mortuis revocati. Vide *Olearium* p. 400. In eandem ſententiam differit *Alex. Morus* p. 46.

Idem B. *Olearius* (cum quo inprimis B. *Jo. Georg. Neumannus* in Program. ſingulari, quod in reliquis ejus Academicis Programmat. p. 60. ſq. de miraculo Jonæ ab Empæctis vindicato exſtat, conferendus eſt) l. c. veritatem commorationis Jonæ in piſce contra nonneminem, pro ſomnio Propheticō, quicquid hoc eſt, habentem, recte adſtruit vel ex eo, quod Salvator teſtetur, σημεῖον id fuiſſe Ninevitis i. e. fidei argumentum, quo & Jonam divinitus miſſum ut crederent, adducerentur, & ad obſequium, ſermonibus ejus præſtandum permoverentur. Jam vero viſio vel ſomnium nullam vel vim vel evidentiam ad convincendos alios habere omnino poteſt. Atque hoc unum, ut cetera ibidem allata taceam, ſufficere poteſt retundendis illis, quæ *Hermannus von der Hardt* variis libellis, Latine & Germanice editis, non ita pridem pro ornanda hac ſententia denuo attulit. Hunc enim in finem edidit Schediaſmata *de rebus Jonæ, de ætate Jonæ, de Ænigmatibus Jonæ, de Jona in Carcharia*, das Licht Jonä, hohe und helle Sinn-Bilder Jonä &c. His Rev. *Sigismundus Biermannus* feliciter oppoſuit Differt. Epiſtol. in qua Programma de rebus Jonæ examinatur, *Wolfenbut.* 1719. 8. tum vero epiſt. ad amicum de Jona in Carcharia ibid. ac denique Evangelicæ rei integritatem Hardtianam in negotio Jonæ examinatam, ib. 1721. 8. Et vel ſic tamen Cl. *Hardtius* commentatiunculas illas ſuas, ſeorſim antea editas, uno volumine compingendas & poſteritati transmittendas putavit in *Ænigmatibus Priſci Orbis*, quibus, ut titulus fert, ſiſtitur *Jonas in Luce in Hiſtoria Manaſſis & Joſiæ, ex eleganti Veterum Hebræorum ſtilo ſolutum ænigma* &c. *Helmſtad.* 1723. fol. Collectionis hujus volumina, ex quo prelum reliquerant, paucis diſtractis, publica auctoritate fiſco addicta eſſe nova literaria paſſim tradiderunt. Cl. *Clericus* nuperrime in Biblioth. V. & Nova Tom. XX. Part. II. p. 459. refert, fuiſſe aliquem, qui ſuſpicatus ſit, omnem illam hiſtoriam Jonæ ita capiendam eſſe, quod Propheta, in mare antea præcipitatus, tandem beneficio navis cujusdam e fluctibus & vitæ periculo evaſerit, quam ipſe deinde magni piſcis nomine & habitu deſcribat. In navis hujus parte inferiore per triduum vinctum jacuiſſe, donec a navarcho in terram expoſitus libertati ſuæ vindicaretur. Sed merito Clericus id omne audacioris conjecturæ loco habet, cui proinde nihil tribui poſſit.

Verſ. 40. Ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς) Hujus commatis phraſes illuſtrat *Jo. Saubertus* in Palæſtra p. 209. ſqq. ubi inter cetera oſtenditur, ἐν καρδίᾳ τῆς γῆς per Hebraiſmum, in quo לב *cor* pro תוך i. e. *medium* uſurpatur, nihil aliud hic innuere, quam in *terra* & ſpeciatim *in ſepulchro*, (de quo & Patres accipiunt a *Suicero* Tom. II. p. 42. citati,) id quod contra *Bellarminum* inprimis aſſeritur, qui cum aliis fidei ſuæ ſociis de *inferno* eam accipiendam voluit. Conferatur in eandem rem *Keuchenius* p. 93. *Hackſpanius* in Notis p. 81. ſqq. & *Ludov. Cappellus* in Opp. p. 233. qui cor terræ de *ſepulchro* itidem explicat, quia eſt intra terram, ſicut Tyrus dicitur eſſe in corde maris, quia muris undique cincta eſt, etſi paucis a litore ſtadiis diſtet, Ezech. XXVII. 7. & XXVIII. 8. Itaque non geometrice eſt accipiendum, ſed παχυτέρως & πλατυτέρως de eo, quod eſt intra extimam terræ ſuperficiem, quomodo *medium* vulgo dicitur non de medio præciſe & mathematice ſumto, ſed & ea parte, quæ quomodocunque eſt intra rem illam, cujus medium dicitur. Hieroſolymam per cor terræ innui volunt nonnulli, cum quibus facit *van Til* in comm. ad h. l. Conf. ad eundem hunc verſum *Jac. Altingium* Tom. IV. Opp. in calce p. 5. ſqq. & Tom. II. ubi de Paralleliſmo Vaticiniorum V. T. p. 24. & noviſſime *Jo. Weſſelii* Diſſertatt. Sacr. n. XI. quæ exponit de Jona typo Chriſti Prophetico: ex noſtratibus vero *Jo. Brunsmanni* Diſſertat. de Ceto Jonæ, *Georg. Moebii* Jonam Typicum, Lipſ. 1678. *Æg. Strauch.* de Jona, ſepultum & reſurgentem Servatorem adumbrante, Gedan. 1678. & ut alios plures taceam *Georg. Henr. Götzii* Obſervatt. ad h. l. Lubec. 1712. 4. cum iis, qui ab eo citantur. De phraſi ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς confer Cl. *Haſæi* Diſquiſit. mox citandam p. 249. ſq.

ἐν κοιλίᾳ τοῦ κήτους) κῆτος alii per *piſcem magnum* in genere verti volunt, ut *le Cene* in Projet p. 426. & *Rich. Simon* Hiſt. Crit. de Verſionibus N. T. cap. 39. p. 464. Alii per *balænam*, quo videatur *Polyc. Lyſeri* Diſſert. de Cetis c. I. § 7. B. *Aug. Pfeiferus* in Dubiis Vexatis ad Jonæ locum, item in Prælectionibus in Jonam p. 28. nec non *Sigism. Aug. Pfeiferus* in Diſſert. epiſtolari Apologet. pro ſtabiliendo themate: piſcem Jonæ deglutitorem fuiſſe balænam. Alii malunt *carchariam* canem, quem alias & *lamiam* vocant. Hanc ſententiam præ ceteris ornavit *Bochartus* in Hierozoico p. 52. quem ſecuti ſunt plerique omnes, nominatim *le Cene* l. c. *Witſius* Exercit. in Symb. Apoſtol. p. 314. *Chriſt. Franc. Paullini* in Zeit-kürtzender erbaulichen Luſt, item *Jo. Engelbrecht* in binis, de piſce, Jonæ deglutitore, Diſſertatt. Regiom. 1702. & *Jo. Frid. Hertenſteinius* in alia de eodem argumento, *Witteb.* 1705. habitis. Atque hanc ſententiam priori cenſuerim præferendam.

Fuerunt tamen noviſſime plures, qui ipſam hanc ſententiam de piſce carcharia impugnandam ſumſerunt variis argumentis, quæ in ſummam retulit Cl. *Theod. Haſæus* in erudita *Diſquiſitione de Leviathane Jobi & ceto Jonæ*, Brem. 1723. 8. p. 239. ſq. Itaque & ipſe *Haſæus* de alio piſce hic cogitandum cenſuit, quem *Oram* appellat. Hunc is in laudata diſquiſitione ita deſcribit, ut intelligatur, os ejus, fauces, & guttur & ventrem tantæ eſſe capacitatis

citatis, ut ſingula eorum vel pluribus hominibus capiendis paria ſint. In hujus itaque gula hæſiſſe Prophetam, & non ſine Numinis ſingulari atque inſolenti concurſu conſervatum eſſe definit p. 252. & 254. ſqq.

Alii denique *balænam* hic intelligi poſſe cenſentes, non in ventrem ejus demiſſum, ſed in ore tantum hæſiſſe affirmant. Ornavit hanc ſententiam præ ceteris *Petaloſſius*, Medicus Lugdunenſis, in Diſſert. ſingulari, quæ Memoriis Trivultinis an. 1719. Septembr. p. 1476. inſerta eſt integra, quod ad ſummam vero legitur in Novis Literariis Lipſienſibus an. 1720. p. 348. ſq. Amplexus eandem eſt Cl. *Chriſtoph. Auguſt. Heumannus* in iisdem Novis Literar. Latinis an. 1720. p. 116. quam & tuendam idem ſuſcepit in Poecile ſive Epiſtolis Miſcellan. Tom. I. lib. II. p. 236. contra *Chriſtiani Gotthold Wiliſchii* Examen ſententiæ recentiſſimorum de Jona in piſce, Lipſ. 1721. 4. Nec diſplicet eadem *Haſæo* l. c. p. 246. ſq. qui tamen in altera illa de Orca ſententia acquieſcit. Nobis quidem hic prolixioribus nunc eſſe non licet, qui ſatis & fore nimium hic diximus. Confer tamen adhuc, ſi placet, *Mart. Lipenii* Diaplun Jonæ Thalaſſium ex hiſtoria Sac. deſumtum, *Witteb.* 1667. 4.

τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας) De ratione iſtud mortis triduum computandi lege B. *Gothofr. Wegneri* Diſſert. Chronologico-Philolog. de triduo mortis Chriſti, Ffurti ad Viadr. 1688. *Eſaiæ Fleiſcheri* Explicationem tridui mortis & reſurrectionis Chriſti, *Haſn.* 1700. & B. *Jo. Georg. Neumanni* Programmata p. 72. ſqq. Et hi & alii Interpretes tantum non omnes eo tendunt, ut dicant, νυχθημερα illa hic denotari per catachreſin ſynecdochicam, quæ communi loquendi uſu ſe tueatur, ut ſcilicet pars vel major vel minor totius nomine veniat. Confer in hanc ſententiam etiam *Hammondum* ad h. l. *Witſium* in Exercitat. ad Symbolum Apoſtolic. p. 315. ſq. *Morum* in Notis p. 46. *Thom. Cremius* in Animadverſ. Philolog. Part. VIII. c. II. §. 2. *Ludov. Cappellum* in Oper. Poſthumis p. 233. *Dionyſ. Petavium* Tom. III. Dogmatum Theol. p. 139. ſq. contra Philoponum diſputantem & *Relandum* in Antiquitatt. Hebraicis p. 411. ſq. qui poſtremus iſtum loquendi morem Hebræis inprimis receptum fuiſſe oſtendit. Ita ſcilicet illis tres menſes dicuntur interceſſiſſe inter Paſcha & Pentecoſten, quæ tamen feſta dierum modo quinquaginta, adeoque ne duorum quidem menſium ſpatio diſtabant. Addit idem: *Quod ſi quem male habeat nihilominus, Chriſtum Matth. XII. 40. dixiſſe, tres dies & tres noctes fore in ſepulchro, cum non niſi noctes duas fuerit, die Veneris nempe ſepultus, & Solis reſurgens, ſciat, genium linguæ Hebrææ id pati, ut dies tres & noctes duæ appellentur dies tres & noctes tres, quoniam partes ſunt integri νυχθημερίνε. Quare etiam Græci Intt. Gen. VII. 17. pro diebus* 40. *reddiderunt* 40. *dies &* 40. *noctes. Et illa verba Chriſti hanc interpretationem pati, nec abhorruiſſe ab uſu ſermonis inter Judæos recepti, abunde liquet ex eo, quod nunquam Chriſto aut Apoſtolis controverſia mota fuerit a Judæis de ſpatio hoc dierum trium & noctium, quo ſe Chriſtus in ſepulchro manſurum eſſe prædixerat.* Recentiores quidem Judæi, v. c. auctores Nizzachon veteris p. 236. & MSti cujusdam Luſitanici num. 191. nodum aliquem

hinc nectere conati sunt, sed cum expediit *Rich. Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 158. sqq. qui & præterea ostendit τὸ, μετὰ τρεῖς ἡμέρας, & τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ idem inferre apud Hebræos, sicut v. c. quod Deuter. XIV. 28. dicitur *in fine trium annorum*, id in loco parallelo XXVI. 12. vocatur *annus tertius*. Confer *Exod.* XXI. 2. & *Deuter.* XV. 12. Imo sic & Latinos Scriptores loqui demonstrat p. 165. sq. Idem Parte I. ejusdem libri p. 298. sq. in idem argumentum excurrens, edisserit, cur tantum inter mortem & resurrectionem Christi intervallum intercesserit, quomodo item dici possit, JEsus tertio die resurrexisse, & cur denique primo hebdomadis die id factum sit?

Fuerunt alii, qui subtiliorem computi rationem hic ingrederentur, atque inter hos inprimis *Wilh. Langius* in libro II. *de Annis Christi* p. 353. sqq. in quo id præcipue agit, ut ostendat, Christum die Jovis passum esse & obiisse, die vero Solis, antequam dies vere inciperet, resurrexisse. Atque sic demum triplex illud νυχθήμερον produci opinatur. In eandem fere sententiam pronunciavit, noctem scilicet diei Jovis cum die Veneris, & noctem Sabbati cum mane Solis conjungens *Jo. Henr. Heideggerus* in Laboribus Exegeticis p. 142. sq. qui etiam ipsum diem Solis usque ad vesperam in computum hunc venire posse censet, quando videlicet in discipulorum cordibus demum resurrexit Christus ipsis apparens. *Guilielmum Teelingium* & *Jo. Coccejum* ab eadem sententia non alienos fuisse, *Witsius* l. c. ostendit. Sed his computi rationibus erudite & accurate se opposuit B. *Jo. Wandalinus* in Diatribe Historico-Theol. de Feria Passionis & triduo mortis Christi, Lipsi. 1651. ed. & in Syntagm. Dissertatt. Græviano recusa, ubi inprimis c. IV. Langianam illam hypothesin confutatam dedit. Itaque consultum omnino est in communiori illa & simpliciſſima interpretatione persistere. Ita nec opus fuerit provocare ad Antipodas, quos hic ad partes vocari posse censuit Trillerus in der Untersuchung etlicher Oerter Neues Testaments p. 292. sq. contra quem vide Observata *Pfeifferi* p. 15. sq.

Vers. 42. Βασίλισσα νότου) Vide *Jo. Adami Königii* Dissert. de Regina Austri, in Tomo II. Thesauri Disputatt. p. 136. sq. recusam, ubi relatis illorum argumentis, qui eam vel ex Arabia, vel ex Ægypto, vel ex Æthiopia venisse censent, ipse tandem iis accedit, qui ex Arabia venisse contendunt. Eadem hæc quoque sententia est *Bocharti* in Geographia S. II. 26. Vocem βασίλισσα ut pure Græcam vindicat *Schwarzius* ad *Jo. Olearium* de Stylo Nov. Testam. p. 282.

ἐκ περάτων τῆς γῆς) Vide *Clerici* notas ad *Obadiæ* v. 20. Forma loquendi est Hebraica, de qua lege *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 27. qui & p. 28. existimat, *Arabiam* hic intelligi, cum Sabæi inter gentes Arabiæ e profanis Scriptoribus, quos memorat, memorentur. Ibidem ex parte contra Bochartum disputat.

Vers.

Vers. 43-45. Vide *Seb. Schmidii* Disput. de Relapsu erectorum, in XIII. Dissertationibus ejus, *Argentorat.* 1682. junctim editis, recusam.

Vers. 43. δι' ἀνύδρων τόπων) Per hæc quid intelligatur, non satis patet. *Grotius* ad h. l. omnia loca, quæ extra hominem sint, indicari statuit. Alii, & quidem tantum non omnes, loca deserta & ab incolatu remotissima. In iis enim dæmonia inprimis versari Hebræorum & Gentilium fuit sententia, quam in rem lege *Grotium*, *Knatchbullum* ad h. l. & *Spencerum* de Legibus Hebr. ritual. p. 1440. Atque rem ita se habere nonnulli vel ex tentatione Christi, in deserto facta, probare contendunt. Itaque hunc sensum amplectuntur *Knatchbullus*, & *Gussetus* in Commentar. L. Hebr. p. 879. a. qui inter cetera hæc habet: *Quod autem illi cacodæmones in desertis*, teste *Jesaia* c. XIII. 21. & XXXIV. 14. *saltent, suffragantur iidem tum poëtæ, tum participes cœtuum illorum. Convenit etiam istud cum dicto Christi de dæmone ejecto, quietem in locis desertis quærente primum Matth. XII. 43. Nempe loca illa talia propter hominis peccatum reddita fuerunt, & ideo sunt tanquam quædam maledictiones hominum, qua dæmon delectatur, & victoriæ Satanæ in hominem trophæa, quibus superbit, & denique status ille locorum desertorum est operum Dei vastatio, cui diabolus insultat maligne.* Admisit idem B. *Calovius* quoad protasin, vel in parabola, modo non immisceatur in ἀπόδοσιν, vel parabolæ applicationem. Nihilominus tamen alii etiam in protasi ipsâ sensum allegoricum sectantur, & per ἀνύδρους τόπους alii quidem *fidelium*, alii *infidelium* pectora intelligunt, de quibus *Olearius* loco mox citando. Hic vero ipse primus, quem sciam, *locum* & *statum infernalem* hic indicari, censet in Notis ad Matthæum p. 406. sq. quippe qui ut locus siccus describatur *Luc.* XVI. in quo etiam nulla requies i. e. ut explicat vocem ἀναπαυσιν, nulla *remissio* vel *mora* aut *interstitium* malorum sperari debeat. Eum sequitur *Amelius* Part. II. p. 146. Ego non video, cur non loca illa arida proprie de locis desertis accipi possint. Constat omnino, Deum permittere, ut inter homines adeoque in terris mali dæmones versentur: hinc comparantur cum leonibus insidiantibus. Constat etiam, Christum, ubi eos ejecit, iisdem petentibus porcos in receptacula, permisisse, adeoque non statim misisse ad infernales cruciatus. Cur itaque credi non possit, quod deserta quoque loca & ipsi desiderent, & ipsis quasi assignentur? Certe magis hoc capere mihi videor, quam illud, quod dæmones in inferno requiem quærant. Qui enim hanc speraverint a loco tormentis destinato, & quem ut talem pridem sunt experti? Neque deest alteri illi explicationi nostræ commodus sensus. Cavere enim Judæos jubet, ne existiment, fieri non posse, ut idem dæmon, qui sit ex homine expulsus, non possit reverti in pristinam sedem, tanquam qui ad locum sit relegatus, nunquam iterum relinquendum. Permanere enim dæmones inter homines, quamvis inferni pœnas secum ferentes, & quærere loca alia, in quibus requiem qualemcunque inveniant. Atque ista deinde ad spiritualem perditissimorum Judæorum

dæorum ſtatum non minus accommodari poſſunt, eo fere modo, quo *Gurtlerus* in Syſtemate Theologiæ Propheticæ id fecit. *Ego quidem*, inquit is, *e perverſa hac natione nunc ejicio diabolos, qui tamen velut alterius ſedis pertæſi in eandem mox redibunt, una cum aliis ſpiritibus malignis, e gentibus ad Chriſtum converſis egreſſuris, atque in pœnam contumaciæ ad plura & maxima quoque ſcelera eam agent; ſic ut futurus Judæorum ſtatus præſentem malitiam longe ſit ſuperaturus.*

καὶ ἐχ ἐυρίσκει) *ſed non invenit.* καὶ ponitur pro ἀλλὰ, quam in rem vide *Gatackerum* ad Antoninum p. 61. a.

Verſ. 44. χολάζοντα) τὸ σχολάζειν hic idem eſt, quod *nihil agere, nulli eſſe uſui.* Vide *Vitringam* de Decem Otioſis p. 120.

σεσαρωμένον) *ſcopis mundatum*, Vulg. quem defendit *Boiſius* in Collat. ad h. l. Vocem hanc pure Græcam eſſe negat *Crojus* in Obſſ. Sacr. p. 267.

Verſ. 45. ἐπλὰ) i. e. *multa* ut 1. *Sam.* II. 4. 5. Conf. *Marc.* V. 9. Adde *Martianæi* Eſſay p. 97.

Verſ. 46. Ἔτι δὲ αὐτοῦ λαλοῦντος) Id Hebræi dicunt: תוך כדי דבור vide *Jo. Fr. Miegii* notas ad Maimonidem de Juramentis p. 113.

καὶ οἱ ἀδελφοὶ σου) De latiori fratrum notione, hic & alibi obtinente, vide *Rich. Kidderi* Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 145. ſq. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri Eccleſiaſt. p. 84. tum vero *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. p. 58. ſq. qui hic non tam *cognatos* quam *comprivignos* intelligendos putat.

Verſ. 47. ζητοῦντές σοι λαλῆσαι) Verſiones nonnullæ veteres habent ζητοῦντές σε, inter quas etiam numeranda erat Coptica, quam tamen hic ita repræſentat *Millius*, ac ſi legeret: ζητοῦντές σε λαλῆσαι. Sed vide *Wilkinſii* Prolegom. p. 13. Nec habet *Millius*, cur in Prolegom. illud σοι λαλῆσαι ex v. 46. deſumtum putet, ubi dicitur: ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. Cur enim Matthæus non bis idem repetat?

Verſ. 48. τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου) Vide huc Patrum loca apud *Petavium* Tom. VI. Dogmat. p. 211. ſqq.

Verſ. 50. μοῦ ἀδελφὸς καὶ ἀδελφὴ, καὶ μήτηρ ἐστὶ) Similem phraſin habes apud *Ovidium* Heroid. III. 52. & *Propertium* lib. I. Eleg. 11. v. 23. indicante Cl. *Trillero* in Notis MSS. ad h. l.

CAP. XIII.

VErſ. 1. ἐκάθητο) Sediſſe olim docentes, patet ex Hebræorum antiquitatibus, atque hæc antiquiſſima inter eos fuit conſuetudo, quam iidem *Gamalielis* (qui octodecim annis ante excidium Hieroſolymorum obiiſſe

obiisse traditur a Judæis) tempore mutatam ita tradunt in Gemara *Megillæ* f. 21. ut discipuli etiam sedentes didicerint Legem. Atque ex hac observatione interpretanda quidam censuerunt loca N. T. in quibus nunc Christus, nunc populus, qui alioquin staret, circa ipsum, ut *Marc.* III. 32. sedisse dicitur. Confer *Vitringæ* Archisynagogum p. 203. in eandem sententiam ibi quidem pronunciantis. Idem vero deinde, re curatius expensa, in libris de Synagoga vetere p. 167. sqq. fidem hujus traditionis dubiam esse ostendit, monetque, non exstare in toto novo fœdere exemplum, ubi discentes stetisse dicantur, quam in nostro hoc capite v. 2. ubi populus dicitur ad littus stetisse. Eum vero casum ait prorsus esse singularem. Cum enim Christus sederet in navigio, loco haud admodum elevato, fieri vix potuisset, ut auditores, qui littus vicinum occupabant, ipsius intellexissent dicta, nisi ea pedibus stantes excepissent. Confer quæ scribentur ad *Luc.* II. 46.

παρὰ) i. e. *secus*, ut Vulg. Confer *Boissii* Collat.

Vers. 2. ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν) De voce hac lege J. C. *Dieterici* Antiquitt. N. T. p. 53.

εἰστήκει) vide ad v. 1.

Vers. 3. ἐν παραβολαῖς) Quid per parabolas in N. T. intelligatur, & quomodo illæ a parabolis, quas profani Scriptores appellant, differant, ostendit *Vorstius* Part. I. Philol. Sacr. p. 109. sqq. Similem huic parabolam vide ex Talmude Hierosol. in *Kilaim* c. I. fol. 27. allatam a *Lightfooto* in Opp. Posthum. p. 42. Ceterum ad hunc & sequentes totius fere capitis hujus versus lege *Jo. Marckii* Syllogen Dissertatt. Exerc. IV. ubi de parabolis generatim differit & exponit, quæ earum sit ratio, cur iis usus sit Christus, & quis denique septem parabolarum, quæ hic exstant, sensus sit ac scopus. Speciatim vero contra Coccejanos adstruit, septem periodorum N. T. fundamentum hic non inveniri.

Vers. 5. ἔπεσεν ἐπὶ τὰ πετρώδη) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 39.

διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς) βάθος γῆς per Hebraismum dici putat *Hackspanius* ad h. l. qui & præterea hypallagen agnoscit. Dici enim debuisse putat *terram profunditatis*, quod idem sit ac terra profunda. Sed & *Polyb.* & *Xenophon* adhibent phrasin ἔχειν βάθος, quod ostendit *Raphelius* in Notis ex utroque ad h. l. allatis. Nec video, cur Genitivus subjecti, seu rei, de qua sermo est, addi Græce nequeat. Per *terram inferiorem* reddit hæc *Keuchenius* in Obss. qui & conferri jubet *Ezech.* XXXII. 18. 24.

Vers. 6. διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν) Hinc homines vere credentes veteribus vocantur βαθύῤῥιζοι, πολύῤῥιζοι &c. vide *Suicerum* Tom. I. p. 679.

ἐξηράνθη) Vide huc de incremento & decremento plantarum elegan-

ter differentem *Ovidium* Metamorph. lib. V. v. 482 ſqq. quem huc recte advocat *Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 8. ὁ μὲν ἑκατὸν ὁ δὲ ἑξήκοντα) Diverſam illam frugum rationem allegorice de virginitate, viduitate & nuptiis explicat, & ex more veterum per digitos computandi illuſtrat *Hieronymus* lib. I. adverſus Jovinianum: cujus verba affert, & explanat *Poſſinus* in Spicilegio Evangelico p. 159. ſeq. Non per hyperbolen quandam, aut alius incerti numeri pro certo poſitionis ſchemate Chriſtum hæc protuliſſe, ſed id dixiſſe, quod re ipſa & ſæpius diverſis in regionibus ob ſoli ubertatem accidit, affirmat *Dougtæus* in Analectis Sacr. ad N. Teſt. p. 15. ſeq. ubi & ex profanis diverſæ ægrorum fertilitatis exempla affert.

Verſ. 9. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω) Verba hæc ex quodam *Chryſoſtomi* & *Phocylidis* loco illuſtrat *Boiſius* in Collat. p. 38.

Verſ. 10. ἐν παραβολαῖς) i. e. *Parabolas*. *Boiſius* l. c.

Verſ. 11. ſqq. Quæ hic quod ad ſenſum difficultates moveri poſſent, eas e medio ſuſtulit B. *Franzius* de Interpretat. Script. S. p. 198. ſqq.

ὑμῖν δέδοται γνῶναι) Ad Hebraiſmum, in quo idem uno verbo נתן exprimatur, retulit *Grotius*. Sed vide *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 33. qui hoc loquendi genus ad elegantias potius Græci ſermonis referendum eſſe oſtendit. Ita enim *Xenophon* paſſim, qui ſimul phraſin iſtam plene affert, addendo: ἀπὸ θεῶν. Sic & *Cicero* de Natura Deorum lib. II. p. 311. *Non decet, non datum eſt, non poteſtis*. Ceterum ad hoc comma *Elsnerus* p. 64. ſq. ex veterum ſcriptis commentatur de ratione per ſymbola cum exteris, luculente autem cum diſcipulis interioris admiſſionis colloquendi. Sed hac de re alii integris libris expoſuerunt.

Verſ. 12. De multiplici hujus commatis uſu lege Unſchuldige Nachrichten 1711. p. 656. ſqq.

Ὅστις γὰρ ἔχει &c.) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 40. & *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l.

καὶ ὃ ἔχει) Videtur eſſe contradictio in adjecto. Sic autem reddendum *& quod habere videtur*; ſicut exprimitur *Matth.* XXV. 29. καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν. Conf. *Hackſpanii* Notas p. 84.

Verſ. 13. λαλῶ) i. e. *concionor illis*. Reſpondet Hebræo אמר, quo Talmudici ſæpe in ſignificatu concionandi utuntur. Vide *Vitringæ* Archiſynagog. p. 220.

βλέποντες δ' βλέπουσι) Ita etiam profani Scriptores loquuntur. Vide *Pfochenium* & *Gatackerum* de Stylo N. Teſt. cap. 9. item *Vorſtium* Part. II. Philo-

Philolog. S. p. 154. & ad illum *Horatii Vitringæ* Animadverſiones p. 244. ſqq. *Clericum* ad Hammond. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 69. & *Elsnerum* p. 66. Adde *Schotti* Adagialia N. T. p. 40. Atque illorum quidem alii in ipſa loquendi ratione Hebraiſmum dari recte obſervant, alii negant.

ἐκ ἀκοῆς) i. e. *non obediunt.* Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacr. Tom. II. p. 211.

μήποτε ἴδωσι) Vide huc *Gatackerum* in notis ad Antoninum p. 147. b.

Verſ. 14. 15. Confert hæc commata cum Jeſaia, ex quo citantur, *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 240. ſqq. Inter cetera is monet, Salvatorem hic alia, quam quidem alias, allegandi formula uti, quandoquidem non dicat: ἵνα πληρωθῇ, ſed: καὶ ἀναπληροῦται. Rationem vero putat eſſe hanc, ut indicaretur, vaticinium hoc non ea tantum vice, ſed & jam alias impletum eſſe, & impoſterum impletum iri. Sed cum idem hoc de plerisque illis vaticiniis, quæ Chriſtus alias cum formula altera allegandi, ἵνα πληρωθῇ, attulit, dici poſſit & debeat, non putarim, hanc potiſſimum cauſam ſubeſſe. Simplicius & rectius, puto, dicitur, hic ſenſum exprimi genuinum vocum ἵνα πληρωθῇ, nempe quod nihil aliud inferant, quam, *impleta ea nunc eſſe*, adeoque non eo conſilio annunciata, ut implerentur, ſed impleta eſſe, quæ prævisa & prædicta erant. Non magis crediderim ejusdem obſervationem locum habere poſſe, quando ibidem p. 241. *prophetiam Jeſaiæ*, non autem, quod alias fieri ſolet, Prophetam Jeſaiam allegari putat, ut indicetur, non eſſe hic regium mandatum, quod uno tempore executioni dandum ſit, ſed prophetiam, variis temporum viciſſitudinibus implendam. Ad citationem hanc Matthæi nonnulla recte monet *Witſius* in Tom. II. Miſcellan. Exercitat. I. ubi Jeſaiæ illud oraculum exponit, & cum allegatis a Matthæo confert, inprimis p. 40. ſq.

Ἀκοῇ ἀκούσετε) Ita etiam profani Scriptores. Vide *Horat. Vitringæ* Animadverſ. ad Vorſtium p. 245. & *Vorſtium* ipſum Philolog. S. Part. II. p. 165. ſq.

Verſ. 15. Ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία) v. *Schotti* Adagial. N. T. p. 41. καρδία hic ſpeciatim *intellectum* denotat, quo ſenſu & profanis venit. Vide *Pfochenium* §. 127. & *Annam Daceriam* ad Anacreontis Od. II. 6. atque hic intellectus ἐπαχύνθη h. e: *ſtupidus factus eſt*, cujusmodi homo profanis vocatur παχὺς τὴν διάνοιαν, quemadmodum *Philoſtratus* lib. I. de Vita Apollon. p. 10. παχύνειν τὸν νοῦν dicit. Conf. *Elsnerum* p. 67.

τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν) Vulg. *clauſerunt oculos*; recte, judice *Boiſio* in Collatione. Pro barbaro habuit hoc verbum *Salmaſius* de Lingua Helleniſt. p. 106. Sed utitur eadem phraſi *Philoſtratus* IV. 10. p. 147. καταμύειν ὀφθαλμούς, τὸ καταμύειν vero ſimpliciter habet *Strabo* VI. p. 405. & *Ariſtoph.* Veſp. v. 92. Conf. *Elsnerum* l. c.

μήποτε ἴδωσι) Τὸ μήποτε aliquando ſumitur pro εἴ ποτε ſi *forte*; ut *Luc.*

III. 15. hic vero respondet Hebr. פן adeoque vertendum per *ne*. Vid. *Hackspanium* in Notis p. 86. Confer, quæ de h. l. scribemus ad *Marcum*.

καὶ ἰάσωμαι αὐτούς) τὸ ἰᾶσθαι in genere notat *juvare*, seu *malo liberare*, & ad animum transfertur a Græcis profanis. Vide *Elsnerum* p. 67. qui & p. 68. egregium *Hieroclis* in Aurea Carmina Pythag. locum ex p. 192. affert, quem idem ex h. l. desumtum credit. Atque idem mihi de pluribus *Hieroclis* locis pridem visum est probari posse, quod alias forte, dante Deo, ostendam. Ceterum hic τὸ ἰάσωμαι speciatim denotat: *remittam eis peccata*. Ita enim vertit *Marcus* IV. 12. & Chaldæus in loco Jesaiæ וישתבק להון. Confer *Bocharti* Hierozoicon Part. I. lib. II. p. 50. & *Vitringam* in *Jes.* VI. 11. Tom. I. p. 162. Commentarii, in Notis.

Vers. 17. πολλοὶ προφῆται) πολλοὶ pro πάντες i. e. *omnes*, observante *Euthymio* ad h. l. de quo confer *Rich. Simonis* H. Crit. N. T. lib. III. p. 414.

Vers. 18. ἀκούσατε τὴν παραβολὴν αὐτοῦ) h. e. audite rem similitudine illa indicatam. Lege *Saldeni* Otia p. 695.

Vers. 19. sq. Vide huc *Val. Ernesti Læscheri* Decimas Evangelicas Part. I. p. 457. & *Wolfburgii* Observationes p. 36. sqq.

οὗτός ἐστι ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς) B. *Lutherus* vertit: Und der ists, der an dem Wege gesäet ist. Et auctor der Untersuchung etlicher Oerter Neues Testaments p. 113. mavult: Dieser ist der an dem Wege besäete, quia hic non de *semine* sparso, sed de *homine* tanquam agro, cui semen commissum sit, sermo fiat. Idem jam observaverat *Erasmus Schmidius* ad h. l. Confer etiam *Schönlandii* librum illi *Examini* oppositum p. 168. sq. ubi evincit, nec B. *Lutherum* locum illum aliter intellexisse.

Vers. 22. Eadem, quæ hic occurrit, similitudine utitur *Lysis* apud *Jamblichum* de Vita Pythag. p. 74. Confer *Elsnerum* p. 68.

εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρείς) Quid per *spinas* hic intelligant veteres, ostendit *Suicerus* Tom. I. p. 149.

ἀπάτῃ τοῦ πλούτου) i. e. *divitiæ fallaces & deceptrices hominum*. Vide *Rich. Simonem* in notis. De divitiis, ut spinis considerandis, lege *Ursini* Analecta II. p. 341. sq.

συμπνίγει) simili phrasi utitur *Xenophon* in Oeconom. p. 691. Vide *Raphelium*.

Vers. 24. ἀνθρώπῳ σπείροντι) ἄνθρωπος idem hic est, quod τις, *aliquis*, quem significatum ab Hebraismo liberat, prolatis similibus externorum Scriptorum locis, *Pjochenius* Sect. LXII.

ἔσπειρε ζιζάνια) v. *Schotti* Adagial. N. T. p. 41. De voce ζιζάνια lege *Jo. Conr.*

Conr. Schwarzium ad Jo. Olearium de Stylo N. T. p. 176. ubi oſtendit, cur peregrina hac voce uſi ſint Evangeliſtæ, monetque, ſignificari ea herbas, quæ floſculos in ſegetibus gignant, & incremento ſuo frugibus officiant. Conf. de commate hoc *Balth. Bebelii* Diſſ. de Zizaniis in Eccleſia Dei occulte diſſeminatis, Argent. 1661. De Diabolo hæreſium auctore veterum loca vide apud *Suicerum* Tom. I. p. 121.

Verſ. 28. ἐχθρὸς ἄνθρωπος) Hebraiſmum hic videre ſibi viſus eſt *Hammondus* non repugnante admodum *Clerico*: ab eo tamen ſatis liberat *J. H. Majus* non uno veterum loco allato. Vide eum lib. I. Obſſ. Sacr. p. 46. Idem cum *Clerico* hic intelligit proprie *hominem inimicum*, non autem *dæmonem*, quem *Hammondus* vult, quod & pluribus contra *Clericum* adſtruit *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 248.

συλλέξωμεν αὐτά) B. *Lutherus*: ausgeten: de qua voce vide *Stadenii* Explicationem vocum difficiliorum p. 32.

Verſ. 29. ἅμα αὐτοῖς) Ita etiam profani Scriptores τῷ ἅμα utuntur. Vid. J. C. *Dieterici* Antiquitatt. N. T. Tom. I. p. 83.

Verſ. 30. Confer huc *Vitringæ* commentar. in *Jeſaiæ* XXVII. 3.

Verſ. 31. κόκκῳ σινάπεως) *Wedelius* in Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. I. Dec. V. Exerc. III. obſervat, nudum ejusmodi granum excreſcere in elegantem, procerum & conſpicuum fruticem, ut maxime inter olera emineat. Arboreſcere dicitur latiori ſenſu, Medicis in iſtis caſibus uſitato, ut etiam ſtirps & aliis elatior planta denotetur: quemadmodum *ſedum*, *malva* &c. dicuntur *arboreſcentes*.

κατασκηνῶν) i. e. non *nidulari*, ſed *commorari*, & *divertere*. Vid. *Wedelius* l. c. Conf. *Hackſpan.* in Notis p. 87.

Verſ. 32. μικρότερον μέν ἐστι πάντων τῶν σπερμάτων) B. *Lutherus* vertit: welches das kleineſte iſt unter allen Saamen. Sed diſplicet id quidem auctori der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments p. 29. ideo, quod alia ſemina ſint, ſemine ſeu granulo ſinapis adhuc minora. Itaque mavult de pretio hoc intelligere, & vertere, geringer. Sed vide *Schönlandii* Reſponſionem p. 120. libro ipſi oppoſiti. Is recte monet, ſermonem hic eſſe Chriſto non de ſemine cujuscunque generis, ſed illius, in quod ſinapi cadat & referatur. Provocat & ad Hebræorum conſuetudinem, rem parvam cum grano ſinapis comparantium. Conf. *Matth.* XVII. 20. & ibi Interpretes. Addere etiam poterat, ſi ad vilitatem hic reſpectus habeatur, allegoriam a Chriſto continuatam non rite proceſſuram eſſe. Imo difficulter auctorem probaturum, quod μικρὸν unquam ad pretium referatur. Confer *Pfeiferi* Obſervata contra eundem *Trillerum*, p. 27.

Verſ. 33. ζύμη) De fermento abſcondito vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 41. Conf. *Voglerum* de rebus naturalibus p. 308. Bono ſenſu de doctrina Evangelii hic ſumi per ſe patet. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 1300.

σάτα τρία) i. e. *Epha*, quæ tria ſata (סאין) i. e. ova quadringenta triginta duo continebat. Vide *Waſerum* de antiquis menſuris Hebræorum II. 5. Allegoricum parabolæ hujus ſenſum alii alium hic quæſiverunt, de quibus vide *Amelium* Part I. p. 462. & *Salom. van Til* ad h. l.

Verſ. 34. χωρὶς παραβολῆς ἐκ ἐλάλει αὐτοῖς) De veterum Philoſophorum ratione per parabolas docendi lege, quæ ad h. l. habet *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 18. Confer dicta ſupra ad v. 13. Hic vero obſervari fas eſt, Jeſum etiam interdum ſimplici docendi ratione ad populum uſum eſſe, v. c. *Matth.* V. ac tum demum parabolicum & obſcurius dicendi genus amplexum, cum intelligeret, Judæos præfracte capere nolle, quæ perſpicue ſatis exponebat. Vide *Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς p. 243.

Verſ. 35. διὰ τοῦ προφήτου) Diſquiritur hic, quis Propheta innuatur? Quidam Codd. *Jeſaiæ* nomen exhibent, & tales jam *Hieronymi* tempore exſtiterunt. Is enim commentar. in Pſ. LXXVIII. teſtatur multa Evangelia, i. e. multos Evangeliorum Codices illud Prophetæ nomen exhibere, & Porphyrium quoque hoc objeciſſe, ut Evangeliſtæ fidem & peritiam ſuſpectam redderet. Addit etiam idem nomen, cum fruſtra in *Jeſaia* locus quæreretur, a prudentibus Viris deinde eſſe ſublatum. Atque hæc omnia amplexus quoque eſt *Critobolus Hierapolitanus* i. e. *Rich. Simonius* in epiſt. de novis Bibliis Polyglottis p. 439. Conf. H. Crit. lib. III. p. 213. Sed vide, quæ hic erudite commentatur B. *Olearius* ad h. l. p. 411. ſqq. oſtendens potiſſimum, Chriſtianos veteres nihil hic mutaſſe aut ſuſtuliſſe ad evitandam Porphyrii cavillationem, cum diu ante Porphyrium nomen Jeſaiæ in Codd. Matthæi lectum non ſit. Nam, ipſo *Hieronymo* ad h. l. Matthæi teſte, antiqua verſio Latina, quam hodie *Italam* vocamus, non exhibuit, ſicut nec in *Syriaca* exſtat, luculento argumento, in illis Codd. lectum quoque non fuiſſe, ex quibus antiquiſſimæ illæ verſiones confectæ fuerunt. Mirum præterea eſt, quod *Millius* nullum Codicem invenerit, in quo Jeſaiæ nomen occurrat. Originem ſcriptionis *Hieronymus* l. c. derivat ab imperito librario, qui cum non intellexerit, quis ſit *Aſaph*, & quomodo is Propheta vocetur, nomen ejus, quod primum hic ſcriptum in contextu fuiſſe opinatur, cum *Jeſaiæ* illo permutarit. Sed rectius *Olearius* p. 414. arbitratur, *Aſaphi* nomen nunquam in contextu exſtitiſſe, ſciolum vero librarium, nude Prophetæ nomen legens, illud κατ' ἐξοχὴν de Jeſaia interpretandum atque ad margnem ſcribendum cenſuiſſe, ex qua deinceps in contextum ipſum illatum ſit. Confer *Whitbii* Commentar. in h. l. & *Examen Variant. Lection.* p. 39. Interim locum ex *Pſalmo* LXXVIII. 2. qui inſcribitur *Aſapho*, deſumtum

tum esse, in propatulo est comparanti. Is vero pro Propheta habebatur, quod patet ex 2. Chron. XXIX. 30. ubi Rex Hiskias jubet Levitas laudare Deum hymnis Davidis & אסף החוזה i. e. *Asaphi videntis*, h. e. נביא seu Prophetæ. Vide plura apud *Surenhusium* l. c. p. 245. Confer *Wolfburgii* Observatt. Sacr. p. 510. & *Hackspanii* Syllogen p. 604. Nodum scindit, non solvit *Guil. Whistonus* in Conatu textum Hebr. restituendi p. 104. qui cum in Jesaia, cujus nomen in Codd. quibusdam legi monuimus, oraculum hoc non *inveniret*, illud per Judæos postliminio sublatam esse pugnat. Conf. idem p. 315. ubi negat, ad Psalmum dictum hic Matthæum respexisse, cum *Prophetæ* mentio facta id non permittat, nec *parabolæ* aut *problemata* in Psalmo isto laudata istiusmodi sint, de quibus apud Matthæum agatur. Sed ad prius argumentum in superioribus responsum est. Posterius vero facile diluitur, si dicamus, Christum non solum ejusmodi משלים & חידות qualia a Psalte l. c. afferuntur, quæque ad curam Judæorum a Deo olim habitam pertinent, sed & alia, quæ nomen hoc adhuc magis tuentur, enarrasse.

ἀνοίξω ἐν παραβολαῖς τὸ στόμα μου) Ab Hebraismo liberant hanc phrasin *Erasmus Schmidius* ad Matth. V. 2. & inprimis *Majus* in Obss. Sac. Part. IV. p. 140. loco luculento ex *Luciani* Philopseude Tom. II. Opp. p. 349. producto, qui ita: ἀλλά μοι καὶ ἔχρησεν ὁ Μέμνων οὗτος, ἀνοίξας τὸ στόμα ἐν ἔπεσιν ἑπτά.

ἀπὸ καταβολῆς κόσμου) καταβολὴν de fundamento ædium inprimis, tum vero & navium dicitur, denique & cujusque rei principium declarat. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 70. Confer Historiam Critic. Reip. Liter. Tom. I. p. 233.

Vers. 38. οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας) Ita pii ac probi, qui in regno cœlesti versandi jus habent, vocantur, non sine Hebraismo. Vide Vorstii Philolog. Sacr. P. II. p. 64.

Vers. 41. σκάνδαλα) De voce hac vid. *Tobiæ Eccardi* Technica Sacra p. 124. & *Bochart.* Part. I. Hierozoici p. 979.

τοὺς σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας) *scandala, hoc est, eos, qui faciunt iniquitatem.* Ita verti vult *d'Outrein* in Biblioth. Bremensi Class. V. p. 472.

Vers. 42. βρυγμὸς τῶν ὀδόντων) Stridoris dentium causæ possunt esse vel doloris magnitudo, ut h. l. vel indignatio & ira, vel timor. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 70.

Vers. 43. οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν ὡς ἥλιος) Cum hoc dicto *Ezech. Spanhemius* comparat id, quod apud *Aristophanem* in Ranis v. 457. legitur in hanc sententiam, quod illis solis, qui mysteriis initiati sint, apud inferos sol luceat. Vide eum in notis ad l. c. & ex eo *Pet. Zornium* in *Opusculis* Sacris p. 781.

Vers.

Verſ. 44. Πάλιν) i. e. *porro, præterea*, ferner, imgleichen, ut inferatur continuatio ejusdem ſermonis & argumenti. Ita etiam *Polybius* paſſim. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 71.

θησαυρῷ κεκρυμμένῳ) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 42.

ἔκρυψε) fuit theſaurus jam occultus & abſconditus, quem inventum celavit, ne aliis innoteſceret. Vid. *Knatchbullum* ad h. l.

πάντα ὅσα ἔχει πωλεῖ) Omnia ſcilicet relinquenda ſunt ei, qui regni cœlorum particeps fieri cupit. Simili modo de Philoſophiæ ſtudio loqui *Epictetum*, oſtendit *Raphelius* in Notis Polyb. p. 71.

Verſ. 45. ὁμοία ἐστὶν &c.) i. e. Regnum cœlorum ſimile eſt margaritæ, quæ a negotiatore quæritur. Ita *Vitringa* ad Iſ. XXIX. 7. De re ipſa vide B. *Jo. Frid. Mayeri* Diſputatt. ſelectas p. 452. & *Urſini* Analecta I. p. 282.

Verſ. 46. πολύτιμον μαργαρίτην) forte *unio exaluminatus*, ut *Plinius* loquitur, hic intelligi debet. Vide *Boiſſium* ad h. l. Ex Patribus per margaritam alii intelligunt *prædicationem Evangelii*, alii *Chriſtum*, alii *dogmata perfectiora & myſteria*. Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 301.

Verſ. 47. σαγήνῃ βληθείσῃ) Vide *Schotti* Adagialia p. 42.

Verſ. 48. σαπρά) i. e. piſces minuti, qui nec edi, nec vendi poſſunt, judice *R. Simone* in Notis.

Verſ. 51. Λέγει αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς) Quia hæc in MSS. Cantabrig. & verſionibus nonnullis deſunt, ideo, jam ante *Chryſoſtomi* tempora, ea quæſtioni ſequenti abruptiori, lucis cauſa, præmiſſa eſſe ſtatuit *Mikius* in Prolegom. §. 389. Sed, ut cetera taceam, vel ſequentia: λέγουσιν αὐτῷ, evincunt, iſta genuina eſſe, & a Matthæo profecta. Conf. *Whithii* p. 39. Examinis Var. Lect.

Verſ. 52. Ad hunc verſum lege *Jac. Altingii* Orationem, quæ exſtat in Operibus ejus Tom. V. p. 302. ſqq. & *Olearium* ad Matth. p. 414. ſqq.

πᾶς γραμματεὺς) Hic διδάσκαλον in Eccleſia Chriſtiana ſignificari putat ad h. l. *Grotius*, appellationemque deſumtam ex Judaico cœtu, in quo aſſeſſor magiſtratus hoc nomine ſit vocatus. At eam non eſſe hujus appellationis originem, oſtendit B. *Olearius* l. c. cum B. *Calovio* ſtatuens, γραμματεῖς a γράμμασιν ἱεροῖς, de quibus 2 Tim. III. 15, dictos eſſe, atque ideo ita appellari, quod literas divinas inprimis tractarent. Illæ autem ſimpliciter τὰ γράμματα vocantur *Joh.* VII. 15. In Hebræa lingua audiunt סופרים ex Hebræo ספר, cui reſpondet βιβλίον, quo nomine Scriptura S. inſignitur *Luc.* IV. 17. 20. & *Gal.* III. 10. Innuitur itaque h. l. is, qui Legem ſcriptam interpretatur, quemadmodum Phariſæi Legi orali ſeu traditioni incumbebant. Confer quæ dicta ſunt ad Matth. II. Hic itaque in applicatione indi-

indicatur verus Christi discipulus, qui sit μαθητευθεὶς h. e. ejus disciplina ita imbutus, ut possit esse Legis doctor, & Scribarum vulgarium doctrinam longe superet. Ita Christus *Matth.* XXIII. 25. γραμματεῖς se, ait, mittere, sicut & *Lucianus* de morte Peregrini p. 762. Christianis tribuit γραμματέας, observante *Elsnero* p. 69. Extat in h. l. *Franc. Fabricii* Prof. Leidens. Oratio de Scriba edocto in regno Cœlorum, Lugd. Bat. 1717. 4. De voce μαθητευθεὶς lege *Suicerum* Tom. II. p. 286.

εἰς τὴν βασιλείαν τῶ Θεῶ) Pauci quidam Codd. legunt ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶ Θεῶ. Atque id præfert *Millius* in Prolegom. §. 873. hac addita ratione: *Neque enim mox, ut in regnum cœlorum quis* μαθητεύεται, *seu discipulus Christi factus est, profert de thesauro suo nova & vetera, sed is demum, qui post amplexam fidem Christianam insignes in doctrina Christi fecerit progressus.* Sed facile quisque intelligit, Christum hic non loqui de quocunque Christiano, sed eo inprimis, qui doctrina sufficiente ad prædicandum regnum Dei sit instructus. Recte itaque vertit Interpres Syrus, & communem lectionem probat *R. Simon* in Notis. B. *Lutheri* versionem defendit *Raithius* p. 346.

ὅστις ἐκβάλλει) i. e. *depromit, profert*, ut c. XII. 35.

ἐκ τῶ θησαυροῦ) ex *theca* seu *cella*. Ita etiam profani Scriptores. Vide *Elsnerum* p. 70. Intelligitur autem, *Oleario* judice, *cor* seu *animus* institutorum, ut *Matth.* XII. 35. & *Jerem.* XXXI. 33.

καινὰ καὶ παλαιὰ) Plerique hic intelligunt *Vetus & Novum Testamentum*, ad quos & pertinet *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 42. repugnante *Altingio* l. c. p. 305. a. ideo, quia tum temporis nihil Novi Fœderis scriptum fuerit. Sed non dubito, sententiam hanc pluribus se probaturam esse, quam quod ipse ibi in ejus locum affert. Ipse nempe per Vetus ipsam Scripturam S. utriusque Testamenti, eadem quippe utrinque tradentis, intelligit; per Nova vero partim versiones in linguas quascunque, partim Scripturæ expositiones, partim explicationes doctrinæ in Scriptura traditas. Quid si quæramus, ubi tunc, cum Christus hæc loqueretur, exstitérint? Vicissim vero urgeri potest, per *Nova* intelligi Novum Testamentum in tantum, in quantum doctrina Christi, omnino Judæis, recipere eam nolentibus, nova & insolita, summam Novi Testamenti, propediem in literas referendi, exhibeat. Itaque hæc interpretatio hactenus præstat. Non commemoro, quod *Drusius* novas & veteres fruges, *Grotius* autem omnis generis edulia hic intelligat. Nam illa quidem ad protasin sive texturam parabolicæ locutionis, non autem ad mentem Christi seu applicationem faciunt.

Ab istis discessit *Elsnerus* p. 70. qui per *vetera* & *nova* subindicari vult σκεύη i. e. *nova & vetera vasa*, quæ in cella sua habeat, & depromere possit pater familias. Et vetera quidem vasa de vitiosis, qui alias παλαιὸς ἄνθρωπος vocantur *Ephes.* IV. 24. nova autem de *regenitis*, qui induerunt καινὸν ἄνθρωπον, interpretatur. Sensum vero totius comparationis ita in compen-

dium mittit: Propterea, cum regnum cœlorum simile sit sagenæ ἐκ παντὸς γένους συναγαγούσῃ v. 47. i. e. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς *Matth.* XXII. 10. quilibet doctor recte doctus naturam N. T. ejusque temporis Ecclesiæ, in cœtu suo habebit & bonos, novæque vitæ ex animo studiosos, & malos antiquis sceleribus contaminatos, quique se bonos mentiantur. Viri docti hæc interpretatio inprimis innititur particulæ διὰ τοῦτο, per quam simile hoc ita cum priori, a sagena desumto, connecti putat, ut posterior ista comparatio priori & pondus & lucem addere debeat. Atque hæc quidem hactenus erudite & sapienter. Obstare tamen illi interpretationi id inprimis puto, quod minus commode impii & non emendati homines ad thesaurum doctoris Ecclesiæ referri posse videantur. Præterea ultimum hoc simile non tam ad proximam comparationem, quam ad totum sermonem Christi respectum habere putandum est. Propterea enim Christus ait v. 50. συνήκατε ταῦτα πάντα; *num percepistis hæc omnia?* Jam vero in antecedentibus Salvator diversas & non ad idem objectum spectantes, sed potius diversa Ecclesiæ ejusque conditionis momenta adumbrantes, parabolas attulerat, ut proinde nec ultima illa cum proxime præcedente tam arcto nexu copulari debeat. Sed ita potius statuendum videtur. Sicut in prioribus illis similibus ea innuuntur, quæ nunc Ecclesiam ipsam, nunc Christianum describunt; ita ultimum hoc delineat doctorem, qui in ea rite versari docendo cupiat.

B. *Olearius* vetera illa & nova ex *Rom.* VII. 6. ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος explicare instituit p. 419. ita ut doctores Ecclesiæ Christianæ non παλαιότητι γράμματος i. e. *literæ* tantum legis ejusque cortici inhæsuri, sed potius *sensum* ejus *spiritualem*, tanquam καινοῦ, cordis sui thesauro prolaturi dicantur. Et stare sane hæc possunt cum illa sententia, quæ V. & N. T. hic inui tradit, tanquam subordinata.

Vers. 54. Πόθεν τούτῳ ἡ σοφία αὕτη;) Rabbini nempe dictitabant, prophetiam non habitare nisi super homine sapiente, potente & divite: vide *Maimonidæ* More Nevochim Part. II. cap. 32. Confer *Olearium* de Jesu vero Messia p. 265.

Vers. 55. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ τέκτονος υἱός;) Utrum Josephus lignarius an ferrarius faber fuerit, disquirit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 334. qui ibidem dubitat, Christum ipsum huic opificio manus admovisse, quod tamen probabile videtur *Wagenseilio*, in notis ad Sota c. V. §. 1. p. 597. & p. 1122. ubi præterea ostendit, nomen τέκτονος hic ab Interpretibus aliis & quidem pluribus de *lignario*, ab aliis de *ferrario* fabro explicari, ideo, quia nec infrequens nec indecorum fuerit priscis Hebræorum sapientibus, ut præter literarum studia artes quoque manuarias tractarent. Confer *Cunæum* de Republ. Hebr. c. IV. p. 27. sqq. Negat fabrum fuisse Christum *Thom. Barthonius* cum Augustino de Consensu Evangelistarum II. 42. in libro de Cru-

ce

ce p. 83. sqq. existimans, per contemtum hoc vitæ genus Parentemque fabrum Judæos Christo objecisse, ut plebeja quasi doctrina apud vulgus vilesceret. Affert ibidem Patres alios secum sentientes contra dissentientem *Nihusium*. Confer tamen etiam *Spencerum* ad Origenem contra Celsum p. 81. b. & *Suicerum* Tom. II. Thesauri Ecclesiast. p. 1254. Adde, quæ scribentur ad Marc. VI. 3.

καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτῆς) i. e. filii Josephi ex alia conjuge. Vide *Jo. Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 71. & *Suicerum* Thesaur. T. I. p. 1430. ubi ex Patribus differit, cur *Jacobus* frater Christi vocetur.

Vers. 57. ἐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτῆς) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 43. ubi de causis contemtus hujus; *Lomeierum* in Diebus Genial. Dec. II. Diss. II. p. 77. *Reichenbergium* de contemtu Prophetæ in patria, Lips. 1672. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis.

Vers. 58. Καὶ οὐκ ἐποίησεν ἐκεῖ δυνάμεις πολλὰς διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν) Vide huc B. *Olearium* p. 421. sqq. ubi inprimis de eo disputat, num Christus miracula nunquam fecerit, nisi in gratiam credentium, & ubi fidem invenerit. Negantem sententiam is contra *Clericum* & alios amplectitur, nixus miraculis illis, quæ in V. T. etiam impiis & non credentibus oblata sunt, v. c. *Achabo* 1. Regg. XX. *Joramo* 2. Regg. VII. *Ahaso* Jes. VII. & *Naamani Syro*, 2. Regg. V. 15. quemadmodum & talia in Novo prostant, quo pertinet Malchus a Christo sanatus, tot δαιμονιζόμενοι, quorum multi ante liberationem a dæmonibus in Christum non videntur credidisse, &c. Hinc itaque incredulitatem hominum in tantum miracula Christi avertisse existimat, quatenus Nazareni ἄπιστοι, præ contemtu & vilipendio Salvatoris, quem nossent humili loco natum, non facturos operæ pretium se putarint, si ad eum ægrotos suos deportarent, qui proinde occasione destitutus multa miracula facere non potuerit, paucis tantum, in quos per occasionem incidisset, facta manuum impositione, sanitati restitutis. Confer, quæ dicentur ad *Marc.* VI. 5.

CAP. XIV.

EX Vers. 1. usque ad 12. explicare vincula & mortem Johannis Baptistæ allegorice conatur *Herman. Deusingius* in Allegoria Historiarum Evangelicarum Prophetica p. 300. sqq. quorum tamen nihil hic referemus, quia genuinum ipsius historiæ sensum non referunt.

V. 2. αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν) Mirum nonnullis visum est, qui Herodes id crediderit, Sadducæus cum esset, atque vi principiorum hujus sectæ resurrectionem non crederet. Talem autem eum fuisse colligunt ex *Marc.* VIII. 15. comparato cum *Matth.* XVI. 6. Visus igitur est hoc de Johanne pronunciasse, tanquam per singularem Dei potentiam factum. Re-

ſuſcitationem enim procurari divina ope poſſe, dubitare non poterat vel ex 2. Regg. IV. Vide huc *Saubertum* in Opp. Poſth. p. 94. *Harduinus* in Tract. de Numis Herodiadum p. 106. mavult dicere, Herodem hæc non de ſuo protuliſſe, ſed ex injecta ab aliorum Judæorum ſermonibus ſuſpicione, id quod ex *Luc.* IX. 7. patere putat. Alii metempſychoſin, Judæis creditam, effeciſſe putant, ut ſibi perſuaderent, Johannis animam aut rediiſſe in corpus illud, quod deſeruerat, aut in aliud corpus, v. c. Jeſu, commigraſſe. Huc tendunt *Barthol. Mayerus* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 228. ſqq. *Jo. Camero* in Myrothecio p. 21. & inprimis *Grotius* ad h. l. & cum eo *Lamius* p. 280. Sed id quidem propterea aliis non videtur veri ſimile, quia Chriſtus eo tempore, quo Johannes decollatus eſt, jam triginta fuit annorum, in quem proinde animam ejus tranſiiſſe credi non poterat. Confer *Feſſelii* Adverſaria Sacra p. 394. Addiderim, Chriſtum eo quoque tempore, quo Johannes adhuc in vivis erat, miracula jam multa patraſſe: ad ea enim ablegabat diſcipulos ab eo ad Chriſtum miſſos. Nihilominus tamen vix probabilior perſuaſionis hujus origo indicari poteſt, quam metempſychoſis credita, cum fieri facile potuerit, ut Judæi & Herodes non recogitarint, quam parum iſta ſuſpicio cum aliis circumſtantiis conciliari queat.

Verſ. 3. Ὁ γὰρ Ἡρῴδης ἔδησεν αὐτὸν) Vide *Cellarii* diſſertat. de carcere & ſupplicio Johannis in Diſſertationibus ejus recuſam p. 373. ſqq. Fuit, qui Johannem bis in carcerem conjectum ſtatueret, ſemel a Synedrio Judæorum magno, de quo exponi putat *Matth.* IV. 11. & *Marc.* I. 14. deinde ab Herode. Id probare conatus eſt *Bernh. Lamius* ſingulari Diſſertat. *de Vinculis Johannis*, ita rationes ſubducens, quod priora illa vincula occaſionem ſuppeditarint Chriſto prima vice in Galilæam proficiscendi, e quibus Johannes diſcipulos ſuos ad Chriſtum miſerit. His vero eum in Feſto Paſchatos liberatum, & Herodis juſſu denuo cuſtodiæ arctiori commiſſum eſſe. Vide Viri docti argumenta, ſub examen revocata a *Salom. van Til* duplici Diſſertat. Lugd. Batav. 1710. edita, quarum altera *de Incarceratione hac fictitia Herodiana vincula antecedente*, altera de *Tempore Incarcerationis ex Herodis Antipæ itinere Romano eruendo* exponit. Addenda eſt & tertia ejuſdem *de Johannis B. Incarceratione unica, miniſterio ejus publico finem imponente.* Confer *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. III. p. 202. ſqq. Sane, ut ceteras difficultates, a *Tillio* inprimis memoratas, taceam, eruditis illis Lamii conjecturis inprimis ſe objicit tum Joſephi, qui alioquin *Johannis* exitum attigit Antt. XVIII. 7. tum Evangeliſtarum ſilentium, qui certe, ſi Judæorum juſſu carceri traditus eſſet, hoc non magis tacituri videbantur, quam tacuerunt, Judæos per legatos Johannem de officii ſui adminiſtratione interrogari curaſſe. Vide Joh. I. 19. & V. 33.

Herodes, captivitatis auctor, eſt is, quem *Lucas* III. 19. & *Joſephus* l. c. *Tetrar-*

Tetrarcham, *Marcus* autem VI. 14. morem loquendi Judaicum ſecutus, *Regem* vocant. Idem alias audit *Antipas* apud *Joſephum* XVII. 10. & de *Bello Judaico* II. 8.

ἔθετο ἐν φυλακῇ) In caſtello Μαχαιρῶντι carcerem collocat *Joſephus*, quem plerique ſequuntur, intercedente *Jo. Lightfooto* in Horis Hebr. & non præter rem longiſſimum iter cauſante, quod intra biduum illuc a carnifice confici vix potuiſſet a Tiberiade, ubi Herodes conſederit. Itaque nonnulli malunt locum Joſephi, Machæruntem appellantis, pro mendoſo & interpolato habere. Ita ſentit cum *Lamio* in Apparatu Geograph. c. IX. §. 3. *Deylingius* Obſſ. Sacr. P. III. p. 206.

διὰ Ἡρῳδιάδα) Inceſtus exprobrationem vinculis his occaſionem feciſſe diſertius tradit *Lucas* III. 19. 20. idemque referunt Judæorum Hiſtorici, ut auctor Chronici Regum Templi II. & *Pſeudo-Gorionides* lib. V. c. 45. p. 534. edit. Breithauptianæ, qui ipſa fere phraſi noſtri & *Marci* VI. utitur, ita ſcribens: ואמר לו אסור לך לקחת אשת אחיך פיליפוס i. e. *non licet tibi in matrimonio habere Philippi, fratris tui, uxorem.* Hinc patet, Joſephum, Græcum, quando metum imminentis rebellionis cauſam cædis Johannis conſtituit XIIX. 7. vel fide mala egiſſe, vel ea etiam attuliſſe, quæ tunc facinori huic prætexebantur. Quam cauſam habuerit Johannes, ut hoc reprehenderet in Herode, oſtendit *Seldenus*, de Jure Naturæ & Gent. p. 685. qui & ſpurias veterum Doctorum rationes, quas afferre illi ſolent, recitat.

τὴν γυναῖκα Φιλίππου) Quis ſit ille *Philippus*, admodum diſputatur. Nonnulli nomen ipſum in textum ex margine, cui librarius ſciolus alleverit, irrepſiſſe putant, quia in nonnullis Codd. & verſionibus deſideratur. Sed γνησιότητα ejus poſt *Grotium*, B. *Calovium*, & ipſum quoque *Millium* in Var. Lect. & Prolegomenis §. 394. qui tamen ex Marco huc repetitum putat, adſtruxit *Deylingius* Part. II. Obſervatt. Sacrarum p. 259. & *Whitbius* in Exam. p. 91. *Grotius* ita breviter & ſolide: *Cum nomen hoc exſtet in Marci exemplaribus omnibus, in antiquiſſimis etiam Matthæi & Lucæ, atque omnibus iſtis locis apud Syrum & Latinum Interpretes, ſolicitanda lectio non eſt. Neque errare hic potuiſſe eos Scriptores facile, ut arbitror, vel a non Chriſtiano evicerim.* Sed intercedere tamen hic iterum videtur *Joſephus*, qui XIIX. 7. Antiquitatum fratrem illum Herodis Tetrarchæ, qui Herodiadem deinde duxit, non Philippum, ſed Herodem vocat. Itaque *Harduinus* libro citato fidem Joſephi ſubleſtam hic agnoſcit: alii vero in iſto inprimis argumento temere id fieri exiſtimantes ſtatuunt, inter Herodis M. filios duos *Philippi Herodis* nomen habuiſſe nec hoc loco eum intelligendum, qui Tetrarcha fuerit Trachonitidis, ſed alium obſcurioris nominis Herodem, cui Philippi nomen hic tribuant Evangeliſtæ. Atque eum ipſum Joſephus filium Mariamnæ, quæ erat filia Simonis Pontificis, ait fuiſſe, ſicut Philippum, Tetrarcham Trachonitidis, a Cleopatra natum, tradit. Vide in hanc ſententiam plura apud *Grotium*, *Deylingium* Part. II. p. 260. *Lamium* p. 281. *Whitbium* in Commentar. ad h. l. nec

minus *Toinardum* in Notis ad Harmoniam Evangel. & hinc in Actis Erudit. Lipſ. Tom. IV. Supplementorum p. 507. Poſtremus ille putat, Joſephum prænomen fratris Herodis Antipæ nominaſſe, quod fuerit *Herodes*, Evangeliſtas vero cognomen retuliſſe, quod fuerit *Philippus*.

Verſ. 4. ἔχειν αὐτὴν) *habere eam*, ſcilicet in matrimonio. Phraſin puræ Græcam eſſe, poſt *Grotium* oſtendit *Raphelius* vel ex *Xenophonte* in Notis Xenophonteis p. 36. Adde *Keuchenii* Annotata ad Joh. III. 29. & *Feſſel.* Adverſaria II. 20. Locis profanorum Scriptorum ab aliis allatis nonnullos addit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ex *Heliodoro* lib. I. Æthiopic. p. 37. & *Plutarchi* Antonio p. 678. qui τὸ ἔχειν eadem, quæ hic obtinet, notione uſurpant.

Verſ. 6. γενεσίων δὲ ἀγομένων) γενεσίων ſcilicet συμποσίων. Videatur *Bos* de Ellipſi p. 184. Ἄγειν de celebratione ſolennium dierum τὰς LXX. uſurpare, oſtendit ad h. l. *Keuchenius*. Idem probat *Raphelius* p. 72. in Notis Polybian. Conf. *Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 37. a. Dubium hic inprimis eſt, utrum γενέσια de *die natali* an de die inaugurationis in imperium accipi debeant. Pro priori ſententia ſtant plerique omnes, nominatim Lacerda Adverſar. p. 504. *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. Exc. XXII. *Bartholinus* de Puerperio veterum p. 171. ſqq. *Suicerus* Tom. I. p. 746. *Lamius* p. 282. *Jenſius* in Ferculo Literar. p. 25. &c. Viciſſim ad diem, quo regnum fuerit conſecutus, reſpici hic putant *Heinſius* in Exercitatt. Sacr. p. 48. *Iſ. Voſſius* ad Catullum p. 307. *Adrian. Relandus* Diſſ. Miſcellan. Part. II. p. 257. & *le Cene* in Projet p. 556. Vocem ipſam γενέσια pro die natalitio non recte dici, cum dicendum potius eſſet γενέθλιος ἡμέρα vel γενέθλια, ex *Phrynicho* monet *Salmaſius* de Lingua Helleniſt. p. 104. Alii ex alio Grammatico, nempe *Ammonio* de differentiis Vocum minus recte vocem hanc h. l. uſurpatam contendunt, quem ita accipiunt, ut γενέθλια dici dies natalis exiſtimetur, qui celebratur, dum adhuc vivit: γενέσια vero is, qui poſt ejus obitum a conſanguineis feſtus habeatur, quod factum fuiſſe vel ex Suetonio in Vita Domitiani c. X. conſtat. Sed vide *Jenſium* in Ferculo Literario p. 23. ſq. qui oſtendit, Viros doctos *Ammonium* non recte cepiſſe, & Ammonium ipſum in iis, quæ attulit, falli. Quæ cum huc non admodum pertineant, Lector ſuo loco requiret. Γενέσια per euphemiſmum etiam de natali die dici, oſtendit *Caſp. Sagittarius* de Martyrum natalitiis p. 7. Conf. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 7. *Suidas* utramque vocem ut Græcam ſuo loco affert Tom. I. & iisdem fere verbis explicat.

ὠρχήσατο) De impudica hac ſaltatione vide poſt *Basnagium* Tom. I. Annal. p. 315. *Amelium* Part. I. p. 560. ſq.

Verſ. 7. μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν) Eadem phraſi in ſimili cauſa utitur Polybian. V. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 72.

Verſ.

Vers. 8. προβιβασθεῖσα) i. e. *edocta, instructa, instigata, producta.* Plena phrasis est, quæ apud *Xenophontem* exstat lib. I. Memorabil. p. 564. λόγῳ προβιβάζειν i. e. verbis inducere ad aliquid faciendum, quod Latini dicunt *producere.* Vide *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 37. Vulg. vertit: *præmonita,* quem tueri conatur *Boisius* in Collat. & *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 836. ubi lege plura.

Vers. 9. ἐλυπήθη ὁ βασιλεὺς) *pœnituit Regem.* Vide *Boisium* ad h. l. βασιλεὺς hic vocatur, qui proprie erat Tetrarcha: vide dicta ad v. 3. Adde præterea, quæ observat *Jac. Basnagius* in Histor. Judaica lib. I. c. 2. qui observat, nomen βασιλέως apud Græcos vagum fuisse & promiscue datum etiam illis, qui nec regnum nec subditos sibi haberent: forte etiam Evangelistas secutos hic esse Judæorum in aula Herodis versantium morem. Βασιλεὺς de judice dicitur: vide J. A. *Fabricii* Biblioth. Græc. lib. II. p. 760. item de eo, qui in aliqua re princeps est; Lege *Barnesium* ad Anacreontem p. 86. Athenis quoque Archon secundus βασιλεὺς vocabatur. Compara *Bernh. de Montfaucon* in Palæographia p. 148. sq.

Vers. 10. ἀπεκεφάλισε) Lapsus est *Salmasius* p. 107. de Lingua Hellenistica ita scribens: *In utroque Testamento ἀποκεφαλίζειν ponitur pro caput abscindere, vulgaris usus verbum, & nemini veterum usurpatum.* Sed en tibi *Arrianum* Differt. p. 6. κελευσθεὶς ὑπὸ Νέρωνος ἀποκεφαλισθῆναι. Adde p. 7. & *Raphelium* p. 73. Idem in Notis Xenophonteis p. 38. merito celebrat simplicitatem dictionis, qua hic utatur Matthæus, ne graviori quidem verbo factum indignissimum notans. Tempus Johannis trucidati ex comparatis inter se *Matth.* XIV. 10. & Joh. VI. 4. colligit *Jo. Lightfootus* in Horis Hebr. idque incidisse putat proxime ante Pascha illud, quod vitæ Christi penultimum antecessit, postquam carcerem per sesquiannum passus, & munere suo per sesquiannum ante vincula functus fuisset. *Salom. van Til* in Differt. antea laudata *de Tempore Incarcerationis Johannis* &c. §. 9. annum definit XXX. æræ vulgaris, i. e. DCCLXXXIII. V. C. Hoc vero conficit ex eo, quod Herodes Antipas in Italiam ad Tiberium profectus sit tempore conjurationis Sejani, quæ in annum XXX. æræ vulgaris inciderit, & hoc inclinante Tiberio innotuerit. Hoc autem anno, vigente adhuc ista conspiratione, Herodem ex Italia domum rediisse censet, & pacta matrimonialia cum primo reditu consummasse, conjugiique censorem in vincula conjecisse.

Vers. 13. πεζῇ) Non tam pedibus, quia multi claudi & debiles adfuerunt, quam terra quocunque demum modo iter hoc factum esse statuendum est, id quod per voces πεζῇ & πεζεύειν innui statuit cum *Lamb. Danæo,* Jo. Buxtorfius in Catalectis p. 164.

Vers. 15. ἔρημος τόπος) Voces hæ non de squalido & prorsus inculto lo-

to loco intelligendæ sunt, quia pascua ibi erant amœnissima. Vide quæ scribentur ad Marc. VI.

ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν) i. e. *tempus diurnum jam præteriit.* Ita *Polybius* p. 1040. & 1042. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 73. sqq. Id malim, quam cum *Suicero* T. II. p. 1598. de tempore opportuno interpretari.

Vers. 19. Καὶ κελεύσας τὸς ὄχλος ἀναπλιθῆναι) i. e. *& cum jussisset, ut turba collocaretur super fœnum.* Ita cum *Pricæo* ad h. l. *Suicerus* Tom. I. p. 279.

ἀναβλέψας εἰς τὸν ἔρανὸν εὐλόγησε) *Xenophon* Cyropæd. lib. VI. p. 135. ἀναβλέψας εἰς τὸν ἔρανὸν ἐπεύξατο. Τὸ εὐλόγησε idem est quod εὐχαρίστησε i. e. *gratias egit.* Utrumque enim verbum permutatur. Quod enim in S. Cœna *Matthæus* & *Marcus* per εὐλογήσας efferunt, id *Lucas* exprimit per εὐχαριστήσας. Confer *Hackspanium* in Notis p. 99. sqq. De benedictione mensæ ex Gentilium scriptis, pane item multiplicato, differit hic *Picinelius* in Luminibus Reflexis.

Vers. 20. Καὶ ἦραν) id accipiendum est de Apostolis, quod ostendit *Keuchenius* ad h. l.

τῶν κλασμάτων) De fragmentis, post tot homines saturatos, & hic & alibi residuis, vide *Franzium* de Interpretat. Script. S. p. 735. sq.

κοφίνες) De *cophinis* vide *de Prado* in Pentecontarcho p. 238. sq. qui & ibidem ostendit, Judæos vilioris fortunæ & egestate oppressos fœnum & cophinum pro supellectile habuisse: illud quidem, quia Judæa fœniferax erat; hoc autem, ut rebus transportandis instar mercenariorum inservirent. Cophinos seu canistra ad panes & cibum servandos adhibuisse veteres patet ex *Homero* Odyss. l. 147. & Iliad. XXIV. 625. quæ loca debeo Cl. *Trilleri* Notis MSS.

Vers. 21. ὡσεὶ) τὸ ὡσεὶ ex Luca huc translatum putat *Millius* in Prolegomenis, cum tamen in collatione Var. Lect. nec unum Codicem proferat, in quo desit.

Vers. 22. ἠνάγκασεν) i. e. *invitavit, persuasit,* ut Gal. II. 14. Conf. *Elsnerum* in Obss. Sacr. p. 244.

ἕως ἀπολύσῃ) i. e. *dum dimitteret turbam.* Vide *Homberg.* p. 55.

Vers. 23. ὀψίας δὲ γενομένης) i. e. *vespera secunda:* duas enim vesperas numerant Rabbini, unam hora tertia, alteram Sole occidente incipientem. De priore v. 15. de posteriore v. 23. sermo est, judice *Rich. Simone* ad h. l.

Vers. 25. Τετάρτη δὲ φυλακῇ) Ex Romanorum antiquitate post alios hæc verba illustrat *Cellarius* in Disputat. Academ. p. 394. sq. & novissime Cl. *Dan.*

Dan. Wilh. Trillerus in Notis ad *Hug. Grotii* Chriſtum Patientem p. 174. Nonnullis enim diviſio noctis in quatuor vigilias a Romanis profecta videtur, quia Judæis אשמורה, ſive *vigilia*, ſæpe tertiam noctis partem denotat. Verum in ipſo initio Gemaræ *Berachoth* III. 2. & *Echa Rabbati* fol. 78. 2. ubi ſententia *R. Elieſeris* refertur, dicentis, tres eſſe noctis vigilias, ſcriptum eſt תנו רבנן ר' משמרות הוי הלילה i. e. *tradunt doctores, quatuor eſſe vigilias noctis*; quod & ibidem ex Scriptura S. probare inſtituunt. Confer *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 410. & Cl. *Georg. Elieſ. Edzardum* ad c. I. Berachoth p. 155. ad Gemaram ſuper Miſchnam I. ubi dicitur, *Rabbinos tradidiſſe ex ſententia Rabbi*, (i. e. Jehudæ Sancti,) *noctem in quatuor vigilias eſſe diviſam; ex ſententia autem R. Nathanis in tres tantum.* Idem ibidem oſtendit, Judæos quatuor etiam diurnas vigilias ſtatuiſſe. Ceterum quarta iſta vigilia a *Xenophonte* de expedit. Cyri lib. IV. p. 248. appellari videtur φυλακὴ τελευταία, obſervante *Raphelio* in Notis Xenophonteis p. 40. ubi & monet, vigilia illa quarta diem adhuc fuiſſe dubium, ita ut conſpici quidem Jeſus in mari ambulans, ſed non agnoſci potuerit, fallente oculorum proſpectum temporis obſcuritate.

ἀπῆλθε) *venit:* ita cum Vulg. *Boiſius* in Collatione, quem & lege ad *Matth.* VIII. 33.

Περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης) Ægyptiorum Sapientes pedibus ſupra aquas nantibus rem impoſſibilem deſignabant: alii vero facultatem in mari ambulandi divinum munus interpretabantur. Vide *Elsnerum* p. 72.

Verſ. 31. ὀλιγόπιστε) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 43.

ἐδίστασας) De vi verbi hujus lege *Dilherrum* de uſu Scriptorum Secular. plag. V.

Verſ. 32. ἐκόπασεν) i. e. *ventus poſuit, reſedit.* Vide *Boiſium* ad h. l.

Verſ. 33. ἐλθόντες) quia hoc in paucis quibusdam Codd. Græcis deeſt, ideo *Millius* in Prolegomenis uberioris explicationis gratia intruſum credit. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 39.

ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς εἶ) Quam ſolide hinc argumentum pro vera divinitate Chriſti ducatur, oſtendit *Hackſpanius* in Notis p. 93. ſq.

CAP. XV.

VErſ. 1. ſqq. Quæ contra hunc Chriſti de rebus, hominem vere polluentibus, ſermonem affert auctor *Chiſſuck Emuna*, ea breviter diluit, & verbis ipſis lucem affundit Guſſetus in Confutatione ejus Part. II. c. XVIII. p. 379.

οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς) i. e. *Scribæ Hieroſolymitani*, ut Hebr. XIII. 24. οἱ ἀπὸ Ἰταλίας ſunt *Itali*, in ipſa Italia degentes & Act. XVII. 23.

οἱ ἀπὸ τῆς Θεσσαλονίκης Ἰεδαῖοι vocantur, qui Theſſalonica nondum egreſſi erant. Itaque hic non ſubaudiendum eſt ἐλθόντες, cum *Eraſmo* & *Beza*, quamvis negandum non ſit, eos Hieroſolymis veniſſe, quod tamen phraſis ipſa per ſe non infert, ſed ex collato Marc. VII. 1. intelligitur. Phraſeos hujus exempla habes apud Polybium frequenter, ex quo ea affert *Raphelius* in Annotationibus ſuis Polybianis p. 73.

Verſ. 2. παράδοσιν των πρεσβυτέρων) Vide huc *Serarium* in Trihæreſio p. 32. ſqq.

ὅταν ἄρτον ἐσθίωσιν) id eſt, quando cibo utuntur, per Hebraiſmum, quem hic agnoſci vult *Hackſpanius* ex Gen. XIV. 18. *le Cene* p. 774. & *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 223. Itaque ipſis cum plerisque aliis *panis* univerſale alimentorum nomen eſſe videtur, quod minus probat *Guſſetus* in Lexico Hebr. p. 439. qui mavult ſpectari & explicari in ſe, cum circumſtantiarum auxilio reliqua ciborum genera facile huc trahi poſſint, quamvis non phraſi ipſa inferantur. Sed hæc quidem tanti non ſunt, ut in iis hæreamus.

Verſ. 3-6. illuſtrat *Marckius* in Exercitatt. Scripturar. p. 117. ſq.

Verſ. 3. διὰ τί ὑμεῖς παραβαίνετε διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν;) Hoc Judæis Rabbanitis Karæi, a traditionibus ſcilicet alieni, toties exprobrant, quoties queruntur, quod leviora reddant præcepta Dei מצות מקלים. Vide hanc in rem *Triglandii* Diſſertat. de Karæis p. 97.

Verſ. 4. Τίμα τὸν πατέρα σε) Τὸ σε, in nonnullis MSS. deſideratum, ut genuinum retinendum recte vult *Whitby* in Examine p. 39. Ceterum de cultu, Parentibus præſtando, ex Scriptoribus externis diſſerit *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. Ex Judæis hodie Karæi Parentes omni modo, cum verbis, tum opere, honorari jubent. Lege *Triglandium* l. c. p. 163.

Verſ. 5. Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς) B. *Lutheri* verſionem tuetur *Raithius* in Vindiciis p. 347. Diverſas Interpretum de his verbis ſententias expoſitas vide a *Georg. Frid. Meinhardo* in Diſpp. III. Theſauro Theolog. Philolog. inſertis f. 139. *Seb. Schmidio* in Faſciculo Diſputatt. Theolog. Philologic. p. 543. ſq. & *Marckio* in Exercitatt. Scripturariis num. V. Inprimis de vero eorum ſenſu inter ſe diſputarunt Scriptores de Trihæreſio, *Serarius* p. 42. & in Minervali p. 93. *Scaliger*, in Elencho p. 396. & *Druſius* p. 269. *Scaliger*, cujus ſententiam approbat *Boiſius* in Collat. ſpeciatim ita ſuppleri phraſin cupit: δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, πάσης με πρός σε τιμῆς καὶ ὑπηρεσίας ἐλευθεροῖ. Cui *Schmidius* l. c. recte opponit defectum fundamenti, quod ſupplementum ejusmodi adſuere ſuadeat. Ipſe vero p. 586. ita verba plenius proponit: Vos autem dicitis: quicunque dixerit patri aut matri, *Korban*

ban erit, quicquid ex me utilitatis perceperis, obligatus erit vel *sit.* Ad quæ sequentia καὶ ὃ μὴ τιμήσῃ ita accommodat, ut, si supplementum in Subjunctivo ponatur, sint continuatio verborum Christi, in qua interpretetur obligationem istam Pharisæorum, & consequens absurdum ostendat, hoc sensu: vos dicitis &c. obligatus sit; i. e. non honoret patrem suum aut matrem suam. Vel, si supplementum in Futuro Indicativi accipiatur, iterum Dominus consequens traditionis istius verum indicare existimetur, ac si scriberetur: καὶ ὃ μὴ τιμήσῃ ἂν τὸν πατέρα i. e. *unde necessario fiet, ut non honoret patrem & matrem suam.* Hæc ille. *Andr. Masius* in Comment. ad Josuam p. 111. ita: πᾶν ὅτι ἂν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῆς κορβᾶν ἔσω, τοῦτ' ἔστιν ἀνάθεμα i. e. *omne, quo ex me juvari possis, corban sit,* i. e. *anathema.* Atque hanc interpretationem idem repetit in notis ad h. l. quæ exstant Tom. II. Supplementi Criticorum. Quam utut pro ineptissima habeat *Scaliger* l. c. probabilem tamen censuerunt permulti a Schmidio l. c. allati, & ex recentissimis Interpretibus non pauci. Res scilicet huc redit. Solebant veteres Judæi voto se obstringere, quod ex hac vel illa re nullum vel ipsi, vel alii homines, fructum capere debeant, sed quod tota Dei sit instar oblationis. Hujus voti exempla passim exstant in Talmude, & speciatim in Tractatu נדרים sive *de votis*, unde allata sunt a *Lightfooto*, *Schmidio* l. c. & inprimis Cl. *Georg. Eliesere Edzardo*, qui phrasi huic lucem affudit in notis ad cap. II. Avoda Sacra p. 294. sqq. Locus Mischnicus ex Nedarim III. 11. ibi citatus & p. 44. exstans, ita habet: קונם שאני נהנה מן הערלים מותר בערלי ישראל ואסור בחולי: i. e. *Si quis dicat, res sacrata mihi erit, quicquid utilitatis ad me possit redundare a præputiatis* (i. e. voveo, me nihil utilitatis esse percepturum ex præputiatis) *ei licet commodum percipere ex præputiatis Israelitis, at non licet commodum percipere ex circumcisis gentilibus.* Non ovo ovum similius esse posse, quam ista verba, dicto Rabbinorum, a CHRISTO allata, *Edzardus* l. c. manifestum facit, atque inde recte colligit, τὸ δῶρον hic respondere τῷ κορβᾶν, quod est apud *Marcum*, & τῷ קונם quod hinc in loco Mischnico comparet: supplendum vero esse verbum אסור, uti h. l. subjicitur אסור בערלי ישראל i. e. *is obligatur, quantum ad præputiatos Israëlitas*, sive, *is prohibetur utilitatem capere ex præputiatis Israëlitis.* Itaque hic erit sensus dicti hujus, quod apud Marcum plenius exstat: *Vos dicitis: si quis dixerit ad patrem suum aut matrem: Korban h. e. munus* (i. e. res Deo sacra, vel, quasi res Deo sacra,) *erit tibi, quicquid tu in usum tuum convertere volueris ex me, is obligatus est, & tenetur votum suum implere.* Atque ejusmodi votum in damnum Parentum emissum omnino obligare, nec rescindi posse, manifestum est ex *Nedarim* V. 6. quem ibidem illustratum lege. Atque in hac loci expositione merito acquiesco, quam tuentur & illustrant ex nostratibus, ut ceteros taceam, B. *Casp. Læscherus* in Programmate singulari, quod exstat in *Gabr. Terne* Sylloge Programmatum I. p. 415. sq. *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 220. sqq. qui vertit: *Sacrum illud sit, quo a me juveris*, *Mairkius* l. c. p. 141. sqq. & ante eum *Hottingerus* de Usu Scripto-

rum Hebraic. in N. T. p. 405. Syntagmatis Rhenferdiani, *Pocockius* in Miſcellan. p. 410. *Hammondus* ad h. l. *Laur. Odhelius* in Synag. Bifronte p. 13. ſq. (ubi & nonnulla de verſione B. Lutheri) *Bashuyſenius* Differt. I. præmiſſa Clavi Talmud. Max. p. 82. ſq. *Relandus* in Antiquitat. Hebr. p. 390. *Amelius* Parte II. p. 362. ſqq. & *Schætgenius* ad Lamb. Bos de Ellipſi p. 100. Lege & *Mart. Lydium* de Juramentis c. II. §. 3. p. 260. Atque hinc ſimul patet, ſub phraſi, δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, non intelligi poſſe, κορβᾶν ἔστω, quod vult *Hombergius* p. 55. i. e. *donum, quo a me juvari poſſes, Deo ſacrum eſto.* Nam τὸ δῶρον Matthæi eſt κορβᾶν Marci, ad quem vide quæ dicentur VII. 11. quod & ipſe per donum interpretatur. Præterea obſervandum eſt, nonnullas & quidem plerasque editiones N. T. minus recte interpungere hæc verba ita: δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ, ὠφεληθῇς. Nam comma illud poſt ἐμοῦ rejiciendum potius eſt ad δῶρον, niſi colo potius hic opus eſſe cenſeas, cum per δῶρον prædicatum exprimatur, & reliqua ſubjectum contineant. Ex Græcis Scriptoribus verba hæc illuſtrat B. *Stolbergius* in Exercitatt. Græc. L. p. 382. ſqq. & *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 75. *Petavius* ad Epiphan. Hæreſi XXXIII. *Chryſoſtomi* explicationem probat & amplectitur. De voce *Corban*, & hoc voti genere, lege in univerſum *Druſium* ad voces N. T. p. 51. & in Quæſt. Hebr. II. 59. *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris, B. *Pfeiferum* in Quinquagena Locorum Hebr. p. 489. Opp. Critic. *Waſerum* III. 2. de Menſuris Hebr. *Cotelerium* item ad Patres Apoſtol. T. I. p. 246. & *Sam. Petitum* Var. Lect. lib. I. c. IV. cujus ſententiam examinat & rejicit *Wolfburgius* p. 347.

καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ) Verbum τιμᾶν hic & v. 8. de donis ac beneficentia ſeu liberalitate poſt Hieronymum explicant *Grotius* de Jure B. & P. II. 13. §. 7. item *Juretus* ad Symmachum p. 302. & *Chimentellius* de honore Bi ellii c. 33. Recte quidem, inprimis ſi Marci locum parallelum VII. 12. inſpicias. Nec inſolens eſt hæc notio profanis Græciæ Scriptoribus. Lege *Raphelii* Annotatt. Polyb. p. 76. *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 221. ita vertit: *non honoret patrem ſuum, aut matrem ſuam*; i. e. *poteſt non honorare patrem ſuum & matrem ſuam.* Ceterum ad probandam veterum Judæorum in Parentes negligentiam id affert *Lempereur* ad *Bava Kamma* p. 258. quod Magiſtri ipſorum Præceptoribus plus quam Parentibus tribui voluerint.

Verſ. 6. καὶ ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ) ita in *Peſachim* Gemara f. 115. a. dicitur: אתי דרבנן ומבטל דאורייתא i. e. interprete Cl. *Dav. Millio* Corollar. II. ad Differtt. Philolog. I. qua Maimonidis Conſtitutt. de Æſtimationibus ex parte verſæ exhibentur; (præcepta) *Rabbinorum reſcindunt* (præcepta) *Legis.* Compara *Triglandii* Differt. de Karæis p. 130.

Verſ. 7. προεφήτευσε) Caſtalio vertit: *vaticinatus eſt*: quo nomine a *Beza* reprehenſus ſe tuetur in Defenſione verſionis ſuæ.

Verſ. 8. Ἐγγίζει μοι) Varietas non una hanc Matthæi allegationem & ipſum

ipſum Jeſaiæ locum comparanti occurrit, in quam curatius inquirunt *Vitringa* Comm. in Jeſ. T. II. p. 150. *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 247. ſqq. & Rev. *Gebhardi* in Vindiciis Textus Hebræi contra Pezron. p. 157. Confer & *Lightfooti* Opp. Poſth. p. 36. 70. 78. Eſt vero & lectionum diſcrepantia in Codd. MSS. quorum nonnulli omittunt ἐγγίζει μοι - τῷ στόματι αὐτῶν καὶ, applaudentibus *Millio* & *Rich. Simone* in verſione Gallica N. T. Sed lege in contrarium *Whitby* in Examine p. 39. Quod ad ſententiam ipſam attinet, alia ſcilicet lingua teſtari Judæos, alia animo habere recondita, conſtat, ita & profanos paſſim loqui, quorum loca affert *Elsnerus* ad h. l. p. 75. *Schottus* in Adagial. p. 44. & *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

τοῖς χείλεσί με τιμᾷ) Duplices ejusmodi homines abominatur ſimili fere modo *Theognis* v. 88. ſqq. indice Cl. *Trillero*.

Verſ. 9. Μάτην δὲ σέβονταί με) Vide huc M. *Georg. Roht* Diſp. de cultu Dei rejectitio, Lipſ. 1678. 4. & *Sontag.* de votorum monaſticorum vanitate, *Altorf.* 1693.

Verſ. 11. Οὐ τὸ εἰσερχόμενον) Vide *Schotti* Adagial. p. 44.

κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον) Hæc ſcilicet erat Phariſæorum ſententia, cibos quosdam natura ſua, & non tantum ex inſtituto hominum, polluere, id quod a Judæis ad Turcas perveniſſe, & nonnullis Græcorum Philoſophis fuiſſe perſuaſum, oſtendit *Spencerus* de Legibus Hebr. ritualibus p. 147.

Verſ. 12 - 14. Commata hæc illuſtrat *Olearius* in Obſervatt. ſuis p. 461. ſqq. ubi de prudentia circa ſcandalum Phariſaicum commentatur & eadem opera de *ſcandalo* generatim diſſerit. Patrum de eo ſententias lege apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 967. ſqq.

Verſ. 13. πᾶσα φυτεία) Vid. *Ignatii* epiſt. ad Philadelph. & ibi notas *Th. Smithi* p. 47.

Verſ. 14. ἄφετε αὐτούς) Sic *Arrianus* lib. I. p. 118. Epictetum dicere ſolitum tradit: ἄφες αὐτόν. Vide *Raphel.* Annotatt. Polyb. p. 76

ὁδηγοί εἰσι τυφλοί) Ita & profani loquuntur, quos afferunt *Schottus* in Adag. p. 44. *Gatackerus* ad Antonini L. V. 29. p. 154. a. & Cl. *Fabricius* ad Sextum Empiric. p. 732. Conf. & *Raphel.* Annotatt. Xenophont. Pertinet huc *Libanii* locus de Vita ſua, Tom. II. Opp. p. 4.

Verſ. 15. Φράσον ἡμῖν τὴν παραβολὴν ταύτην) Hic παραβολή, nova aſſumta ſignificatione, pro *apophthegmate* uſurpatur. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. P. I. p. 117.

Verſ. 16. ἀκμήν) i. e. *adhuc*, obſervante *Boiſio* in Collat. Hæc vocis iſtius notio frequens eſt apud *Polybium*, cujus loca affert *Raphelius* p. 77 Sic

ſuperſedere poſſumus obſervatione *Guſſetii* in Lexico Hebr. p. 41. qui τὸ ἀκμὴν per imitationem vocum Hebr. אך בן vel אך אכן Græcè dici putat.

Verſ. 17-20. Vide huc *Guſſet.* in Refutatione *Chiſſuck Emuna* Part. I. c. 15. ubi inter cetera ipſis Judæorum teſtimoniis oſtenditur, interdictionem ciborum quorundam temporibus Meſſiæ abrogandam eſſe.

Verſ. 17. εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ) *in ventrem cedit, abit.* Hoc verbo profani in ſimili argumento utuntur, quorum loca affert *Raphelius* in Annot. Xenophonteis p. 41. Ita *Xenophon* Memorab. lib. I. p. 573. ea, quæ excernuntur, τὰ ἀποχωρῆντα appellat. Ita quoque *Hippocrates*, de quo vide *Jo. Conr. Schwarzium* ad *Jo. Olearium* de Stylo N. T. p. 174.

εἰς ἀφεδρῶνα) ἀφεδρὼν proprie eſt *ſella familiaris*, ſeu *latrina*. Vide omnino *le Moyne* ad Varia Sacra p. 815. B. *Lutherus* modeſtiæ cauſa aliter convertit, quem contra *Caſp. Ern. Trilleri* animadverſiones tuetur *Schönlandius* im Beweiß p 306 & *Pfeiferus* p. 16. Diſſertationis ſuæ eidem oppoſitæ.

Quomodo Reformati nonnulli hoc commate abuſi ſint, oſtendit *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 96. & in Miſcellaneis p. 188.

Verſ. 18. ἐκ τῆς καρδίας ἐξέρχεται) Phraſis hæc non ſignificat, externa quapiam actione ex animi latibulo erumpere, ſed fontem in animo habere, qui cogitationum omnium origo ſit, quemadmodum διαλογισμοὶ hic cogitationes denotant; id quod contra *Hammondum* oſtendit *Clericus*.

Verſ. 20. ἀνίπτοις χερσὶ) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 45.

Verſ. 21. τὰ μέρη) i. e. *fines*: vide huc *Keuchenium*.

Verſ. 22. γυνὴ χαναναία) ea *Marco* eſt Συροφοινίσσα i. e. Phœniſſa ex Tyro aut Sidone, quæ hic Cananæa dicitur, eo quod Tyrii & Sidonii origine erant Cananæi. Confer huc *Relandi* Palæſtin. Sacr. p. 7. & 50. Feminam mercatricem hic intelligi vult *Keuchenius* ad h. l. qui χαναναίαν & ἔλληνίδα idem inferre arbitratur.

κακῶς δαιμονίζεται) Vide *Bartholin.* de Morbis Biblic. p. 82.

Verſ. 23. ἐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον) Eadem prorſus phraſi utitur *Arrianus* de expedit. Alex. 7. 16. 9. obſervante *Raphelio*. Similem fere *Æſchinis* affert *Schwarzius* ad Olear. de Stylo N. T. p. 257. Lege de hac phraſi *Vorſtium* P. II. Philolog. Sacr. p. 86.

Verſ. 24. illuſtrat B. *Olearius* in Obſervatt. Sacris p. 427. ſqq. ubi de Apoſtolatu Chriſti ad Judæos diſſerit, & inter cetera oſtendit, διακονίαν Chriſti, inter Judæos exercendam, in eo conſtitiſſe, quod & Prophetico & Sacerdotali officio in viſibili carnis præſentia apud eos defungeretur. Particula εἰ μὴ hic infert ἐξοχήν, ut *Matth.* XIII. 57. Hinc facile reſponderi poteſt

teſt objectioni Judaicæ, cujus ex MSS. fit mentio in Bibliotheca Uffenbachiana Part. I. p. 164. Confer B. *Jo. Olearii* Diſp. de Apoſtolatu ſeu miſſione Chriſti ad ſolos Judæos, *Lipſ.* 1681.

ἐκ ἀπεσάλην) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 45.

Verſ. 26. ἐκ ἔξι καλὸν) Vocem καλὸν, quam nonnulli Codd. non agnoſcunt, pro adjectitia habet *Millius*, & nuper Cl. *Joſ. Waſſe* in *the Enquiry into the Words of St. Matth. XXVII. 54. and Conjectures upon c. XV. 26.* quæ Bibliothecæ Literar. *Londini* 1722. inſerta eſt. Sed vide *Whitby* Examen p. 39. De phraſi ipſâ lege *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 86.

τοῖς κυναρίοις) Judæi ut olim, ſicut etiamnum, Gentiles in canum numero habebant. Vide *Eiſenmengeri* entdecktes Judenthum Part. I. p. 713. ſqq. Confer *Schotti* Adagial. N. T. p. 46. & *van Til* in Zoologia Sac. p. 225. Cur Gentiles cum canibus comparentur, ex Patribus edifſerit *Suicerus* Tom. II. p. 198. Vile autem eſſe canis nomen, ex profanorum Scriptorum locis oſtendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l. Intelligi hic canes Meliteos recte negat *Saldenus* in Otiis p. 134. quia ſcilicet huc per contemtum, tanquam canes viliſſimi, advocentur.

Verſ. 27. Ναὶ) pro *obſecrantis* aut *obteſtantis* formula habet *Caſaubonus*, approbante *Boiſio* in Collatione ad h. l. repugnante autem *Elsnero* p. 76. cui potius videtur *aſſentientis* eſſe, ita, ut quod dixerat aliquis, accipiat alter, atque contra illum utatur, ut ſenſus ſit: *Recte, at catelli edunt de micis.* Ita omnino externi Scriptores, & ſic optime B. Lutherus interpretatur. Parum abit *Colomeſius* in Obſſ. S. qui vertit per *eſto.*

κυνάρια ἐσθίει) Vide *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. Ita aliquis Damim, eo quod minima quæque de Apollonio retuliſſet, ſimilem dixit canibus τοῖς σιτευμένοις τὰ ἐκπίπτοντα τῆς δαιτός. Ceterum catellos in deliciis tricliniaribus olim habitos eſſe ad h. l. obſervat *Pignorius* de Servis p. 451.

Verſ. 30. κυλλοὺς) κυλλοὶ proprie ſunt, quibus manus ſunt inutiles, aut qui plane illis carent. Interim & illi κυλλοὶ appellari alias ſolent, quibus & alia membra facta ſunt ἄχρηστα. Lege poſt *Caſaub.* ad h. l. *Elsnerum* p. 77.

Verſ. 31. κυλλοὺς ὑγιεῖς) Pro adjectitiis habet *Millius*, & ut talia in verſione neglexit *R. Simon.* Sed vide *Whitby* p. 39. Exam.

χορτάσαι) De hominibus paſcendis præter morem Græcorum, atque adeo per Hebraiſmum, uſurpari, contendunt Græce periti, quibus *Pfochenius* §. 112. opponit Platonis locum, quem tamen huc minime omnium pertinere, cum ibi ὑῶν i. e. *ſuum*, non vero υἱῶν i. e. *filiorum* mentio fiat, recte monet *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 251.

Verſ.

Verſ. 36. εὐχαριστήσας) i. e. recitabat precationem, quam Judæi vocant benedictionem ברכת, quod recte obſervat *R. Simon* de Verſionibus N. T. p. 186. Nihil ſcilicet comedere ſolebant Judæi, niſi quod certa precum formula ſalutare ſibi eſſe jusſerant. Ejusmodi formulæ hodienum collectæ exſtant in libris, quos appellant ברכת נהנין & ברכת המזון de quibus in Tomo II. Biblioth. Hebr. inter Anonyma ſcripta ſuis locis commentati ſumus.

Verſ. 37. σπυρίδας) Harum uſus fuit in cœnis apud veteres, unde apud *Arrianum* IV. 10. p. 502. dicitur σπυρίσι δειπνῆσαι, quod *Jac. Scheckius* interpretatur *ferculis opimis inſtructam cœnam inire.* Unde fortaſſe hic per σπυρίδας non tantæ ſportæ intelligendæ ſunt, quanta fuit illa, qua Paulum e muro dimiſerunt Act. IX. 25. quamque ipſe σαργάνην appellat 2. Cor. XI. 33. ſed quales cibis deferendis conveniunt, Brodkörbe, Speiſekörbe, Handkörbe, quas in deſerto ad manum fuiſſe minus ſane mirum eſt, quam tantæ magnitudinis. Ita ſtatuit *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 78.

Verſ. 39. Μαγδαλά) Alii Codd. legunt Μαγεδαδά & Μαδεγαδά, item Μαγαδάν & Μαγηδάν, aut Μαγδαλάν. De hac lectionum varietate ita *Mareſchallus* ad Verſionem Gothicam p. 430. *Videō* Magedan *a viris aliquot magni nominis antepoſitum reliquis, idque propter auctoritatem Auguſtini: Hieronymi: Vulg. Lat. verſionis: ac Codd. nonnullorum Græcorum. Certe Auguſtinus de Conſenſu Evangeliſt. lib. II. c. 51.* & *Hieronymus de Locis Hebr. in* Magedan *non obſcure docent, illud* Magedan *fuiſſe lectum non in Matthæo ſolum, ſed in plerisque Codd. ut aſſerit Auguſtinus ſecundum Marcum. Verum enim vero receptum* Μαγδαλά *ſeu* Μαγδαλάν, *ab aliquibus temere ſolicitatum aut elevatum non mediocriter ſtabiliunt longe veteriſſima teſtimonia ſuperius allata; ut nihil dicam de Græcorum Patrum ſuffragiis. Me ſane multum oblectaret legere Dalmanutham,* (quam Chorographi plerique ultra mare Galilææ collocant, Joh. Morus, Anglus, cis mare) *aut etiam* Magedan & Magdalan *noſtrum apud priſcum aliquem ac idoneum Judaicæ gentis Hiſtoricum.* Quod deſideravit hic Vir doctus, ex parte implet *Adr. Relandus* in Palæſtina Sacra p. 884. ubi obſervat, Joſephum meminiſſe arcis Μάγδαλα non longe a Gamaba, ut proinde regio illa ab hac arce nomen tuliſſe videatur. Addit idem a Scriptoribus Hebræis quandam מרים מגדלא, uxorem *R. Papus ben Jehudæ*, memorari. De varietate lectionis, quæ inter noſtrum & S. *Marcum* c. VIII. occurrit, ubi Δαλμανθά exſtat, dicemus ad Marcum l. c.

CAP. XVI.

VErſ. 1. σημεῖον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ) i. e. miraculum aliquod, non quod e cœlo, ſive delapſa cœlitus virtute, in terris ſit edendum, ſed cœleſte, quod in ipſis cœlis edatur. Vide omnino *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib.

lib. I. c. 14. p. 81. qui & profanos ita loqui oſtendit. Quid per miraculum iſtiusmodi indicarint Judæi, oſtendit *Vitringa* lib. II. Obſervatt. Sacr. c. XVI. ubi præterea ex Judæorum ſcriptis ea diligenter recenſet, quæ evincunt, eam fuiſſe Eccleſiæ Judaicæ veteris fidem, quod Meſſias miracula iis ſimilia patrare debeat, quæ quondam fecerit Moſes.

Verſ. 2. εὐδία) εὐδία & χειμὼν i. e. *ſerenitas* & *tempeſtas* ſibi invicem etiam a *Xenophonte* Hiſt. Gr. p. 369. opponuntur, quod monet *Raphelius*. De Prognoſticis ſereni & pluvii cœli naturalibus lege ex Scriptoribus diſſerentem *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. & inprimis *Voſſium* de Origine & Progreſſu Idololatriæ lib. III. c. 14. T. V. Opp. p. 291. qui obſervat, ab antiquis naturæ myſtis traditum eſſe, rutilum cœli colorem non tam ſerenitatis quam ventorum eſſe indicium, ut *Theophraſto, Arato, Virgilio, Plinio, Ptolemæo*, aliis. Itaque is cum *Bonaventura Urbinate* Comment. in Theophraſtum de Signis ventorum & pluviarum ſtatuit, Chriſtum non hoc ſimpliciter dicere, cum cœlum veſperi rubet, fore ſerenitatem; ſed ventum fore ſerenum. Id enim valere εὐδίαν, eſſeque eam ab Auſtrino vento: unde Ariſtot. lib. I. Meteor. c. XI. ὁ μὲν γὰρ νότος εὐδίαν ποιεῖ. Itaque non de quavis εὐδίᾳ loqui Chriſtum, ſed ea, quam Auſter præſtaret.

αἰθρεὺς) i. e. *nubes*: ita Xenophon de expedit. Cyri lib. IV. καὶ ὕδωρ πολὺ ἦν ἐξ αἰθρεῦς, obſervante *Raphelio*.

Verſ. 3. σήμερον χειμὼν &c.) *Voſſius* l. c. ita exponit: Vox πυῤῥάζειν rubedinem indicat, ſed συγνάζειν, ſive *triſtem eſſe*, notat nigrorem. Rubor autem eſt ex fumida exhalatione: nigror ex vaporibus in nubem concretis. Eo concurſus ille ruboris & nigroris, qualis in nube eſt punicea, præſagit χειμῶνα, ſive tempeſtatem, h. e. ventos pariter atque imbres.

συγνάζων) *triſte*, i. e. nubilum. Sic *Polybius* IV. 21. συγνότης de cœlo non ſereno adhibet, & *Plinius* Hiſt. Nat. II. 6. cœlo *triſtitiam* tribuit.

ὑποκριταί) Deeſt nonnullis Codicibus, ſed prave: vide *Whitby* Examen p. 39.

τὸ πρόσωπον τοῦ αἰθρεῦ) Hebr. פני השמים. Sed phraſin tamen Græcam eſſe, contendit *Pfochenius* §. 113. cum quo compara *Gatackeri* obſervata p. 251.

γινώσκετε διακρίνειν, τὰ δὲ σημεῖα) Quem ex Plutarcho locum huc affert *Grotius*, eum in libro ejus de tuenda ſanitate p. 79. exſtare obſervat Cl. *Trillerus*. *Adami* in Obſervatt. ad h. l. monet, Phariſæos hic perſtringi, non tantum ideo, quod ad ſigna de adventu Meſſiæ aut non vacabat, aut non libebat attendere, ſed etiam, quod nimio prognoſticorum ſtudio tenebantur, & aſtrorum ſignificationibus plus juſto tribuebant. Hunc autem Judæorum morem tum temporis fuiſſe, poſt *Lightfootum* in Horis Hebr. ad h. l. ipſe oſtendit ex Philonis lib. II. de Monarchia p. 824. & aliis locis. Confer *Amelium*

Part. II. p. 35. ubi etiam ex *van Til* de συμείοις τῶν καιρῶν differit, per quæ is intelligit indicia in V. Teſt. a Prophetis data, ex quibus certo cognoſcere liceat, quæ res, quo præciſe tempore, v. c. adventus Chriſti in carnem &c. evenire debeant. Conſule & B. *Rechenberg*. Diſput. de ſignis temporum obſervandis, *Lipſ.* 1704. 4.

Verſ. 4. γενεὰ πονηρὰ) Phraſin hanc eſſe Talmudicam oſtendit *Hottingerus* de Inceſtu p. 107.

καὶ σημεῖον) *ſed ſignum*: hanc enim τὸ καὶ ſignificationem hic eſſe, & apud profanos quoque Scriptores paſſim obtinere, recte monet *Pfochenius* §. LVIII. Judæi cujusdam, hoc comma calumniantis, ineptias lege in Biblioth. Uffenbachiana Part. I. p. 159.

Verſ. 5. ἐπελάθοντο ἄρτους λαβεῖν) *ſenſerunt, ſe oblitos*, Boiſius in Collat.

Verſ. 6. προσέχετε ἀπὸ τῆς ζύμης) Pugna hic inter iſta Chriſti verba & ea, quæ Matth. XXIII. 7. ubi Phariſæi audiri jubentur, intercedere viſa eſt, quam, variis ſententiis allatis, tollere conatur *Serarius* Trihæreſ. lib. III. cap. 6. & *Saubertus* de Sacerdotio Hebræorum cap. 20. p. 692. Atque hic quidem obſervat, Servatorem Matth. cap. XXIII. agere de Scribis & Phariſæis, ſuper cathedram Moſis ſedentibus, h. e. Moſis legem explicantibus, & ad divinorum præceptorum obſervantiam cohortantibus; hoc autem loco ſermonem ipſi eſſe non de Lege Moſis, ſed de proprio eorum fermento, h. e. doctrina hæretica, quando animos plebejorum temerariis traditionibus gravabant, inprimis de hypocriſi, (conf. *Luc.* XII. 1.) quando aliud docebant, aliud faciebant: a quibus proinde cavere jubeat. Cur doctrina falſa & impia fermenti nomine appelletur, oſtendit *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 1300.

τῶν Φαρισαίων καὶ Σαδδουκαίων) pro poſterioribus illis apud Marcum legis nomen Ἡρῴδου, ideo, quod hic Sadducæus eſſet, ſeu vitam æternam negaret, quæ *Clerici* ad Hammondum eſt ſententia. Confer, quæ ad Marcum dicentur.

Verſ. 8. Τί διαλογίζεσθε) Vulg. *quid cogitatis?* Beza vero & alii: *quid diſceptatis?* Lege huc *Reſb. Simonis* Hiſt. Critic. lib. III. p. 895.

Verſ. 11. ὃ περὶ ἄρτου) Hæc verba parentheſi includi vult Hombergius in Parergis p. 56. ut dicendi ratio aperta ſit, hoc ſenſu: *quomodo non intelligitis, me (non de pane) dixiſſe, ut caveatis a fermento Phariſæorum.* Sed malim ego intelligere ἀλλὰ ante verbum προσέχειν, quam particulam & Syrus ſupplevit, approbante *Rich. Simone* de Verſionibus N. T. p. 186.

Verſ. 12. ἀλλ' ἀπὸ τῆς διδαχῆς) Quidam hic volunt ſubintelligi ἀπὸ κοινῆ

κοινῆ vocem τῆς ζύμης, quod tamen non neceſſe putat *Hombergius* l. c. cum & ſine eo ſenſus in promtu ſit.

Verſ. 13--19. Vide D. *Andr. Kunadi* Diſp. de confeſſione Petri &c. *Witteb.* 1680.

Verſ. 13. Καισαρείας τῆς Φιλίππε) Duæ urbes Palæſtinæ fuerunt, Cæſareæ nomine nuncupatæ, altera ad mare magnum ſita, altera prope fontes Jordanis, Paneas dicta poſtea. Judæi ipſi nomen Cæſareæ קיסרין dare ſolent Cæſareæ maritimæ, & portum urbis קיסרין commemorant. Ita *Relandus* in Palæſtina Sacra p. 670. ubi lege plura. De utraque confer & *Montacutium* Origg. II. p. 154. ſq.

Τίνα με) τὸ μὲ omitti videas ab Hieron. item in MSS. Bezæ & verſionibus variis, Lutheri quoque, nec non in Hiſtoria Apoſtol. lib. I. §. 1. ubi Cl. *Fabricius* Tom. I. Codicis Apocryphi in notis obſervat, abundare illud, ubicunque legatur. Omittit & in verſione Gall. *R. Simon*, ita vertens: *qu'dit on qu'eſt le fils de l'homme?* Placent, quæ ad h. l. affert *Hombergius* p. 57. Hæc verba cum interrogatione accipi quidem poſſunt, *anne filium hominis?* i. e. an verum & ſimplicem hominem? ut ſupra c. XII. 40. & 42. Sed manifeſtum eſt, pertinere illa ad τὸ μὲ trajectione ſatis conſpicua; amat enim Chriſtus ſe ipſum filium hominis paſſim appellare, ut ſupra c. XII. 8. Senſus itaque eſt: *quem dicunt me, illum hominis filium eſſe? Wolfburgius* p. 577. monet, nonnullos legere malle cum duplici interrogatione: *quem dicunt, me eſſe? num filium hominis nudum?* Sed vide, quæ his oppoſuit *Hammondus*, cum quo hic merito, & ſuffragante contextu, facimus.

Verſ. 14. Οἱ μὲν Ἰωάννην &c.) Hæc ex perſuaſione Judæorum de transmigratione animarum exponenda judicant multi. Vide *Serarium* de Trihæreſio lib. II. c. 3. §. 3. *Henr. Morum* in Opp. Theologic. p. 67. & *Druſium* de Sectis lib. II. p. 70.

Ἠλίαν - Ἱερεμίαν) *Eliam* & *Jeremiam* Judæi præ ceteris Prophetis Chriſto ſimilem judicant, eo, quod illi duo in vitia populi ſuo tempore acerrime invecti ſunt. Ita ſuſpicatur *Vitringa* in Proleg. ad Comment. in Jeſaiam p. 22. Jeremiam cum Chriſto, tanquam typum cum antitypo, ex variis capitibus confert *Wolfburgius* p. 510. Veteres Judæos Jeremiam inter Chriſti præcurſores numeraſſe videri, obſervat *R. Simon* in Notis ad verſ. Gallic.

Verſ. 16. σὺ εἶ) Ad hæc verba *Majus* Obſſ. Sacr. lib. I. p. 85. ſq. differit de inſcriptione Templi literis EI concepta.

Θεοῦ τοῦ ζῶντος) Poſteriore hac voce indicari, Chriſtum Dei filium eſſe per generationem, non vero tantum per adoptionem, judicat *Perronius* in Perronianis p. 241. ex eo capite, quod vita generationem præſtruat.

Ex commate hoc doctrinam de Christo tradidit B. *Seb. Schmidius* diss. inaugurali, recus. *Argentor.* 1690. 4.

Vers. 17. *Βὰρ Ἰωνᾶ*) Ἰωνᾶ ex *Johanna* contractum, adeoque idem esse quod *filius Johannis*, statuit R. Simon in Notis ad Vers. Gall. *Hieronymus* legi voluit Βὰρ Ἰωαννᾶ ut & *Isidorus* lib. VII. Origg. Confer. *Casaubon.* in Exercitt. Anti-Baron. p. 116. & *R. Simonis* H. Crit. lib. III. p. 214. Memini, Virum doctum, nescio quem, existimare, per *Simonis* nomen alludere hic Christum voluisse ad ipsius nominis hujus significatum, qui *auditionem* infert, sicut postea ad *Petri* nomen respiciens *petram* memorat. Hæc itaque foret sententia: tu, *Simon*, ista *audivisti* non ab hominibus, sed a Deo.

σὰρξ καὶ αἷμα) Per Hebraismum ex בשר ודם hac phrasi *hominem* denotari, præter Hammondum recte statuunt *Possinus* p. 44. Spicileg. Evangel. *Vorstius* Philol. Sac. Part. I. p. 100. *Schottus* in Adagial. N. T. p. 46. & novissime Cl. *Majus* Observ. Sacr. III. p. 116. *Consanguineos* hic indicari præter veri speciem affirmat *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Vers. 18. *κἀγὼ δέ σοι λέγω*) *Sed & ego dico tibi*, vertente *Casaubono* l. c. p. 276.

καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ) Quis per *petram* hic intelligendus sit, & veteres Ecclesiæ Doctores & recentiores disputarunt, nobis autem in hanc disceptationem ingredi per brevitatem non licet. Itaque potiora memorabimus. Disputationes varias huc pertinentes vide apud *Wildeshausen* in Biblioth. Disputatt. Ex *Patribus* alii petram de Christo ipso, de *Petro* alii, alii de *confessione* Petri, alii de *Apostolis* accipiunt. Loca singulorum vide apud *Jo. Launojum* in Epistolis Part. V. Epist. 7. p. 419. sqq. *M. Ant. de Dominis* lib. I. c. 6. de Republ. Eccles. *Casaub.* Exercitt. Anti-Baron. XV. & in Casaubonian. p. 83. cum notis meis p. 285. *Forbesium* in Instruct. Theolog. lib. XV. toto & in primis cap. VI. *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 698. sqq. *Dupinium* de antiqua Ecclesiæ disciplina Part. IV. cap. I. p. 304. sqq. & *Natalem Alexandrum* in Histor. Ecclesiast. Sec. I. Diss. IV. *Pontificii* itaque non habent, cur ad auctoritatem Patrum se recipiant, maxima ex parte contendentes, per petram & Petrum & successores ejus, quos ipsi non de Apostolis, sed Pontificibus Romanis, interpretantur, indicari, eisdemque hoc ipso auctoritatem & prærogativam singularem ac divinam vindicari. Interim fuerunt tamen ex ipsis, inprimis nostra ætate, qui de hoc loco aliter & rectius sentirent, nec venditatum illum vel Petri, vel Papæ primatum ex tuto superstrui posse putarent. Huc pertinent ex Gallis permulti, nominatim vero *Dupinius* l. c. & *Launojus* adversus Bellarminum acriter & scite l. c. disputans, cui imparibus armis se opposuit *Schelstratenus*, Part. I. Antiquit. Illustr. p. 20. sq. Nuper etiam, cum Abbas *du Jarry* in Panegyrico S. Petri p. 179. adseruisset, sub Petri nomine ipsum Apostolum, sub petra vero suc-

ſucceſſorem ejus indicari, inſtitutum hoc adeo ſe non probavit prudentioribus, ut commentatio ipſa ſupprimeretur. Lege hanc in rem *Nova Reipubl. Literar. Bernardina* anni 1709. Septembr. p. 357. Noſtrates, &, qui nobiscum hac in parte faciunt, alii, vel de *Chriſto* ipſo vel de *confeſſione* Petri paulo ante edita petram explicant. Ac poſteriores quidem in argumentum afferunt ſimilem Pauli phraſin, qua Eph. II. 20. doctrinam Apoſtolorum & Prophetarum fundamentum eſſe ait, cui ſuperſtructa ſit Eccleſia. Priores vero ſe recipiunt ad loca Scripturæ varia, in quibus Chriſtus *petra* vel *lapis* appellatur, v. c. 1. Cor. X. 4. & Eph. II. 20. ubi λίθος ἀκρογωνιαῖος audit. Præ ceteris B. *Olearius* in Obſſ. Sacris p. 451. Petrum ipſum Interpretem verborum ſuorum eſſe, oſtendit in epiſtolæ ſuæ prioris c. II. 4. ubi affirmat, πρὸς Χριστὸν προσερχόμενος λίθον ζῶντα, καὶ αὐτὸς (τὸς πιστὸς) ὡς λίθος ζῶντας οἰκοδομεῖσθαι οἶκον πνευματικόν. Quæ verba tam affinia his Chriſti ipſi eſſe judicantur, ut pro repetitione & illuſtratione verborum Chriſti haberi debeant. Mentem itaque Domini hanc eſſe arbitratur: *Agnoviſti, me Chriſtum lapidem illum vivum a Prophetis promiſſum,* κἀγὼ δέ σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ πέτρος, *viciſſim agnoſco te Petrum, h. e. nomine a me tibi impoſito fidem reſpondere video, te igitur ecce lapidem etiam vivum. Super hac* PETRA *vero, quam agnoviſti, tales lapides vivos exſtruam, ut inde exiſtat ædificium Eccleſiæ meæ, Hieroſolyma nova, civitas cœleſtis.* Mihi quidem poſterior hæc ſententia de Chriſto ipſo tanquam petra mirifice placet, & videtur omnino ſanctiſſimus Servator exſertis & directis in ſe digitis Petro manifeſtum feciſſe, de quo loquatur. Adde *Caſaubon.* contra Baron. l. c. *Alixius* ὁμόψηφος in Conſiderationibus ſuper libros Prophet. V. T. p. 185. Chriſtum putat ſpeciatim reſpicere ad Danielis II. 35. ubi vaticinium exſtat de lapide (i. e. Chriſto) qui imagine percuſſa in magnum evaſerit montem, & totum orbem impleverit. Confer *Guſſetii* Lexicon Hebr. p. 713. rad. צור. *Hackſpanii* Notas p. 100. ſq. item Heb-Opfer Tom. III. p. 508. ſq.

Negari tamen non poteſt, fuiſſe, qui, a Pontificiorum caſtris & perſuaſione alioquin alieni, πέτραν de Petro interpretati ſint, ideo inprimis, quod paronomaſiam talem hic in verbis σὺ εἶ πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ &c. eſſe cenſent, qualis occurrat Geneſ. XLIX. 8. Ita *Clericus* ad Hammondum, qui Cameronem in Prælectionibus ſuis ad h. l. & in Myrothecio interpretationem hanc extra dubium collocaſſe exiſtimat. Neque tamen argumentum illud παρονομασίας validum ſatis, aut huc admodum pertinere videtur. Nam in laudato Geneſeos loco verba: יהודה אתה יודוך אחיך ad *Judam*, quem *laudaturi ſint* vi nominis ſui *fratres*, integra pertinent; Sed hinc tamen non ſequitur, vocem πέτρα, per alluſionem ad nomen *Petri* a Chriſto adhibitam, ad ipſum Petrum referendam eſſe, cum ſequentia verba novam ſententiam de ædificanda Eccleſia inferant, quæ certe non neceſſario ad Petrum, ut laudatio ad Judam, refertur. Nonnulli ejusdem interpretationis præſidium in Syriaca lingua invenire ſibi

videntur, in qua ſcilicet idem utrinque nomen, quod *Petrum* & *petram* denotet, nempe כיפא occurrat. Sed vide, quæ reſpondet *Guſſetus* p. 303. Lexici Hebraici, cui perſuaſum eſt, Chriſtum priori vice pro Πέτρος כיפא, poſteriori vero טינר pro πέτρα uſurpaſſe. Sed hoc quidem ſuo loco relinquimus. Atque ex his judicari poteſt de iis, quæ *Jeremias Heiniſch* in eandem, quam modo memoravimus, ſententiam, quod ſcilicet per petram Petrus Apoſtolus ratione perſonæ & muneris ſui, non excluſis tamen Apoſtolis ceteris innuatur, attulit im Heb. Opfer Tom. III. p. 508. ſqq.

τὴν ἐκκλησίαν μȣ) Eccleſia hic notat populum civitatemque Chriſtianam, a Chriſto tunc conſtitutam, & amplius conſtituendam per Spiritum Sanctum ſecundum certas leges rectam, &, ubicunque tandem illius partes & membra ſint, per fidem coadunatam. Hæc multitudo dicitur Eccleſia, ut Iſraelitarum populus olim dictus eſt קָהָל. Ita *Vitringa* de Synagoga Vetere lib. I. c. 1. p. 87. *Le Moyne* ad Varia Sacra p. 831. reſpici hic putat ad arces & munimenta, in montium cacuminibus collocata. Opponere autem Chriſtum ſitum Eccleſiæ ſuæ iſtis exiſtimat munimentis, quæ, ut ut videbantur edaci tempore & viribus hoſtium omnino ſuperiora, ad ſecuritatem Eccleſiæ Chriſti non accedant, quæ ſcilicet ipſi Chriſto, tanquam rupi æternæ, ſuperſtructa ita ſit, ut ipſæ inferorum portæ non ſint prævalituræ.

πύλαι ᾅδȣ) Phraſi hac & ſacri Scriptores V. T. & profani quoque, tum Græci, tum Latini, utuntur. De iſtis vide v. c. *Jeſ.* XXXVIII. 10. & ibi *Vitringam*. De his autem *Windetum* de vita functorum ſtatu Sect. IV. *Jenſium* in Ferculo Literar. p. 25. *Poſſinum* in Spicileg. p. 126. & *Elsnerum* ad h. l. Nec in recentiorum Judæorum ſcriptis infrequens eſt. Lege *Eiſenmengeri* Entdecktes Judenthum Part. II. p. 333. Jam quæritur, quid ſibi his verbis inprimis Chriſtus velit? *Henr. Morus* in Operibus Theolog. p. 110. cum monuiſſet ᾅδην mortem, abolitionem & ſtatum defunctorum indicare, addit, id hic innui, quod mors adverſus Eccleſiam nunquam ſit prævalitura, nec ad ipſam exſtirpandam ex hoc mundo, nec ad eam deprivandam glorioſa immortalitate.

Alii ad vocem πύλαι magis attendendum putantes, ac præterea recogitantes, ad portas urbium præcipuum certamen eſſe ſolere, quæ & propterea armis & præſidiis potiſſimum inſtruantur; contendunt, Chriſtum hoc loco civitatem Dei & civitatem diaboli ſibi invicem opponere, illam ſuper petram, iocoque forti & edito contra omnes hoſtium inſultus tutam; hanc πύλας quidem ſuis etiam inſtructam, præſidiisque firmatam, ſed quæ nihil valeant contra opes & virtutem civitatis Dei. Ut proinde non tam ſecuritas a poteſtate inferorum civitati Chriſti promittatur, quam victoria contra inferos, in quorum portis dominium ſibi ſuisque ille pollicebatur. Ita *Olearius* in Obſervatt. ad h. l. p. 452.

Alii ad judicia & conſilia in portis civitatum olim tanquam in curiis exer-

exerceri & capi solita respectum haberi opinantur, cum Interpretibus Belgis, quos sequitur *Jensius* l. c.

Aliis summa & gravissima pericula innui videntur, eo sensu, ut Christus promittat, Ecclesiam ita sibi curæ fore, eamque defensurum vi & potentia, ut ne summa quidem ac præsentissima pericula unquam opprimere eam aut exstinguere valeant. Ita *Elsnerus* l. c.

Alii denique vel *Ecclesiæ* & Christianis vel *Petro*, promitti censent, fore, ut nullo mortis genere a fide desciscant & propellantur. Huc tendit *Clericus* in Notis ad Hammondum & ad vers. Gallic. N. T. ubi posteriori loco observat, vocem αὐτῆ vel ad Ecclesiam, vel ad *petram* i. e. Petrum, quem hoc nomine ejus judicio indicari monuimus, posse referri.

Possinus in Spicileg. Evangel. p. 126. dæmones, inferorum custodiæ præfectos, *portarum inferni* nomine indicari statuens, non tam phrasin quam rem ipsam respexit. Longius quoque petitam putem *Lydii* observationem, suspicantis, Christum Dominum *portas* has *inferorum* in calvariæ quasi montem asportasse, atque inibi per Crucem tropæum sibi fixisse, dici posse.

Mihi quidem id certum videtur, phrasin hanc ex usu Scriptorum V. T. & qui eos sequuntur, LXX. Interpretum interpretandam esse. Talis exstat *Jes.* XXXVIII. 10. ubi שערי שאול a τοῖς LXX. exprimitur per πύλας ᾅδου. Ibi vero Ezechias Rex loquitur de morte, quam sibi imminere credebat, dicens: πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου. Phrasin hanc Psaltes Divinus Ps. CVII. 18. per æquipollentem שערי מות exponit, ubi οἱ LXX. πύλαι θανάτου. Ex quibus consequitur, Christum hic in universum polliceri Ecclesiæ securitatem ab interitu, quacunque ratione ipsi inposterum intentando. De phrasi ipsa adhuc notari fas est, *petram* hic non *firmitatis* & duritiei, sed *altitudinis* nomine efferri, quod observat *Keuchenius* ad h. l. Lapidem fundamentalem innui monet *Salmasius* ad Solin. p. 851. a.

κατισχύσουσιν) Hoc verbum Latini efferunt per *prævalere*. Hæc ejus notio est *Luc.* XXIII. 23. vel *vi opprimere*, quo sensu *Diod. Sic.* lib. V. p. 164. & alii, ab *Elsnero* laudati, adhibent. Confer *Clericum* ad Hammondum.

Vers. 19. καὶ δώσω σοι) Ad Petrum hæc non ita dici, ut ceteri Apostoli excludantur, patet ex comparatione *Matth.* XVIII. 18. ubi, quæ sequuntur, ad omnes Apostolos referri videas. Confer Patrum loca apud *Suicerum* Tom. II. p. 106. sq. Atque idem ex Pontificiis, ut alios taceam, adstruxit & *Richerius*, contra quem in cassum disputat *Petavius* Dogmat. Theolog. Tom. IV. p. 117. sqq.

τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν) Per βασιλείαν τῶν οὐρανῶν intelligitur regnum gratiæ i. e. Ecclesia, tanquam in qua sunt, quæ ligari aut solvi oporteat. Ea vero hic comparatur cum domo, cujus fores clavium beneficio nunc clauduntur, nunc reserantur. Hinc *Alex. Morus* ad Jesaiæ LIII. p. 67. ita

verba

verba hæc exponit: *dabo tibi claves Ecclesiæ, ut aperias eam tanquam* domum & claudas. Eadem tradit *Vitringa* in Jes. XXII. 20. ita παραφράζων: *Post meum in cœlos recessum committam tibi tuisque consortibus* οἰκονομίαν *sive potestatem summam rerum in Ecclesia ordinandarum & constituendarum, mea vice & loco per Spiritum meum, vobiscum ubere mensura communicandum.* Scilicet per *claves* illi potestatem quandam inferri recte arbitrantur. Hoc enim sensu passim claves memorantur in Veteri & Novo Testamento v. c. Jes. XXII. 22. *Apoc.* III. 7. ubi Christus dicitur habere clavem Davidis, ita ut aperiat, & nemo claudat, vel claudat, ut nemo aperiat. Pertinet huc mos veterum Judæorum, qui in promotionibus solennibus claves tradere, atque hoc ipso potestatem quandam & facultatem conferre præ aliis illis solebant, quibus tradebantur. Lege *Georg. Ursini* Antiquitates Hebræorum Academicas p. 172. sq. & confer *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. ubi ex profanis quoque monumentis claves ut tesseram potestatis delineat.

καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς) Inter Interpretes non satis convenit, quid per δῆσαι & λῦσαι hic intelligendum veniat. Sunt, qui phrasin utramque ex more loquendi Talmudico explicandam censent, ita ut τὸ δῆσαι inferat *prohibere* illicita, τὸ λῦσαι autem *præcipere*, adeoque alterum respondeat τῷ אסר alterum τῷ התיר Talmudicorum, qui in argumento *docendi* aut *vetandi* versantes utraque ista voce utantur. Sensus itaque foret, Apostolos potestatem nactos esse tum *injungendi* cœtui sacro, quæ præstanda sint, tum *prohibendi*, quæ vel illicita sint, vel saltem non necessaria, v. c. in legibus & ritibus cerimonialibus. Hanc interpretationem Angli inprimis suam fecerunt, nominatim *Jo. Seldenus* in præfat. ad librum de Anno Civili Judæorum & de Synedriis lib. II. c. 7. *Henr. Morus* p. 502. Opp. Theol. & *Jo. Lightfootus* in Horis Hebraicis ad h. l. quibus novissime accessit *Dan. Whitby* in Comm. ad h. l. & *Benjamin Hoadley*, Episcopus Bangorienſis, in Responsione sua D. *Franc. Hartii* concioni, sub titulo: *Church autority vindicated* opposita. Confer *Memoires Literaires de la Grande Bretagne* Tom. II. p. 272. Iidem approbatores nacti sunt ex Gallis Pontificiis *Jo. Morinum* in Commentario Historico de Sacramento Pœnitentiæ lib. I. c. 8. & lib. IV. cap. 23. & *Rich. Simonem* in Notis ad Vers. Gall. h. l. ex Reformatis *Jo. Dallæum* de Confessione Auriculari lib. I. cap. 5. *Jac. Basnage* in Histor. Judaica Tom. VI. c. 5. *Carol le Cene* in Projet p. 284. sq. & novissime *Jo. Barbeyracum* in Orat. de Magistratu non traducendo p. 25. ex *Belgis* Reformatis *Campeg. Vitringam* de vetere Synagoga lib. III. p. 754. sq. *Franc. Burmannum* in Exercitatt. Academic. Part. II. Diss. VI. *Sam. Maresium* Loc. XVI. System. p. 936. & *Salom. van Til* in Comment. ad h. l. ex *Helvetiis Buxtorf.* in Lexico Talmud. p. 1419. & 2524. *Hottingerum* in Dissert. de usu Script. Hebr. in N. T. §. 3. not. a. ex *Arminianis Limborgium* Theol. Christ. lib. VII. c. 18. & ex parte *Jo. Clericum* in notis ad vers. suam Gallicam, & in Biblioth. Universal. Tom. X. p. 47. sq. ubi contra Barrowium, Anglum, communi sententiæ inhærentem, disputat. Nec defuerunt ex nostratibus, quibus calcanda

hæc

hæc via videretur. Inter primos fuit auctor *Harmoniæ Evangelicæ*, quæ tanquam ex Usseriana Bibliotheca edita & German. ex Angl. conversa prodiit, Francof. ad Mœn. 1671. & Hal. 1700. 8. cujus auctorem tamen *Christianum Knorre a Rosenroth* alii judicarunt esse. Lege vitam ejus in Novis Literar. Lipsi. Latinis an. 1718. p. 193. Harmoniam ipsam vide p. 357. Secutus postea est *Jo. Bened. Carpzovius*, B. *Scherzeri* & *Calovii*, loco mox citando, censura exceptus, inter recentissimos vero *Joachimus Langius* tum in Anti-Barbaro T. II. Sect. 2. cap. 2. tum noviſſime in Commentatione de Vita & Epistolis Pauli p. 28. sqq. De his omnibus, nec non *Thomasio* & *Böhmero* ὁμοψήφοις, lege, quæ diligenter commemorat Rev. *Pfaffius* in Originibus Ecclesiastic. p. 19. sqq. Adde istis *E. Nutbertum*, de quo exponunt Unschuldige Nachrichten 1719. p. 106. sq. & *Herm. Hardtium* in præfat. ad nervosum Lutheri in Script. S. comment. p. 30. Video etiam a Viris doctis in hanc classem collocari *Wagenseilium*, tanquam eadem in notis ad *Sota* tradentem p. 13. Sed si locum inspexeris, dubium fuisse deprehenderis Virum sagaciſſimum, qui diserte addit: *Superest, ut pie docti rem ad rationis trutinam expendant, suisque suffragiis judicio, quod Lightfootus tulit, aut demant, aut addant fidem.* Imo in Addendis ad Sota p. 1097. diserte profitetur, se in *Seb. Schmidii*, qui istam Lightfooti sententiam confuta erit, judicio acquiescere.

Interim nacti sunt hujus interpretationis patroni dissentientes non paucos. Ex *Anglis* quidem *Hammondum* in tractatu singulari de Potestate Clavium, qui exstat Tom. II. Opp. *Isaac. Barrow* Tom. IV. Opp. p. 47 ubi de Potestate Clavium, *Fr. Hare* in *the Church autority vindicated;* Conf. Memoires Liter. de la Grande Bretagne Tom. I. Part. I. p. 7. sq. & Anonymum Scriptorem libri Anglicani de Disciplina Pœnitentiæ in primitiva Ecclesia, Lond. 1714. editi, Sectione II. Ex Reformatis communiorem interpretationem sequitur *Jo. Marckius* in Sylloge Dissertationum Exercit. V. * Ex nostratibus vero inprimis se istis opposuerunt post *Seb. Schmidium* in Fasciculo Disputatt. Theologic. p. 676. sq. *Abrah. Calovius* in Systemate Theolog. Tom. X. Artic. IV. *Jo. Fechtius* in Dissert. de Clave solvente & ligante, *Mich. Heineccius* in Dissertatt. de Absolutione Tympanicorum in Ecclesia Græca, *Gottlieb Wernsdorfius* in Dissert. de Absolutione Ministri Ecclesiæ non mere declarativa, *Seb. Edzardus* in Defensione Christianæ doctrinæ de Clave solvente, germ. edita p. 117. sq. *Georg. Henr. Gœtze* in Sylloge Thesium contra Lightfootum §. 6. *Barthold. Botsaccus* in Thesibus de Clavibus Petri, cum Manipulo Oppositionum adversus præfationem auctoris Lutheri ante Lutheranismum, Hafn. 1707. 4. *Mich. Müllerus*, Theologus Tubing. in Triade Dissertatt. Theolog. de Clavibus Regni Cœlorum, Cathedra Confessionali & vocatione Ministrorum Eccles. mediata, *Tubing.* 1694. 8. *Gottfr. Olearius* in Observatt. ad h. l. p. 453. sq. & noviſſime *Jo. Franc. Buddeus* in Institutt. Theolog. Dogmat. p. 1729. seq. Nos præcipua Olearii observata, vi instituti nostri, huc referemus. Monet is, phrasin illam, quam urget Lightfootus ut

Rabbinicam, Scholæ Hillelianæ & Schammæanæ propriam fuisse, neque in communi plebis usu positam, vix itaque Christo receptam, qui Magistrorum istorum institutione non profeciſſet, maxime apud Apostolos suos loquenti, homines simplices, quibus vix probabile sit intellectum stylum Juridicum istorum legis doctorum fuisse. Deinde nec ex qualicunque usu vocum sensum textus alicujus statim esse determinandum, sed simul ex circumstantiis & locis parallelis. Porro legis Mosaicæ ne minimam quidem mentionem fieri in verbis Christi, ejusque vel enervandæ vel conservandæ, sed suspicionem potius esse, Christum, ista proferentem, de lege prorsus non cogitasse. Urgeri quidem de rebus, non de personis, a Christo sermonem institui, dicente: non ὃν vel ὃς, sed ὃ ἐὰν δήσῃς, sed probe hic esse tenendum, quod ex linguæ genio, ubi generalis sermo est, subjectum universale per neutrum indicari soleat, quemadmodum filius hominis dicatur venisse, ut salvum faciat τὸ ἀπολωλὸς, *id quod perditum est.* Denique locum Johannis c. XX. ubi de remissione peccatorum disserta fit mentio, nostro huic parallelum esse, frustra negari. Omitto alia ab aliis in hanc rem allata, ubi monuero, *Pfaffium* in Originibus Ecclesiast. p. 22. de interpretatione hac, cum vulgata & communiori concilianda, cogitare atque ita statuere, claves regni cœlorum esse potestatem docendi Evangelium, hominesque de vera salutis via instituendi, qua regnum cœlorum credentibus adaperiatur, incredulis occludatur; *ligare* vero & *solvere* significare, non solum pronunciare, quid licitum aut illicitum sit, constitutionesque ecclesiasticas hanc in rem condere, sed etiam declarare, quid peccatum sit, reatumque secum ferat, quid secus, peccata remittere & retinere, eos, qui perversæ conversationi, pravisque moribus indulgent, corripere primum, & nisi resipiscant, ex cœtu ejicere, aut extraordinariam quoque pœnam iis infligere. Eadem fere ratione in loco hoc explicando versantur *Beausobre* & *Lenfant* in Notis ad versionem Gallicam N. T.

His expositis, necesse est, ut moneam, vocibus *ligandi* & *solvendi* aliam notionem h. l. a nonnullis subjectam fuisse, ita ut potestas extraordinaria *morbos* vel *immittendi* vel *fugandi* indicetur, qua Petrum in Ananiam & Sapphiram, Paulum in Elymam & Magum, usum esse constet. Ita B. *Olearius* judicat l. c. & ante eum *Jo. Clericus* in Notis ad Vers. Gallic. qui explicationem hanc Lightfootianæ ad latus ponit, ante utrumque autem *Dodwellus* in Paræneſi ad exteros de nupero Schismate Anglicano p. 128. ubi τὸ *ligare* exponit per *Satanæ tradere.* In præsidium sententiæ *Olearius* affert locum *Lucæ* XIII. 16. ταύτην δὲ θυγατέρα Ἀβραὰμ ὖσαν, ἣν ἔδησεν ὁ σατανᾶς ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη. οὐκ ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου. Vix a me impetrare possum, ut credam, Virum doctum persuasum sibi habuisse, hunc genuinum esse verborum Domini sensum, sed eo potius animo hæc protulisse suspicor, ut appareret, quæ interpretatio dari posset, si, ceteris hermeneutices præsidiis relictis, acquiescamus in significatu illo, qui uno alterove loco se tueatur. Alioquin enim secum ipse pugnasset Olearius, qui paulo ante

contra

contra Lightfootum recte urserat circumstantias contextus & paralleliſmos advocandos esse, si tuto progredi velimus, qui præterea locum Johann. XX. nostro parallelum judicaverat, qui denique communem Ecclesiæ nostræ, potestatem clavium i. e. remittendi & retinendi peccata huic loco superstruentis, sententiam defensurus erat, quod facit p. 459. Atque hinc simul patet, quid de ipsa interpretatione statuendum sit, quæ nec a contextu, nec a paralleliſmo, nec a frequentiore vocis usu fulcitur. Hinc miror, *Elsnerum*, felicissimum alioquin Interpretem, eam approbasse p. 80. allatis hanc in rem *Josephi*, *Plutarchi* & *Aristidis* locis, in quibus τὸ λύειν & δεῖν pœnas infligendi & absolvendi maloque liberandi notionem habet. Addit tamen idem præter hanc potestatem Apostolis & aliam collatam esse, nempe obligandi alios ad legum obsequium & liberos ab obsequio legis pronunciandi, quo conferri vult *Rom.* VII. 2. & *Matth.* V. 17. quo ipso Lightfootianam sententiam amplectitur. Fere neglexeram adjicere, *Salmasio* p. 768. a. ad Solinum exponi *ligatum* de eo, cui ingressus Ecclesiæ prohibitus, *solutum* vero de illo, cui aditus liber sit.

Equidem non video in his quicquam, quod a communi nostratium Theologorum, de potestate peccata vel retinendi vel remittendi locum hunc accipientium, sententia recedere nos jubeat. Potestatem hanc Apostolis, atque adeo & ministris verbi, in eodem munere sacro olim versaturis, concessam esse, *Joh.* XX. 22. manifestum est. Atque ad eandem potestatem inferendam verba *solvere* & *ligare* egregie accommodata esse tum in se, tum ex usu Doctorum Talmudicorum, *Schmidius* l. c. ita evictum dedit, ut dubitandi locum supersse non putem. Confer *Hackspanium* de Usu Scriptorum Judaicorum p. 458. Si quid consensui veterum Ecclesiæ Doctorum in hoc negotio tribuendum videatur, eundem nobis non deesse patebit ex iis, quæ diligenter collegit *Launojus* in Epist. VIII. Part. V. p. 658. sqq. Cetera Theologis relinquimus. Conf. ad *Matth.* XVIII. 18.

Cum vero nonnullis mirum visum sit, quod *ligare* & *solvere* cum clavibus conjungatur, quarum potius sit *claudere* & *aperire*, operæ pretium est afferre, quæ *Schmidius* l. c. p. 718. annotavit. *Referuntur*, inquit is, *hæc duo verba ad rem clavium, sicut in Scripturis millies notare licet, constructionem & verba ad rem fieri & accommodari* non ad verba. *Res autem Clavium sunt verbum seu doctrina & Sacramenta. Hæc non tantum similitudinem cum clavibus habent, ut iis cœlum claudi & aperiri possit dici, sed etiam similitudinem habent cum instrumentis carcerum, quibus homines vel in vincula constringuntur, vel e vinculis solvuntur, ut illis dici possint vincula vel ligari seu constringi, vel solvi.* Hunc itaque putat esse verborum Christi sensum : *Dabo tibi claves regni cœlorum, nec non consequenter claves æterni carceris, sine quibus illæ esse nequeunt. Et quicquid tu ligaveris carcerique incluseris ita, ut regnum cœlorum illi claudatur, nec ingredi possit in illud, illud ligatum sit in cœlis, regnumque cœlorum illi clausum : quicquid vero solveris e vinculis æterni carceris, ita, ut regnum cœlorum ad ingrediendum aperias, illud solutum sit in cœlis, regnumque*

cœlorum apertum. Ad illustrandam hanc phrasin facit, quod veteres loco clavium ostia sua & arcas loris & vinculis munire consueverint, teste *Eustathio*, præterea vero clavibus lora addiderint. Ita enim *Homerus* Odyss. δ. v. 802. de Penelope:

Εἰς θάλαμον δ' ἐσιῆλθε παρὰ κληῖδος ἱμάντα,

In thalamum ingressa est ad feræ lorum. Illustrior ejusdem locus legitur Od. φ. v. 45. Adde *Lomeieri* Dies Geniales Dec. II. p. 415. sq. ubi & alia ad h. l. pertinentia afferuntur. Recte hunc ritum huc attulit Georg. Calixtus in Harmonia Evangelica: *Metaphora*, inquiens, *quæ subjungitur, & per quam claves explicantur ligandi & solvendi, posset videri nova, & recedere a metaphora clavium, sed non ita est. Respexit Dominus ad ligationem & solutionem vinculorum sive catenarum, quæ appositis seris impingi, & ope clavium removeri solent.* Conferatur in eandem sententiam *Molini* Dissertatio de Clavibus veterum, Upsal. 1684. edita & in *Alberti Henr. de Sallengre* Tom. III. Novi Thesauri Antiquitat. Roman. recusa, qui provocat inprimis ad Homerum Odyss. ϑ. v. 447. & φ. v. 240. item *Apulejum* in Metamorphos. V. p. 365. Referas huc non inepte simulacrum feminæ, dextra clavim, sinistra funes tenentis, quod exstat apud *Mich. Angelum Caussæum* in Simulacris Deorum Tab. XV. Tom. V. Antt. Roman. Grævii recusis p. 776. In explicatione *Caussæus* funes ad pœnas infernales refert, quas clavim optime ait comitari, si quidem quod ligatum sit & clausum, fuga se proripere haud facile possit.

ἐν τοῖς οὐρανοῖς) per enallagen pro ἐν τῷ οὐρανῷ, quod in parallelo *Matth.* XVIII. 18. legitur. Hinc frustra sunt Pontificiorum nonnulli, qui ex hac phrasi Petro prærogativam vindicare conantur, tanquam cujus auctoritas ad omnes cœlos extendatur, cum ceterorum illa brevioribus spatiis circumscripta fuerit. Vide contra eos *le Moyne* ad Varia Sacra p. 319. & *Hackspan.* Not. p. 106.

Vers. 21. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων) Τὸ ἀπὸ idem hic valet, quod ὑπὸ, quæ duæ præpositiones etiam apud externos Scriptores permutantur. Lege *Pfochenium* §. 115.

Vers. 22. προσλαβόμενος) *apprehendens:* vid. *Simon* in Notis ad vers. Gall.

λέγων) Unus *Cant.* Codex habet καὶ λέγει, quam lectionem cum Beza præfert *Jo. Wasse* in *Disquisitione* super locos quosdam Biblicos paulo ante laudata. Conf. Nova Literar. Lipsiensia German. edita an. 1722. p. 992. Sed præstat in plurium Codd. lectione, in qua nihil præterea est, quod desideres, acquiescere.

Ἵλεώς σοι Κύριε) Plerique pro mero Hebraismo hanc formulam cum *Hammondo* habuerunt, ut idem inferat, quod חס i. e. *parce tibi*, vel חלילה i. e. *absit.* Hanc interpretationem tuetur & *Boisius* in Collat. ad h. l. cum Vulgata, quæ habet *absit a te.* Sed Cl. *Majus* nuper ostendit, Græcis quoque profanis ean-

eandem in usu fuisse, v. c. *Aristæneto* lib. II. p. 13. ἕτως ἱλεώς μοι εἴη Ἀφροδίτη. Ex quo etiam patet, subintelligendam esse vocem θεὸς, hoc sensu: *Propitius tibi, Domine, Deus esto.* Sententiam hanc primus, puto, attulit *Fullerus* II. Miscellan. c. 2. ornavit *Grotius*, & receperunt *Heinsius*, *Noldius* in Concord. Particul. Hebr. n. 1271. *le Cene* in Projet p. 550. & *Clericus* ad Hammondum, quibus & ego subscribo. Cum vero ellipseos istius exempla rara sint, *Elsnerus* ad h. l. vertere mavult: *absit*, vel etiam: *bene sit tibi, Domine, sis bono placidoque animo, curas tristes abjice.* Confer quæ de genuino formulæ hujus sensu habent *Dillherrus* in Farragine rituum sacrorum lib. I. c. 10. & Vesperæ Groninganæ p. 323. ubi *Fulleriana* explicatio cum aliis confertur, nec argumentis satis idoneis convellitur.

Vers. 23. integrum expositum vide ab *Alethæo* Tom. I. p. 454.

ὕπαγε) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 46.

Σατανᾶ) i. e. *adversarie*: Lege *Buxtorfii* Catalecta p. 98. & *le Cene* in Projet p. 6. Quæ contra Leum pro vindicanda sua hujus vocis expositione attulit *Erasmus*, legantur apud ipsum Tom. IX. Opp. p. 136. A. Patrum de h. l. cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 941. Ex illis deserendus omnino est *Origenes*, qui Christum nihil aliud voluisse his verbis censet, quam ut Petrus se sequeretur.

σκάνδαλόν μου εἶ) Indicatur his verbis, non quidem, quod Petrus dehortatione sua efficere potuerit, ut Salvator a passione & morte subeunda prorsus abstineat; sed quod Petrus hoc ageret & conaretur, ut Christum a salutari hoc instituto avocaret. Confer *Suiceri* Thesaurum Tom. III. p. 967. & *Vorstium* Part. I. p. 73. Philolog. Sac.

οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ) i. e. *non stas a Dei partibus*, sed earum rerum studio duceris, quibus homines delectantur. Hanc phraseos vim ex *Polybio* inprimis, & aliis quoque Scriptoribus, probatam dedit *Raphelius* in Notis Polyb. p. 79. sq. ubi & recte contra Bezam monet, verbo isto non significari, Petrum arrogantia & falsa quadam de se persuasione peccasse.

Vers. 24. Quæ in hoc commate carpit auctor *Chissuck Emuna*, ea examinata vide a *Gussetio* in Confutatione libri illius P. I. c. 19. n. 79. *Trilleri* animadversionem in B. Lutheri versionem auctori remittit *Schönlandius* p. 266.

ἀπαρνησάσθω ἑαυτὸν) Patrum cogitata habes ad *Suicer.* Tom. I. p. 422.

Vers. 25. ψυχὴν σῶσαι) ψυχὴ pro *vita*, phrasi mere Græca: *Raphel.* in Notis Xenophont. p. 42.

Vers. 26. Τί γὰρ ὠφελεῖται) *anima* plus toto mundo valet. Vide *Picinell.* Lumina Reflexa ad h. l. De *vita* ut rerum omnium pretiosissima lege Scriptorum externorum loca apud *Elsnerum* p. 83.

ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ) Hyperbolen ab his verbis amolitur Vener. V. E. *Læscherus* in Stromat. p. 34.

τὴν ψυχὴν αὐτῆ ζημιωθῆ) i. e. *se ipsum perdat*, interprete *Keuchenio* ex Hebraismo scilicet, ubi נפשי idem est, quod Latini dicunt *ego*. Sed putem in propria vocis acceptione acquiescendum esse, cum sequatur ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτῆ. Confer *Vorstium* Philolog. Sacr. Part. I. p. 99. idem hoc contra *Grotium* evincentem. Ceterum ζημιοῦσθαι τὴν ψυχὴν i. e. *vita mulctari*, dixit *Herodotus* lib. VII. c. 37. quod observavit *Elsnerus* ad h. l.

ἀντάλλαγμα) Vulg. vertit *commutationem*, i. e. λύτρον, ut exponit *Boisius* in Collat. ad h. l. Vox Græca infert *rem, quæ alius loco datur*, aut *cum alia re commutatur:* vide *Elsnerum* l. c. qui ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς exponit per: *id quod vitam pretio æquat.* Alluditur scilicet ad veterum morem res alias cum aliis permutandi. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 369. Pertinet huc, quod ad sententiam ipsam, illud *Euripidis* in Alcest. v. 301. ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἔστι τιμιώτερον.

Vers. 27. & 28. expositos vide a B. *Pfeifero* in Scepticismo Speneriano Part. I. p. 167. sq.

Vers. 27. τότε ἀποδώσει) Contra Bellarminum locum hunc vindicat *Hackspanius* p. 107. Notarum. Phrasi eadem utitur *Lucianus*, vel quisquis auctor est, in Dialogo *Philopatris*, ubi ita de Deo: καί ἐστιν ἐν οὐρανῷ βλέπων δικαίως τε καὶ δίκως, καὶ ἐν βίβλοις τὰς πράξεις ἀπογραφόμενος, ἀνταποδώσει δὲ πᾶσιν, ἣν ἡμέραν αὐτὸς ἐνετείλατο. Debeo hunc locum Cl. *Trilleri* Notis MSS.

Vers. 28. totum explicat *Marckius* in Exercitatt. Exeget. n. XXVI.

ἕ μὴν γεύσωνται θανάτε) Hebraismus est secundum *Vorstium* Part. II. Philolog. Sacr. p. 242. sq. contra Pfochenium, quamvis & ex parte a *Gatackero* dissentiat.

ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτῆ) Quid per adventum illum indicetur, disputant Interpretes. Alii ad *transfigurationem* referunt, quæ mox cap. 17. enarratur. Ita sentit *Martianæus* in Essay p. 105. hanc enim ait spectatam fuisse a nonnullis Apostolorum. Alii adventum ad excidium Hierosolymorum intelligunt cum *Lightfoota* Opp. Posth. p. 27. & 79. *Hammondo*, *Hedingero* in Notis ad N. T. & *Hombergio* in Parergis p. 57. Alii adventum gratiæ sive doctrinæ salutaris, Hierosolymis eversis, cum *Jac. Cappello*. Alii abitum Christi ad Patrem per ascensionem gloriosam, ut *Diodatus* in glossa ad vers. Gall. quem novissime secutus est *Raphelius* in Notis Polybianis p. 82. *Hoc igitur*, inquiens, *ait Salvator, discipulos suos (qui erant illi τινὲς τῶν ὧδε ἑστηκότων cum reliqua turba adstantes* Marc. VIII. 34.) *non morituros, donec ipsum vidissent abire in regnum suum: id quod factum est cum in cœlum ipsis inspectantibus reciperetur. Licet enim statim post mortem in regnum suum pervenerit, ut apparet ex* Luc. XXIII. 42 & 43. *illam tamen abi-*

abitionem non viderunt, sed alteram, cum in cœlum adscenderet. Probat ergo Christus his verbis certitudinem adventus sui ad judicium, de quo versu proximo superiore egerat, argumentum petens ex eo, quod ipsimet eum visuri sint regnum suum adire. Obstare huic interpretationi credit *Wolfburgius*, qui ex Diodato eam attulerat in Observat. Sacr. p. 38. quod dicatur, non: ἔρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν, sed ἔρχεσθαι ἐν τῇ βασιλείᾳ. Sed τὸ ἐν sæpe pro εἰς usurpari, recte monuit l. c. *Raphelius*, & probavit ex *Job.* V. 4. & *Luc.* XXIII. 42. ut profanos taceam. Sic & τὸ ἔρχεσθαι non tantum *venire*, sed & *abire* infert, ut *Actor.* XXVIII. 14. & *Luc.* II. 44. Confer *Erasmi Schmidii* Not. ad N. T. p. 402.

CAP. XVII.

VErs. 1. sqq. de transfiguratione hac Christi lege *Bebelii* Antiquitatt. Evangel. p. 566. sqq. B. *Christoph. Sontag.* de transfigurat. Christi, *Altorf* 1695. *Gottfr. Olearium* in Observatt. Sacris p. 469. sq. *Herm. Witsium* in Meletemat. Leidensibus Exercit. IV. Dodecadis & *Deusing.* in Allegoria Histor. Evangelico-Prophetica p. 325-407. nec non Bibliothecam Bremens. Class. VI. p. 979. sq. De colloquio, ibi habito, ita statuit *Morus* p. 128. Opp. Theolog. quod egregium fuerit cardiacum & corroborativum, quo animaretur Servator ad ingentes dolores suos constantius perferendos; Judæis vero magna veritatis evictio, quod constaret, Legislatorem ipsorum & Prophetarum principem Christo adfuisse; mandatum porro particulare, ut omnino obedientia Christo præstaretur, missos faciendo Mosen & Eliam, quos obumbravit nubes, voce ex nube prodeunte: *hic est filius meus;* denique vero efficax argumentum probandæ animarum immortalitati. Confer huc *Olearium* l. c. qui inprimis operam dat, ut ostendat, omnem hanc μεταμόρφωσιν eo consilio factam, ut Apostolis per *signum* quoddam, *ex cœlo* datum, constaret veritas fiduciæ in Christo collocatæ.

μεθ' ἡμέρας ἓξ) Vide, quæ dicemus ad *Marc.* IX. 2.

τὸν Πέτρον) Tres atque adeo paucos assumsit, quia res agebatur, quam statim emanere nolebat Servator. Tres autem, quia duorum aut trium testium ore omnis veritas consistit, & quia tres de terra testes adesse oportebat, quemadmodum tot de cœlo se stiterant, *Pater, Moses* & *Elias.* Nominatim vero illos tres, quippe qui in Apostolis erant eximii. Hæc post *Amyraldum* affert *Witsius* l. c. p. 303. Addere & hoc fas est, quod illi, & inprimis Petrus, de oratione Domini proxime præcedente soliciti fuerant, quorum proinde animis in vero confirmandis, & a dubitatione retrahendis, inprimis consulendum erat. Lege *Olearium* p. 477.

ὄρος ὑψηλὸν) De monte hoc lege *Bartholini Jegindi* Dissert. Crit. de nomine montis excelsi, in quo transfiguratus est *Christus, Hafn.* 1704. Eum *Thabor* fuisse antiquissima & constans est Ecclesiæ sententia, quam ut receptissimam affert *Hieronymus* epist. 17. & 18. nec quicquam esse ait *Relandus* in Palæstina

Sacra

Sacra p. 334. quod eam ſtirpitus evellere atque evertere queat. Interim tamen idem, non longe a Cæſarea locum illum quærendum eſſe exiſtimans, quasdam dubitandi rationes affert, quod & ante ipſum fecerunt ex noſtratibus *Quiſtorpius*, ex ceteris *Lightfootus* & *Lamius* in Appar. Geograph. c. 12. & Harmonia Evangel. ad h. l. Ad *Lamii* exceptiones reſpondet *Olearius* l. c. quæ apud ipſum legi malim, cum nobis in re non gravis momenti prolixioribus eſſe non liceat. Pro recepta ſententia diſputat etiam *Whitby* in Annotatt. ad h. l. contra Lightfootum. Eadem quoque probatur in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. VI. p. 969. Ex recentiſſimis tamen interpretibus *Calmetus* ab illa receſſit, montem hic indicari alium cenſens, qui a lacu Tiberiadis & Capernaum fuerit remotior. Qui in monte Sinai hæc contigiſſe volunt, non recogitant, Chriſtum, in Galilæa quippe vicinisque tractibus verſantem, ab eo remotiorem fuiſſe. Ceterum de monte *Thabor* lege Bibl. Bremenſ. l. c. p. 969. ſqq. & *Montacut.* Origin. II. p. 189. & 192. ſq.

ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ) De ſplendore hoc lege inprimis *Olearium* l. c. Gentiles ſimile quid de ſuis, quibus commercium cum diis eſſe credebant, jactitaſſe conſtat. Vide *Elsnerum* p. 84.

τὰ δὲ ἱμάτια) Vide, quæ affert huc *Lampius* in Exercitatt. ad Pſ. XLV. p. 296.

λευκὰ ὡς τὸ φῶς) λευκὰ idem hic eſſe, quod λαμπρὰ i. e. *ſplendida*, ſive *candida*, poſt alios obſervat *Feſſelius* Adverſar. Sacr Tom. II. p. 122. Codices nonnulli legunt ὡς χιών, quam lectionem etiam Vulgata amplexa eſt. Atque hinc præfert eam *Prado* in Pentecontarcho p. 11. Rectius *Olearius* p. 482. pro gloſſemate habet, margini primum e Marco adſcripto, & hinc in contextum Matthæi temere relato. *Roa* in Singularibus Part. II. lib. II. c. 2. Chriſti veſtes non ſolum *ſplendidas*, ſed & albas fuiſſe, ex eo efficit, quod fulones non niſi alborem veſtibus addant & ſordes detergeant. Idem, ſed rationibus magis idoneis, efficit Olearius l. c. Lutheri verſionem a criminatione Emſeri tuetur *Raithius* p. 348. Vindiciarum.

Verſ. 3. ὤφθησαν) Moſen & Eliam nequaquam in phantaſia tantum, ſed vere, a diſcipulis viſos eſſe, oſtendit *Marckius* in Exercitatt. Biblicis n. XXXII. Moſen vero & Eliam potiſſimum ex ceteris huc delectum eſſe probabile eſt, ut indicaretur, *Legis* pariter ac *Prophetarum* teſtimonium habere Chriſtum, per paſſiones ad gloriam intraturum. Ita cum Hieronymo ad h. l. ſtatuit *Olearius*. Alias cauſas lege apud *Wolfburgium* p. 220. ſqq.

μετ' αὐτοῦ συλλαλοῦντες) Colloquii hujus argumentum ediſſerit Lucas, nempe τὴν ἔξοδον Χριστοῦ, ἣν ἔμελλε πληροῦν ἐν Ἱερουσαλήμ, quem *exitum* Interpretes recte de morte Chriſti accipiunt. Sic Petrus mortem ſuam 2. ep. I. 15. ἔξοδον ἑαυτοῦ vocat. Et de morte Chriſti imminente erudiri omnino debebant Apoſtoli, de qua paulo ante & dubium ſe & ſolicitum profeſſus erat Petrus

Petrus. *Hammondus* eique consentiens *Clericus* in alia omnia abeunt, & sermonem hunc ad excidium Hierosolymorum Judæorumque supplicium pertinuisse affirmant. Sed vide quæ his opponit *Olearius* l. c. & fusius *Wolfburgius* p. 221. sqq. Scilicet vox ἔξοδος de expeditione bellica ipsis accipitur, quæ notio Græcis Scriptoribus ignota est, nec ex phrasi V. Test. (ubi τὸ *exire* raro, reliquis textus circumstantiis suadentibus, ita explicari debet,) huic loco vindicari potest. Imo, si ἔξοδος hic notaret Christi, ad dextram Patris exaltati, παρουσίαν ad judicium in gentem Judaicam exercendum, ἔξοδος εἰς Ἱερουσαλήμ, *in Hierosolymam*, non ἔξοδος ἐν Ἱερουσαλήμ, *in urbe Hierosolyma*, dici debuisset.

Vers. 4. Vide *Amelium* Part. II. p. 407. sq.

καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 47.

Vers. 5. ἐπεσκίασεν αὐτούς) Scilicet *discipulos*, quod contra *Simonem Episcopium* ostendit *Olearius* l. c.

φωνὴ ἐκ τῆς νεφέλης) Profanos quoque Scriptores Deos, nube vestitos, repræsentare, ostendit Auctor Historiæ Criticæ Reip. Literar. Tom. V. p. 287.

οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου) Verbis his inprimis lucem affundere conatur *Rob. Flemingius*, Anglus, in Christologiæ Tom. I. p. 103. sqq. ubi speciatim per verba: ἐν ᾧ εὐδόκησα, dominium Christi, & per ea, quæ sequuntur, αὐτοῦ ἀκούετε, obedientiam, ab hominibus illi præstandam, pie quidem, sed ad verba non satis accommodate, indicari statuit. Patet enim, Propheticum Christi officium hic subinnui, quod, ut a Mose Deut. XIIX. prædictum est, ita hic, tanquam in Christi humeris recumbens, significatur.

Vers. 8. Ἐπάραντες δὲ τοὺς ὀφθαλμούς) Hebraica est loquendi forma, de qua *Vorstius* Part. II. Philolog. S. p. 232.

Vers. 9. μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα) Causas indicti hujus silentii varii varias afferunt, quas lege apud *Olear.* & *Witsium* ll. cc. Potiora forte hæ sunt, quod primo quidem *status exinanitionis*, in quo tunc erat Servator, confundi non debebat cum *statu exaltationis*; deinde, quod ipsi Apostoli non satis mysterii hujus vel finem vel usum assequebantur; ac denique fieri facile poterat, ut Apostoli, oratione minus commoda forte usuri, vanam Judæorum spem de regno Messiæ mundano accenderent, vel etiam adversariis Christum, tanquam tale quid affectantem, calumniandi occasionem suggererent.

Vers. 10. & 11. illustrat *Pet. Reenberg* dissert. singulari de Persona & officio Eliæ, Hafn. 1700.

Vers. 10. ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον) Eliam Messiæ adventum præce-

dere debere, Judæi passim in scriptis suis testantur, ita quidem, ut alii Eliam ipsum Thesbiten, qui in cœlum raptus est, alii Prophetam, ipsi similem, venturum opinentur. Loca eorum habes apud B. *Carpzovium* ad Schickardum de Jure Regio Hebr. p. 452. Quæ Hammondus ex his verbis elicit, pro confirmanda sententia sua de argumento sermonis, in monte habiti, ea diluit *Olearius* p. 498. Similis Eliæ venire debebat. Ita *Virgil.* Eclog. IV. v. 36. *Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.* h. e. *Achilles aliquis*, non priscus ille. V. Cl. *Heumanni* Poecilen Tom. I. lib. I. p. 83.

Vers. 11. ἔρχεται) pro ἐλεύσεται, præsens pro futuro, judice *Raphelio* in Notis Xenophonteis p. 42. ubi hujus enallages exempla habes ex Xenophonte. Malim ego dicere, non tam exstare hic ullam temporis vel præsentis vel futuri notam, quam enuntiari ordinem inter Eliæ & Messiæ adventum, qui talis sit, ut Elias præcedat. Hoc modo בא veniens *Numer.* IV. aliquoties usurpatur. Confer *Gussetium* in Confutat. Chissuck Emuna p. 292.

ἀποκαταστήσει πάντα) i. e. ἐπιστρέψει, ut *Luc.* I. 17. Quod enim *Malach.* IV. 5. Interpretes Græci dicunt ἀποκαταστήσει, id Lucas ibi reddit per ἐπιστρέψει. Vide *Raphelium* in Notis Polybian. ubi ostendit, Polybium huic verbo eandem notionem subjicere. *Restitutio* illa *omnium* non stricte capienda est de omnibus, quæ in genere humano vel apud Judæos restitutione egebant, sed de iis tantum, quæ pertinebant ad munus Johannis. Vide *Clericum* ad Hammondum, & in Arte Critica Part. II. p. 445.

Vers. 14. Καὶ ἐλθόντων αὐτῶν) Millius cum Areta legere mavult: ἐλθόντος αὐτοῦ. Sed vide *Whitbium* p. 39. Examinis.

γονυπετῶν) eadem voce utitur *Polybius* lib. XV. c. 27. p. 996.

Vers. 15. σεληνιάζεται) De Lunatico hoc atque iis, quæ de ipso hic acta narrantur, lege J. D. *Majoris* Exercitat. V. p. 27. sqq. V. H. *Voglerum* de rebus naturalibus p. 308. sq. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 946. & *Bartholinum* de Morbis Biblicis c. XVIII. in Fasciculo V. Opp. Philolog. p. 483. sq. Comitiali vel caduco morbo hominem hunc laborasse *Bartholinus* cum aliis contendit, qui a Luna ideo appelletur, quia secundum varios Lunæ adspectus & motus nonnullos invadat, vel quia interlunio concepti atque nati morbo huic obnoxii credantur. Atque ea quidem *Balthasar Beckerus* in Mundo Fascinato lib. II. cap. 27. §. 11. sqq. eo interpretatus est, ut dæmoni malo nihil hic negotii fuisse credat. Cui vide quæ solide opponit *Olearius* in Observatt. p. 513. sqq. Confer, quæ ad *Luc.* IX. ubi eadem hæc historia enarratur, dicemus. Hic sufficerit monuisse, si vel maxime morbus hic vel a Luna, vel ab alia quacunque causa naturali, ex parte pependerit, inde tamen non consequi, quod cum Diabolus vel non immiserit, vel nonnullis φονομένοις non auxerit, vel in corpus ita affectum pro libidine sua grassatus

tus non fuerit: inprimis cum *Marcus* & *Lucas* πνεύματος diſerte mentionem faciant. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. conferri huc vult *Origenis* Comment. in h. l. p. 311. tum vero *Hippocratis* librum de morbo Sacro & Nicephor. Greg. in Hiſtor. Byzant. lib. III. p. 36.

Κύριε ἐλέησον) Eadem precandi formula eſt apud *Arrianum* in Epictet. lib. II. cap. 7.

κακῶς πάσχει) Eadem phraſi utitur *Polybius* repetita vice. Lege *Raphelii* Notas p. 84. Ad tormina & motus excruciantes eam refert *Olearius* p. 521.

ἠδυνήθησαν) Verbum hoc a δύναμαι non vero ac ἀδύναμαι repetendum eſſe, recte contendit *Olearius* p. 519. Nihil enim frequentius eſt, quam ut augmentum *ſyllabicum* ε in *temporale* per η Atticorum more convertatur, quod ex ἤμελλον & ἠβελόμην patet.

Verſ. 17. ὦ γενεὰ ἄπιστος) Vide huc *Herzog.* de certitudine Hermeneutices N. T. §. 7. Reprehenſionem hanc non ad diſcipulos, ſed ad Scribas potius, pertinere, tum ex comparato S. Marci contextu, tum vel ex eo patet, quod Chriſtus Phariſæos & Scribas paſſim, nusquam vero diſcipulos ſuos, quorum fides infirma quidem, ſed fides tamen erat, hoc modo objurget.

Verſ. 18. ἐπετίμησεν αὐτῷ) Obſeſſum hic ob flagitioſam vitam ante actam objurgatum vult *Martianæus* in Eſſay p. 107. ſeq. Sed obſtat *Marcus* IX. 27. qui, eadem phraſi utens, diſerte eam ad πνεῦμα refert: ἐπετίμησε τῷ πνεύματι τῷ ἀκαθάρτῳ. Obſtat & hic contextus Matthæi, ubi, quemadmodum emigratio dæmonis, tanquam effectus factæ objurgationis, ſtatim affertur, καὶ ἐξῆλθεν ἀπ' αὐτοῦ τὸ δαιμόνιον, ita ſimul indicatur, ad eum increpationem iſtam relatam fuiſſe. Obſtat & conſuetudo Chriſti, qui ſæpe alias ejusmodi objurgatione in dæmones, quos ejecturus erat, vel res alias, uſus eſſe narratur.

Verſ. 20. διὰ τὴν ἀπιστίαν) ob exiguam fidem veſtram: ita *Simon* in notis ad Verſ. Gall. qui obſervat, in MS. Colbert. legi ὀλιγοπιστίαν.

κόκκον σινάπεως) Adagii hujus Hebraici rationem exponit *Vorſtius* de Adagiis Nov. Teſtam. cap. II. prolatis variis ex Talmude locis, in quibus idem occurrit.

ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ &c.) Vide huc *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacræ p. 415. ſeq. ubi & inter cetera rationem infirmæ fidei diſcipulorum Chriſti in hoc negotio eam reddit, quod perſuaſi fuerint, tantum malum, in quo lunaticum hærere videbant, a ſe, tanquam infirmis, curari non poſſe, ſed tali & tanto morbo affectum Chriſto ipſi, Magiſtro &

Domino, relinquendum esse. Adde B. J. F. *Mayeri* Diss. de translatione montium, Kilon. 1701. *Seb. Schmid.* de fide miraculosa, Argentor. 1680.

μετάβηθι) Idem verbum de re inanimata usurpatur ab *Arriano* Dissertatt. lib. III. c. 19. p. 328.

Vers. 12. Τοῦτο τὸ γένος ἐκ ἐκπορεύεται) Versum hunc non Matthæi esse, sed ex Marco huc delatum, statuit Millius, contra quem vide Whitbium p. 40. Verba ipsa non de dæmoniis, jejunio & prece expellendis, sed de hominibus, exiguam fidem habentibus, accipi vult *Knatchbullus* in h. l. & qui cum eo facit, *le Cene* in Projet p. 530. hoc fere sensu: *Hæc generatio* hominum, qui habent fidem sicut granum sinapi, non procedit, seu non progreditur in fide, nisi precibus & jejunio. Sed vide rationes ejus sub examen vocatas, & imbecillitatis convictas, a *Kuhnio* Pentade III. Quæst. Philolog. p. 10. sqq. & a *Raphelio* in Notis Xenophonteis p. 43. sq. Uterque recte observat, eam verbi ἐξελθεῖν, quæ apud Marcum est, significationem, qua secundum ipsum *profectum* & *incrementum* inferre debet, prorsus insolentem esse, nec speciatim loco Xenophontis, in quo τὸ ἐξελθεῖν hanc notionem ipsi habere præter rem visum est, comprobari. Præstat itaque in vulgato verbi ἐξελθεῖν significatu acquiescere, quippe huic rei egregie accommodato. Cum Diabolus exit, non nisi jussus exit: cum autem jubetur exire, utique ἐκβάλλεται, adeoque ἐκβάλλειν πνεῦμα ἀκάθαρτον idem est, quod ποιεῖν vel κελεύειν ἐξελθεῖν, & diaboli ἐξελθεῖν *exire* revera est ἐκπεσεῖν, ἐκβληθῆναι, *excidere*, *ejici*. Confer & *Olearium* p. 526. Ratum igitur esto, de dæmoniis ejiciendis hic sermonem esse. Hic vero iterum dubium est, num de certo dæmonum genere, an de quibuscunque verba hæc accipienda sint. Prius verba: τοῦτο τὸ γένος plerisque inferre visa sunt, quo vide *Jac. Cappellum* in Observatt. qui monet, Judæos alia dæmonia precatione sola, alia vero precatione & jejunio, ejicere consueviſse, & *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 633. Posterius placuit *Keuchenio* ad h. l. cujus hæc sunt verba: *Quid enim, si hoc tantum genus quoddam impurorum Spirituum non nisi prece & jejunio expellitur, aliane igitur genera forte alio modo e corporibus abiguntur? Et quodnam iis remedium præter orationem & jejunium affertur? Dæmoniorum genus itaque nihil nisi dæmonia ipsa denotare videtur, plane uti apud Homerum Iliad. β. memoratur ἠμιόνων γένος ἀγροτεράων & Horatius Carm. lib. I. Odyss. 2. piscium genus pro piscibus usurpat.* Adstipulatur illi *Amelius* p. 847. Malim ego ad priorum partes accedere. Diversos esse dæmonum ordines, eosque diversa potestate instructos, Sacræ literæ passim testantur. Hinc consequitur, alia atque alia potestate opus esse ad eos debellandos. Atque id nunc experiundo didicerant Apostoli, quos non dubium est jam antea impuros Dæmonas ejeciſse, quia alioquin nec male affecti ad eos accessuri fuissent, nec ipsi hic admiratione pleni ex Christo quæsituri, cur illud speciatim dæmonium expellere non potuissent. Ad hanc itaque quæstionem respondet Servator,

hujus-

hujusmodi dæmonum familiam non nisi intenta & seria, quæ jejunio inprimis innui videtur, oratione expelli posse. Recte enim hic monet *Boisius*, per voces ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ intentissimam precationem designari, qualis scilicet soleat esse jejunantium. Itaque ex verbis ita intellectis non sequitur, alia media ad alia dæmonum genera propellenda adhiberi posse, sed media eadem, nempe preces, nobiliori quadam ratione comparata esse debere.

Vers. 23. καὶ ἐλυπήθησαν σφόδρα) pro scholio habet Millius. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 40.

Vers. 24. Omnem hanc narrationem de didrachmis, a Christo solutis, expendit *Seb. Schmidius* singulari dissertatione, quæ in Fasciculo Disputationum ejus exstat p. 796. sqq. Diversæ potissimum sunt sententiæ Interpretum de numis his, in quem usum pendi consueverint. Alii enim acceperunt de pecunia illa, quæ *Num.* III. 46. 47. exigi jubetur, quo vide *Theophylactum*. Sed hos nemo est recentiorum, qui secutus sit. Alii de portorio interpretantur, quod Capernaumi quotannis solvi debuerit: quos jam confutavit *Calvinus*. Alii de siclo sacro intelligi volunt, qui tempore Paschali pendendus fuerit omni masculo a viginti annis usque ad quinquaginta, primum in usum tabernaculi Mosaici, deinde templi Hierosolymit. de quo tributo *Exod.* XXX. 13. & in singulari Tractatu Talmudico שקלים. Hos sequuntur ex recentioribus *Lipsius*, *Beza*, *Baron. Casaubonus*, *Camero*, & alii, a *Seldeno* de Jure Nat. & Gent. p. 806. laudati, quibus adde *Grotium*, *Lightfootum* in Horis Hebr. sed dubium, *Possinum* in Spicilegio p. 60. sq. *Morinum* Exercit. de Linguis p. 273. *Rich. Simonem* in Notis ad vers. Gall. *Hammondum* & *Clericum*: ex nostratibus vero *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum p. 213. Alii denique de tributo Cæsari solvendo agi hic contendunt. In his videas *Rich. Montacut.* in Originibus Tom. II. p. 293. *Selden.* de Jure Natur. & Gent. p. 806. *Sam. Petitum* Variant. Lect. cap. 18. *Pet. de Marca* Concord. Sacerd. & Imperii p. 75. & ex nostratibus plerosque omnes, quorum potiores laudatos vide a *Carpzovio* ad Schickardum l. c. His adde *Jo. Schmidium* in Amœnitat. Theolog. p. 213. & Vener. *V. E. Læscherum* in Stromat. p. 166. Alii de censu accipiunt, qui in capita pendi debebat Herodi Galilææ Tetrarchæ, ab unoquoque Patre familias. Ita statuit *Harduinus* in Opp. Select. p. 400. qui duplex hoc ait fuisse drachma, sive duos argenteos denarios, cum Cæsari tantum unus solveretur. Alii denique tertiam & quartam sententiam conjungi volunt, ita, ut exactores ad Christum venisse dicantur, non tantum sicli templo solvendi, sed & census Imperatori Tiberio dandi causa, qui proinde Petrum jusserit hamo piscem capere, & inventum staterem, quatuor didrachma vulgaria vel duo sacra continentem, pro utroque, Christo & Petro, solvere. Ita *Seb. Schmid.* l. c. cui adstipulatur *Carpzovius*

ad Schickardum l. c. existimans, sententiam hanc per ipsum ab omni difficultate esse liberatam. Nobis quarta sententia de tributo Cæsarino inprimis arridet, cujus præsidia apud *Seldenum* quæri, quam a me hic afferri, satius puto. De didrachmis ipsis, & hujus numi valore lege *Wasserum* de Numis Hebr. II. 6. *Steph. Morinum* l. c. & *Schmidium* l. c. p. 811. sqq. Confer etiam de tota hac causa *Salmasium* in Responsione ad Miltonum p. 255. sqq.

Vers. 25. ὁι βασιλεῖς τῆς γῆς) Per Hebraismum ita dici, cum vox γῆ abesse alioquin posset, judicat *Vorstius* Philolog. Sac. Part. II. p. 14.

λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον) Sciendum est, hic proprie τὰ τέλη vocari tributa, quæ agris imponuntur; censum vero, qui in capita indicitur, qui & census capitis & capitatio uno verbo vocatur. Τὰ τέλη igitur hic sunt tributa, ὁ κῆνσος est stipendium vel census capitis, quod Græci vocant ἐπικεφάλαιον. Secus, quam alii eruditi, qui vices vertunt. Ita Salmasius in Respons. ad Miltonum p. 256. sqq. ubi lege plura. Salmasius videtur respicere *Gothofredum*, qui ad Inscriptionem tituli Codicis *Sine Censu & rel.* ita commentatur: *Census est tributum vectigal, publica pensitatio, onus agrorum, non personarum.* Eum vero deserunt Grotius ad Matth. XXII. & *Wagenseilius* ad *Sota* p. 11.

ἀπὸ τῶν υἱῶν αὐτῶν) Christum hic se ipsum respicere, & innuere velle, quod sibi, cum esset e genere Regio, nempe Davidis, tributa pendenda non sint, quia domus Regia ubique terrarum libera fuerit a præstatione vectigalium & tributorum, existimat *Salmasius* in Respons. ad Miltonum p. 259.

Vers. 27. εὑρήσεις στατῆρα) stalerem hunc, in piscis ore a Petro repertum, a Christo creatum putat *Seb. Schmidius* l. c. p. 809. quia, si ab alio perditum ibi inveniisset, super eo in piscis ore reperto in jus vocari Christus potuisset. De *statere* lege *Schmidium* l. c. p. 814. sq. & 824. *Casaubon.* p. 401. Exercitatt. Anti-Baron. *Scaligerum* p. 2. de Re Numaria, & *Drusium* p. 42. Præteritorum. Versionem Lutheri Germanicam tuetur *Raithius* p. 349. Vindiciarum.

CAP. XVIII.

VErs. 2. παιδίον) Vulg. vertit *parvulum*, recte quidem, judice *Boisio*, qui & ostendit, parvulum tum de ætate tum de statura dici. Ea ætate puerum hunc fuisse, ut progredi ipse posset, evinci posse videtur ex verbo προσκαλεῖν. Quidam hic *Ignatium* intelligunt, quos laudatos vide a *Montacutio* Origin. lib. II. p. 212. & *Halloixio* cap. I. de vita Ignatii, & in notis p. 383. sqq. qui & ipse ita statuit. Sed in contrarium lege *Usserium* ad Acta Ignatii not. IV. & *Pearsonium* in Vindic. II. p. 124. 144. sq. Falluntur omnino, qui

qui hic per παιδίον hominem ſimplicem & humilem, inſtar infantis, intelligunt cum *Rich. Simone* in Notis ad verſ. Gall. Pro conſueta & propria vocis hujus ſignificatione recte propugnat *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacr. p. 403.

Verſ. 3. ἀμὴν) Amen nonnulli pro juramento, alii pro aſſeveratione nuda hic habent, cum quibus facit ad h. l. *Hackſpanius* in Notis p. 112.

καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία) Quibus in rebus pueris ſimiles fieri nos oporteat, oſtendit *Rittershuſius* Lection. Sacrar. p. 22. Ad animum hic ſimplicem reſpici ſtatuunt Patrum plerique, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 547.

Verſ. 4. ταπεινώσῃ ἑαυτὸν) Hæc ταπείνωσις ἑαυτῷ conſiſtit quidem potiſſimum in animo, qualis deſcribitur *Philipp.* II. 3. ſed in ſermone quoque ſe oſtendat neceſſe eſt, ut non tantum de nobis ipſis non prædicemus, vera licet, ſed etiam nos noſtraque verbis extenuemus. Hac notione verbum ταπεινῶν apud *Polybium* paſſim exſtare oſtendit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 85.

Verſ. 5. τοιοῦτον) Ita animo affectum, cui eadem mens eſt, quemadmodum adhibet *Polyb.* p. 1237. obſervante *Raphelio.*

ἐπὶ τὸ ὀνόματί μου) i. e. *vice mea*, ut *Ælian.* V. H. XIII. 28. τῷ ὀνόματι τοῦ δεσπότου δίκας ἔτισας i. e. *vice domini*, obſervante *Hombergio* in Parergis p. 57.

Verſ. 6. ἕνα τῶν μικρῶν τούτων) *unum ex minimis fidelibus* hic intellectum cupit R. *Simon* in notis ad verſionem Gallic. poſt alios veteres & recentiores, idem præter contextus ſeriem ſtatuentes. Contra eos lege inprimis ex noſtratibus *Feurbornium* in Operibus p. 803. *Höpfnerum* Diſp. XI. de Juſtificat. *Aſſelmannum* Part. I. Opp. p. 820. *Samuelem Bened. Carpzovium* in Anti-Maſenio p. 777. ſqq. itemque *Hackſpanium* p. 113. Notarum, & *Hectorem Gothofr. Maſium* in Amica Velitatione cum *Paulo Infantio* p. 124. ſq.

συμφέρει αὐτῷ) Lege Schotti Adagial. N. T. p. 47.

μύλος ὀνικὸς) Is eſt ſecundum *Marcum* IX. 42. λίθος μυλικὸς, *lapis molaris*: hos enim ὄνους vocabant Græci, uti præter Heſychium & Pollucem etiam Xenophon docet de Expedit. Cyri lib. I. p. 202. monente *Raphelio* in Notis Xenophont. p. 45. Itaque non ſolicitanda eſt lectio communis, quam etiam tuetur *Sanbertus* in Opp. Poſthumis p. 86. ubi obſervat, μύλον vocari ὀνικὸν, ut indicetur mola jumentaria a jumentis, præcipue vero aſinis circumagi ſolita, & diſtinguatur ſic a truſatili. Conferri idem vult *Muretum* Var. Lect. VIII. 15. Adde tu *Feſſel.* in Adverſar. Sacris Tom. II. p. 67.

καὶ

καὶ καταποντισθῇ) Eadem voce utitur *Polybius* lib. II. cap. 60. monente *Raphelio*. De isto supplicii genere legatur singularis *Schurtzfleischii* Dissertatio, Witteb. 1700. habita, *Christ. Stockius* in alia ejusdem argumenti, *Jen.* 1704. *Saubertus* in Opp. Posth. p. 86. *Jo. Frid. Mayerus* in Ecloga ad Evangel. Domin. XXII. post Trinit. & novissime *Gregor. Laur. Welleji* Disp. de supplicio Submersionis apud antiquos, Hafn. 1701. Apud Judæos illius vestigium vix exstat, sed eo frequentius apud Græcos, Ægyptios item & Romanos, quo vide *Casaub.* ad h. l. *Fessélium* Adversar. Tom. II. p. 68. Conf. *Christoph Græfii* disput. de καταποντισμῷ, num fuerit supplicium Judaicum, nec ne? *Lipsi.* 1662. & *Elsnerum* p. 85. Pro gravi pœna habitam esse ostendit *Dougtæus* in Analectis N. T. quo conferatur *Jac. Thomasii* Dissertat. de morte in undis. In persecutione Diocletianea quosdam, alligatis ad collum molaribus, mari mersos fuisse, testatur *Lactantius* de Mortibus Persecutorum c. XV.

ἐν τῷ πελάγει τ. θ.) De voce πέλαγος ex profanis hic differentem vide *Raphel.* in Notis Polyb. p. 86. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 661. qui profunditatem maris hic indicari censet.

Vers. 7. ἀνάγκη γάρ ἐστιν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα) De necessitate hac hypothetica, quæ potissimum a continuo Satanæ studio alios ad mala perducendi pendeat, vide B. *Franzium* de Interpretat. Scriptur. S. p. 211. sq. *Petavii* Dogmata Tom. III. p. 257. *Jo. Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 70. sqq. item *Suicerі* Thesaurum Tom. I. p. 245. qui ex Patribus potentiam & malitiam Diaboli imbecillitati & perversitati hominum hic jungit. De *Scandalo* ipso lege, quæ scripsi ad *Matth.* XV. 12. De phrasi vero ista hebraizante præ ceteris legendus est *Vorstius* l. c. Ceterum *Antoninus* IX. 42. de impudentibus ait, ὃς ἀνάγη ἐν τῷ κόσμῳ εἶναι.

καὶ τῷ ἀνθρώπῳ) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 47.

Vers. 8. Εἰ δὲ ἡ χείρ σε) Ad literam hæc præter mentem Christi accepit Leo I. Pontifex, quem nonnulli tradunt manus sibi abscidisse. Sed vide *Baronium* de rei veritate dubitantem ad A. C. 461. Lucium eodem nomine laudat *Corn. a Lapide* in Proverb. IX. 15. Originem tanquam se ipsum εὐνουχίσαντα nonnullos huc vocare constat. Vide inprimis *Barthium* in Adversariis V. 4. Sed nec hic dubitandi causa deest. Lege *Pet. Zornii* Dissert. de Eunuchismo Origenis, Giess. 1709. habitam.

ἢ δύο χεῖρας) Ante has voces deest μᾶλλον, cujus ellipseos plurima sunt exempla apud Hebræos, Græcos & Latinos. Alii hic καλὸν pro κρεῖττον accipiunt: sed mihi magis placet ellipsis, quam enallage. Ita *Boisius*. Exemplum ellipseos istius habes Ps. LV. 9. Conf. *Drusii* Proverb. Class. II. lib. V. Adag. 66. Ceterum dignus est *Senecæ* locus ex ep. 51. qui hic legatur: *Nunquam satis cum vitiis litigavimus, quæ, oro te, Lucili, persequere sine modo, sine fine: nam*

nam illis quoque nec finis est, nec modus. Projice, quæcunque cor tuum laniant: quæ si aliter extrahi nequirent, cor ipsum cum illis revellendum erat.

ἔκκοψον αὐτά) Quid Patres hic intelligant, docet *Suicerus* Tom. II. Thes. p. 531.

Vers. 10. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν) De his Angelis Patrum cogitata lege apud *Spencerum* ad Origenis libros contra Celsum p. 82. Nonnulli eorum ex his verbis efficere voluerunt, cuique infanti suum datum esse Angelum. Vide loca eorum apud *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 43. In universum comma hoc illustrat B. *Dannhauerus* in Disputatt. Theolog. n. V. p. 62. sqq. B. *Dorscheus* in Semestri Tiburtio-Dionys. p. 259. sqq. item *Camero* in Prælectionibus ad h. l. f. 118. & in Myrothecio p. 61.

ἄγγελοι ἐν οὐρανοῖς) Cur *Angeli in cœlis* dicantur, ostendit *Dorscheus* l. c.

βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός) Pertinet huc quod ad phrasin, quod Michael Archangelus a Judæis vocetur שר הפנים *princeps facierum:* vide *Jo. Gregorii* Observatt. c. XXXI. Adde etiam *Jo. Schmidii* Disput. de Angelis pusillorum &c. *Lipsiæ* 1706. 4. Quæ de scientia Angelorum ex h. l. statuerint Patres, ostendit *Petavius* Tom. I. Dogmatum p. 292. 294. & 297.

Vers. 11. ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός) Lege huc loca Patrum apud *Petavium* Tom. V. Dogmatum Theolog. p. 106. & p. 244.

Vers. 12. ἐπὶ τὰ ὄρη) Pleræque editiones voces has a prioribus per comma separant, & cum participio πορευθεὶς conjungunt, sed id perperam fieri existimat *Sandius* de Origine Animarum p. 89. Sic B. Lutherus cum ἀφεὶς conjunxit. In montibus ovium greges pascebantur frequentissime. Vide *Jer.* L. 6. Idem patet ex profanis Scriptoribus, quorum loca habes in Biblioth. Bremensi Class. I. Fasc. II. p. 123.

Vers. 14. οὕτως οὐκ ἔστι θέλημα &c.) Lege ad hunc versum B. *Jo. Winckleri* Demonstrationem Pædobaptismi, vernacula lingua editam *Hamb.* 1691. 12.

Vers. 15. sq. Similis his locus exstat in *Arba Turim* in Hilcoth Jom Hakkippurim, quem Latine conversum dabo ex notis *le Moyne* ad Var. Sacr. p. 45. *Si prima vice placare non possit, accedat secunda & tertia, & singulis vicibus tres sibi adjungat, qui eum deprecentur, ut ignoscat Et si mortuus sit, secum decem homines adducet, & stare faciet ad sepulchrum ejus, & dicet: peccavi in Deum Israel, & in hunc τὸν θεῖνα, & illum injuria affeci.* Adde *Maimonidem* in Hilcoth דעות c. VI. §. 7. idem suadentem: *Qui proximum suum reprehendit, sive in rebus inter se invicem* (exortis) *sive, quæ proximum & Deum* (concernunt) *necessum est, illum redarguere inter se & proximum seorsim. Et cum eo modeste & fraterne loquatur, eique indicet, quod non nisi in sui emolumentum cum ipso loquatur, ut eum ad vitam futuri seculi*

deducat. Si (hoc) *ab illo accipiat, bene eſt; ſin minus, ſecunda & tertia vice eum redarguet. Et ſic ipſum reprehendere perpetuo tenetur, uſque dum prævaricator eum percutiat, eique:* Nolo obtemperare; *reſpondeat.* Idem inſtitutum fuit apud Karæos, quod patet ex R. *Eliæ*, Karæi, libro אדרת אליהו cap. III. apud *Trigland.* Diatriba de Karæis p. 166. ubi, poſtquam admonitum fuiſſet, fratrem prima vice redarguendum eſſe ſeorſim, ſubjungitur: *At ſi non convertatur de via ſua mala, in pudorem agunt, & ignominia illum afficiunt coram pluribus, donec reſipiſcat. Quod ſi non reſipuerit, ſola domus judicii eum devovet diris.* Alia, ad correptionem fraternam pertinentia, ex Judæorum ſcriptis affert *Jo. Morinus* de Pœnitentia II. 8. & *Cappellus* in Opp. p. 620. a. Ex ceteris non omittendum eſt, quod totidem verbis in Florilegio ſententiarum Hebraico ſub titulo מכחר הפניני adhuc exſtante, ita legitur: יחמוס אמר החכם אם לך חברך תפוס עליו בינו לבינך בלבד אם ישמע לך כבר רויחר" ואם לא ישמע לך אמר לו בפני אחר או בפני שנים ו ישמעו הרבים ואם לא ישמע חשוב אותו חבר פחות: h. e. *Dicit Sapiens: Si injuriam fecerit tibi proximus tuus, corripe eum inter te, & ipſum ſolum: quod ſi audiverit te, jam lucratus es; ſi vero non audiverit te, dicas ei coram uno aut duobus, qui id audiant: ſi ne ſic quidem audiverit, vilis eſto in oculis tuis.* Confer *Buxtorfii* Florilegium p. 297. *Cartwrighti* Mellific. Hebr. II. 3. & *Wagenſeilii* notas ad *Sota* p. 9. Non opus eſt, ut moneam, ſententiam hanc ex ipſis N. T. tabulis depromtam videri. Ita & *Antonin.* XI. 18. proximum in nos delinquentem reprehendi vult μόνον i. e. *ſeorſim*, ubi confer *Gatackerum* p. 404.

ἐάν σε ἀκούσῃ, ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σε) Similiter *Antoninus* V. 28. Εἰ γὰρ ἐπαίει, θεραπεύσεις.

Verſ. 16. ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων) v. *Schotti* Adag. N. T. p. 48.

Verſ. 17. εἰπὲ τῇ ἐκκλησίᾳ) Quid per ἐκκλησίαν hic intelligendum ſit, diſputant Interpretes, & illi, qui argumentum de Excommunicatione Eccleſiaſtica, noſtra inprimis ætate, excuſſerunt. Alii enim de Synagoga integra ſeu cœtu Eccleſiaſtico hoc intelligi volunt, quod tuentur ex noſtratibus tantum non omnes. Præſidia hujus ſententiæ lege apud *Seb. Schmidium* in Faſciculo Diſputatt. p. 732. & eos, quorum commentationes de Clave Solvente & Ligante adduximus ſupra ad Matth. XVI. 19. quibus adde inprimis B. Fechtii Tractatum de Excommunicatione Eccleſiaſtica & *Jo. Reinh. Brecht* Exercitatt. duas de remiſſione fratris læſi ad Eccleſiam per Chriſtum facta. Confer huc ex Reformatis *Jo. Marckium* in Sylloge Diſſertatt. Exercit. VI. ubi eandem ſententiam contra *Eraſtum* & *Thom. Bilſonum* de Eccleſ. Gubern. cap. V. qui hic de offenſis privatis agi exiſtimant, nec de excommunicatione cogitandum cenſent, tuetur. Ex antiquitatibus Eccleſiæ Judaicæ hanc ſententiam deduxit & ornavit *Campeg. Vitringa* de Synagoga vetere lib. III. Part. I. c. 9. & 10. brevius autem *le Moyne* ad Varia Sacra p. 46. Alii per ἐκκλησίαν non

non tam integrum Ecclesiæ cœtum, quam homines plures, undecunque collectos, intelligunt, quibus præsentibus castigari debeat frater. Ita post *Seldenum* de Synedriis veterum Hebr. lib. I. cap. 9. p. 195. & de Jure Nat. & Gentium p. 178. statuit *Eduardus Stillingfleetus* in Irenico suo lib. II. c. 5. quod exstat Tom. II. Opp. ejus, & plures alii, quibus ex nostratibus accesserunt *Christianus Thomasius*, & *Justus Henning. Böhmerus*, aliique, quos commemorat *Pfaffius* in Originibus Juris Ecclesiast. p. 11. sq. *Jac. Rhenferdius* Part. III. Observatt. Select. de Locis N. T. Hebraic. p. 12. intelligi per ἐκκλησίαν vult numerum hominum denarium, quo scilicet ad conventum sacrum agendum minimum opus erat.

ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης) ut scilicet possit ad secularia tribunalia deferri, uti solebant a Christianis Ethnici & publicani. Ita cum Erasto *Dodwellus* p. 261. de Jure Laicorum. *Cappellus* hic in Observatt. non odii Judaici, sed ordinis Juridici, imitationem permitti monet, ne quis scilicet matrimonium cum ejusmodi hominibus contrahat, aut cibum cum iis sumat. Confer, quæ scripta sunt ad Matth. V. 46. & adde ad h. l. *Salmasium* de Fœnore Trapezitico p. 109. sq. ubi inprimis de eo disputat, an publicani olim ἀποσυνάγωγοι & societate Ecclesiastica indigni habiti sint?

Vers. 18. Ὅσα ἐὰν δήσητε) Vide quæ diximus ad cap. XVI. 19. Hic addemus, non prorsus novam esse illam recentiorum quorundam Interpretum sententiam de sensu verborum λύειν & δέειν, quando idem ea inferre volunt, quod *præcipere*, vel *prohibere*. Eadem enim ratione Scriptor Historiæ Apostolicæ lib. I. §. 15. accepisse videtur, quando Petrum ita loquentem introducit: *Propter quod ipsi* (Clementi) *trado a Domino mihi datam potestatem ligandi & solvendi, ut de omnibus, quibuscunque decreverit in terris, hoc decretum sit & in cœlis. Ligabit enim, quod oportet ligari, & solvet, quod oportet solvi.* Pro communiore sententia faciunt loca profanorum varia, quæ adduxit *Morinus* de disciplina in administrando Sacramento Pœnitentiæ lib. I cap. 8. Eminere mihi videtur *Diodori Siculi* locus, qui lib. I. f. 23. refert inscriptionem columnæ Isidis istam: Ego sum Isis, regina totius regionis a Mercurio erudita, καὶ ὅσα ἐγὼ δήσω, ἀδεὶς δύναται λῦσαι. Nec omittenda sunt *Polybii* loca, quæ attulit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 88. Sic p. 518. l. 7. πεπεισμένοι καταπλήξεσθαι τὸν Φίλιππον, καὶ λύειν τῷ τοιούτῳ τρόπῳ τὰς προγεγενημένας ἁμαρτίας. i. e. *Sperantes terreri Philippum posse, atque hoc pacto debita sua priora fore tecta.*

Vers. 19. Ἐὰν δύο) Judæi *decem* minimum requirunt ad cœtum Ecclesiasticum, ut omnia rite fiant, & preces inprimis exaudiantur. Vide huc *Vitringæ* & *Rhenferdii* scripta de decem Otiosis. Atque horum superstitioni Christus præsentem doctrinam de duobus cum efficacia precantibus oppo-

fuiſſe videtur *Triglandio* diatriba de Karæis p. 172. Conf. & *Vitring.* de Vetere Synag. p. 1063. & *Scaligerum* in Elencho Trihæreſ. p. 474.

ἅ γὰρ αἰτήσωνται &c.) *Hammondus* nove verterat: *quodcunque rogabuntur, dabit auctoritatem illis.* Sed vide Elsnerum p. 86. qui recte verſionem hanc miratur, & in pervulgata illa, qua alias occurrit frequenter, ut Matth. XXVII. 10. &c. perſiſti vult, ut denotet: *quodcunque petierint, præſtabitur illis a Patre*, ut *Joh.* XV. 7.

γενήσεται αὐτοῖς) Pro Hebraiſmo habet *Grotius*, male. Nam ita & *Aeſchines* in Timarch. p. 184. τὰ μέτρια παρὰ ἐπιτρόπων ἐγίνετο τῷ Ἀριγνότῳ & alii, quorum loca affert *Elsnerus* p. 86. Adde *Raphel.* Annot. Polybian.

Verſ. 20. Οὐ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς &c.) Confer hæc cum ſequentibus, quæ leguntur in *Berachoth* fol. 6. a. *Unde conſtat, adeſſe Deum tribus, qui ſedent in judicio? Ex loco:* in medio Deorum judicabit. *Unde vero conſtat, divinam habitationem* (שכינה) *præſentem duobus eſſe, qui ſedent & operam dant Legi? Ex eo quod dicitur:* Tum locuti ſunt timentes Dominum unusquisque cum proximo ſuo, & attendit Dominus, & audivit, & ſcriptus eſt liber monumenti coram eo timentibus Dominum & reputantibus nomen ejus. (v. *Malach.* III. 16.) Confer *Vitringam* de Vetere Synagoga p. 1063. & in Archiſynagogo p. 19. nec non *le Moyne* ad Varia Sacra p. 47. ubi & ex Surata 58. hunc affert locum: *An non attenditis, quod Deus novit, quod eſt in cœlis, & quod eſt in terra: non enim ſunt in conventu tres, niſi ſit ille quartus. Neque quinque, niſi ille ſit ſextus, & ſive pauci ſint, ſive multi, Deus cum illis eſt.* Atque hæc ille vel a Chriſtianis vel ab ipſis Judæis hauſta exiſtimat. Confer & *Georg. Eliez. Edzard.* in Prolegom. ad Avoda Sara cap. I. p. 40. & in Notis p. 196.

ἐν μέσῳ αὐτῶν) Non eſt hic Hebraiſmus, ut cenſuit *Camero.* Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 304.

εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα) i. e. *me mandante. Hackſpan.* in Notis ad h. l. p. 121. qui & ſimilia quædam Judæorum loca, ad hoc comma ſpectantia, affert. Ceterum loco hoc Pontificios nonnullos abuti ad afferendum Pontifici Romano jus convocandi Synodos Eccleſiaſt. oſtendit *Launojus* in Epiſtolis p. 483. ſq. & 561. ubi variorum Patrum loca leges.

Verſ. 22. ἕως ἑπτάκις &c.) Generatim hic perpetuitas veniæ faciendæ innuitur. Vide *Suiceri* Tom. I. p. 981.

Verſ. 23. ἀνθρώπῳ βασιλεῖ) i. e. βασιλεῖ τινι, *Regi cuidam.* Vox ἄνθρωπος enim etiam ab externis Scriptoribus pro τὶς uſurpatur. Vide *Pfochenium* §. LXII. De hoc & ſeqq. commatibus lege *Sam. Reyheri* Matheſin Moſaic. p. 783. ſq.

Verſ. 24. εἷς ὀφειλέτης) Per hunc nonnulli indicatum a Chriſto volunt Pontificem Romanum. Ita *Gürtlerus* Syſtem. Theolog. Prophet. p. 542. Pronunciabat, inquit, Dominus hanc parabolam ad Petrum, cujus putatitios

titios ſucceſſores fore immiſericordes erga fratres prænoverat. Eadem eſt *Tillii* ſententia in Comm. ad h. l. Utriusque cogitata repetit *Amelius* Part. II. p. 143. ſeq. Sed vereor, ut multis illi perſuadeant ſenſum literæ deſerere, & longius petita ſectari. Ceterum obærati & peccatoris conditiones inter ſe confert *Wolfburgius* p. 445. ſeq. Obſervatt. Sacrar. Vide etiam *Suicerum* Tom. II. p. 530.

μυρίων ταλάντων) Lege de talentis *Waſerum* de Numis Hebræor. II. 18. & *Voſſium* in Harmonia Evangel. de Paſſ. Chriſti p. 18. Summam pecuniæ hujus computat *Paullini* in der Erbaulichen Luſt Obſerv. 72. Innumeras offenſas hic innui ſtatuunt Patres apud *Suicerum* Tom. II. p. 1230. Eandem hanc ſummam 10000. talentorum Antiochum M. facta cum Romanis pace, perſolvere debuiſſe, teſtis eſt *Eutropius* Hiſt. Rom. lib. IV. c. 2.

Verſ. 25. ἐκέλευσεν αὐτὸν πραθῆναι) Dubitaverat *Druſius* ad h. l. numquid ex veteribus probari poſſit, uſu receptum fuiſſe, ut debitor a creditore venderetur. Itaque hoc luculentis veterum teſtimoniis probat *Cornel. Adami* in Obſervatt. Sacr. p. 144. quod & ante fecerat *Dougtæus* in Analectis p. 22. ſq. Vide inprimis *Luciani* Timonem Tom. I. p. 149. Adde *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. Conf. Cl. *Bynckershœckii* Obſerv. Juris Rom. lib. I. c. 1. & *Heumanni* Pœcilen lib. I. Tom. I. p. 83.

καὶ ἀποδοθῆναι) *& reddi*, ſcilicet debitum: quo ſenſu plerique omnes accipiunt. Sed intercedit *Hombergius* in Parergis p. 58. qui putat, rectius verti per: tradere rem venditam in manus nempe emtoris, ita quidem, ut τὸ ἀποδοθῆναι proxime jungatur τῷ πραθῆναι hoc ſenſu: *juſſit eum dominus cum uxore & liberis vendi, atque tradi in manus emtoris.* Quo quidem ſenſu verbum ἀποδοθῆναι occurrit Matth. XXVII. 58. ὁ Πιλάτος ἐκέλευσεν ἀποδοθῆναι τὸ σῶμα. Non puto hæc contemnenda. Obſtare tamen videtur antecedens ἀποδόναι & proxime ſequens ἀποδώσω, quæ ad debitorem referuntur.

Verſ. 26. μακροθύμησον ἐπ' ἐμὲ) *longanimis erga me eſto.* v. Boiſium in Collatione.

Verſ. 27. σπλαγχνισθεὶς δὲ ὁ Κύριος) Quo ſenſu Deus cum creditore, de jure ſuo cedente, conferatur, exponit *Grotius* de Satisfactione p. 38. ſqq. & p. 82. ſqq.

Verſ. 28. κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε) i. e. *& comprehenſum illum præfocabat*, ſive, *prehenſum illum ſuffocabat*, h. e. *fauces illi premebat, ſeu collum obtorquebat, quemadmodum, ni fallor, locum hunc enarrat Camerarius.* Ita *Boiſius* in Collat. p. 56. qui & Luciani locum huc pertinentem affert. *Feſſelius* vertit: *obtorto collo trahens ſtrangulavit.* Vide ejus Adverſar. Sacra lib. IV. 14. p. 402. ubi & ex

profanis Scriptoribus ostendit, reos collo obstricto & quandoque obtorto in jus vel in custodiam rapi olim consueviſſe, & *Suicerum* Tom. I. p. 71.

Verſ. 29. πεσὼν εἰς τὲς πόδας αὐτῦ) Eadem phraſi utitur *Laertius* II. 79. indice Cl. *Trillero.*

Verſ. 32. Δεῦλε πονηρὲ) Ex his verbis *Socinus* Tom. II. Opp. lib. III. de Chriſto c. II. f. 193. varia exſculpere conatur, quæ veram de Deo, nobis per Chriſti ſatisfactionem reconciliato, doctrinam ſubvertunt. Sed occurrit argumentis ejus B. *Olearius* in Obſervatt. Sacris p. 527. ſqq.

Verſ. 33. Οὐκ ἔδει καὶ σε ἐλεῆσαι) Ex hoc & ſimilibus locis non ſequitur, Chriſtiano non licere exercere judicia: Vide *Epiſcopium* Tom. I. Opp. Part. II. p. 83. ſqq.

Verſ. 34. τοῖς βασανισταῖς) Ad diſpenſatores, quos habebant inter ſervos ſuos veteres, hic reſpici putat *Pignorius* de ſervis p. 310. Male hic de diabolo cogitari, cum ad Chriſtum potius reſpiciendum ſit, poſt *Danhauerum* in Lacte Catechet. Part. VI. p. 870. arbitratur B. *Caſp. Lœſcherus* in Scylla & Charybdi p. 391. Theologiæ Theticæ.

Verſ. 35. τὰ παραπτώματα αὐτῶν) Hæc alibi tuetur ut genuina, alibi e margine irrepſiſſe putat *Millius*, contra quem lege *Whitby* in Exam. p. 91. Lutherus in verſione ſua expreſſit, notatus ideo ab *Emſero*, & aliis, contra quos vide *Raithium* in Vindiciis p. 350.

CAP. XIX.

GRegorii *Nazianzeni* cogitata ex ſingulari ejus Sermone, qui in hoc caput XIX. exſtat, ediſſerit *Rich. Simon* in Hiſt. Crit. de Interpretibus N. Teſt. p. 119. ſqq.

Verſ. 1. μετῆρεν) *migravit*, Vulg. probante *Boiſio* in Collatione p. 57.

πέραν τῦ Ἰορδάνε) Vetus: *trans Jordanem;* alii: *trajecto Jordane:* alii *ſecus Jordanem.* Prima & ultima ſic conciliari poſſent: Certum eſt, *trans* & *citr* de eodem loco dici poſſe, mutato reſpectu. Nam quod habitantibus trans Jordanem *citra* eſt, id *cis* Jordanem degentibus ultra eſt, & vice verſa. Præterea *ſecus* ſive *ſecundum* flumen ea ſumi, quæ proxime illi adjacent tam cis, quam ultra. Ita *Boiſius* in Collat. ad h. l. ubi vide plura. *Judæam trans Jordanem* hic verti vult *Relandus* in Palæſtina Sacr. p. 32.

Verſ. 3. κατὰ πᾶσαν αἰτίαν) ita hæc & proxime antecedentia παραφράζει *Seldenus* de Uxore Hebræa lib. III. cap. 22. p. 476. *Controverſia*

pridem

pridem orta est inter nos gravissima de repudiis; aliis tantum ea permitti משום דבר ערוה ob rem turpitudinis *seu* turpem *asserentibus. Sic Sammæani. Aliis* או משום ערוה אז משום דבר tam ob causam aliam qualemcumque, quam ob turpitudinem. *Sic Hilleliani. Quid igitur tu sentis? anne omnimodam ob causam* seu משום כל דבר seu בכל עללא *ob rem* seu *causam omnimodam licet uxorem repudiare?* Hanc vero disputationem inter Judæos tunc viguisse, idem antea probaverat. Approbat hæc *Hottingerus* in Diss. de usu Scriptorum Hebr. in N. T. §. 3. in Syntagmate Rhenferdiano p. 404. Verti verba Græca debent non: *juxta omnem causam;* sed: *juxta ullam causam*, adeoque vel levissimam, observante *Hackspanio* in Notis p. 122. Atque sic loquitur & *Polybius*. Lege *Raphelium* in Notis Polybian. p. 89. Τὸ κατὰ vero apud profanos Scriptores idem esse, quod *propter*, probavit sufficienter *Horat. Vitringa* in Animadvers. ad Vorstium de Hebraismis p. 222. Ceterum hoc & sequentia commata illustrantur a *Stephano Morino* in Dissertatt. VIII. p. 122. sqq. & *Gussetio* in Vesperis Groninganis p. 214. sqq.

Vers. 4. ὁ ποιήσας) i. e. ὁ κτίσας ex *Rom.* I. 25. *conditor*, secundum Colomes. Obss. Sacr. p. 98. Et sic quoque profani Scriptores loquuntur, participio pro Nomine utentes, v. c. *Heliodor.* τὴν ἐνεγκοῦσαν *patriam* vocat. Hesiodo νικήσας est *victor* &c. Lege *Hombergium* in Parergis p. 58. & *Elsnerum* p. 87. qui monet, Platonem in Timæo passim Deum vocare τὸν ποιοῦντα.

ἀπ' ἀρχῆς) voces has non ad ποιήσας, sed ad ἐποίησε referendas putat *Hombergius* l. c.

ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν) Indissolubilem conjugii nexum innuere voluit Deus, cum primam uxorem ex Adami, primi mariti, latere avulsit, & conjugio restituit. Ea enim, quæ vi aliqua a se invicem divulsa sunt, restitui in integrum amant, & redintegrata glutine quodam indissolubili adstringi consueverunt. Vide *Morinum* l. c. p. 120.

Vers. 5. καὶ εἶπεν) Impersonaliter hæc verti vult post *Heinsium* Exercitatt. Sac. p. 58. *le Cene* in Projet p. 605. ut scilicet referantur ad Adamum, qui hæc dixit.

καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν) Hebraica loquendi forma merito judicatur *Vorstio* Philolog. Sacr. Part. II. p. 211. *Martianæus* in Essay p. 115. verti vult: *erunt eadem caro, (une meme chair)* non: *una sola caro (une seule)* Provocat autem ad 1. *Cor.* VI. 15. 16. Voces οἱ δύο non exstant in contextu Hebræo. Itaque, unde desumtæ sint? quæritur. *Jo. Henr. Hävernus* in Observatt. Philologico-Criticis §. 10. recte negat, ex Targum Jonathanis, quippe quod Christi ætate inferius est, desumtas. Ex Interpretibus itaque Græcis petitas arbitratur, qui eas debeant textui Samaritano. In contextu Hebræo olim eas exstitisse, sed Judæorum fraude Sec. II. post C. N. sublatas esse, o-

pinatur

pinatur potius, quam arbitratur, *Guil. Whiſtonus* in Conatu textum Hebr. reſtituendi p. 93. & 302. *Chryſoſtomus* unam illam carnem ad ſobolem refert, quæ uniat duos conjuges. Mentem ejus illuſtrat *Rittershuſius* p. 208. Lectionum Sacrarum. Conf. *Suicerum* Tom. II. p. 935. qui *Theophylacti* & *Theodoreti*, tanquam Chryſoſtomo ὁμοψήφων, loca affert, recte vero monet, arctiſſimam tantum & indiſſolubilem conjunctionem hic inferri. Judæi hæc verba non ad maritalem conjunctionem, ſed ad illicitos concubitus, ſeu turpitudinis revelationes, interdictas ante Legem Moſaicam, referunt. Loca eorum producit *Seldenus* de Jure Naturæ & Gent. p. 562.

καὶ προσκολληθήσεται) De verbi hujus emphaſi lege *Feſſel.* Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 167.

Verſ. 7. ἐνετείλατο) i. e. *permiſit* vel *toleravit*, ut monet *Rich. Simon* in Notis ad verſ. Gall. Conf. *Hackſpan.* in Notis p. 125. & adde v. 8. ἐπέτρεψαν. Et ſane *Deuter.* XXIV. 1. nullum exſtat præceptum. Interim tamen Judæos in præcepti loco habuiſſe oſtendit *Bartoloccius* Tom. IV. Bibl. Rabb. p. 554.

βιβλίον ἀποστασίου) Hebr. גט פטורין vel גט שלוחין obſervante *Lud. Cappello* in Spicileg. Notarum. *Libellus Divortii* ita & eleganter & molliori nomine vocari videtur *Hombergio* in Parergis p. 59. ἀφίημι enim proprie & communiter *abſtinere* ſignificat, & adhibetur, ubi de abſtinentia a mulieribus ſermo eſt. Unde & dici hic poterat, Moſen non quidem divortium revera Judæis permiſiſſe, ſed poteſtatem ſolum ab illis abſtinendi dediſſe. Hæc ille. Sed videtur huic conjecturæ, alioquin ingenioſæ, obſtare, quod Judæi & Chriſti ætate, & ante eam, verba Moſis aliter intellexerint, nec Chriſtus hic, quod alias facere ſolet, pravam interpretationem exprobrarit. Et quid ſibi vult ἀπολῦσαι, ſi mera abſtinentia ab uſu conjugii hic innuatur?

Verſ. 8. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν) Τὸ πρὸς idem hic valet, quod *propter*; cujus notionis exempla etiam apud profanos exſtant. Vide *Horatii Vitringæ* animadverſiones ad *Vorſtium* p. 221. & ipſum *Vorſtium* Philolog. Sacr. p. 185. qui iſtam hujus propoſitionis notionem etiam Græcis profanis receptam fuiſſe oſtendit, itemque *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 89. Σκληροκαρδίαν illam quidam non de Judæorum pervicacia & obduratione in Deum, ſed in uxores potius, interpretantur, quaſi Judæi (ſi quando in uxores male animati) earum vitis inſidiari vellent, niſi Deus divortio locum feciſſet. Sed vide hos recte oppugnantem *Spencerum* de Legibus Hebr. ritualibus p. 784. Confer *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 199. ſqq.

Verſ. 9. εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ) Quomodo hæc in verſionibus variis reddi ſoleant, diligenter oſtendit *Seldenus* in Uxore Hebræa lib. III. c. 27. p. 550. Aliæ earum πορνείαν pro ſynonymo habent τῇ μοιχείᾳ ſeu *adulterio*, ut ſenſus

ſus ſit, *niſi propter adulterium.* Huc lege *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 127. Aliæ per *fornicationem* exprimunt, ut proinde non ſimpliciter *adulterium*, ſed aliud quid & amplius inferat. Conferatur idem *Seldenus* c. XXIII. p. 479. ſq. item de Jure Nat. & Gentium lib. VII. c. XII. fuſe huc commentantem, quem velim ipſe inſpicias.

Verſ. 10 - 12. Vide huc B. *Sebaſt. Schmidii* Colleg. Biblic. Poſterius p. 361. ſqq.

Verſ. 10. αἰτία) i. e. *conditio.* Vide *Boiſii* Collat. ad h. l. Atque ita & profanos Græcos loqui, oſtendit *Schwarzius* ad Olearium de Stylo N. T. p. 376. contra eos, qui Latiniſimum hic agnoſcunt.

τῷ ἀνθρώπῳ) i. e. *mariti*, quam notionem etiam profanos huic voci tribuere oſtendunt *Pfochenius* §. LIX. & *Vigerius* de Idiotiſmis p. 40.

Verſ. 11. Οὐ πάντες χωροῦσι) V. *Schotti* Adagial. N. T. p. 48. *Non omnes ſufficiunt huic rei*, aut *capaces ſunt ejus, quod dixi.* Ita cum *Grotio* verti vult *Elsnerus* p. 87. atque varia in hanc rem veterum loca affert. Eadem eſt ſententia *Guſſetii* in Lexico Hebr. radice יכל ubi τὸ χωρεῖν oſtendit in variis linguis reſpondere τῷ δύνασθαι. Conſentit *le Cene* in Projet p. 520. & 725. nec minus *R. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. (quæ interpretatio approbatur in epiſtola, inſerta *Memoriis Trivultinis* ed. Belgicæ 1702. Maj. p. 394.) & ante eum *Arnaldus* in verſione Gall. Montenſi, cujus idem vindicias ſuſcipit contra *Malletum* in Defenſione Nova p. 270. ſqq. cumulatis & argumentis, & veterum recentiorumque Interpretum exemplis. Ex noſtratibus huc inprimis legatur *Hackſpanius* in Notis p. 126. ſq. Sane ſi conſideretur, verba Chriſti de hoc argumento ſatis clara eſſe, ut facile intellectu capi a quovis potuerint, dubium non erit, quin de *re* accipi illa debeant, tanquam tali, quæ non ab omnibus præſtari queat.

Verſ. 12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι &c.) De triplici hoc Eunuchiſmo legatur ſingularis libellus *Theoph. Raynaudi*, qui Tom. XIV. Opp. ejus recuſus exſtat. Appellantur illi Eunuchi *nati*, *facti*, *myſtici.* Adde *Dolimani* Tractat. Gall. de Eunuchis, diverſisque eorum generibus, an. 1707. in 12. editum, de quo conferri poſſunt Acta Erudit. Lipſ. 1708. p. 307. Confer *Selden.* de Jure Nat. & Gent. p. 658. *Muret.* Var. Lect. X. 11. *Brodæum* IV. 21 Miſcell. *Wagenſeilium* ad Sota p. 315. & 583. ex Judæorum ſcriptis huc commentantem, *Urſini* Analecta Tom. II. p. 303. ſqq. *Dougtæi* Analecta N. Teſt. Exc. L. *Saldeni* Otia Theolog. III. Exerc. VI. quæ tota de Eunuchis agit. *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1255. ſqq. *Everhard. Ottonis* Diſſ. Philologico-Juridic. ad Legem: *Si ſervus* &c. Steinvord. 1710. 4. & *Vogleri* Diſſ. de rebus naturalibus p. 311. ſqq.

οἵτινες ἐυνούχισαν ἑαυτούς) Hæc verba nonnulli prave eo rapuerunt, ut ſe ipſos facultate gignendi naturali privarint. Exempla habes apud *Salde-*

num in Otiis Theolog. p. 499. ſq. ubi & veteris Eccleſiæ de his hominibus eorumque inſtituto judicia leges. A ſacerdotio eos repellendos eſſe plerique ſtatuerunt; quo lege obſervata *Juſtelli* ad Cod. Canonum p. 69. *Origenem* huc nonnulli retulerunt, de quo tamen vide, quæ paulo ante monuimus. *Photium* item inter hos numerat *Allatius* de Conſenſu Eccleſ. Or. & Occident. & *Melch. Inchoferus* in Diſſert. de Eunuchiſmo, quæ exſtat inter Symmicta *Allatii*, contrarium tuente *Spanhemio* in lib. de Johanna Papiſſa. Recentius exemplum *Ambroſius Morales* præbuit, quem hoc nomine a ſodalibus ſuis ordine motum eſſe tradit *Thuanus* ad A. 1590. Confer *Teiſſeri* Elog. Thuanea. Et ſane non habere illos, cur ſe ad hæc Chriſti verba referant, per ſe patet. Illa enim ad animum ſpectare, ejusque conſilium de corpore puro, & extra conjugii uſum ſervando, ſacrisque laboribus hoc magis ſubeundis, oſtenderunt multi. Lege inprimis *Seldenum* l. c. p. 658. *Saldenum* l. c. *Franzium* de Interpretat. Scripturæ S. p. 658. *Amelium* Part. I. p. 377. & ex veteribus Doctoribus nonnullos apud *Suicerum* Tom. I. Theſaur. p. 1259. Myſticum ejusmodi Eunuchiſmum exponit *Jurieus* Orat. V. p. 174. ubi Matri Deorum gratias agit, quod ſe jusſerit ἀποκόψασθαι, ἔτι κατὰ τὸ σῶμα, κατὰ δὲ τὰς ψυχικὰς ἀλόγους ὁρμάς, quem locum ſcite huc obſervavit *Elsnerus* p. 88. *Henr. Dodwellus* in Addit. ad Opp. Poſthuma Pearſonii p. 188. ſq. oſtendere conatur, per Eunuchiſmum hunc non tam plenam a conjugio abſtinentiam inferri, quam potius legitimum & ſobrium conjugii uſum innui. Ceterum in regno *Tonquinenſi* multos rerum adminiſtros eunuchos eſſe, quorum etiam multi, gratiam Regis aucupaturi, tales ſe reddiderint, teſtatur *Dampierius* in Itineribus ſuis Tom. III. p. 89.

διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν) Regnum cœlorum hic denotat regnum gratiæ ſeu miniſterium Evangelii ejusque prædicationem. Vide *Hackſpan.* Notas p. 129.

Verſ. 14. Ἄφετε τὰ παιδία) Vide huc *Dorſchei* Miſcellan. p. 247. ſq.

Verſ. 15. ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας) impoſitionem hanc manuum ſemper cum precibus conjunctam fuiſſe, unde nec harum mentio hic fiat, obſervat *R. Simon* in Notis ad verſ. Gallic.

Verſ. 16. διδάσκαλε ἀγαθὲ) Seniores Synagogæ Judaicæ, quorum *ſeptem* eſſe ſolebant, non ſolum זקנים ſeu *ſeniores*, ſed & טובים i. e. *boni* appellari conſueverant. Atque hinc in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 1081. colligitur, hominem hunc, captandæ benevolentiæ cauſa, Chriſtum eodem titulo ſalutaſſe, qui alias presbyteris paſtoribusque proprius erat; Chriſtum autem tacito ictu & viri appellationem & nominis illius inter Judæos abuſum culpaſſe.

Verſ. 17. Τί με λέγεις ἀγαθόν;) Hæc non *negantis* ſunt, ſed examinantis.

Jeſus

Jesus enim, exploraturus mentem Viri, scisciteatur, an, posito *solo bono Deo*, ipsum porro spectaturus sit ut bonum, & ut Magistrum bonum. Ita *Gussetius* in Confutat. *Chissuck Emuna* p. 380. ubi & ad Judæi φλυαρίας respondetur. Ceterum longe aliter hæc interpretatur, quam vulgo fieri solet, *Simon*, idque ad exemplum *Vulgatæ*, vertens: *pourquoi me demandez vous, quel bien vous devéz faire* i. e. *cur me interrogas, quid boni debeas facere?* Ac si lectum fuisset περὶ τῦ ἀγαθῦ, quemadmodum & *Origenes* apud *Millium* ait, ὡς περὶ τῦ ἀγαθῦ ἔργε ἐρωτηθέντος τῦ Σωτῆρος ἐν τῷ τί ἀγαθὸν ποιήσω; ἀνέγραψεν, τί με ἐρωτᾷς περὶ τῦ ἀγαθῦ; Sed non solicitandam esse lectionem receptam ejusque communem interpretationem, patet tum ex responso Christi: εἷς ἀγαθὸς, tum ex constanti Codicum lectione, & simili Patrum citatione. Si nova illa interpretatio locum haberet, respondendum Christo fuerat: *nemo potest bonum docere, nisi Deus.* Interim & *Armenicus* & *Copticus* Interpres eam lectionem secutus est, quod a *Millio* & *Wilkinsio* non observatum, per literas me monuit M. V. *le Croze*, harum rerum peritissimus. Conf. *Whitby* in Examine p. 30.

Οὐδεὶς ἀγαθὸς, εἰ μὴ εἷς ὁ Θεὸς) Hinc & *Judæi* quidam, & olim hæretici nonnulli αὐτοαγαθότητα & αὐτοθεότητα Christi negare se posse existimarunt. Lege contra Judæos præter *Gussetum* l. c. *Kidderum* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 146. Contra hos vero *Wagenseilium* ad *Sota* p. 176. (qui hunc ait esse sensum: *Nullus est bonus, nisi unus Deus: quod si igitur vere & perfecte bonum me esse existimas, Deum fatearis necesse est*) *Huetium* in Origenianis p. 39. & *Bullum* in Defensione Fidei Nicenæ p. 194. Adde *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tom. II. lib. II. c. 3. p. 82. sq. Patrum expositiones lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 13. Eorundem Patrum, & profanorum Scriptorum loca similia habes apud *Gatackerum* ad Antoninum p. 63. Ex recentissimis lege *Guil. Lorimerum* in Explicatione primorum 18. versuum capitis I. Johannei Anglice edita, qui p. 49. ita hæc παραφράζει: *Novi, quod me hominem nudum existimes, & tamen credas etiam, quod vere bonus homo sim, & bonitatem meam non nisi mihimet ipsi* (hæc enim erat Pharisæorum, ad quos iste quidem pertinebat, sententia) *debeam: sed quid me eo sensu bonum appellas, cum sic nemo bonus sit nisi unus, h. e. Deus?* Ubi observandum est, eum scite τὸ εἷς per comma distinguere a voce Θεὸς, quod & in nonnullis editionibus observatur. Fuerunt nonnulli veterum tum orthodoxorum, tum hæreticorum, qui verba hæc: *nisi unus Deus*, citarent, addito *Patris* nomine. Eos appellat *Grabius* in Notis ad Spicil. PP. Seculi II. p. 231. Sed genuinam esse communem illam, constans & perpetua Codicum Græc. consensio evincit. Ceterum illas proprietates bonitatis, quæ hic uni Deo tribuitur, ejusque prærogativas recenset *Vitringa* Observatt. Sacr. III. p. 77. sq. Cum phrasi ipsa conferri potest ea, quæ exstat apud *Ignatium* p. 160. Παραινεῖ τις τῶν ἀγαθῶν, μηδεὶς ἀγαθὸς λεγέσθω, κακῷ τὸ ἀγαθὸν κεραννύς.

τήρησον τὰς ἐντολὰς) Hinc non consequitur, vitam æternam per

opera quemquam lucrari posse. Vide contra Judæos *Gussetum* in Confutat. libri *Chissuck Emuna* I. 49. 12. & II. 19. 1. contra Pontificios autem *Franzium* de Interpretat. Script. Sacr. p. 550. & ipsum quoque *Erasmum* ex parte in T. IX. Opp. p. 590. E. & p. 885. F. Ipsam hanc phrasin pure Græcam esse ex *Diod. Siculi* lib. XI. p. 10. ubi τηρεῖν τὰς τῆς πόλεως νόμους dicitur, & aliorum profanorum locis contra *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 110. evincit *Vorstius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 155. & *Elsnerus* p. 88.

Vers. 18. ἃ φονεύσεις) Alio ordine præcepta hæc enumerat *Marcus* X. 19. & *Lucas* XVIII. 20. quam in rem lege *Vossii* Opera Tom. VI. p. 457.

Vers. 19. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σε ὡς σεαυτόν) Ita Trajanus ad Dionem Chrysostomum, eadem rheda vectum, dixit: φιλῶ σε ὡς ἐμαυτόν. Lege *Philostratum* de Vitis Sophistarum lib. I. 11. 7. p. 488. Verborum istorum γνησιότητα adstruit *Whitbius* in Examine p. 40. & *Rich. Simon* in Hist. Crit. de Commentatoribus N. T. p. 70. contra Origenem.

Vers. 20. πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην) φυλάττειν pure Græce dici contra *Gatackerum* l. c. probat *Elsnerus* ad h. l. p. 89. inprimis vero & diligenter Cl. *Schwarzius* in Notis ad *Olearium* de Stylo N. T. p. 113. sqq. qui contra *Pfochenium* Sect. 60. phrasin hanc ἑβραΐζειν nimis propere affirmat. Ita *Plato* lib. I. de Legib. p. 565. φυλάττειν παρέδωκε τὰς νόμους & alii. Locutio ipsa ex Pharisaico corde fluxit, & notandum hic est, monente *Vitringa*, lib. III. Observatt. Sacrar. p. 126. juvenem, ut hic proponitur, considerandum esse ceu emblema totius Judaicæ & potissimum Pharisaicæ gentis. Conf. *Luc.* XIIX. 11. Idem observaverat Erasmus ll. cc.

ἐκ νεότητός μου) i. e. *a pueritia.* Vide huc *Keuchenium*, & *Hackspan.* in Notis p. 129. Rectius omnino, quam qui vertunt a *juventute mea.* Erat enim ipse adhuc juvenis. *Simon* παραφράζει ita: inde a tempore, quo usus sum ratione: qui & monet, voces has in nonnullis Codd. Lat. & in uno Colbertino non legi.

Vers. 21. εἰ θέλεις τέλειος εἶναι) *Jensius* in Ferculo Literar. p. 27. sq. excussis variis vocis τέλειος notionibus, rem tandem & mentem Servatoris in hanc summam confert, fore scilicet eum τέλειον, si ceteris Legum Mosaicarum & officiorum in homines observationibus adjecerit bonorum suorum venditionem. Sic nempe apud Deum fore eum, quasi victimam τέλειον καὶ μὴ λελωβημένην, *non mutilatam.* Respexisse enim Servatorem eum τελειότητος modum, qui spectatus sit in hostiis. Eum itaque esse in sacris τέλειον, qui ex omni parte leges sacrorum impleat, & insuper animum gerat simplicem, sincerum & candidum. Confer omnino singularem de τελείοις Dissert. quæ exstat in Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 951. seqq. inprimis p. 977. & *Salmasium* de Fœnore Trapezitico p. 286. sqq. ubi contra

Hein-

Heinſium diſputat, exiſtimantem, vocem τέλειος in hoc & aliis nonnullis locis non perfectum, ſed integrum, i. e. *innocentem*, *ſincerum* & *minime hypocritam* indicare, cum viciſſim *Salmaſius* pro communi ſignificatu vocis, ſecundum quem *perfectum*, non omni modo ſed comparative talem, indicat, recte pugnet.

πώλησόν σε τὰ ὑπάρχοντα &c.) Paupertatem Monaſticam non invenire hic fundamentum, oſtendit *Mede* in Opp. p. 126.

καὶ δὸς πτωχοῖς) *da* ſcil. in arcam ſeu ærarium publicum pauperum. Vide huc *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 731.

θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ) De paupertate, cœlo propinqua, lege *Picinell.* in Luminibus Reflexis ad h. l. Patrum cogitata habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 1402.

Verſ. 22. λυπούμενος) Sæculi triſtitia, quæ mortem operatur 2. Cor. VII. 10. ut Origenes Tom. I. Opp. apud Huet. p. 387. b. Scilicet genuinos doctores decet diſcipulis ſubinde triſtitiæ materiam ſuppeditare. Vide *Gataker.* ad Antonin. VIII. 42. p. 311.

Verſ. 23. δυσκόλως) quod hic δύσκολον dicitur, alibi ἀδύνατον. Vide *Hackſpanium* ad h. l.

εἰσελεύσεται εἰς τ. βασιλ. τ. θ.) Huc forte reſpexit *Julianus*, impie ludens in re ſeria, quando in ep. 43. ad Ecebolum ſcribit, ſe Edeſſenis pecuniam ſurripi juſſiſſe, ἵν' εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν εὐθύτερον πορευθῶσι.

Verſ. 24. Κάμηλον διὰ τρυπήματος &c.) Varias Interpretum de horum verborum ſignificatu ſententias lege apud *Franzium* de Interpretat. p. 890. *Suicerum* Tom. II. p. 28. *Jo. Phil. Pfeiferum* in ſingulari Diſſertat. quæ exſtat Tom. II. Theſauri p. 157. ſq. *Jo. Jac. Feslerum*, *Jac. Wolfium*, *Jo. Clodium* & *Dav. Clodium* in Diſputatt. ſingularibus, *Witteb. Gryphisw.* & *Gieſ.* habitis, *Jo. Tarnovium* in Exercitatt. Biblic. p. 470. *Jo. Liem* in Schediaſm. de genuina & propria ſignificatione vocis κάμηλος, *Hafn.* & *Aug. Tittelium* in Miſcellan. Lipſienſibus Tom. V. p. 185. Alii ſcilicet de *camelo* intelligunt, & nihil in ſcriptione vocis mutant. Inter hos ſunt plerique omnes, inprimis autem noſtrates. Lege poſt *Franzium* l. c. *Val. Ern. Læſcheri* Decimas Evangel. T. I. p. 504. *Ægid. Strauchium* in Poſtilla Evangel. p. 1129. *Jo. Eric. Oſtermannum* in Poſition. Philolog. Diſſ. I. §. 15. *Jo. Olearium* de Stylo N. T. p. 116. ſq. *Trillerum* in der Unterſuchung etlicher Oerter N. T. p. 14. & noviſſime *Wolfburg.* in Obſervatt. Sacris p. 306. Ex Reformatis autem *Alex. Morum* in Notis ad h. l. *Suicerum* Tom. II. p. 29. *Jo. Vorſtium* de Adagiis N. T. c. III. *Leusden.* in Philolog. Hebr. mixto p. 123. item *Paul. Colomeſium* p. 125. ad h. l. De Syriaca & Neo-Græca verſionibus & Alcorano, camelum hic inferentibus, lege Auctores des Heb. Opfers XII. Beytrag p. 117.

Alii pro κάμηλον legi malunt κάμιλον, quæ vox denotat rudentem ſeu

funem nauticum crassum, tanquam qui rectius quadret ad acum, & impossibilitatem seu difficultatem, de qua hic Christus, magis convenienter exprimat. Veteres hujus sententiæ patronos, quorum primus censetur Theophylactus, lege apud *Schottum* in Adagial. N. T. p. 49. Ex recentioribus huc pertinet *Huetius* ad Origenem p. 69. *Drusius*, (qui mavult legere κάβιλος,) in Præterit. p. 45. Observatt. Sacr. lib. I. c. 11. & in Proverbiis, & ex nostratibus *Henr. Mullerum* in Catena Evangelica p. 663.

Alii de porta quadam Hierosolymitana, quæ ob angustiam acus dicta sit, interpretantur, exposi a *Caninio* in de Locis Hebr. N. T. Alii, & nominatim *le Moyne* ad Varia Sacra de *soloce*, h. e. villo seu pilo cameli explicat, quippe qui crassior sit & latior, quam ut per foramen acus adigi facile possit. Vide eum p. 878. ad Varia Sacra. Denique *Tittelius* ante laudatus, in recepta lectione acquiescens, & Synecdochen speciei pro genere locum hic habere censens, existimat, foramen acus pro quovis angustissimo transitu, camelum autem pro vasto & onusto quovis corpore poni. Non dubitem ego stare ab illorum partibus, qui vocem κάμηλον cum Codd. tantum non omnibus (duos enim tantum affert *Millius* per κάμηλον scribentes, quod in tam facili literarum η & ι permutatione mireris) tuentur, & de camelo accipiunt, cum hoc proverbii genus inter Hebræos frequentissimum sit, ceu post *Bochartum* in Hierozoico Part. I. lib. II. c. 5. evicit *Vorstius* l. c. præterea vero impossibilitas rei seu difficultas aptius per negatum cameli transitum per foramen acus, quam rudentis per eundem, exprimi videatur. Dives quomodo cum camelo comparari possit, ostendit *Ursinus* Analect. T. II. p. 343. sq. De ratione impossibilitatis illius lege *Pfeiferum* in Disput. citata, & *Saubertum* in Palæstra p. 208. unde patebit, ingentem tantum difficultatem hoc loquendi modo inferri. Adde *le Cene* in Projet p. 502.

Vers. 26. παρὰ ἀνθρώποις) i. e. τοῖς ἀνθρώποις, *hominibus*. Eadem loquendi ratione utuntur Latini Scriptores, ut *invisus apud incolas*, pro *invisus incolis*. Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 187.

πάντα δύνατά ἐστι) Similem *Philonis* locum ex lib. I. de Vita Mosis habes huc apud Hombergium in Parergis p. 60. Vide etiam *Schotti* Adagial. N. T. p. 49.

Vers. 27. ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα) ita agere quoque solebant libere philosophaturi. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 89. & *Gataker.* ad Antonin. III. 10. Sic ex Gymnosophistis Nilus apud Philostr. VI. 16. de Vita Apollonii, τὰ μὲν πατρῶα τοῖς βουλομένοις ἀφῆκα, γυμνὸς δὲ γυμνοῖς ἐπεφοίτησα τοῦτοις. Divitiæ Petri *Theocriti* verbis ex Idyll. XXI. describi possent, quibus allatis Cl. *Trillerus* in Notis MSS. cum Patribus nonnullis monet, paulo jactantius ista quidem a Petro dicta esse.

Vers. 28. Vide huc *Tarnovii* Exerc. Biblic. p. 476. & D. *Mich. Fœrtschii* Disp. de Judiciis Sanctorum super mundum, Jen. 1721. 4.

οἱ ἀκολουθήσαντές μοι) Verbum ἀκολουθεῖν hic indicat *imitari* alius facta, quem-

quemadmodum *Suidas* vocem hanc explicat per ὁμοίως διαπράξασθαι. Itaque illi hic designantur, qui non tantum sua reliquerunt Christum sequentes, sed & inprimis affectu suo & actionibus respondeant illis, quæ Christus nostra causa ex amore exantlavit. Vide *Olearium* ad h. l. p. 537.

ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ) Per *renascentiam*, vel *novam generationem* aut *instaurationem* verti vult *Hombergius* in Parergis p. 61. Cujus vocis genuinus sensus, qui aliis alius est, multum pendet ex eo, quo potissimum debeat referri, utrum scilicet cum antecedente phrasi οἱ ἀκολουθήσαντές μοι arctissime cohæreat, ut modus Christum sequendi indicetur, an vero ad sequentia potius respiciat, adeoque tempus præmii retribuendi definiat. Priores partes tuentur & editiones & Interpretes nonnulli, qui ideo παλιγγενεσίαν de *regeneratione*, quæ fit in hac vita per gratiam, interpretantur. Ita statuentes affert *Olearius* l. c. p. 539. Adde illis ex recentissimis *Herm. Alex. Roellium* in Comment. in principium Epist. ad Ephes. p. 48. ubi tamen novo modo παλιγγενεσίαν de mundi innovatione accipit, quæ acciderit post Christi glorificationem, quando non tantum reformatio facta in doctrina & moribus inter Judæos & gentes, sed & nova plane mundi facies & χῆμα introductum sit, 2. Cor. V. 17. idque per destructionem & conflagrationem templi, & urbis Hierosol. totiusque Reip. Judaicæ. Huc videtur ex parte quoque pendere *Lampius* in Exercitatt. ad Ps. XLV. p. 570. Idem approbat *Pet. Zornius* in Opusculis Sacris p. 439. sqq. Altera illa Interpretum classis, qui τὴν παλιγγενεσίαν ad sequentia referentes ὅταν καθίσῃ &c. vocem hanc de Resurrectione, vel omnium rerum innovatione, consummato seculo, futura, interpretantur. Atque ita statuunt ex Anglis *Jos. Mede* in Opp. p. 85. *Th. Burnetus*, qui etiam Stoicos & Platonicos, voce eadem isto sensu utentes, advocat in Theoria Telluris IV. 5. & Archæologia II. 2. *Jac. Windetus* de Vita functorum statu Sect. III. in Opusc. Philolog. Fascic. IV. p. 29. ex Gallis *Martianæus* in Essay p. 117. qui ibidem *Cameronis*, de regno gratiæ accipientis, opinionem confutat: ex nostratibus denique inprimis B. *Olearius* in Obss. Sacr. l. c. & *Th. Eccardus* in Technic. Sacr. p. 250. nec non Auctores Actorum Erud. Lips. 1715. p. 196.

Speciatim hanc παλιγγενεσίαν de illo tempore accipit *Hombergius* in Parergis Sacris p. 61. quo Christus, & Apostoli cum ipso judicaturi sint duodecim tribus Israël. Ita enim Christum ipsum, ait, vocem hanc interpretari, statim addendo: ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ. Id vero fieri non omni tempore, quo vitæ cœlestis novaque beatitate fruituri sint Apostoli. In eandem sententiam verba hæc jam ante accepit *Jac. Cappellus* in Observatt. p. 39. ita παραφράζων: *fideles omnes in resurrectione corporum judicabitis Judæos & alios omnes incredulos.* Et non exiguam speciem habet hæc interpretatio. Sed, ut tamen παλιγγενεσίας notionem & tempus ad omnem istum rerum renovatarum meliorisque vitæ ambitum referamus, verba Christi requirere videntur, apud *Lucam* XXII. 30. ad quem locum plura vide dicenda inpo-

inposterum. Ibi enim ad Apostolos ait: καθίσησθε ἐπὶ θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τῆ Ἰσραὴλ, & præmittit: ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μῆ ἐν τῆ βασιλείᾳ μῆ. Quibus verbis sane suis æternum vitæ cœlestis usum pollicetur, quam simul describit ab initio ejus, nempe judicio in ceteros exercendo. Itaque & h. l. recte putabimus per παλιγγενεσίαν inferri resurrectionem, & cum ea proxime conjunctam judicandi incredulos potestatem, sed ita ut consecutura æternum præmia non excludantur. Παλιγγενεσίαν de Resurrectione usurpare *Eusebium* Hist. Eccles. V. 1. observavit *Raphelius* in Semicentur. Annott. Philolog. p. 4. Conf. alia Patrum loca apud *Gatackerum* in Adversar. Posthum. c. XXXIII. & ad *Antonin.* XI. 1. p. 385. & *Suicerum* Thes. T. II. p. 553. quos attulit *Theod. Hasæus* in Bibl. Bremens. Cl. II. p. 239. ubi & p. 241. promittit, se alibi B. *Olearii* sententiam excussurum. Videtur itaque is παλιγγενεσίαν de Oeconomia Novi Fœderis, quo Clementis Alex. locum ibi affert, accipere. Equidem de resurrectione verba Christi accipere malim, quam cum *Episcopio* Tom. I. Opp. Part. II. p. 69. dicere, Christum se se hic accommodasse rudi discipulorum affectui & opinioni, qui communi cum Judæis errore terrestre Messiæ regnum exspectarint, ejusque se participes fieri optaverint.

Vers. 28. ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ) Vide huc *Petavium* Tom. II. Dogmat. Theolog. p. 200.

ἐπὶ θρόνυ δόξης) Throni gloriæ seu כסא כבוד passim meminerunt Hebræi, ubi de Deo sermo est. Vide *Wagenseilium* ad Sota p. 417.

κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς) De summa Apostolorum gloria hæc interpretantur Patres, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 1409. Nonnulli eorum τὸ κρίνειν hic pro κατακρίνειν i. e. *condemnare* accipiunt, quos appellatos vide ab eodem Tom. II. p. 159.

Vers. 29. πᾶς ὃς ἀφῆκεν) Pertinere hanc promissionem ad fideles quosvis, sicut prior illa ad solos Apostolos, statuit *Hombergius* p. 61.

ἀφῆκεν οἰκίας ἢ ἀδελφὰς) Etiam Philosophum oportere ait *Epictetus* ἀπελθεῖν ἀπὸ τῶν οἰκείων *discedere a domesticis* lib. III. c. 15. notante *Raphelio* Annot. Polybian. p. 90.

Vers. 30. Πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι) Primos hic esse, qui tempore aut dignitate antecedant, & contra novissimos, qui ultimi, statuit *Schottus* in Adagial. p. 50. Idem existimat, verba hæc instar lemmatis esse ad proximum caput. Conf. Biblioth. Bremens. Class. V. p. 704.

CAP. XX.

VErs. 1. sqq. Diversas parabolæ hujus expositiones, in antiquitate obvias, proponit *Dionys. Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. I. lib. VII. c. 11. p. 305. sqq. ipse vero ita statuit, in ejus explicatione non omnia curiose

curioſe ſcrutanda, ornatus quippe cauſa adjecta, cum hoc unum tantum docere voluerit Chriſtus, modum æternæ ſalutis adipiſcendæ gratuita Dei voluntate adminiſtrari. Conferatur idem p. 395. Quam varie hic labi ſoleant Poſtillatores, oſtendit B. *Caſp. Læſcherus* in Scylla & Charybdi §. XIV. ſqq qui exiſtimat, de miniſtris Eccleſiæ hic inprimis ſermonem eſſe, & per denarium functionem muneris Eccleſiaſt. intelligendam. Scopum parabolæ hujus proxime ſpectare miniſtros Verbi divini, qui cavere jubeantur, ne labori ſuo nimium tribuant, oſtendit *Franzius* de Interpretat. Scriptur. S. Oraculo XXXVI. p. 401. ſqq. Verba ejus inter cetera hæc ſunt: Notetur, in hac parabola operarios non ἐξ ἀνάγκης denotare unumquemvis Chriſtianum, ad Eccleſiæ gremium vocatum & converſum, ſed inprimis agi de miniſtris & ſervis Eccleſiæ. Unusquisque enim Chriſtianus commodius denotatur hic per *vitem*, quam ſervus Apoſtolus & miniſter Verbi excolere, præſcindere, ſimo pinguefacere & aliis modis tractare debet. Conf. B. *Dorſchei* Diſputat. de ſcopo hujus parabolæ an. 1657. Roſtochii habitam & *Danhaueri* Denckmahl p. 165. nec non *Joh. Wilh. Peterſenii* Schediaſma vernaculum de Myſterio operariorum in vinea, de quo confer Famam Diſputatt. Tom. III. p. 175. ſqq. Nec negari omnino poteſt, ſi huc omnia referantur, ut commode poſſunt, varias exſpirare difficultates, inprimis, quæ circa denarium moveri ſolent. Eandem hanc interpretationem amplexus ex Reformatis non ita pridem eſt *Jo. Henr. Schramnius*, Profeſſ. Theol. Marpurg. ſingulari Diſſertat. an. 1722. habita, in qua totam parabolam refert ad Vocationem Miniſtrorum Evangelii ad opus Domini in Eccleſia N. T. ita ut per *Dominum*, Deus pater, per ἐπίτροπον, *Jeſus Chriſtus*, per ἐργάτας Doctores Eccleſiæ, per horas autem certæ periodi N. T. quas Deus in conducendis Miniſtris N. T. obſervaverit, innuantur. Vide cetera, quæ huc pertinent, atque adeo totam Diſſertationis ſummam in Biblioth. Bremen. Claſſ. V. p. 688. ſqq. Cum hoc ex parte conſentit, in nonnullis vero ab eodem recedit *Theod. Haſæus* ibidem p. 692. ſqq. quo judice deſcribitur hic vocatio ad communionem regni Chriſti externam, factam diverſis temporibus circa diverſas gentes, Judæos præſertim & Gentiles, cum indicio diverſæ mercedis, qua utrique mactabantur. Utriusque cogitata l. c. legi & expendi velim, cum mihi quidem hic prolixiori eſſe non liceat. Alia lege in dem Heb-Opfer Tom. II. p. 81. & 93. ſqq. ubi Anonymus parabolam hanc ad vocationem Judæorum & Gentilium pertinere putat. Vide tamen, quæ admonentur ibidem Tom. IV. p. 173. ſqq. Atque harum animadverſionum Auctor ibidem p. 186. ſeq. arbitratur, in parabola hac per primum vocatos illos indicari, qui ſpe præmii & vitæ æternæ operibus bonis ſtudeant; per ceteros vero, ſeu poſteriore loco vocatos, eos indicari, qui ſola Dei gratia nitantur. Adde *Trilleri* Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments p. 205. ſqq. comparatis obſervatis *Jo. Ehrenfriedi Pfeiferi* in Diſſertat. ſingulari illi oppoſita p. 50. ſq. Nec omittendus Tractatus ſingularis

vernaculus *Jo. Jerem. Hederichii, Witteb.* 1718. 4. Explicationem paradoxam habes apud Auctorem Quæstionum de Revolut. animarum Qu. 60.

Vers. 1. ἐξῆλθεν ἅμα πρωΐ &c.) Quæ ex veterum moribus ad hæc rectius percipienda faciunt, edisserunt *Cornel. Adami* in Observatt. p. 146. v. c. quod, qui operarios conducere solebant, ii id & mane, & pacta prius certa mercede, facere consueverint.

ἅμα πρωΐ) ita sæpe οἱ LXX. *Xenophon* habet ἅμα τῇ ἡμέρᾳ: vide *Raphel.* p. 45. Not. Xenophont.

εἰς τὸν ἀμπελῶνα) ἀμπελὼν non vineam solum, sed & locum, vitibus consitum, denotat, ut ostendit *Keuchenius* ad h. l.

Vers. 2. τὴν ἡμέραν) i. e. εἰς τὴν ἡμέραν, ut supplet *Polybius* εἰς τὸν μῆνα lib. VI. c. 37. Vide *Raphelium* p. 90. *In singulos dies* verti vult post *Erasmum* Hombergius in Parergis p. 62. sed vide, quæ contra habent *Erasmus Schmidius* & ante eum *Beza* ad h. l.

Vers. 3. περὶ τὴν τρίτην ὥραν) Horam hanc & sequentes de horis mundi sive ætatibus, itemque de vitæ humanæ horis minus recte accipi, monet B. *Casp. Læscherus* in Diss. de Scylla & Charybdi. Nuper tamen *Jac. Bernardus* in libro de pœnitentia sera, qui inde a p. 244. sq. vers. German. parabolam hanc persequitur, p. 278. sq. horas istas de diversis mundi ætatibus, vocatos autem de diversis populis, accepit, quam sententiam etiam *Hasæi* esse ex dictis patet. Ceterum de distributione diei Judaica in quatuor quadrantes lege *le Cene* in Projet p. 282. *Georg. Eliez. Edzardum* ad Berachoth, cap. I. p. 255. sq. & *Relandum* in Antiquitatt. Hebr. p. 408. ubi & monet, Linguæ Græcæ genium pati, ut spatium ejusmodi ὥρα dicatur, quemadmodum Græci quadrantes anni ὥρας vocent. Quam in rem adde, quæ scripsi in Notis ad Tom. IV. Anecdot. Græc. p. 102.

Vers. 4. ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον) i. e. *quod justum est æquumque fuerit:* Vide *Suicerum* Tom. I. p. 909.

Vers. 7. καὶ ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον λήψεσθε) Omittit hæc *Richard. Simon* in vers. Gall. eo quod non leguntur in Cod. Cantabr. Deesse & in versionibus nonnullis antiquis, observat *Millius.* Sed genuina hæc esse consensus Codicum ceterorum evincit, & præterea mos ille de mercede paciscendi, de quo supra.

Vers. 8. Ὀψίας δὲ γενομένης) quid per ὀψὲ inferatur, lege apud *Cappellum* in Opp. p. 248. sq.

τῷ ἐπιτρόπῳ) ἐπίτροπος est *dispensator, procurator.* Erant autem ex servorum

rum genere plerumque, qui pecunias & rationes Dominorum curabant, monente hic *Elsnero* p. 91.

ἀπόδος τὸν μισθὸν) ita Græci: v. *Homberg.* p. 62. & *Elsner.* p. 91.

Verſ. 12. Vide huc ex antiquitate *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 147. ubi oſtendit, Judæos operariis mox poſt peractum opus diurnam mercedem repræſentare conſueviſſe, ſervisque nonnullis per totum diem fuiſſe laborandum.

ἐποίησαν) *fecerunt*, ſcilicet opus, quod *Boiſius* in Collat. dici putat per Hebraiſmum ex Ruth. II. 19. quod & putavit *Beza*, qui ἔργον ſubintelligi voluit. Et recte quidem eam vocem ſubintelligi, ſed ex Græca quoque loquendi ratione, obſervat *Hombergius* p. 63. Conf. & *Schætgen.* ad *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 69. Alii cum *Stephano* & *Caſaubono* τὸ ποιεῖν idem hic eſſe volunt, quod *commorari*, contra quos recte diſputat *Vorſtius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 128. qui in priore interpretatione ita acquieſcit, ut Hebraiſmum in hac phraſi exſtare exiſtimet.

ἴσας ἐποίησας) i. e. ἰσομοίρους, pares in accipienda mercede. Ita Xenophon Cyropæd. II. p. 39. Confer Raphel. p. 45.

Verſ. 15. ἐν τοῖς ἐμοῖς) *in meis*, ſcilicet rebus, quia de domino ſermo eſt, de rebus ſuis libere diſponendi jus habente. Sic infra ἐν τοῖς τελείοις & ἐν τοῖς ὑψίστοις. Vide *Homberg.* p. 63. Millius eas voces pro ſcholio habet, quia in Vulg. deſunt: Sed vide *Whitbium* in Examine p. 40.

πονηρὸς) *invidiam* notat cum triſtitia conjunctam, obſervante *Keuchenio* ad h. l. Vel etiam *avaritiam*, quemadmodum Hebræi עין טוב *oculum bonum* & עין רע *oculum malum* eodem ſenſu hinc *liberalitatis*, hinc *avaritiæ* ſibi invicem opponunt. Vide Proverb. XXII. 9. & XXIII. 6. Confer *Wagenſeilium* ad Sota p. 810. Atque hinc *Guſſetus* in Lexico Hebr. p. 599. ita hæc παραφράζει: *an mea liberalitas te liberalitati contrarium efficit?* Adde idem ſentientem *le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 627. qui conferri vult Matth. VI. 23. Malim tamen perſiſtere in priore ſignificatu. Neque enim conſervus hic quidquam dabat aut dare poterat, ſed alteri, qui a dante accipiebat, invidebat. Atque hæc invidia oculos quaſi obſcurat & deturpat, contra vero liberalitas clariores, amœniores & ſuaviores reddit. Recte B. *Lutherus* vertit: ſcheel, de qua voce lege *Stadenii* obſervationes de vocibus Bibliorum German. p. 131.

Verſ. 16. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ) Vid. *Seb. Schmidii* Colleg. Biblic. Poſterius p. 225. ſq. B. *Franzius* de Interpretat. p. 404. ubi hæc verba accuratius examinat, ex hypotheſi ante memorata, quod parabola hæc non ad Chriſtianos quoscunque eorumque vocationem, ſed ad vocationem Miniſtrorum verbi pertineat, præſens comma obvie admodum & luculente ita

interpretatur, quod Christus Petrum ad vocationis suæ scopum, & ad summam in ea diligentiam adhibendam revocet, quasi diceret: *Petre, qui inter primos es vocatus, si omnem in vocatione tua diligentiam adhibueris, præmium promissum reportabis, sin vero de diligentia remiseris, & tam avare regni terreni axiomata sectatus fueris, alii, posteriore loco vocati, & majoribus laboribus diligentiaque defuncti tibi longe & large præferentur.* Non multum abiit, quod ad summam rei attinet, B. *Olearius* in Observ. ad h. l. p. 543. sqq. qui itidem ad discipulos hæc inprimis pertinere censet, atque inter cetera recte monet, κλητὸς & ἐκλεκτὸς hic non tanquam specie sibi oppositos considerandos esse, sed tanquam oppositos gradu dignitatis atque felicitatis. Τὸ ἐκλεκτὸν enim sæpe denotat id, quod in suo genere eximium est, ut 2. *Joh.* I. 14. & 1. *Pet.* II. 4. Itaque sensus, ipso judice, hic nascetur, multos quidem bonorum gloriæ participes fore, neque tamen ita coarctandam esse divinam liberalitatem, ut secundum hominum judicia præmia distribuat, quæ in eximiis quosdam, sine ullo tamen cujusvis vel præjudicio vel damno, sit censitura. Confer *Clerici* Observ. ad Hammondum, qui similiter huc tendit, atque ita verba Christi accipit, inter multos, qui idem aggrediuntur, paucos esse eximios & dignos, qui ceteris præferantur. Ex his patet, non habere Reformatos, cur hæc ad Electionem vel Prædestinationem trahant, quod fusius l. c. ostendit *Olearius*. Contra eosdem est ab aliis observatum, τὸ *multos* hic significare *omnes*, v. c. a *Glassio* in Philolog. Sacra p. 1910. a quo abit B. *Quenstedius* in System. Theolog. Part. III. c. 5. quo judice vocula *multi* ab universali & particulari abstrahit, & formaliter infert multitudinem ex materia substrata discernendam. Quam sententiam confirmat Cl. *Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib. I. p. 19. sqq. qui præterea existimat, τὸ *multos* & *paucos* in hac propositione non subjecti, sed prædicati vicem tueri, ut idem sit ac si dicas: *vocati sunt multi*, sensus vero iste: *in tanta multitudine vocatorum perpauci sunt electi.* Huberi & aliorum ψευδερμηνείας hic occurrit *Hackspanius* in Not. p. 130.

De adagio hoc: ὅτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι &c. lege *Schotti* Adagial. Nov. Test. p. 51.

Vers. 17. sqq. Vide huc *Vossium* Tom. VI. Opp. p. 105. sq.

ἀναβαίνομεν) Græci de primariis quarumlibet regionum urbibus ita loqui solent, quasi altiori loco sitæ sint, unde, qui eo proficiscerentur, adscendere dicuntur. Id probat post *Er. Schmidium* Raphelius in Notis Polybian. p. 90.

παρέλαβε μαθητὰς κατ' ἰδίαν) Ita & *Polybius* loqui amat: Lege *Raphelium* l. c.

Vers. 20. & sequentes illustravit *Jo. Conr. Dannhauerus* vel potius *Elias Veielius* in Disput. de errore Apostolorum circa regnum Messiæ mundanum, *Argent.* 1664. Vide & J. C. *Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 63.

Vers. 21. οὗτος ἐκ δεξιῶν σου καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων) Phrasin hanc illustratam vide

de a *Vitringa* Obſervatt. Sacrar. lib. II. p. 63. qui in univerſum obſervat, ſedere ad dextram & ſiniſtram imperantis eſſe, una cum imperante imperare, & ipſius in regno comitem eſſe & ſocium. Addit idem, reſpici videri hac formula loquendi ad modum conſeſſus in Synedrio LXXI virali, in cujus medio conſederit נשיא Princeps, ad dextram vero Principis אב בית דין ſeu *pater domus judicii*, ad ſiniſtram חכם ſeu ſapientiſſimus, κατ' ἐξοχήν ita appellatus. Has vero perſonas honoratiſſimas in hoc Senatu fuiſſe, idem oſtendit. Pagani ſimili phraſi utuntur. Sic v. c. *Callimachus* in Apoll. v. 29. de Apolline ait ἐπεὶ Διὶ δέξιος ἦεν. Conf. ibi *Spanhemii* Notas p. 62. Ceterum τὸ εἷς-εἷς pro ὁ μὲν, ὁ δὲ, quod Græci dicerent, Hebraiſmi ſpeciem referre, oſtendit *Vorſtius* Philolog. S. Part. I. p. 40. Petitionem ipſam de principatu in regno Chriſti terreno, quod ſomniabant, accipiendam eſſe Interpretes recte contendunt, quos non video ſatis ſolide confutatos a Salmaſio, qui de cœleſti intelligit, in Reſponſione ad Miltonum p. 280.

Verſ. 22. ἐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε) Contrarias ſibi & inconſtantes preces abſurdaque vota hominum falſe exagitat *Lucianus* in *Icaromenippo* & *Navigio* ſive *Votis*, quod obſervat huc Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

πιεῖν τὸ ποτήριον) Crucis portio cuique aſſignata hic confertur cum poculo, ſicut & alias in V. T. ut *Pſ.* XI. 6. *Jer.* XXV. 25. &c. Quod quidem nonnulli fieri arbitrati ſunt, habito reſpectu ad illum veterum morem, quo magiſter quidam convivii conſtituebatur, qui convivis potus rationem & menſuram præſcriberet, cujus nutui obſequi omnes, etiam invitos, oportebat. Cum hoc ajunt comparari Deum, certam cuique calamitatum portionem ſuſtinendam deſignantem. Vide huc inprimis *Bulengerum* de Conviviis vett. lib. I. c. 40. *Dougtæum* Part. II. Analect. p. 58. & alios plures ab *Amelio*, qui & ipſe cum his conſentit, Part. II. p. 870. citatos. Accedit illis *le Cene* in Projet p. 276. De phraſi: *calicem bibere*, lege & *Schotti* Adagial. N. T. p. 51. & *Suicerum* Tom. II. p. 813. Sunt, qui putent, hæc Chriſti verba occaſionem dediſſe narrationi de Johannis poculo venenato, quam ſcilicet illi præter rationem pro commentitia habent. Vide Cl. *J. A. Fabricium* ad Codicem Apocr. N. T. p. 576. & in Addendis p. 984.

καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι, βαπτισθῆναι) Hæc, quoniam in MSS. nonnullis deſunt, pro infartis ex Marco habent *Millius*, *Grabius*, ad Irenæum, & *Richard. Simon* in Obſervatt. Novis p. 494. unde & in ejus verſione Gallica fruſtra quæſiveris. Sed vide *Whitby* in Examine p. 40. & *Raithium* in Vindiciis verſionis Lutheri p. 350. Voce βάπτισμα baptiſma *martyrii* & ſanguinis h. l. denotari per ſe patet, quo vide Patrum loca apud *Suicerum* Tom. I. p. 628. Verbum vero βαπτίζειν ex eo, quod *mergere* ſignificat, etiam pro *adfligere* uſurpatur, quia qui adfliguntur, calamitatum quaſi gurgite merguntur & abſorbentur. Ita *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 255. *Tatii* & *Plutarchi*, verbum βαπτίζειν hac notione uſurpantium, loca habes apud *Joſ.*

Arndium in Miſcellan. p. 67. & *Jo. Henr. von Seelen* in Annotatt. Philolog. ad N. T. ex Plutarcho p. 8. Vide etiam *Sauberti* Palæſtram p. 198. De baptiſmo Spiritus S. h. l. accipi poſſe contendit *Sebaſt. Schmidius* in Faſciculo Diſputatt. p. 383. ſq.

Verſ. 23. καὶ τὸ βάπτισμα, ὃ ἐ. β. β.) Vide quæ de his verbis, in nonnullis exemplaribus deſideratis, paulo ante diximus.

ἐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι) B. *Lutheri* verſionem defendit adverſus Emſerum *Raithius* p. 351. Vindiciarum. Senſus videtur eſſe: *non eſt meum dare*, ſcilicet: *vobis*. Apoſtolis enim, qui Chriſto in tentationibus comites futuri erant, deſtinatum erat regnum, non aliis, quod patet ex v. 28. & 29. c. XX. Sic ſæpe alias pronomen, perſonam vel rem, de qua ſermo eſt, denotans, omittitur, ut *Joh.* I. 18. *Matth.* VIII. 18. & alibi. Vide *Hombergium* p. 64. qui inprimis quoque urget locum parallelum *Marci* X. 37. ubi filii Zebedæi dicunt: δὸς ὑμῖν. Reſpondet præterea ad exceptionem *Bezæ*, pronomen ὑμῖν ſubintelligendum hic eſſe negantis, ideo, quod & filii Zebedæi fuerint ex numero diſcipulorum, quibus regnum erat deſtinatum a Patre. Ad hanc, inquam, exceptionem reſpondet, Chriſtum hic ipſis non adimere regnum, ſed τὸ *ſedere ad dextram ſuam & ſiniſtram*, i. e. præeminentiam quandam & prærogativam, quam illi ſibi expetierint. Eodem modo interpretatur quoque *Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 148. ſq. qui ſimul Judæorum tricis ex h. l. petitis reſpondet, quod & facit *Guſſetus* in Confutat. τῦ *Chiſſuck Emuna* p. 381. Sed hic poſterior ſupplemento quodam opus eſſe non cenſet, modo τὸ ἀλλὰ ſumatur pro *niſi*, quaſi dixerit Chriſtus: non convenit mihi filio, mihi conſiliorum participi, hoc dare niſi uno cum Patre concentu: & ſic agere decrevi. Ita enim recte monet, non adimere ſibi potentiam, ſed tantum potentiæ ſuæ uſum decreto conformare. Illum ſignificatum τῦ ἀλλὰ urget etiam ex noſtratibus *Hackſpanius* in Notis Philolog. p. 136. qui præterea recte monet, non inſtitui hic comparationem inter Chriſtum & Patrem, quaſi Patris ſit dare, non autem Chriſti; ſed potius inter perſonas ſive ſubjecta diſpoſita & non diſpoſita, quibus danda ſit illa ſeſſio, vel minus. In eandem ſententiam lege *Gataekeri* Cinnum lib. I. cap. 3. qui τὸ ἀλλὰ hic idem eſſe oſtendit, quod ἀλλ' ἢ, vel ἐι μὴ, vel πλήν. Confer Patrum ſimilia cogitata apud *Petavium* Tom. I. Dogmat. p. 352. & Tom. VI. p. 150. ubi Chryſoſtomum affert, id Chriſtum hic indicare cenſentem, quod non ſuum ſit, tantummodo dare, ſed & certantium ſit, capere. Atque ita quoque alii Patres, de quibus lege R. *Simon.* lib. III. Hiſt. Crit. p. 308. Confer *Keuchenium* de hac notione τῦ ἀλλὰ, cui phraſis ἐκ ἐμόν ἐστι inferre videtur: *nec decere, nec licitum eſſe, nec poſſibile, ut hoc fiat.*

Verſ. 24. ἠγανάκτησαν) De æmulatione invida ad h. l. diſſerit *Picinell.*, in Luminibus Reflexis.

Verſ.

Vers. 25. ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν) i. e. principes gentilium; vide *Keuchen.* Confer B. *Raithii* Vindicias versionis Lutheri contra Emserum & alios p. 352.

κατακυριεύσιν αὐτῶν) Non imperium omne hoc verbo tolli, sed ejus abusum, violentiam item & superbiam reprehendi contendunt Pontificii tantum non omnes, urgentes inprimis particulam κατά. Sed alii rectius observarunt, compositum illud idem hic esse, quod simplex κυριεύειν, quo in loco parallelo utitur *Luc.* XXII. 25. Confer in hanc sententiam *Hackspanii* Notas p. 140. sqq. qui novem argumenta affert, quibus id invicte adstruitur. Hinc & ex recentioribus Romani cœtus assecla *Rich. Simon* in not. ad vers. Gall. in easdem partes discedit. Addemus his Grotii verba ex libro ejus de Imperio Summarum Potestatum circa Sacra, Tom. III. Opp. p. 219. Vetantur, inquit is, a Christo Apostoli, ab Apostolo Presbyteri sive Pastores κατακυριεύειν τῶν κλήρων 1. Pet. V. 3. neque tantum κατακυριεύειν, *dominari*, quod Regibus tribuitur Luc. XXII. 23. sed & κατεξουσιάζειν, *potestatem exercere*, quod distinctum ab altero tribuitur τοῖς μεγάλοις, magnis, *Matth.* XX. 25. *Marc.* I. 42. Μεγάλων ergo nomine Principes intelligendi, quales fuerunt Ethnarchæ Judæorum, quos ἐυεργέτας dictos videre est apud Josephum (Antiq. Judaic. XIII. 2.) unde lux dicto apud Lucam οἱ ἐξουσιάζοντες ἐυεργέται καλῶνται. Si ergo quale summarum, & quale inferiorum potestatum jus est, adimitur Pastoribus, sequitur, illis omne imperium adimi.

Vers. 26. οὐχ οὕτως δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν) Mireris merito, glossam *Didaci Stellæ* ita expressam: *Sed multo magis dominabimini.* Lege de ea B. *Mayerum* de Electione Pontificis Romani p. 231.

ὃς ἐὰν θέλῃ γενέσθαι) Verbum θέλῃ hic abundat, si credimus *Gatackero* in Cinno p. 43. qui comma 25 & 26. ibi fusius interpretatur.

Vers. 28. Vide *Seb. Schmidii* Colleg. Biblic. Posterius p. 60. sqq.

οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι) *non venit, ut serviatur:* ita *Seneca* de Tranquillit. animi c. 9. Similem phrasin habes apud *Xenophontem*, ceu monet *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 46. Auctor Judæus τὰ *Chissuck Emuna* verbis hic ad impietatem suam abutitur, cui occurrit Gussetus in Confutat. libri virulentissimi p. 7. 262. 382. & 422.

ἀντὶ πολλῶν) *pro multis*, i. e. pro tota hominum multitudine, ut exponunt, quod mireris, Tigurini ad h. l. Conf. *Rich. Simon.* de Commentatorib. N. T. p. 271. Ad hunc locum respicientes Patres Christum ajunt corpus suum ἀντίψυχον in mortem tradidisse. Vide loca eorum apud *Suicerum* T. I. p. 393. & in notis *Pearsonii* ad Ignatii epistolas p. 19. Eorundem Patrum loca, Christum pro omnibus passum esse tradentia, lege apud *Petavium* T. VI. Dogmatum p. 153. sq.

Post comma hoc in Cod. *Cantabrig.* locus bene longus occurrit, quem

quem post Bezam & alios affert Millius, qui eum merito pro adjectitio habet. Confer de eo *Colomes.* p. 80. Obss. Sacr. *Mareschallum* ad vers. Anglo-Saxon. p. 496. *Wilkinsium* in Prolegom. ad vers. Copticam p. 15. *Fabricium* in notis ad Codic. Apocr. N. T. p. 327. *Reuschium* in notis ad Juvencum III. 615. & inprimis *Rich. Simonem* in Hist. Crit. N. T. Part. I. p. 370. Part. II. p. 32. sq. & Part. III. p. 18. sqq.

Vers. 30. καὶ ἰδοὺ δύο τυφλοὶ) Lege huc *Andreæ Masii* notas, quæ exstant in Supplemento Criticorum Tom. II. p. 1785.

Vers. 31. ἐπετίμησεν) i. e. increpans eos jussit silere. Vide Boisium in Collat. ad h. l.

CAP. XXI.

VErs. 1. sqq. Historiam hanc de Christo, urbem Hierosolymitanam adeunte, exponit *Franzius* de Interpretat. Scripturæ Sacræ p. 675. sqq. Conf. B. *J. F. Mayeri* Eclog. ad Evangel. Dom. I. Adventus, *Witteb.* 1684. & aliam ad Dominic. Palmarum, *Gryphisw.* 1706.

Βηθφαγὴ) Erat ad montem oliviferum prope Bethaniam Matth. XXI. 1. ad orientem illius montis, ut videtur. Conf. *Luc.* XIX. 29. ubi prope Bethphagen & Bethaniam existens Christus discipulos mittit, ut jumentum adducant, cui deinde insidet, & postea, cum appropinquaret descensui montis oliviferi, turba ei acclamat. v. 37. Ita *Relandus* in Palæstina Sacra p. 652. Confer *Petitum* Observatt. lib. III. c. 1. p. 246. sq. ubi ostendit ex Talmude, agrum fuisse Hierosolymitanum, non quidem omnem, qui circa urbem erat, sed qui erat ad orientem illius urbis, nempe montem oliveti. Sic & B. *Carpzovius* in Diss. de Asino Messiæ §. 25. ostendit, Bethphagen nomen esse integri tractus, non villæ aut oppidi. Adde *Sauberti* Palæstram Theolog. p. 73. Reliqua, quæ ad originem nominis, &c. pertinent, lege in singulari Diss. *Christiani Feustelii*, habita Lips. 1686. *Bochart.* in Hierozoico Part. I. p. 184. & *Montacut.* in Originibus II. p. 233.

πρὸς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν) Lege *Carol. Ortlob* Disput. de monte olivarum, *Witteb.* 1656. 4. & *Joh. Alb. Sylling* diss. Histor. Criticam de eodem monte, *Hafn.* 1697.

Vers. 2. ὄνον δεδεμένην) Vide huc *Jo. Bened. Carpzovii* Diss. de Asino Messiæ in Disputatt. ejus Academic. p. 223. sq. recusam, ubi & alia ad hanc historiam pertinentia afferuntur. Confer & Observatt. Miscellan. Part. III. p. 335. sqq.

Vers. 4. ἵνα πληρωθῇ) Vaticinium hoc a Propheta ad Messiam relatum esse, & in eo complementum suum inveniisse, contra Grotium ad Zoro-

Zorobabelem illud proximo & immediato ſenſu ſpectare adſerentem, oſtendit B. *Calovius* noſter in Bibliis Illuſtratis & poſt eum B. *Olearius* in Obſervatt. Sacris p. 554. Is inprimis etiam urget conſentiens in hanc rem R. *Bechai* teſtimonium, cui ſimile legi in Bereſchith Rabba *Huetius* in Demonſtrat. Evangel. p. 630. monuit. Adde his locum ex *Baal Hatturim*, de quo confer *Hackſpan.* Miſcellanea p. 341. Nihilominus tamen *Vitringa* Tom. II. Comment. in Jeſaiam p. 667. b. affirmat, loco illi Zachariæ ſecundum ſenſum ejus ſpiritualem & myſticum ſuum conſtitiſſe ſenſum absque hoc caſu ingreſſus Chriſti Hieroſolymitani.

Verſ. 5. Εἴπατε τῇ θυγατρὶ Σιών) Θυγάτηρ Σιὼν per Hebraiſmum dicitur de Judæis Hieroſolymitanis: vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 65. ſq. Difficile hic viſum eſt Interpretibus, conciliare allegationem loci hujus, a *Matthæo* & *Johanne* factam, tum cum textu Hebraico, a quo hinc inde diſcedit, tum ſecum ipſis, cum & ipſi aliter atque aliter referant. Huc tamen feliciter operam ſuam retulerunt præter *Carpzovium* Diſput. citata *Olearius* l. c. & *Surenhuſius* noviſſime in libro καταλλαγῆς p. 253. ſq. qui exiſtimat, oraculum hoc ex *Jeſ.* VI. 11. & *Zach.* IX. 9. deſumtum eſſe. Quo conciliandi modo uti, non neceſſe viſum eſt *Oleario*, in eo acquieſcendum eſſe exiſtimanti, quod neutri Evangeliſtarum propoſitum fuerit, ut κατὰ λέξιν allegaret oraculum propheticum, ſed contentus fuerit uterque, allegaſſe, quod ad rem maxime pertinebat, adeoque ſenſum magis quam verba ſpectarit. Atque id quidem ſæpiſſime uſu venire in allegationibus N. T. nemo temere negaverit. Confer & *Guſſeti* Confutat. τῦ *Chiſſuck Emuna* p. 249. ſq.

ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον) *Hombergius* p. 65. exiſtimat, id per Hendiadyn dici, ut idem ſit, atque ἐπὶ πῶλον ὄνε, quod apud Johannem XII. 15. legitur. Quod admitti quidem poteſt, modo non negetur, & aſinam matrem & pullum adductum ad Chriſtum fuiſſe, quippe quod nimis clare & Zachariæ & Matthæi contextus infert. Nam Servator diſerte ait, diſcipulos inventuros eſſe ὄνον καὶ πῶλον μετ' αὐτῆς, deinde vero in plurium numero loqui pergit in phraſibus, αὐτῶν χρείαν ἔχει, & εὐθέως ἀποστελεῖ αὐτές. Itaque aſina & pullus non ſine ſingulari nutu divino junctim adfuerunt, ut eo promtius perſona ſingularis ex re ſingulari agnoſceretur, ſed pullo tamen tantum inſedit Dominus, aſina quaſi in pompam ducta. Ita facile Matthæo cum Luca conveniet, qui pullum ſolum memorat, ideo ſcilicet, quod eo in via facienda ſolo uſus ſit Servator. Lege ad hoc comma Programma ſingulare *Sauerbreyi*, quod exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum Exegeticorum p. 389. ſqq.

υἱὸν ὑποζυγίε) De phraſi hac lege *Bocharti* Hierozoic. P. I. p. 185. item *Vorſtium* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 314. ſq. ubi Hebraicam loquendi rationem eſſe oſtendit.

Verſ. 7. ἐπεκάθισαν) Alii editi habent ἐπεκάθισεν, ut *Millius*. Atque hanc lectionem ſequitur *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 145. qui vertit: *& ſedit*

ſuper eos: ſcilicet τὸ καθίζω & intranſitivam & tranſitivam habet apud profanos ſignificationem, ut & *ſedere* & *collocare* inferat. Altera illa lectio ἐπεκάθισαν non minus multis & inter hos B. *Luthero* noſtro placuit. Atque hanc genuinam eſſe, vel ex *Luc.* XIX. 35. conſtat, ubi τὸ ἐπεκάθισαν i. e. *collocarunt*, *ſedere fecerunt*, exprimitur per ἐπεβίβασαν.

ἐπάνω αὐτῶν) *ſuper illis*, vel *veſtimentis*, vel altera beſtiarum adductarum, nempe *pullo*. Prius hic vult *Beza*, & cum eo *Homberg.* p. 66. Et ſic ſane conſultum foret difficultati illi, quæ oritur, ſi ad aſinam & pullum referas, quorum tamen uni tantum inſediſſe Jeſum antea oſtenſum eſt. Sed durius tamen hoc videtur, & præterea adverſatur τῷ ἐπάνω αὐτῶν proxime antecedenti, quod omnino ad aſinam & pullum referendum eſt, nec, ut adhibeatur, admodum neceſſe eſt; cum relativum αὐτῶν, in plurium numero collocatum, de uno commode explicari poſſit. Idque duplici modo, ut vel nomen εἷς i. e. *unus* ex Hebræorum more omiſſum dicatur, cujusmodi exemplum exſtat *Judic.* XII, 7. ubi Jephtha ſepultus dicitur *in urbibus* Gilead i. e. in una illarum *urbium.* Huc tendunt plerique, & inter eos *Hackſpanius* l. c. & *Vorſtius* Philol. Sac. Part. I. p. 315. Vel ut enallage numeri pluralis pro ſingulari locum habere exiſtimetur, cujus uſus adeo frequens eſt, ut probatione non egeat. Confer *Glaſſii* Philolog. Sac. & *le Cene* in Projet ad h. l. nec minus *Clerici* Artem Criticam p. 242.

Verſ. 8. ἔστρωσαν ἑαυτῶν τὰ ἱμάτια) De iſto more veterum, ſubſtratis veſtibus cultum ſuum teſtandi aliis, lege multis agentem *Jo. Nicolai* in disquiſitione de ſubſtratione & oppignoratione veſtium, *Gieſſ.* 1701. 12. item *Barthium* in Adverſariis III. 12. *Martin. de Roa* in Singularibus Scripturæ II. 7. & Lydium in Agoniſtic. Sacris p. 152. Unum hic eſt, quod Interpretes dubios habet, atque id verbis *Jo. Braunii* exponam. Is autem de Veſtitu Sacerdotum Hebr. lib. I. c. 5. p. 106. ita: *Utrum autem veſtes revera in ipſa terra aut ſemita ſtratæ fuerint, prout mos eſt & hodie apud Europæos, pedibus Regum & Imperatorum, quo die coronantur, tapetes ſubſternere, an vero juxta viam tentoria & tabernacula ex veſtibus, arborum ramis impoſitis confecerint, ad morem feſti ſcenopegiæ, ut quidam id explicant, non auſim id affirmare. Utrumque enim mea ſententia fieri poterat abſque equitantis periculo, & ſæpe ita factum fuiſſe conſtat. Fere ejusmodi quid factum fuiſſe legimus* 2. Regg. IX. 13. *Docemur ibi, populum Jehu Regi ſuppoſuiſſe veſtes, in faſtigio graduum, & clangentes buccina dixiſſe: Regnat Jehu.* Repetit hæc *Jo. Heeſerus* in Lexico Philologico rad. נגן. Approbat vero ſententiam de exſtructis a populo tabernaculis, iisdemque veſtium apparatu tectis, *Conradus Mel* in Antiquario Sacro p. 63. & *Amelius* Part. I. p. 73. Primus illius interpretationis auctor videtur *Lightfootus* in Notis Hebr. ad h. l. Sed ingenioſiora iſta quidem mihi videntur, quam veriora. Tabernacula ex frondibus & ramis fieri, breve Chriſti & non exſpectatum iter vix permittebat.

tebat. Expeditius vero erat veſtes ſubſternere, & frondes ſpargere. Deinde diſerte dicuntur homines exſultantes, quibus ſtragula deerant, reſcidiſſe ramos, & ſparſiſſe per viam, non vero ad ſtructuram tabernaculorum adhibuiſſe. Magis etiam obvium eſt, τὸ ἐν τῇ ὁδῷ interpretari per *in via*, quam *juxta viam*, quæ poſterior interpretatio omnino requiritur ad iſtam ſententiam ſtabiliendam. Neque fit veriſimile, populum omnia ejusmodi ſolennia hic proprio auſu adhibere voluiſſe, quæ non ignorabant ſingulari feſto propria. Denique deſiderio adhuc exemplum ex Hebræorum antiquitate, tabernacula ejusmodi extra feſtum Scenopeg. teſtandi gaudii cauſâ exſtrui conſueviſſe. Hinc in communiori interpretatione acquieſcit nobiſcum *Cornel. Adami* in Obſervatt. p. 148. & *Surenhuſius* loco citando.

ἐστρώννυον ἐν τῇ ὁδῷ) Vide huc *Joh. Nicolai* Tract. de Phyllobolia ſive ſparſione florum in ingreſſu Principum ſolemni. Confer *Dougtæi* Analect. N. T. Exc. XXVI. p. 38. ſq. & *Corn. Adami* l. c. p. 149.

Verſ. 9. Οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες) Idem ſibi accidiſſe refert *Hippocrates*, cum Abderam vocatus certatim exciperetur. Vide ejus epiſt. ad Damaget: οἱ μὲν ἑπόμενοι, οἱ δὲ προθέοντες, ἑτέρωθεν ἕτεροι, σῶζε, λέγοντες, βοήθα, θεράπευσον. Debeo hujus loci indicium Cl. *Trillero*.

Ὡσαννὰ) *Franc. Bernardinus Ferrarius* de veterum Acclamationibus & plauſu lib. I. cap. 21. ita verterat, ut verba iſta a ſe invicem diſtingueret in hunc modum: *Hoſanna: Filio David*; i. e. ſalvum fac, obſecro. *Filio David*, ut ſubaudiatur vel: *ſic precamur*; vel: *hanc a Deo ſalutem optamus*. At idem lib. VII. c. VIII. de eadem acclamandi formula pluribus agit, monetque, factam eam eſſe ob Lazarum miraculoſe reſuſcitatum: cum Hieronymo inſuper ep. 145. ad Damaſum ſtatuit, compoſitum eſſe τὸ ὡσαννὰ ex הושיע *ſalvum fac*, & אנא *obſecro*, tandemque allatis argumentis nonnullis ad ſtabiliendam ellipticam illam interpretationem, mavult tamen voces *filio David* jungi voci *Hoſanna*, ut ſenſus ſit: *ſalva, obſecro*, ſive: *ſalvum fac filium David*. Priorem *Ferrarii* ſententiam approbat Huetius ad Origen. p. 76. Cl. *Fabricius* ad Tom. I. Apocryph. N. T. p. 240. & *Schætgenius* ad *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 276. poſteriorem *Jo. d'Outrein* in Obſervatt. Miſcellaneis p. 222. ſq. Et ſane fraudi non eſſe debet dativus caſus cum Hoſanna conjunctus. Nam Hebr. הושיע eum caſum poſtulat, quod patet ex *Pſ.* LXXXVI. 18. LXXII. 4. *Proverb.* XX. 22. &c. unde & οἱ LXX. τὸ σώζειν eidem caſui junxerunt paſſim, ut 1. Sam. XXV. 26. 30. & 33. Propterea & in hac explicatione poſteriore acquieſcere malim, tanquam quæ phraſi Hebraicæ magis reſpondet, ut ſenſus ſit: *Salutem præſta filio Davidis*. Alia de hac voce ejusque etymologia legantur in ſingulari Diſput. *Dan. Winzeri*, quæ Tom. II. Theſauri Diſputatt. p. 164. ſqq. recuſa exſtat, ubi auctor oſtendit, vocem non eſſe Græcam, nec Syriacam, nec Arabicam, qualem Kirſtenius eſſe credidit, ſed Hebraicam ex הושיע נא, item *Jo. Georg. Bindrimii* Diſp. *Roſtoch.*

ſtoch. 1671. Vid. *M. Georg. Nohtdurftii* Diſſ. de eadem voce, *Brunſv.* 1713. editam, tum vero *Bartolocc.* Tom. II. p. 683. ſqq. *Valeſ.* ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. p. 40. a. *Poſſinum* in Spicilegio p. 116. ſq. *Mart. Roam* in Singularibus p. 185. ſq. *Caſaubonum* in Exercitatt. Anti-Baron. p. 394. *Groddeckium* Diſp. poſteriore de Ceremonia palmarum apud Judæos in feſto tabernaculorum ſolenni cap. VII. qui & rem ipſam hic traditam illuſtrat, Cheitomæum in Vocibus Græco-Barbaris p. 170. *Pfeiferum* in Quinquagena locorum Hebr. & Exotic. N. T. p. 477. Opp. Critic. *Jo. Baptiſt. Otium* epiſt. de Numis Samarit. p. 61. & *Georg. Frider. Heupelium* in Notis ad *Marc.* XI. 9. *Ludov. Quercului* Turonenſem de genuino ſenſu vocis hujus ſingularem ad ſe diſſertat. ſcripſiſſe teſtatur *Carolus Molinæus* in Collatione IV. Evangeliſtarum p. 152.

Hoſanna, alias feſto tabernaculorum cani ſolitum, hic proxime ante Paſcha inſtinctu Spiritus Sancti ingeminatum eſſe, ſcribit *Andr. Maſius* ad h. l. Tom. II. Supplementorum Critic. Sacr. p. 1. 1785. ut ſcilicet conſtaret, non feſto id dici, ſed Chriſto cani. Sed dubium omnino adhuc eſſe mihi videtur, num hæc acclamatio ex ſolennibus Feſti Tabernaculorum mutuo deſumta ſit, an vero ex Pſ. CXVIII. 25. qui partem magni Hallel conſtituit, repetita. Ibi enim hæc legis: אנא יהוה הושיעה נא אנא יהוה הצליחה נא

ἐυλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίε) Plerique Interpretes ita hæc interpretantur, ut τὸ ἐν ὀνόματι referant ad vocem ἐρχόμενος. At *Hombergius* in Parergis p. 66. & 103. pertinere potius judicat ad vocem ἐυλογημένος. Quod ad rem ipſam nihil magnopere intereſt, quam ſtructuræ rationem ſequaris. Interim cum verba hæc ex Pſ. CXVIII. 26. petita ſint, ברוך הבא בשם יהוה ibi autem accentuum ratio τὸ ברוך ad בשם יהוה referre jubeat, non parum præſidii pro Hombergii ſententia affertur. Lege Interpretes ad Pſalmum citatum & nominatim Rev. *Jo. Henr. Michaelis.* Ceterum confer ad hæc verba *Sauerbreyi* Programma ſingulare, quod exſtat in *Gabr. Terne* Syllogе Programmatum I. p. 419. ſq.

Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις) Hebr. הושיע נא במרומים quam acclamationem ex Pſalmi l. c. & CXLVIII. 1. deſumtam putat *Surenhuſius* p. 258. l. c.

Verſ. 10. ἐσείσθη) i. e. *turbata, perculſa eſt.* Pindarus Pyth. δ'. v. 484. dixit πόλην σείειν. Confer *Elsnerum* p. 91.

Verſ. 12. καὶ ἐισῆλθεν ὁ Ἰησοῦς) De nonnullis, quæ huc dici poterant, vide ad Joh. II. ubi ſimile Chriſti factum refertur, quod tamen noſtrum hoc triennio fere anteceſſit. Sunt, qui, Chriſtum factum hoc impune tuliſſe, ajunt, ex jure Zelotarum a Judæis recepto, vi cujus ſcilicet etiam privatis licebat eos, quos in atroci delicto contra ſanctitatem Dei vel templi & religionis ſuæ deprehenderent, verberibus coercere, imo adhuc repugnantes occidere. Ita ſtatuit inprimis *Seldenus* de Jure Nat. & Gent. lib. IV. c. 3. & de Succeſſ. in Pontificat. lib. I. c. 8. item de Synedriis II. 14. §. 3. & *Mart. Lydius*

dius in Florum Sparsione ad Passionem J. C. p. 92. sq. Sed illis se opposuerunt recte *Guil. Saldenus* in Otiis Theologic. lib. IV. Exerc. I. & B. *Ittigius* in Selectis Capitibus Hist. Eccles. Sec. I. p. 385. sq. item *Wolfburgius* in Observatt. Sacr. p. 176. qui rectius omne hoc factum, cum tanta auctoritate perpetratum, divinæ potentiæ acceptum ferunt, & inter nobiliora Christi miracula, ex quibus divina ejus missio intelligi poterat, post Hieronymum numerant. Confer *Henr. Mori* Opp. Theolog. p. 353. & *Buxtorf.* Catalecta p. 226.

ἐξέβαλε πάντας τοὺς πωλοῦντας) *Wolfburgius* in Obss. Sacr. p. 175. existimat, Christum vi externa & flagello usum esse ad expellendas victimas, quæ in templo erant, & evertendas mensas, non vero ad homines expellendos, homines vero, sermone cum παῤῥησίᾳ prolato, de quo v. 13. ejecisse; alioquin enim crimini hoc ipsi verti potuisse a Magistratu Politico, & regni mundani speciem præ se ferre aliorum judicio potuisse. Sed non video, qui non & idem in expulsionem victimarum violentam cadat, ut taceam diserte Christum dici expulisse τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας.

καθέδρας) Non accipienda est hæc vox de cathedris Doctorum in templis docentium, quas columbarum venditores occuparant, ceu nonnullis visum est; sed de sedibus, quas sibi propolæ ibi comparare solebant. Vide huc *Chimentellium* de honore bisellii c. 24. Tom. VII. Antt. Roman. p. 2117.

τῶν κολλυβιστῶν) *Simplex numulariorum seu Mensariorum in siclis dimidiis, reliquisque numis in sacros usus recipiendis, arcisque condendis officium neutiquam loci sanctitatem polluisse existimandum est. Sed quoniam negotiationis illicitæ societatem cum vendentibus inierant, atque animalia, quæ extra loca sancta emenda erant, in sacrificia, contra fas ibi compendii causa emere solebant, nec fraudibus, eo in hominum genere non raro reperiri solitis, illic ministerio illo fungentes carebant; ideo & ipsi, ut qui tum criminis aliorum participes tum suo infames pariter, sic templum, seu montis templi locum illum, alias ipsis permissum, profanabant, ejiciendi.* Ita *Lydius* in Florum Sparsione ad Passionem J. C. p. 95. Idem plura de toto hoc numulariorum negotio ex antiquitate Judaica affert p. 83. sqq. Τὰς κολλυβιστὰς de trapezitis interpretatur *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 378. quem confer ad h. l. Talmudici collybistas illos שולחנים i. e. *mensarios* vel etiam חלפני i. e. *permutatores*, Wechsler appellant. Lege huc *Jo. Wulferi* notas ad Tract. *Schekalim* p. 18. & p. 20. ubi observat, *Abrahamum Medicum* in libro: *Schilte Gibborim* c. 25. scribere, numularios illos in Atrio gentium conclave quoddam, quo uterentur, habuisse, a quo tamen ipse abit, *Josephi* auctoritate lib. VI c. 14. de Bello Judaico impulsus, & in Atrio mulierum eos consedisse cum *Lightfooto* opinatur.

πωλούντων τὰς περιστερὰς) Lege *Seldenum* de Diis Syris p. 276. qui obser-

vat, hujus generis homines a Judæis inter infames, fures nempe, lenones, aleatores, & id genus alios numeratos fuisse, & pro ineptis ad testimonium dicendum habitos. Atque id se primum ex appendice *Ferdinandi Poloni* ad Abrahamum Ben Kattun ait didicisse. Addit, & Scaligerum eos hic intelligere, qui columbas volare erudiebant, (i. e. מפריחי יונין) atque ita instituebant, ut, ad missa paratæ & moscho rostra illitæ, comitatiores redirent. Confer huc *Lydium* l. c. p. 90.

Ceterum in universum hic monendum est, per ἱερὸν seu templum non intelligi palatium illud, quod היכל dicebatur, & Sanctum ac Sanctum Sanctorum comprehendebat, sed potius spatium aliquod quadratum, quaquaversum spatium 500. ulnarum comprehendens, quod מקדש appellabatur, ceu ex Codice Mischnico מדות sive de mensuris Templi patet. Intra hoc spatium tria erant atria, mulierum scilicet, Israelitarum & Sacerdotum. Ante atrium vero mulierum erat spatium חניות i. e. *Tabernæ* dictum, eo quod abundaret tabernis, in quibus vinum, oleum, sal, columbæ atque alia id genus, ad sacrificia necessaria, comparabantur. Atque ibidem & numularii ad sacram monetam cum profana commutandam sedebant. Vide hæc apud *Surenhusium* in libro καταλλαγῆς p. 260. qui & toti huic commati lucem ex antiquitate affundit. Confer ad hunc versum *Heupelii* notas ad *Marc.* XI. 15.

Vers. 13. Ὁ οἶκός μου &c.) Petita hæc sunt ex *Jes.* LVI. 7. & *Jer.* VII. 11. Confer omnino *Surenhusium* l. c. ubi expediuntur varietates, quæ inter contextum Hebræum & citationem hanc intercedere videntur.

σπήλαιον λῃστῶν) Cur hoc modo Templum Dei latronum spelunca factum dicatur, ostendit *Episcopius* in Respons. ad LXIV. Quæstiones Quæst. XLVI. *Keuchenius* item & *le Moyne* ad Varia Sacra p. 832. qui inter cetera ait, Christum ideo Pontifices, Sacerdotes & Pharisæos instar latronum templum suum dicere profanasse, quod illo abuterentur ad spolia & furta sua occultanda, sicut Arabes, Cananæi, Idumæi, Nomades antris ac foraminibus petrarum ac montium abuti consueverint. Ceterum in Templo Hierosolymitano sæpe fuisse cædes patratas, passim testatur Josephus, ut Antiquitt. Judaic. II. cap. 7. p. 382. Inprimis tamen illæ frequentatæ fuerunt tempore ultimi excidii, quod patet ex ejusdem Antiquitatt. XX. 6. p. 695. & lib. VII. de Bello Judaico cap. 1. p. 904. unde & ipse *Josephus* in Oratione sua ad Hierosolymitanos, quæ legitur lib. VII. c. 11. p. 930. Judæis exprobrat ἐκδοχεῖον κλεπτῶν, φονέων, ἀρπάγων τὸ ἱερὸν γέγονε. h. e. *Receptaculum furum, homicidarum atque latronum templum factum est.* Lege hæc apud *Elsnerum* p. 93. ubi & ex profanis querelas ejusmodi de profanatis templis Deorum suorum affert. Non omittendum denique hic est, quod in *Sanhedrin* p. 97. a. legitur, quod ætate ea, qua Messias, filius Davidis, venturus

rus ſit, *domus congregationis futura ſit lupanar :* בית הוועד יהיה לזנות. Confer *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum p. 465. & ibi notas *Carpzovii*.

Verſ. 14. Καὶ προσῆλθον αὐτῷ τυφλοὶ) Alluditur hic ad 2. *Regg.* V. 9. Vide *Poſſini* Spicileg. p. 35.

Verſ. 15. τὸς παῖδας κραζοντας) per παῖδας hic non infantes proprie dictos, ſed Apoſtolos, intelligi vult *le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 722. ſq. Hos ſcilicet ait ignorantia, ſimplicitate, robore fuiſſe infantes, & nihilominus tamen Regnum Domini noſtri ubique promoviſſe. Atque huc etiam trahit ipſum locum Pſalmi VIII. ad quem Chriſtus v. 16. provocat. Ibi enim obſervat mentionem fieri יונקים *lactantium* & עוללים infantium. Diſcipulos vero apud Hebræos vocari Doctorum παῖδας & קטנים *minimos*, *pueros*, νηπίους, Præceptores autem אבות i. e. *Patres*. Sed rectius in communi vocis παῖδας notione, qua *pueros* ſeu *infantes* ætate infert, acquieſcemus, ideo, quod certe Phariſæi Apoſtolorum voces & acclamationem cum tanta indignatione & perturbatione, qualis hic infertur, audituri fuiſſe non videntur, quibus non admodum mirum videri poterat, diſcipulos Magiſtri ſui & Domini facta celebrare. At id non unam ſtuporis occaſionem ſecum tulit, quod ex infantibus talia audirentur. In iis enim ſingulare aliquid ac divinum ſuſpiciebatur, quod hæc ætas innocua eſt, atque a fraude, dolo, habendi cupiditate aliena : deinde vero puerorum dicta & facta pro ominibus aut vaticiniis haberi ſolebant. Duo hæc momenta ex antiquitate Græcorum profana illuſtrat *Elsnerus* ad h. l. p. 93. ſqq. Accedit, quod Patres in gente Iſraelitica lege tenebantur, parvulos ſuos ad lectionem hymni הלל ex quo verba hæc petita erant, & ad ramum לולב commovendum excitare, quod ex capite III. Codicis Miſchnici de Tabernaculis conſtat.

Verſ. 16. ὅτι ἐκ ςόματος νηπίων καὶ θηλαζόντων κατ. α.) In ultimis duobus verbis, pro quibus in Hebræo legitur יסרת עז i. e. *fundaſti robur*, Matthæus ſecutus eſt τὸς LXX. quod quam commode & apte fiat, oſtendit inprimis *Surenhuſius* p. 265. & ex noſtratibus Rev. *Gebhardi* in Vindiciis textus Hebræi contra *Pezronium* p. 159. Nihil enim obſtat, quo minus dicamus τὸ עז in laudato Pſalmo idem eſſe, quod תהלת עז i. e. *laus roboris*, ſeu laus vehementi vocis impetu pronunciata, aut *laus ſolida*. Vox עז enim in ſacris literis ſæpe cum laude & honore conjungitur, v. c. *Exod.* XV. 2. עזי וזמרת *robur meum & canticum*, item Pſ. XXIX. 1. הבו ליהוה כבוד ועז i. e. *date Deo honorem & robur*. Itaque allegatio hæc a Matthæo facta tantum abeſt ut ſenſum oraculi Davidici evertat, ut potius illuſtret, & in apricum producat. Cetera de verbis his confer *Schotti* Adagial. N. T. p. 52.

Verſ. 17. καὶ ἠυλίσθη ἐκεῖ) Poſt hæc verba verſio *Saxon.* addit: *& docebat*

eos

eos de regno Dei. Confer *Mareſchalli* notas in Verſ. Anglo-Saxonicam p. 498. ita ſcribentis: *Præter exemplaria quædam Latina Verſionesque jam memoratas e Latinis traductas, nihil prorſus reperio huic additioni ſuffragans.*

εἰς Βηθανίαν) De *Bethania*, nominisque origine & loci conditione lege *Alberti Vogtii* Miſcellanea Biblica p. 179. *Georg. Henr. Gœtze* in Diſſert. de Unctura Chriſti Bethaniæ facta §. 3. ſqq. *Waltherum* in Diſſert. de Via Sabbati §. 10. & inprimis *Relandum* in Palæſtina Sacra p. 629. ſqq. Euſebiana ex libris ejus de Locis & Nominibus Hebraic. emendantur a *Rhenferdio* in Diſſert. ad Loca Deperdita Euſebii p. 10. ſq.

Verſ. 18 - 46. ſingulari Diſſert. de Chriſto verbis ac factis potente illuſtravit B. *Jo. Chriſtoph Pfaffius*, *Tubing.* 1719. 4.

Verſ. 19. καὶ ἰδὼν συκῆν) Hiſtoria de ficu maledicta exponitur accurate ex noſtratibus a *Seb. Schmidio* in Faſc. Diſputatt. Theologic. p. 737. ſq. *Chriſtiano Hofmanno* de ficu arbore philologice conſiderata, Jen. 1670. tum vero ab *Herm. Witſio* in Meletematibus Leidenſibus Exercit. X. Dodecadis Exercit. Exegetic. p. 404. ſq. *Jo. Henr. Heideggero* in Diſſert. ſingulari, *Tigur.* 1689. 4. & *Jo. Simone* Diſput. de ficu exareſcente, Frf. Od. 1689. 4. Nos, quæ huc pertinent, ad Marci XI. 13. tanquam locum parallelum adnotabimus.

Verſ. 21. τὸ τῆς συκῆς) Ita & profani Scriptores loqui amant, quoties indicare volunt, quod alteri quocunque modo accidit. Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 151. τὸ τῷ ποταμῷ. Conf. *Raphelii* Annotatt. Xenophont. p. 46.

ἄρθητι καὶ βλήθητι εἰς τὴν θάλασσαν) Hæc inſtar proverbialis locutionis habenda, nec ad literam aut preſſe urgenda eſſe, multi monuerunt, interque eos nominatim *Witſius* in Meletematibus Leidenſibus p. 419. Is autem inferri hac phraſi vult patrationem rei arduæ, & fidem propemodum ſuperantis. Fuiſſe autem hujusmodi phraſin inter Judæos receptam, ex Talmude h. l. oſtendit *Lightfootus* & *Witſius* huc quoque referri vult *Jeſ.* XL. 4. & *Zach.* IV. 7. Atque hoc modo optime occurritur cavillis illorum, qui vel antiqua vel recenti memoria Chriſtianos hinc ſubſannandos ſibi ſumſerunt, ut ſic eo rectius conſtaret connexio cum antecedentibus. Quemadmodum enim illi maledictionem ficus pro ſymbolo excidii Reipublicæ Judaicæ habuerunt, ita verba hujus commatis ſic acceperunt, ac ſi monerentur a Chriſto Apoſtoli, ne precarentur amplius pro ſalute populi Judaici, ſed potius, cum ſpes omnis emendationis decollaverit, precibus ſuis efficerent, ut ſterilis hæc arbor exſcindatur, & alteri meliori locum faciat. Ita ex Belgis nonnulli, allegati ab *Amelio* Parte I. p. 539. ſeq. qui & ipſe eos ſequitur. Enimvero non crediderim, Chriſtum huc reſpexiſſe, cum eadem phraſi, a translatione montium deſumta, & Chriſtus *Matth.* XVII. 20. & Paulus I. *Cor.* XIII. 2. ex parte utatur, non alio fine & conſilio, quam ut fidei miraculoſæ effectus indicetur. Quod quo minus & hic locum habere poſſit,

possit, nihil obstare video, cum constet, Christum, quacunque data occasione, operam dedisse, ut discipulos suos ad incrementum in fide capiendum cohortaretur. Taceo, non esse veri simile, quod Christus commendare suis voluerit excidium gentis Judaicæ, precibus obtinendum, pro cujus salute ipse ex cruce ad Patrem orabat.

Vers. 23. ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ ταῦτα ποιεῖς) De auctoritate Christi, qua hæc patraverit in templo, quæstio hic est, duo inprimis capita concernens, primum, *quænam* illa sit auctoritas, qua sacra constituere & abusus reformare auderet, quod alias sit Sacerdotum, Prophetarum & Regum: deinde, *a quo* tandem illam potestatem acceperit: utrumque vero eo consilio scisitabantur, ut ad Regiam auctoritatem Christus provocaret. Ita fere *Olearius* in Observatt. Sacr. p. 560.

Vers. 24. sqq. Hanc Christi responsionem illustrat inprimis *Olearius* l. c. eamque in rem in conditionem baptismi Johannei inquirit, tandemque potiora ita in summam confert, ut intelligatur auctoritatis Christi demonstratio ex baptismo Johannis. Si enim ille *ex cælo* fuit, h. e. vere divinus, cum in nomine Jesu Christi tanquam Regis, filii Dei, imo Jehovæ, ad templum suum venientis, peractus fuerit; cum eam doctrinam in omnibus partibus substantialibus obsignaverit, quam Christus cum ipse, tum per suos annunciavit; cum Christo discipulos sit lucratus, in cujus nomine perageretur; certe ita divinam Christi auctoritatem firmat; ut nullum posthac de illius auctoritatis vel origine vel amplitudine dubium superesse possit.

Vers. 25. ἐξ οὐρανοῦ) i. e. *a Deo* atque adeo divinæ auctoritatis & originis. Quam quidem locutionem Hebraicam esse multi recte monuerunt, interque eos *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 147. & *le Cene* in Projet p. 756. *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. I. c. 3. p. 59. *Selden.* de Diis Syris Synt. II. c. 17. & *Suicerus* Tom. II. p. 525. At & profanis οὐρανὸν eodem sensu venire, contendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. L. Sed vide, quæ opponit *Moses Solanus* in Dissert. de Stylo N. T. §. 45. in Collectione Rhenferdiana p. 299. De ipsius phraseos vera notione confer & *Olearium* in Obss. Sacr. p. 398.

ἢ ἐξ ἀνθρώπων) Respici hic ad baptismos, Gentilibus & Judæis receptos, putat *Sperlingius* de Baptismo Ethnicorum p. 68.

Vers. 30. Ἐγὼ Κύριε) *Beza* subintelligi hic vult πορεύομαι i. e. *ego abeo*. *Grotius* & *Heinsius* æquipollere putant formulæ in Sacris literis frequenti: ἰδοὺ ἐγώ. Rectius *Elsnerus* ad h. l. p. 96. pro affirmandi formula habet, ut idem sit, quod: *Etiam Domine.* Ita enim *Aristophanes* Equit. v. 32. & Nubib. v. 768. nec non alii Græciæ profanæ Scriptores loquuntur. Ita quoque *Plutarchus* de Garrulitate p. 511. Τί δὲ, ἔφη πρὸς τὸν οἰκέτην, ἐκάλεσας αὐτόν; ἔγωγε, ἔφη

εἶπεν. *Quid vero, (ad ſervum inquit) invitaſti eum? Etiam, reſpondit ille.* Interim eſt Vir doctus, cujus paſſim in his notis mentionem feci, qui pro ἐγὼ mavult legere ἄγω, quippe quòd etiam abſolute poſitum idem ſit, quod *eo, procedo* &c. Exempla eſſe addit non ſolum apud *Homerum*, notante id *Heſychio*, ſed & in N. T. ut *Matth.* XXVI. 46. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν, & *Joh.* VI. 7. Hæc hactenus erudite & recte monentur. Neque tamen putem, deſerendam eſſe communem lectionem ἐγὼ, a Codicibus omnibus, ſi unum alterumve exceperis, & verſionibus receptam, ac ſenſum præterea optimum fundentem. Credo enim, commode ſubintelligi poſſe τὸ ἀπέρχομαι, quod hic brevitatis ſtudio omiſſum eſt, quia ſtatim ſequitur, καὶ ἐκ ἀπῆλθε. Jam verò more receptum eſt, ex membro orationis ſequente ad antecedentia verbum, quod ſenſus requirit, mutuum ſumere. Ita Luc. XXII. 36. καὶ ὁ μὴ ἔχων (ſcil. μάχαιραν,) πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν. Plura hujus generis exempla lege apud *Glaſſium* in Grammatica Sacr. p. 724. ſq. & *Gatackerum* in Cinno lib. II. cap. I. Alias *Lucianus* in Bis Accuſ. p. 219. verbum ἄπειμι vel ἀπέρχομαι ſubintelligendum reliquit Lectori, ita ſcribens: ἐγὼ δὲ ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν ſc. ἄπειμι.

Verſ. 31. ὁ πρῶτος) Codices perpauci, ſed verſiones plures pro πρῶτος legunt ἔσχατος, ſive *noviſſimus*, quam in rem vide quæ poſt *Mareſchallum* in Notis ad verſionem Anglo-Saxon. p. 498. & *Rich. Simonem* tum in notis ad verſionem Gall. N. T. tum in Obſervationibus Novis p. 460. ſqq. attulit *Millius*. Varietas hæc ex eo orta eſt, quod duo commata proxime antecedentia ratione ordinis in exemplaribus inverſionem paſſa erant.

Verſ. 31. οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς) Similiter *Epictetus* II. 20. p. 232. *multo mehercle citius quis ſperet; ſe perſuaſurum cinædis, ut ſuam mutent ſententiam, quam illis ita ſurdis & cæcis in ſuis ipſorum malis.* Ita *Athenæus* XIII. 5. p. 577. de meretricibus obſervat, illas, ubi aliquando reſipiſcunt, caſtitate atque aliis virtutibus multum ſuperare eos, qui vulgo iisdem virtutibus glorientur. Vide hæc apud *Elsnerum* p. 97. & *Raphelium* in Notis Polybianis p. 91. Ceterum Chriſtus hic τελώνας & πόρνας per ſynecdochen ſpeciei pro genere in exemplum peccatorum κατ' ἐξοχὴν talium commemorat. Id enim malim, quam ſtatuere, πόρνην hic poni pro ψυχὴν πεπορνευμένην i. e. *animam fornicante*, i. e. omnimodam turpitudinem, ſeu quicquid vitii nomine venit, perpetrante. Quam ſententiam commemorat *Seldenus* de Uxore Hebræa p. 494. hoc argumento nixus, quod *Syriace*, in qua lingua Chriſtus locutus eſt, vox זניותא tale quid inferat.

εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ) i. e. in regnum gratiæ, ut ſcilicet converti ſe patiantur. Hunc enim ſenſum ſuadet comma proxime ſequens.

προάγουσιν ὑμᾶς) præcedunt vos, ita ut ipſi in regnum veniant, vobis excluſis. Conf. *Hackſpan.* ad h. l. p. 148.

Verſ. 32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης) Ὁδὸς hic denotat *modum* & *rationem* ad exemplum

plum Hebraicarum vocum דרך, & אורח, unde & nonnulli pro Hebraismo habent. Sed & profanos Græcos ita loqui ostendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 91. Cur τελῶναι & πόρναι hic iterum, quemadmodum alibi sæpe, conjungantur, ostendit *Seldenus* de Jure Naturæ & Gent. p. 178.

Vers. 33. ἐξέδοτο αὐτὸν γεωργοῖς) per γεωργοὺς ministros Ecclesiæ hic intelligunt Patres: vide *Suicerum* Tom. I. p. 760.

Vers. 37. ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου) Vide huc *Erasmi* Opp. T. IX. p. 138.

Vers. 38. οὗτός ἐστιν ὁ κληρονόμος) Pharisæi scilicet non prorsus ignorabant, Jesum Messiam esse. Videbant etiam, Jesum non ipsos assumere ministros, sed Galilæos quosdam subrogare, quo delectu ipsis hæreditatis regimen tollebatur. Nec præterea tali Messia contenti erant, qui Romanos excitare, non autem vincere eorum judicio valens, hac quoque ratione causa futura erat jacturæ dignitatis eorum, simul ac excidii gentis. Ita *Gussetus* ad h. l. in Confutatione libri *Chissuck Emuna* p. 378.

Vers. 41. Λέγουσιν αὐτῷ) *Luc.* XX. 16. & *Marc.* XII. 9. Christus hoc dixisse dicitur ad Pharisæos, hic vero Pharisæi ad Christum. Scilicet Matthæus respexit Pharisæorum mentem & cogitata, quæ proferre nolebant, in se hæc dici putantes. Ceteri vero referunt, quomodo Christus, illis tacentibus, cogitata eorum expresserit. Ita ad h. l. *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum, cui etiam videtur hic quædam commatum metathesis occurrere, & versui 41. in sensu jungi debere v. 43. tum 42. & hinc 44.

Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς) *En Græci sermonis peritiam etiam in Matthæo! Quid enim hac locutione vel dictu venustius, vel sensu significantius? Indicat namque τὸ κακοὺς exitii causam, τὸ κακῶς ejusdem gravitatem, figura autem repetiti pene ejusdem verbi convenientiam supplicii ad delicti magnitudinem.* Ita *Raphelius* in Notis Polybianis p. 91. qui & ibidem hujus phraseos exempla ex purissimis Græciæ Scriptoribus affert, quod & faciunt Cl. *Majus* Observatt. Sacr. I. 54. *Hombergius* in Parergis p. 66. *Schætgenius* in Histor. Critica Reip. Liter. Tom. XIII. p. 127. ex Alciphr. epistolis, & nuperrime plenis calathis *Schelhornius* in Biblioth. Bremense Class. IV. p. 790. seq. Confer & *Schotti* Adagialia N. T. p. 53. Ceterum per Hebraismum pronomen αὐτοὺς exprimitur post κακοὺς, quod per sensum abesse poterat. Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 106.

ἐκδόσεται) i. e. ἐκμισθώσει. Ita vero & *Polybius* locutus est: v. *Raphelii* Notas Polybian. p. 92.

ἀποδώσουσιν) i. e. *solvent*, non, ut Beza, *reddent*. Vide *Hombergium* p. 66. & ad *Matth.* XVIII. 25.

Vers. 42. Οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς; Λίθον ὃν ἀπεδοκίμασαν &c.)

Oraculum hoc a variis N. T. Scriptoribus nunc diſerte eodem fere modo, nunc brevius, alluſione tantum quaſi facta, affertur, v. c. a *Marc.* XII. 10. *Luc.* XX. 18. *Act.* IV. 11. *Rom.* IX. 33. 1. *Pet.* II. 6. *Luc.* II. 34. & 2. *Tim.* II. 19. Atque in his citationibus nonnullæ etiam varietates obſervantur, eo quod ad diverſa V. T. oracula a diverſis, vel etiam ab eodem allegante, reſpectum eſt. Id quod & ipſa allegandi formula hic obvia ſubindicatur, quando dicitur: οὐδέποτε ἀνέγνωτε ἐν ταῖς γραφαῖς h. e. *nonne, quod in variis Scripturis obvium eſt, alicubi legitis?* Lege hanc in rem *Olearii* Obſervatt. Sacras p. 579. ſq. qui præterea obſervat, Matthæum & Marcum, imo & Lucam in Actibus Apoſtolicis, ſententiam hanc ex Pſ. CXVIII. 22. 23. & duos priores ita, ut a LXX. Intt. expreſſa erat, attuliſſe. De ipſa verſione confer *Surenhuſii* cogitata in libro Καταλλαγῆς p. 266. ſqq. Olearius autem l. c. conſideratis ſingulis illis N. T. locis, quæ laudavimus, & cum V. T. comparatis, tandem p. 594. ſq. capita doctrinæ profert, quæ hinc conſequantur. Et primum quidem oſtendit, illa V. T. oracula, nempe Pſ. CXVIII. Jeſ. XVIII. & VIII. ex quibus ſua repetierunt Apoſtoli & Evangeliſtæ, omnino de Chriſto agere: deinde vero inſignem Prophetarum θεολογίαν edifferit, quam iſtis nominibus *lapidis*, *petræ* &c. aliisque ἀλληγορεμένοις repræſentarint. Adde *Feſſelium* Adverſar. Sac. lib. VI. p. 91. de ſenſu horum verborum commentantem, & *Suicerum* Tom. II. p. 97. & 242.

ἀπεδοκίμασαν) Ita & *Arrianus* loquitur. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 93. nec non alios apud *Elsnerum* p. 98.

ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν γωνίας) Hebraiſmus, judice *Vorſtio* Philolog. Sacr. Part. II. p. 211.

παρὰ Κυρίῳ ἐγένετο αὕτη) Interpretes tantum non omnes Fœmininum genus pronominis αὕτη ex Hebraiſmo repetunt, ad exemplum τῶν LXX. Intt. hic retento, qui ſcilicet זֹאת Hebraicum & pro neutro αὐτὸ adhibitum, eadem generis forma expreſſerint. Iidem itaque τὸ αὕτη non referunt ad *petram*, quæ hic λίθος appellatur, ſed ad totum, de quo ſermo eſt, argumentum. Neque male illi quidem. Vide inprimis *Caſaubon.* ad h. l. & *Jo. Vorſtium* in Philolog. Sacr. Part. I. cap. II. p. 231. & Part. II. p. 182. Interim tamen videtur & ipſius linguæ & contextus ſcopique rationibus non paulo melius conſuli, ſi ſtatuamus, & LXX. Intt. & Evangeliſtas, eos ſequentes, pronomen αὕτη retuliſſe ad κεφαλὴν γωνίας proxime antecedentem, eo ſenſu: *a Domino factus i. e. conſtitutus eſt ille angularis, & mirabilis eſt in conſpectu noſtro.* Hoc ſenſu verbum ἐγένετο uſurpatur *Marc.* II. 27. τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο h. e. *Sabbatum hominis cauſa conſtitutum eſt.* Ita recte *Elsnerus* p. 98. Senſum hunc probat quoque *Olearius* p. 579. ſed verſionem ipſam huc accommodari poſſe, non æque bene oſtendere videtur.

ἐν ὀφθαλμοῖς ἡμῶν) *in conſpectu noſtro*, aut coram nobis, *dum illum adſpicimus.* Ita etiam profanos loqui, poſt *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 92. oſtendit luculentis locis *Elsnerus* p. 98. contra *Gatackerum* cap. XXXIII. qui id pro Poeti-

Poetico habuit. *Vorſtius* Hebraiſmum hic ſtatuit, & multa de hac phraſi commentatur in Philolog. Sacr. Part. II. p. 182. ſq. ubi etiam p. 191. *Pfochenium* ex parte contra *Gatackerum* tuetur.

Verſ. 44. Καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ αὐτὸν &c.) Locus hic petitus eſt ex *Jeſ.* VIII. 15. quo confer *Olear.* l. c. p. 580.

λικμήσει αὐτὸν) *Lutherus* Zerſchellen: Confer *Stadenium* de Vocibus nonnullis Verſ. German. Adde de hoc commate *Feſſelii* Adverſaria Sacra lib. VI. cap. V. p. 94.

CAP. XXII.

VErſ. 1. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, πάλιν εἶπεν) Duplicem hic Hebraiſmum obſervat *Hackſpanius* in Notis p. 149. alterum in voce ἀποκριθεὶς, quæ uſurpatur, etiam ſi nulla quæſtio præceſſerit: alterum in verbo εἶπεν, quod adhibetur hic pro ἐλάλησε.

Verſ. 2. ἐποίησε γάμους) phraſis pure Græca, cujus exempla ex *Athenæo*, *Longo*, *Polybio*, & aliis attulerunt *Elsnerus* ad h. l. p. 99. & *Raphelius* in Notis Polybian. p. 93. Atque illi omnes vocem γάμος in plurium numero adhibent, *Menander* autem in Fragmentis p. 116. in ſingulari dixit τὸν ἱερὸν γάμον ποιῆσιν. Cur pluralis numerus placuerit, oſtendit *Herzogius* in Diſput. de certitudine Hermeneuticæ N. T. §. 17. Ceterum γάμος hic non ipſum matrimonium, ſed celebritatem, maxime convivium nuptiale, inferre, monuit recte poſt *Grotium*, *Hammondum* & *Keuchenium* ad h. l. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 93. & *Cornel. Adami* in Obſervatt. Philolog. p. 150. Clarus eſt *Pollucis* locus III. 3. 4. καὶ τὸ μὲν ἔργον ὁμοῦ, καὶ ἡ ἑορτὴ γάμος.

Verſ. 3. Lege ad hunc verſum *Sauberti* Opp. Poſthuma p. 46.

ἀπέστειλε τοὺς δούλους) De miniſtris invitantibus, quos ἐλεατοὺς vocare ſolebant, lege poſt *Grotium* & *Pricæum* ad h. l. *Pignorium* de Servis p. 113.

τοὺς κεκλημένους) i. e. *vocandos*, per Hebraiſmum, qui Hoſ. III. 1. occurrit. Ita *Hackſpanius* ad h. l. p. 150. Sed non opus eſt hac enallage, quia, ceu Vir doctus, cujus nomen annotare neglexi, obſervat, ex *Luc.* XIV. 16. apparet, homines hos etiam ante factam iſtam excuſationem jam vocatos ſemel fuiſſe. Idem addit, τὸ καλέσαι commode hic verti poſſe per *introducere*, ut ſenſus ſit, adducendos eſſe invitatos. Scilicet ita omnino ferebant veterum mores, ut futuri convivæ bis invitarentur, primum juſto tempore ante convivium nuptiale, ut convivæ ſe rite præparare poſſent, deinde brevi ante epulas ipſas, ut opportune adeſſent. Vide huc *Gomarum* in Operibus p. 82. & *Corn. Adami* in Obſervatt. Sacr. p. 152. ſq.

Vers. 4. τὸ ἄριστόν μου ἡτοίμασα) De voce ἄριστον lege *Suicer.* Tom. I. p. 826.

τὰ σιτιστὰ) *altilia:* de his vide *Pignorium* de Servis p. 113.

τεθυμένα) *mactata sunt*, ut plerique omnes. *Elsnerus* tamen p. 99. vertere mavult: *sacrificata sunt.* In nuptiis enim Judæos Deo sacrificasse, patere putat ex *Josephi* Antiquitatt. IV. 8. quemadmodum & profanas gentes idem feciisse vel ex phrasi γάμους θύειν, i. e. *ob nuptias sacrificare*, de qua *Cuperus* Observatt. III. 13. apparet. Erudite hæc observantur. Cum vero & ταῦροι & σιτιστὰ recenseantur, & jungantur reliquis; quibus ad convivas excipiendos opus erat, putem rectius retineri consuetam significationem mactationis.

Vers. 5. οἱ δὲ ἀμελήσαντες) Vide huc *Olearium* de Stylo N. T. Sect. I. Membr. I. §. 15. & *Adami* l. c. p. 155.

εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν) i. e. *in villam suam*, ut Vulg. recte, judice *Boisio*, in Collatione. Ita enim Lexicon Græco-Lat. vetus: ἀγρὸς, *ager, villa, rus.*

Vers. 10. διεξόδους τῶν ὁδῶν) i. e. in vias illas, quæ nunquam vacuæ sunt, sed commeantium pedibus frequentantur, quales fere sunt viæ ducentes ad aulam Principis, aut plateæ nobilissimæ quæque in civitatibus celebrioribus. Nam ut διέξοδοι ὑδάτων Ps. CVI. sunt loca irrigua, & aquosa, per quæ aqua indesinenter decurrit; sic διέξοδοι ὁδῶν dici videntur de viis maxime celebribus, in quibus agmina ultro citroque cursitantium jugiter conspiciuntur. Ita *Boisius* in Collat.

Vers. 11. ἔνδυμα γάμου) i. e. vestem, soli convivio, non aliis item congressibus, inservientem. Vide *Possini* Spicilegium p. 112. Veteres vero habuisse vestes, ad solemnitates ejusmodi, & inprimis nuptiales, adhiberi solitas, permulti ex antiquitate ostenderunt. Lege speciatim *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 23. Hujusmodi vero vestes ab ipsis convivii dominis exhiberi convivis consueviisse, aliis observatum est, & aliquatenus ex *Judic.* XIV. 12. probari posse videtur. Alia ex veterum ritibus huc attulit *Adami* l. c. p. 160. Hinc autem difficultati occurri potest illi, quæ necti solet, quod durum videatur, ab homine undecunque invitato poscere vestem, quam sibi comparare per inopiam non poterat. Neque enim is tam comparare habitum hunc sibi debebat, quam sponte oblatum recipere. Quæ vero sit illa vestis nuptialis pro scopo illo, qui in hac parabola a Christo intenditur, disquirit Cl. *Frider. Adolph. Lampe* in Exercitatt. ad Psalm XLV. p. 369. & cum B. *Gerhardo* nostro in Harmonia Evangel. affirmat, per eam intelligi Christum, qui induatur cum *fide*, quæ meritum ejus apprehendit, tum *sancta vitæ conversatione*, qua ipsius vestigiis insistamus. Totam hanc parabolam Propheticam esse, & imaginem Antichristi Romani sistere, probare insti-

instituit *Andreas Ludov. Königsmannus* singulari Dissertatione, Kilon. 1711. habita; quod aliis dijudicandum nunc quidem relinquimus.

Vers. 12. ἐταῖρε) De appellatione hac, qua Christus & Judam *Matth.* XXVI. 50. compellat, lege Bibliothec. Bremensem Class. V. p. 695.

ὁ δὲ ἐφιμώθη) Verbo hoc respici ad illum veterum morem, ex quo ducendi ad supplicium injecto capistro quodam prohibebantur, quo minus vel verbum proferre possent, existimat *Amelius* Part. I. p. 6. quam in rem vide, quos idem allegat.

Vers. 13. Vide *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l.

εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον) longissime scilicet & irrevocabiliter. Vide *Possini* Spicilegium p. 444.

Vers. 14. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ &c.) Vide huc *Franzium* de Interp. Script. S. p. 405. sq. qui ostendit, *electos* hic dici, qui vocationem accipiunt & amplectuntur constanter, nec resiliunt; nihilque adeo hæc verba facere pro defensoribus absoluti decreti.

Vers. 15. sqq. Vide huc *Val. Velthemii* Tergeminum Specimen Disputationis a Christo habitæ, Jen. 1699. nec non *Benjam. Botzerne* Logicam Sacram, duobus de N. T. locis vestigatam, *Gryphisw.* 1693.

συμβούλιον ἔλαβον) i. e. *consilium inierunt*, seu *consultarunt*; non autem: *consilium ceperunt*. Vide *Boissii* Collat. p. 66.

Vers. 16. μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν) Nimis longum foret, recensere hic diversas eruditorum de Herodianis, quorum hic in N. T. prima fit mentio, vel sententias, vel commentationes. Opera posteriore jam perfuncti sumus in Parte II. Biblioth. Hebr. Sententias vero diversas, numero X. congessit jam *Nic. Serarius* in libello, quem *Herodes* inscripsit, idemque in suo de Trihæresio libro hoc argumentum persecutus est cum dissentientibus hinc inde *Scaligero* & *Drusio*. Lege & post *Stolbergii* de iisdem & *Jo. Jac. Jensenii* Disputationes *Kühnium* in Pentade IV. Quæst. Philolog. p. 8. sqq. & *Amelium* Part. I. p. 1079. novissime autem *Christiani Sommerfeldii* de iisdem Dissertat. singularem, *Hafn.* 1713. Qui pro singulari secta cum *Isaaco Vossio* habuerunt, aut cum *Huetio* Herodem ipsis pro Messia agnitum statuerunt, eos diligenter confutat *Jo. Reiskius* in Exercitatt. de Oraculis Sibyllinis, cui potius videntur ex parte Sadducæorum placita amplexi, cetera vero partibus Herodis instar assectarum & domesticorum addicti. Atque hanc optimam omnium crediderim sententiam, quam etiam ex Josepho probabilem fecit *Kühnius* l. c. Huc fere tendit & *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gallicam h. l. affirmans: Herodianos eos dictos esse, qui operam dederint, ut regimen

in

in familia Herodis perſiſteret, de quo alioquin inter Judæos diſſenſio erat. Quæ *Harduinus* de iisdem nove attulit, ea legantur in Operibus ejus Selectis p. 352. ſqq.

ἐν ἀληθείᾳ) i. e. vere & ingenue, nihil in cujusquam gratiam vel ſimulans, vel diſſimulans. Ita *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 47. qui addit, hanc loquendi rationem, qua adverbium in nomen, præpoſitioni junctum, mutatur, Hebræis quidem inprimis, ſed tamen & Græcis receptam eſſe. Quod ut locis *Xenophontis* μετ' ἀληθείας, dicentis, probat; ita aliis idem fecerat *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 96.

Verſ. 17. ἔξεστι δοῦναι κῆνσον) Captioſa erat Phariſæorum quæſtio, qui Chriſto ſic aut Cæſarem & Præſidem Romanum, ſi negaret, aut eam populi partem, qui libertati ſuæ, ex titulo Belli aut deditionis nondum revera aut jure derogatum, exiſtimarent, ſi affirmaret, infenſiorem reddere non dubitabant. Ita *Seldenus* de Jure Naturæ & Gent. p. 792. qui deinde in ſequentibus ſummam eorum exhibet, quæ de eadem quæſtione erudite commentatus eſt *Marquardus Freherus* in libello de Numiſmate cenſus a Phariſæis in dubium vocato, qui *Heidelbergæ* an. 1599. primum editus, *Lipſiæ* deinde cum *Franc. Monzæji* Antiquitatibus Biblicis an. 1689. recuſus eſt. Mireris quæſtionis hujus rationem. At eam ita ſuppeditat *Coccejus* Tom. VI. Opp. p. 77. in Epiſtolis: *Quotannis ſolvendus erat dimidiatus ſiclus in ſanctuarium a quolibet Iſraëlita* Exod. XXX. *cumque Auguſtus Cæſar cenſum indixiſſet, viſus eſt ſuo fiſco vindicare cenſum templi & in res Dei invadere. Nam populus pluribus exactionibus gravari ſe non facile patitur, & facile fit, ut, dum unum tributum exigitur ſeverius, alterum negligatur.* Lege ibi plura. Confer etiam *Seb. Schmidium* in Faſciculo Diſputatt. Theolog. p. 853. ſq. qui obſervat, circa tempus Paſchale cenſum ex more dandum fuiſſe, ut ſi Chriſtus cenſum dandum negaſſet, per totum annum majoris ſcandali & periculi eſſe non potuerit, quam illo ipſo tempore. Ex quo homines impii occaſionem Chriſti accuſandi optimam habuiſſent. *Harduinus* quæſtionem hanc inde natam putat, quod immunitate donati erant tum a Regibus Syriæ an. 170. 1. *Maccab.* XIII. 36. tum a Romanis, 1. *Maccab.* XIV. 26. Vide eum in Opp. Selectis p. 625. & 629. Idem cenſum hunc innui exiſtimat, qui facta eo tempore deſcriptione per capita penſitandus fuerit, qualem Germani Kopfſteuer dicimus. Addit quoque, idem tributum ſolvi debuiſſe in uſum templi, nempe dimidium ſiclum, qui efficiat denarium. Tiberium vero ſarta tecta templi in ſe recepiſſe, ne a Judæis pro templo arx fieret, atque hac arte cenſum ad ſe tranſtuliſſe.

Verſ. 19. τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου) Vide huc *Salmaſium* in Reſponſ. ad Miltonum p. 269. ſq. ubi ſpeciatim oſtendit, denarium hunc a didrachmis, de quibus Matth. XVII. prorſus eſſe diſtinctum, ut & ab illis, quas Veſpaſianus

anus univerſis Judæis, ubicunque habitarent, in Capitolium inferendas impoſuit. Numos hujusmodi, de quorum uno hic ſermo eſt, exſtare apud *Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numism. p. 326. *Carol. Patinum* ad Suetonii Veſpaſianum & Titum, item *Wagenſeilium* in Notis ad Sota, obſervavit *Pet. Zornius* in Opuſc. Sacris p. 37. Numiſma illud cenſus parte altera præ ſe tuliſſe Cæſaris vultum ſeu imaginem, qualis in Cæſarum numis haberi ſolet, eamque prominentiorem, neutiquam dubitandum, ſcribit *Seldenus* de Jure Naturæ & Gent. p. 221. idemque ridiculum eſſe ait, quod ſomnient aliqui de Cæſaris imagine in Siclis, Judæorum honoris cauſa heic inciſa. Conferatur idem p. 795. ubi contra *Freherum* differit, in laudato libello ſtatuentem, quod ex dimidii ſicli ſacri inſpectione dignoſci potuerit, ſolvendumne Cæſari tributum ſit, an minus. Nihil enim hujusmodi ait in ſiclis dimidiis, quorum inſcriptionem & figuram dederat p. 197. obſervari. Itaque hinc idem conficit, numiſma illud non fuiſſe aliud, quam ipſum monetæ genus, quo tunc tributum Romanis ſolvi ſoleret. In cujus ſententiæ, omnino melioris, confirmationem plura ibidem allata lege p. 797. Sic & *Harduinus* loco modo citato p. 629. a. affirmat, numiſma hoc fuiſſe denarium, quem Tiberius cum vultu ſuo ſignari juſſerit, ut ſolveretur in ſingula capita a Judæis; ſed talem ſe nunquam vidiſſe idem profitetur. Confer *Stephani Morini* Exercitatt. de Lingua primæva p. 259. Adde *Jo. Jac. Schulini* de hoc numiſmate Diſſertat. recuſam in Theſauro Diſputatt. Tom. II. p. 167. item *Thom. Crenii* Diſſertationem, quæ ſubjecta eſt Part. II. Animadverſionum ejus p. 196. ſqq. nec non Vener. V. E. *Læſcherum* in Stromat. p. 165. qui cum *Jac. Cappello* ſtatuit, numum hunc denarium fuiſſe, qui, cum ſit Romanorum proprius, ſimul quoque argumentum ſubjectionis Judæorum præſtiterit.

Verſ. 21. Ἀπόδοτε τὰ τῦ Θεῦ) Sic Cyrus apud *Xenophontem* Cyropæd. lib. V. p. 100. τὰ τῶν Θεῶν ἀποδόντες τοῖς μάγοις, quod obſervat *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 47. qui & p. 94. Notarum Polybian. ſcribit, Chriſtum hic loqui de ſiclo templi, in ærarium ſacrum conferendo, qui quam maxime proprie appelletur τὰ τῦ Θεῦ, quaſi annui Dei reditus, ut apud *Arrianum* Expedit. Alexandri VII. 17. 5. Confer de his verbis *Schotti* Adagial. N. T. p. 53. Optandum cetera erat, ut exſtarent *Jo. Petri Buſchagrii*, Sueci, tractatus bini ad hujus commatis explicationem pertinentes, quos MSS. apud heredes ejus exſtare memorat *Guſtav. Peringerus* in Hiſtoria Linguæ & eruditionis Arabum p. 184.

Verſ. 24. Ex hoc inprimis commate, in quo Sadducæi ad Legem Moſis provocant, *Harduinus* in Opp. Selectis p. 905. novam ſuam & inſolentem, omnique veri ſpecie deſtitutam nominis Sadducæorum rationem adſtruere conatus eſt, ſtatuens, dictos ita eſſe ex ש i. e. *qui*, חדה *delectatus*

est, & חקה i. e. *lex*. Ut proinde nomine hoc studium Legis inferatur. Sed ista quidem referre est refutare. Allegationem ipsam, quæ hic instituitur, non mala fide factam esse, quod nonnulli putarunt, sed tantum perverse accommodatam, ostendit *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 270. sqq.

ἐπιγαμβρεύσει) Vocem ἐπιγαμβρία de *adfinitate* inter Constantinum & Licinium, qui nempe sororem Constantini in uxorem duxerat, *Eusebius* usurpat Hist. Eccles. X. 8. Confer *Spanhemium* ad Juliani Oratt. p. 287. Frequentior hæc vox est apud Græcos Scripturæ Interpretes. Vide *Boysi* Collationem p. 68. qui & Vulgatam per *ducet* sufficienter vertisse verbum hoc autumat.

ἀναστήσει) i. e. *dabit*, ex Hebraismo. Vide *Deut.* XVIII. 15. *Judic.* II. 16. collat. cum *Act.* XIII. 20. observante *Martianæo* in Essay p. 133.

Vers. 27. ὕστερον δὲ πάντων) ita sæpe οἱ LXX. Vide *Keuchenium* ad h. l.

Vers. 28. ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει &c.) Argumentum hoc satis difficile esse iis, qui ex crassis hujus mundi deliciis alterius mundi voluptates metiebantur, quæ tunc temporis Sadducæorum, uti & posterorum opinio fuisse videtur, observat *Pocockius* p. 95. sq. ad Portam Mosis.

Vers. 29. πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς) Vide huc Rev. *Jo. Wilh. Zierold.* deutliche Erklärung der Heil. Schrift p. 307. sq.

Vers. 30. ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι) Ἰσαγγελίαν hanc ad varias consecutiones & doctrinas invehendas adhibuerunt nonnulli, quos sub examen vocat *Hackspanius* in Notis Philolog. ad h. l. p. 151-159. ubi eadem opera ostendit, quousque ista extendi possit.

Vers. 32. Ἐγώ εἰμι ὁ Θεὸς Ἀβραάμ &c.) Ad Servatoris argumentum, quod ex istis verbis ducitur, lege ex nostratibus *Jac. Martini* de Analysi Formæ p. 80. sq. *Danhauerum* in Polemosophia p. 183. & Deliquiis Onirocritic. p. 205. & alios a B. *Sam. Bened. Carpzovio* citatos in Commentatione ad Evangelia Dominicalia, quam Fruchtbringende Gesellschaft inscripsit, Part. II. p. 883. item *Saubertum* in Opp. Posthumis p. 272. sq. *Seb. Schmidium* in Colleg. Biblic. Poster. p. 377. sqq. *Mich. Fœrtschium* in Selectis Theolog. Part I. p. 49. sq. & *Gothofr. Olearium* ad h. l. p. 606. sqq. Ex ceteris consulendi inprimis sunt *Alex. Morus* de Scriptura p. 173. item in Notis ad h. l. p. 49. *Guil. Saldenus* in Otiis Theolog. p. 562. sq. & Cl. *Maturinus Veyssiere la Croze* in *Entretiens sur divers sujets* p. 185. sq. Ex *Anglis* lege *Medum* in Operibus p. 801. sq. *Tillotsonum* in Concion., quæ est XXIII. (cujus cogitata repetit *Amelius* Part. I. p. 1089. sq.) & *Pearsonium* ad Symbolum Apostolicum p. 666. Nos potiores difficultates, quæ hic occurrunt, strictim tangemus. Nonnulli existimant, argumentum hoc ex eorum esse numero, quæ κατ' ἄνθρωπον appellantur,

tur, nec per se ad rem, quæ probanda erat, sufficere. Ita *Richard. Simon* in Respons. ad Judicia Theologorum Batavorum de Historia sua Critica c. XX. p. 245. & *Jac. Basnagius* in Histor. Jud. Tom. III. p. 387. contra quos vide *Olearium* & *la Croze* ll. cc. Adde *Scherzerum* in Programm. p. 176. Aliis non tam resurrectio corporum, quam immortalitas animarum ita probari visa est, qui ideo voce ἀνάστασις nihil aliud notari volunt, quam vitæ alterius statum. Inter hos sunt *Dan. Heinsius*, & *Henr. Hammondus*, cui se opponit in animadversionibus Clericus, & *Olearius* l. c. Idem vero etiam in Confessione Ecclesiæ Orientalis a Laurent. Normanno editæ tradi p. 61. merito mireris. Certe huic opinioni adversatur omnino Sadducæorum, contra Christum hic disputantium, scopus. Illos enim hic corporum resurrectionem oppugnare voluisse, ex eo intelligitur, quod argumentum ducunt a commercio matrimoniali, quod certe non cadit in animam aut naturam, corpóreæ affectionis expertem, sed in corpus. His igitur dum respondet Servator, omnino statuendus est in eadem causa agenda perstitisse. Porro Interpretes admodum dissentiunt in ostendendo probationis nervo. Afferemus id, quod reliquis præstare videtur. Respicit scilicet hic Servator ad fœdus, quod Deus cum Patriarchis pepigerit. Vide *Genes.* XVII. 7. *Cum quibus vero Deus fœdus gratiæ iniit, quod vellet esse Deus eorum in seculum, illi in vitam revocabuntur, ut possint promissa gratia fœderali perfrui. Fœdus hoc æternum est, ac proinde, qui eo comprehenduntur, eos oportet vivere in æternum, ac proinde resuscitari:* Ita B. *Gerhardus* in Harmonia Evangel. c. 155. p. 471. b. quæ amplius urget, & ornat *Olearius* l. c. summa totius demonstrationis ita p. 623. proposita, quod Patriarchæ vi fœderis istius, quod Deus cum ipsis fecit, per fidem in semen promissum, principium vitæ jam ex eo traxerint, cujus virtute illa, in qua detineantur, mors ad interitum & exitium eorum non spectet, sed ad vitæ ipsorum consummationem, quæ necessario jam ex illo Fœdere suo tempore plene sit manifestanda. Atque ex *fœdere* cum Abrahamo vim argumenti hujus repetendam esse vidit quoque *Jos. Mede* p. 801. Opp. qui tamen illud non tam ad Christum spectare, quam ad terram Canaan, aliquando a Patriarchis possidendam, existimat. Hanc ait esse promissam non solum posteris Patriarcharum, sed & ipsis Patriarchis. Qui cum obierint, necesse esse, ut alio tempore promissio hæc ipsis impleatur. Hoc vero fieri non posse sine excitatis corporibus. His autem aliquando restitutis, eos in terra Canaan aliquando vivos versaturos esse. Enimvero cum vita sanctorum, in his terris post resurrectionem agenda, ex Scripturis adstrui non possit, per se ruit hæc *Medii* interpretatio, & præstat fœderis, cum Abrahamo icti, rationem talem repræsentare, qualem vidimus. Interim operæ pretium est, observare, Judæos ad illud fœdus provocasse, ubi resurrectio corporum probanda erat. Ita in Gemara capitis חלק affertur traditio Rab. Simai: *Quo loco adstruit Lex resurrectionem mortuorum? ubi dicitur:* atque etiam constabilivi fœdus meum cum ipsis, ut

dem ipsis terram Canaan. (*Exod.* VI. 4.) *Non enim dicitur* vobis, *sed* ipsis. Additur ibidem, Gamalielem Sadducæis, iterum probationem resurrectionis ex Lege efflagitantibus, protulisse locum: *quam terram juravit Dominus Patribus vestris, daturum se illis. Deut.* XI. 21. At huic opinioni opponimus recentioris Rabbini, R. *Ephraim* in כלי יקר fol. 44. col. 1. testimonium, ita scribentis: *non reperimus nec in Lege, nec in Prophetis, nec in Hagiographis, in diebus Messiæ victuros esse patres, & inhabitaturos terram Israëlis. Quid enim utilitatis caperent ex permutatione orbis durabilis cum transeunte, & quanto minus tempore resurrectionis, cum mundus erit vastatus, quomodo inhabitabunt Patres terram?*

Quæsitum præterea est, cur Christus ex Pentateucho potissimum, non vero ex aliis S. Codicis libris, ex quibus idem fieri poterat, argumentum delegerit. Et alii quidem respondent, factum esse ideo, quod Sadducæi præter Legem nihil reciperent. Sed hoc ipsum Sadducæis præter rem exprobrari alii pridem manifestum fecerunt, nominatim *Hackspanius* in præf. ad Tract. de usu librorum Rabbinic. p. 226. sq. *Scaliger* in Trihæresio cap. XVI. *Saldenus* in Otiis Theolog. lib. III. Exerc. IX. §. 6. *Schupartus* in Exercitationibus de Karæis p. 14. sq. &, ut ceteros taceam, *Pet. Baelius* in Dictionario Hist. Critico Tom. III. p. 2640. not. G. *Josephi*, qui huc ex Antiquitt. XIII. 18. affertur, locum id non efficere, ab aliis, speciatim a *Saldeno*, ostensum est, totaque hæc opinio vel nata vel firmata hinc videtur esse, quod Sadducæi cum Samaritanis, quos Pentateucho solo uti constat, passim confundantur. Vide in hanc rem *Hottingeri* Exercitatt. Anti-Morinian. Sect. 14. *Morini* Exerc. Biblic. p. 308. seq. & *Relandi* Antiquitates Hebr. p. 263. Itaque alia instituti hujus ratio danda erit. Scilicet Sadducæi ex Lege aliqua Mosis oppugnaverant corporum resurrectionem: itaque eadem ex ipso Mose adstruenda erat, ut appareret, Legem illam contra resurrectionem non pugnare, nisi Moses secum ipsum pugnare dicendus esset. Deinde ex Gemara capitis Talmudici חלק modo ostensum est, Sadducæos Resurrectionem ex Lege inprimis demonstrari sibi voluisse. Denique forte, quæ *Saldeni* est sententia, iidem Pentateuchum in pretio habuerunt. Ex his responderi quoque potest illis, qui mirantur, cur Christus maluerit uti argumento, quod ex consequentia pendet, quam directo aliquo & primo intuitu rem inferenti. *Adrianus Relandus* in Dissert. Miscellan. Part. II. p. 28. Christum hoc illis temporibus dedisse opinatur, quibus scilicet istiusmodi probationes textibus, qui prima fronte id dogma præferre non videntur, petitæ magis in usu & honore fuerint.

His observatis, non opus fuerit cum *Alex. Moro* in Notis ad h. l. recurrere ad Rabbinorum dicterium, *quod* scilicet *Deus non tribuat nomen suum justis adhuc viventibus.* Id tamen fas sit commemorare, quod *Menasse ben Israel* lib. de Resurrectione mortuorum p. 68. hoc Christi argumentum iisdem verbis urserit, ita scribens: *Cum Mosi primum appareret Dominus, dixisse legitur:* Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus

Deus Jacobi. *Atqui Deus non eſt Deus mortuorum, quia mortui non ſunt; ſed vivorum, quia vivi exiſtunt. Itaque Patriarchas etiamnum reſpectu animæ vivere ex eo recte infertur.* Atque illa quidem Judæum, Chriſtianis quibusdam olim familiariſſimum, Novo Teſtamento debere recte obſervat *le Cene* l. c. Id addo, verſionem Latinam ex Hiſpanico contextu, qui ab ipſo Menaſſe profectus eſt, minus recte ex parte factam eſſe. Secundum eum enim ſcribendum fuerat: *mortuorum, qui non ſunt, ſed vivorum, qui exiſtunt.* Ita enim ibi: *Dios no es Dios de los muertos, que ne tienen ſer, mas de los vivos, que aun exiſten.*

Verſ. 35. Νομικὸς) Per hunc *Karæum*, qui hodie vocantur, ſeu *Textuarium* aliquem, a traditionibus alienum, indicari ſtatuit *Triglandius* in Diatriba de Karæis p. 66. idemque obſervat, ſi id admittatur, Chriſtum in uno hoc capite ut victorem quatuor Sectarum, inter Judæos tum vigentium, repræſentari. Conf. quæ ſcribentur ad Luc. X. 25. Ceterum voce hac utitur & *Epictetus* lib. I. c. 13. ubi νομικὸν dicit ἐξηγέμενον τὰ νόμιμα. Adde *Raphelium* p. 94. Notarum Polybian.

Verſ. 36. ἐντολὴ μεγάλη) i. e. *præceptum maximum*, ut *Matth.* V. 35. πόλις ἐςὶ τȣ̃ μεγάλȣ Βασιλέως. *Hombergius* p. 67. Vide & *Marc.* XII. 28. non ſine Hebraiſmi ſuſpicione: conf. *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 3. ſq. Quomodo vero & qua de cauſa dicatur hoc præceptum ſummum, oſtendit *Wokenius* in Meditationibus Privatis Tom. I. p. 22. ſqq.

Verſ. 37. Ἀγαπήσεις &c.) Eodem fere modo totius Legis ſumma proponitur ab *Aurah. Jagel* in לקח טוב ſeu Catechiſmo Judaico, in varias linguas converſo. Is enim, ubi Quæſt. XXI. interrogaverat, numquid præter amorem Dei & hominum requireretur, reſpondet: *Duobus iſtis primaria totius legis regula adſcribitur. Illud namque:* & diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis; *complectitur omnia illa, quæ Deo benedicto cum homine intercedunt præcepta, nimirum omnia tam affirmantia, quam negantia. Illud autem*, & diliges proximum tuum ſicut te ipſum, *comprehendit omnia ea præcepta, quibus homines inter ſe invicem continentur, ſive affirmativa, ſive negativa.* Confer *Laur. Odhelii* Synagogam Bifrontem p. 131. qui hic eximium Theologiæ antiquiſſimæ vere Iſraeliticæ fragmentum occurrere obſervat. Sed veri mihi fit ſimile, Scriptorem iſta ex Sacris literis N. T. hauſiſſe, quippe qui tandem ad Chriſti ſacra acceſſit. Vide, quæ de eo ſcripſi in Part. I. Biblioth. Hebr. N. LXXVIII.

ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ) Id *Marcus* XII. 30. exprimit ἐξ ὅλης τῆς καρδίας. Vide *Gatackerum* ad Antonin. IV. 31. p. 157. ubi Matthæum ait ἑβραΐζειν, Marcum vero ita loqui, ut paſſim *Antoninus* facit, cujus loca affert.

τῇ διανοίᾳ σȣ) i. e. *mente tua*, ut Vulg. vertit, quod tuetur *Boiſius* in

Collatione p. 68. auctoritate inprimis Ciceronis usus, qui *Platonis* in Phædro locum interpretans διάνοιαν eadem ratione expressit.

Vers. 39. ὁμοία) Qui vero simile? nempe quoad sensum & vim, & quia hoc præceptum consequitur ex illo, imo ei includitur, ut Christus alibi declarat: non autem, quod similiter universale sit, uti *Beza* voluit: dicitur enim ὁμοία ἐντολή. Ita *Hombergius* p. 67.

Vers. 40. Ἐν ταύταις -- κρέμανται) Ita & profani loquuntur, nominatim *Plutarchus* in Consolat. ad Apollon. p. 116. de Delphicis præceptis, γνῶθι σεαυτὸν & μηδὲν ἄγαν ait, ἐκ τέτων γὰρ ἤρτηται τὰ λοιπὰ πάντα. Confer similia *Jamblichi* apud *Elsnerum* ad h. l. p. 100. & aliorum apud *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 378. Hebræos ita loqui jam observavit *Lud. Cappellus* in Spicileg. p. 44. Latinorum *pendere* eadem notione usurpatur tam frequenter, ut nonnulli Latinismum hic videre sibi visi sint, inter quos nomen suum *Grotius* quoque profitetur, & *Olearius* de Stylo N. T. l. c. Aliter tamen hic sentiendum esse, copiosa Græcorum Scriptorum loca, quæ citati hic afferunt, evincunt. Iis Cl. *Trillerus* in Notis MSS. addit *Pindari* Olymp. Od. VI. & VII. tum *Anacreontis* Od. XXIX. & LXX. Intt. Genes. XLIV. 30.

ὅλος ὁ νόμος) Vox ὅλος, in nonnullis Codd. non obvia, defenditur a *Whitbio* contra Millium in Examine p. 40.

Vers. 42. & sqq. illustrantur ab *Elia Paulo Schöderlino*, Norimb. 1665. 4.

Vers. 43. Πῶς οὖν Δαβὶδ &c.) Ex his Christi verbis recte collegerunt Interpretes tantum non omnes, Psalmum Davidis CX, ad quem hic provocatur, ad Messiam spectare, cum & ipsi Pharisæi, in æstu disputandi constituti, id negare ausi non sint, quod facturi omnino ad eluendam argumenti vim fuissent, si per rem ipsam & constantem ætatis illius in hac interpretatione consensionem fieri potuisset. Itaque mireris, non solum Judæos quosdam recentiores, v. c. *Isaacidem* & *Lipmannum*, sed & ex Christianis nonnullos, inprimis vero Socinianos, Psalmi hujus sensum literalem ad omnia alia referre potuisse. Memorantur illi & confutantur a variis, qui hoc vaticinium Christo vindicarunt, quos citatos vide a B. *Martino Difenbachio* in Judæo convertendo p. 74. & Judæo Converso p. 74. quibus adde *Mœbii* Dissert. Select. p. 1142. *Allixii* Considerat. librorum V. T. Part. II. p. 124. *Altingii* Heptadem III. Diss. II. Tom. V. Opp. p. 53. *Anton. Bynæi* Explicationem Belgicam hujus Psalmi, *Daventr.* 1694. 8. & inprimis *Jo. Jac. Schudt* in Commentario Philologico-Theologico in Psalmum CX. qui Francof. ad Mœn. an. 1718. 8. prodiit, nihilque eorum, quæ huc pertinent, intactum reliquit. Ex Anglis lege huc *Kidderum* in Demonstrat. Messiæ Part. I. cap. 9. & *Allixium* in Considerat. super libros V. T. p. 121. sq.

Georg.

Georg. Enjedini exceptionibus, in Explicatione Locorum V. & N. T. allatis, se opposuit speciatim *Gottfr. Olearius* in Observatt. Sacr. p. 626. sqq. Novissime *Jo. Massonus* in Historia Critica Reipubl. Liter. Tom. I. p. 89. sq. illorum, quos appellavimus, novis vestigiis insistendum censuit, existimans, Psalmum istum post interitum Isbosethi 2. Sam. IV. ab ipso Davide, in possessione regni jam confirmato, compositum esse in rei memoriam, ad quem proinde totus pertineat, qui tamen sensu mystico & Prophetico, præeuntibus scilicet Christo & Apostolis, ad Christum accommodari possit. Huic autem, ut ceteros taceam, ex nostratibus occurrit *Salomon Deylingius* in Observatt. Sacris Part. III. p. 110. sqq. ex Reformatis autem *Frid. Adolphus Lampe* in Exercitatt. ad Psalm XLV. p. 4. sqq.

ἐν πνεύματι) Voces has *Massonus* l. c. cum Enjedino idem esse vult, quod Latine dicitur *spiritualiter*, seu *sensu mystico*. Sed gratis id & sine veri specie dici, vel ex Marco apparet, ubi in loco parallelo XII. 36. diserte legis ἐν πνεύματι ἁγίῳ i. e. *per Spiritum S.* unde facile patet, Spiritum S. hic indicari, tanquam cujus impulsu & afflatu David hæc sit prolocutus. Atque hanc phrasin eodem sensu etiam alibi, v. c. 1. *Pet.* I. 21. *Luc.* II. 27. & 1. *Cor.* XII. 9. occurrere a B. *Feurbornio* in Anti-Enjedino recte admonitum fuit. Hinc & Petrus Act. II. 34 eundem hunc Psalmum de exaltato ad dextram Dei Christo allegans, exaltationem hanc v. 33. ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος i. e. promissionem Spiritus S. appellat. Omitto alia apud auctores laudatos legenda.

Vers. 45. Εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν Κύριον) De his verbis, in quibus nervus argumenti Christi repositus est, lege commentantem *Olearium* l. c. p. 632. sqq. Idem p. 637. observat, in hoc commate post nomen Δαβὶδ a variis Codd. quos appellat, exhiberi voces ἐν πνεύματι, quæ v. 43. leguntur. Eas itaque ex reliquis, & inprimis editis Codd. excidisse putat, ad intendendam vim argumenti necessarias. Adde illis version. Saxonic. in qua itidem exstare observavit D. *Wilkinsius* in Prolegom. ad Vers. Coptic. p. 15. Interim tamen veri videtur similius, voces ἐν πνεύματι v. 43. repetitas & huc translatas esse, quam ab ipso Matthæo profectas, quemadmodum nec Marco XII. v. 37. simpliciter dicitur: Αὐτὸς οὖν Δαβὶδ λέγει αὐτὸν Κύριον, qui v. 36. scripserat: Αὐτὸς γὰρ Δαβὶδ εἶπεν ἐν τῷ Πνεύματι τῷ ἁγίῳ.

Vers. 46. λόγον) i. e. πρᾶγμα, *quidquam*, qua notione vocem λόγος apud diserтiores Græcos poni cum Beza recte affirmat *Hombergius* p. 67. Quomodo vero hic adeo confusi sint Judæi, ut nihil omnino excipere valuerint, ostendit *Hottingerus* ad Discursum Gemaricum de Incestu p. 78.

ἐπερωτῆσαι) i. e. *captiose interrogare*, ut eum confundere aut implicare possent, ut νομικὸς h. l. qui Christum ἐπηρώτησε πειράζων v. 35. & Sadducæi v. 23. Recte hæc monet *Elsnerus* ad h. l. p. 101.

CAP.

CAP. XXIII.

VErſ. 1-5. illuſtrat *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſputt. Theolog. p. 921. ſqq. Vide etiam B. *Jo. Georg. Neumanni* Diſput. de audiendis Doctoribus etiam hypocritis, *Witteb.* 1697. 4.

Verſ. 1. τοῖς ὄχλοις καὶ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ) per ὄχλος hic non Chriſti populum, ſed Judaicum intelligi debere, oſtendit contra Origenem *Schmidius* l. c. Sic enim dicendum fuiſſet ὄχλος τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, ut Luc VI. 17. Hic vero ὄχλοι a μαθηταῖς diſtinguuntur. Verſionem B. *Lutheri* defenſam vide a *Raithio* p. 354. Vindiciarum.

Verſ. 2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν) Lege huc *Marckii* Exercitat. Exegetic. XXVII. p. 537. ſq. & *Guſſetii* Veſperas Groninganas p. 287. ſq. & in Confutat. libri *Chiſſuck Emuna* Part. II. c. 47. p. 404. Rev. item *Mart. Cladenii* Diſſertat. de Phariſæis in cathedra Moſis ſedentibus, *Vitemb.* 1718. 4. tum vero *Jo. Kieslingii* Diſſert. de hypocriſi late regnante, *Lipſ.* 1709. 4. Inprimis hic ab Interpretibus quæritur, quid per *cathedram Moſis* intelligendum ſit, atque alii quidem eam de auctoritate magiſtrali & doctorali, alii de poteſtate legislativa interpretantur. Poſteriorem hanc innui inprimis poſt *Lightfootum* cenſet *Guſſetus* contra *Chiſſuck Emuna*, & in Lexico Hebr. rad. ישב not. A. ideo, quod nullam uſquam Moſis cathedram inveniat, niſi Exod. XVIII. 13. 14. eam vero ibi eſſe *judicialem.* Idem tamen in Veſperis Groning. p. 291. ad doctoralem poteſtatem magis referre videtur ex ſcopo Chriſti, qui hic Scribas & Phariſæos hypocriſeos arguere inſtituat, tanquam docentes quidem optima, ſed peſſima exempla exhibentes. Itaque audiendos hic ſuaderi, quoad Moſen ex mente Moſis explicent, nec gloſſematis & παρερμηνείαις vel depravent, vel in contrarium ſenſum deflectant. Ad doctrinalem auctoritatem hæc pertinere *Grotius* quoque cenſuit, in notis ad h. l. & Tom. III. Opp. p. 229. cum quo facit & *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 165. ſeq. qui tamen in Archi-Synagogo p. 303. utramque & judicandi & docendi facilitatem conjungit. Idem priore loco oſtendit, in ſcriptis Judæorum memorari tum כסיות i. e. *ſedilia*, tum etiam קתדרות i. e. *cathedras*, atque has quidem in *Echa Rabba*, quo etiam conferatur *Cartwrighti* Mellific. Hebr. lib. II. c. 3 Imo in *Sepher Hakkabbala* fol. 61. de R. Joſepho diſerte ſcribi, וישב על כסאו *& ſedit in cathedra ejus* ſc. Rabbæ: ſicut & in *Bereſchith Rabba* fol. 90. 3. de R. Juda referatur, quod, ubi ordinaturus ſeu inauguraturus erat R. *Levi ben Suſi* Doctorem, Simonienſes ipſi ſuggeſtum exſtruxiſſe dicantur, illum in eo collocaſſe & plurimis quæſtionibus objectis exagitaſſe. Hæc penſitans, & phraſin Judaicam cum ſcopo ſermonis Chriſti conjungens, non dubitem in iſta ſententia, quam ex noſtratibus quoque *Seb. Schmidius* l. c. contra Lightfootum tuetur

p. 935. ſqq. ex ceteris vero *Caſaubonus* contra Baron. p. 665. acquieſcere. Atque eam quoque ſuam fecit *Serarius* lib. II. c. 3. §. 19. Trihæreſii, qui ait, cathedram hanc eſſe ipſam Legis doctrinam, ſed cum auctoritate publica & legitima propoſitam, ſive ipſam Legis docendæ ac proponendæ auctoritatem publicam. Nihilominus tamen ad legislativam poteſtatem, qualis erat Synedrii, hæc refert *Seldenus* de Synedriis p. 736. & *Relandus* in Antt. Judaic. p. 233. qui & obſervat, in Targum Pſ. XLV. 1. memorari *ſedentes in Synedrio Moſis*.

ἐκάθισαν) Scilicet ante excidium Templi ſecundi ſedebant tantum Doctores, ſtabant vero diſcipuli: ſed hic mos paulo ante deſtructum templum mutatus fuit, ita ut etiam diſcipuli ſederent. Ita facile conciliantur veterum loca, quæ ſibi alioquin adverſari videntur. Lege huc *Vitringam* in Archiſynagogo & de vetere Synagoga paſſim. Adde *Wagenſeilii* notas ad *Sota* p. 995. Ceterum ἐκάθισαν idem hic eſſe, quod καθίζουσιν, contra *Tannerum* olim oſtendit *Hunnius* in Colloquio Ratisbonenſi, & *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 300.

οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι) Hinc patet, Scribas cum Phariſæis multa communia habuiſſe, ſicut & Luc. XX. 46. ſcribis tribuuntur, quæ alias Phariſæis. V. *Matth.* XXIII. 6. & *Marc.* XII. 39. Fuerunt tamen & inter eos, qui cum Phariſæis non facerent, ut patet ex Act. XXIII. 9. & *Luc.* XI. 44. Conf. Relandi Antiquitt. Hebr. p. 271. Mihi quidem veriſimile videtur, hic *Scribas* a *Phariſæis* diſtingui, tanquam *Textuarios* ſeu literam Moſis ſcriptam tantum tractantes, a patronis traditionum, ex eo autem conjungi, quod utrique populum docendi poteſtate inſtructi fuerint. Lege huc inprimis *Triglandium* de Karæis p. 68.

Verſ. 3. πάντα ὅν ὅσα ἐιπωσιν ὑμῖν τηρεῖν) i. e. omnia illa, ſed & ſola, quæ vobis ex cathedra illa, h. e. ſcriptis Moſis, quæ in illa leguntur, & explicantur, dixerint, ſervate. Ita verba hæc explicat ſcite *Schmidius* l. c. p. 921. quæ amplius ita παραφράζει: *in cathedra & officio docendi eo conſtituti ſunt vi vocationis ſuæ Scribæ & Phariſæi, ut ſola ſcripta Moſis legant, proponant, explicent, tractent: omnia itaque, quæ ex ſcriptis Moſis vobis dixerint, ut ſervetis illa ſola, & non alia, quæ non ex ſcriptis Moſis, aut ad verum eorum ſenſum dicunt, docent, aut tradunt, ſi vel maxime dixerint, eſſe traditiones Moſaicas, ſervate & facite.* Iſtam namque excluſionem vult membrum oppoſitionis ſubſequens: *ſecundum vero opera eorum ne facite.* In eundem ſenſum Talmudici in Codice *Chagiga* II. f. 15. b. interpretantur Malachiæ verba II. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodiant notitiam, & doctrinam requirant ex ore ejus, quum*, vel quando *Angelus eſt Domini exercituum*, ubi R. *Jochanan* ita: ſi ſimilis eſt Doctor aliquis Angelo Domini exercituum, requirant doctrinam ex ore ejus: ſin minus; nequaquam ex ore ejus requirant doctrinam. Confer *Jo. Andr. Danzii* Diſſert. de Sinceritate Scripturæ V. T. eluctante p. 3. Vide etiam *Hackſpanii* Miſcellanea p. 190. Ceterum populum Judaicum omnia ex præſcripto Phariſæorum feciſſe, *Joſephus* docet An-

tiquitt. II. 18. p. 617. Itaque hoc magis inſtruendi erant, quouſque illis audientes eſſe deberent.

κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν) Opera hic non doctrinæ Phariſæorum opponi putat Schmidius l. c. p. 958. ſed doctrinæ Moſis, ſeu in ſcriptis Moſaicis comprehenſæ, ut ſenſus ſit: ſecundum vero opera eorum, h. e. ſecundum ea, quæ illi faciunt de ſuo, non ex Moſe, docendo & vivendo, ne facite. Doctrina enim ipſorum propria, quam ſcilicet ex ſuo cerebro fingebant, cum vita & moribus eorum conveniebat. Hunc ſenſum ut obtineat ὁ μακαρίτης, reliqua: λέγουσι καὶ οὐ ποιοῦσι, ita interpretatur: dicunt enim illi vobis, quæ ſervanda ex Moſe, prælegunt, interpretantur, & illuſtrant ex Moſe; ſed ipſi tamen illa non faciunt ex ſenſu Moſis, dum ſuis falſis gloſſis verum ſenſum corrumpunt, & ſecundum ſuum proprium ſenſum, & non ſecundum ſenſum Moſis vivunt. Equidem vereor, ne hæc ſubtiliora plerisque videantur. Interim tamen eodem fere modo verba Chriſti interpretatus eſt *Franzius* de Interpretat. Script. Sacr. p. 589.

λέγουσι γὰρ καὶ οὐ ποιοῦσι) Ita loquuntur *Judæi*: vide *Hottingerum* ad Diſcurſum Gemaricum de Inceſtu p. 93. & *Græci* profani apud *Elsnerum* p. 102. Sic *Epictetus* Philoſophos appellat, qui tales ſint ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν. Plura invenies, ſi placet, apud *Gatackerum* ad Antoninum lib. I. §. 16. & IX. 29. Vide & *Schotti* Adagialia N. T. p. 54.

Verſ. 4. δεσμεύουσι γὰρ φορτία.) Ita *Pythagoras* apud Porphyrium in Vita Pythagor. 42. dixit, συναναπαύειν μὲν φορτίον τοῖς βαστάζουσιν, συγκαθαιρεῖν δὲ μή, h. e. *onera portantibus, non detrahere.* Lege alia hujusmodi apud *Elsnerum* p. 103. qui & ſequentem phraſin τῷ δακτύλῳ κινῆσαι profanis receptam fuiſſe oſtendit. Confer *Schotti* Adagial. N. T. p. 52. & *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l. Pertinet huc locus Codicis *Sota* c. III. §. 7. ubi pro aſtuto haberi jubetur, qui ſibi ipſe præcepta allevet, aliis vero aggravet. Conf. *Wagenſeilium* p. 512. Quod ad rem attinet, *Schmidio* l. c. p. 968. hæc videtur Chriſti mens fuiſſe; colligant præcepta in Moſe contenta in onus grave & importabile, & ponunt ſuper humeros hominum, quod nec Moſes fecit, nec ſcripta ejus habent. Illa enim non ſola habent præcepta legalia, ſed habent etiam Evangelium, nec uſquam dicunt, ſervari neminem poſſe, niſi totam legem ſervarit. Quomodo ex his verbis ſequatur, legem ſervari exacte non poſſe, oſtendit *Hackſpanius* in Notis p. 160.

Verſ. 5. πλατύνουσι δὲ φυλακτήρια) תפלין ſunt iſta φυλακτήρια, quam vocem ex verbo φυλάσσειν i. e. *præſervare*, derivat & explicare inſtituit *Poſſinus* in Spicileg. p. 123. LXX. Intt. vertunt ἀσάλευτα Exod. XIII. 16. & *Deut.* VI. 8. quæ Latine dixeris *amuleta*, quomodo & Gloſſarium vetus vertit. Adde *Druſium* de Sectis p. 263. ſq. & *Scaligerum* in Elencho Trihæreſii cap. VII. p. 61. ſq. & qui cum eo facit, Boiſium in Collat. p. 70. Cur φυλακτήρια

ρια vocentur, utrum ideo, quod legis memoriam conſervent, an quod vi ſingulari a malis præſervandi pollere credita ſint, diſputant eruditi. Fortaſſe nomen hoc tulerunt, quod eorum ope tuti præſtarentur a contactu hominum aliorum. Ita fere *Relandus* in Antt. Judaic. p. 269. qui *Epiphanii* quendam locum huc affert. Vocem *phylacterium* verſiones aliquot retinent, a *Rich. Simonio* Hiſt. Crit. de Verſ. N. T. p. 465. ſq. memoratæ, quarum conſilium approbat idem. De *phylacteriis* ipſis lege poſt *Scrarium* in Trihæreſio p. 38. *Druſium* de Sectis p. 263. 267. *Guiſium* ad Berachoth. III. 1. *Bartolocc.* in Bibliotheca Magna Rabbinic. T. I. p. 576. ſqq. *Hoornbeeck.* de convertend. Judæis p. 483. ſq. *Braunium* de Veſtitu Sacerd. Hebr. p. 71. ſq. *Wagenſeilium* ad Sota p. 397. ſq. qui & figuram Phariſæi iis induti exhibet, *Owmannum* ad Codicem יומא p. 99. ſeq. & *Schupartum* de Karæis p. 162. ſq. Inprimis vero conſulendæ ſunt ſingulares eruditorum de iis Diſſertationes, nominatim *Peringeri*, Upſal. 1690. *Danzii* de ſacris Judæorum νομοφυλακηρίοις, Witteb. 1682. *Eberh. Rud. Rothii* de ligamentis precatoriis *Jer. Mich. Beckii* de uſu phylacteriorum Judaic. Jen. 1684. & *Nic. Liunghy*, Hafn. 1705. Ceterum Chriſtum hic in phylacteriorum uſum invehi non generatim, quippe quæ lex ipſa mandaſſet, & quæ Chriſtus quoque geſtare conſueverit, ſed ambitionem tantum Phariſæorum exagitaſſe, qui non ſolum ferrent ea, ſed etiam dilatarent, *Scaliger* in Elencho Trihæreſii c. VIII. & cum eo *Boiſſius* affirmat. Sed lege in contrariam ſententiam *Georg. Eliezerem Edzardum* ad Berachoth cap. I. p. 209. ſq. ubi oſtendit, illa Scripturæ oracula, ex quibus inſtitutum hoc probare Judæi conſueverint, nempe *Exodi* XIII. 9. 16. *Deut.* VI. 8. & XI. 18. quos locos cellulis phylacteriorum includere ſolent, allegorica eſſe, quod ex locis parallelis & ipſis textuum illorum circumſtantiis pateat. Ineptire itaque Judæos hoc magis, qui & ipſum Deum phylacteria induere eo loco *Berachoth* tradunt.

πλατύνεσι) Dilatatio illa nonnullis viſa eſt illegitima redditura ipſa phylacteria. Sed recte & erudite *Relandus* in Antiquitatt. Judaic. p. 269. monet, aliquas partes phylacteriorum dilatari potuiſſe, veluti קציצה i. e. *nodum* vaſculumve, in quo membranæ includuntur, & cujus magnitudo definita non ſit, ſic ut vel majus ſit, vel minus, pro arbitrio dominorum. Sic *Wagenſeilius* ad Sota p. 405. dilatationem illam de nodis phylacteriorum ingentibus & loris latiſſimis interpretatur.

μεγαλύνεσι τὰ κράσπεδα) κράσπεδον hic eſt, quod Hebræi vocant. ציצית. De his vide eosdem, quos modo allegavi de phylacteriis Scriptores. Fimbrias illas producebant, i. e. longas fimbrias geſtabant, ſive ipſæ fimbriæ revera longæ fuerint, & longiores, quam hodie (nam hodiernæ quindecim digitorum longitudinem non excedunt) ſive in longa veſte, qualem divites & viri honorati geſtare ſolebant, longiores propenderint, quo ſanctiores & devotiores viderentur apud vulgus; ut videre eſt

vel in ſolo illo בן ציצית הכסת qui ita vocabatur, שהיתה ציצתו נגררת של גבי כסתו h. e. *quia peniculamenta ejus trahebantur ſuper pulvinaribus.* Lege hæc apud *Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 73. & adde Cod. *Gittim* fol. 56. a. Patrum expoſitiones habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 156.

Verſ. 6. Φιλοῦσι τε τὴν πρωτοκλισίαν) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 55. De πρωτοκλισίᾳ ſeu affectatis in conviviis primariis ſedibus ex antiquitate differit *Chimentellius* de honore biſellii c. XXXII.

τὰς πρωτοκαθεδρίας) Vide huc *Vitringam* de vetere Synagoga p. 191. ſq. & in Archiſynagogo p. 303. item *Relandum* in Antiquit. Hebr. p. 132. & ex hoc *Amelium* Part. II. p. 342. Ex antiquitate profana huc advoca *Chimentellium* loco modo citato, Tom. VII. Antiquitt. Rom. p. 2153. ſq. Ad verba Domini noſtri illuſtranda inprimis facit locus Talmudis Hieroſol. in Gemara cap. ult. *Hechalil*, quem a *Vitringa* Latine converſum exhibere fas eſt. *Baſilica* (loquuntur de Synagoga Alexandr.) *fuit ampla, atque in ea duplicata erant ſedilia, alterum e regione alterius. Inſuper ſeptuaginta Cathedræ aureæ erant illis locatæ, quibus inſiti erant lapides pretioſi & margaritæ, pro LXX. Senioribus, quarum unaquæque conſtitit viginti quinque myriadibus denariorum aureorum. Suggeſtus vero ligneus collocatus erat in medio.* Et paulo poſt: *Quin etiam non conſedebant in ea homines, invicem commixti, ſed cujusque artificii homines aſſignatum ſibi peculiarem habebant locum, ita ut, ſi peregrinus aliquis cum ingrederetur hoſpes, is illico ſui opificii hominibus ſe poſſet adjungere, a quibus etiam debuit ſuſtentari.* Vide *Vitring.* de vet. Synagoga p. 192.

Verſ. 7. καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ῥαββί, ῥαββί) Idem Doctor Karæus, *Elias*, in lib. אדרת אליהו ubi de Idololatria differit, cap. VI. exprobrat Rabbanitis: *Non ſolent*, inquiens, *agere Karæi ex more Doctorum Rabbanitarum, ut deos argenti faciant ſibi, & duces auri, dum docent hoc fine ſcopoque, ut Rabbi vocentur, magnam vim pecuniæ congerant &c.* Confer *Trigland.* de Karæis p. 164. Rabbanitæ hujusmodi faſtuoſi exemplum præbet R. *Huna*, de quo exponitur in Ketuvoth. p. 69. Adde *Wagenſeil* ad Sota p. 109. *Seldenus* de Synedriis p. 739. innui hic putat Phariſæorum ambitionem in dignitate Rabbinatus, qua forenſi ac judiciariæ in Synedriis eminentiæ prævia ea erat, ſolicitius expetenda. Quo fine oſtendit, verbum קרא i. e. καλεῖν ſeu *vocare*, a Judæis adhiberi conſueviſſe, ubi de nomine dignitatis Rabbinatus imponendo agebatur.

Ραββί) Lege de nomine hoc *Cheitomæum* in Vocibus Græco-barbaris, *Caninium* de Locis Hebr. N. T. c. 6. *Bornitium* de Synedriis A 4. 6. *Seldenum* de Synedriis p. 736. *Buxtorfium* item in Lexico Talmud. & ut ceteros taceam, *Georg. Urſinum* in Antiquitat. Hebraicis Scholaſtico-Academicis p. 185. ſq.

Verſ. 8. ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε Ραββί) Vide huc *Franzium* de Interpret. Script.

Script. S. p. 590. ſq. qui ex contextu verba hæc ita παραφράζει: *Vos autem* (diſcipuli Chriſti) *non vocemini Rabbi*, (inventores dogmatum & explicationum novarum, Scripturis nimirum contrariarum, ſed docete, quæ ex me auditis.) *Unus enim eſt Doctor* (Magiſter) *noſter, Chriſtus* (qui audit dogmata a Patre, & vobis annunciat, vos audita ex me aliis, ut audiiſtis, prædicabitis ſine nova inventione, additione & interjecto fermento) *omnes vos fratres eſtis* (æquales eſtis reſpectu veſtri, qui omnes ut condiſcipuli ex me magno magiſtro & doctore dogmatum diſcitis,) & *Patrem veſtrum* (ratione dogmatum inventorum) *neminem vocetis in terra.* Quæ hinc contra ſuſcipiendos honorum Academicorum titulos a nonnullis allata ſunt, ea diluta vide a B. *Val. Alberti* in Diſſert. de honoribus Academicis Lipſ. 1697. & B. *Chriſtiano Kortholto* in Programmate ſingulari ad Doctoratum B. *Wasmuthi*, Kilon. 1665. 4. nec non alio B. *Quenſtedii*, quod exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum p. 427. ſq.

καθηγητὴς) Codd. nonnulli legunt διδάσκαλος, atque hoc malunt *Grotius* & *Beza*, cumque iis *Seldenus* de Synedriis p. 737. qui inter cetera addit, ita legi quoque in perpulchro & vetuſto penes ſe ex Oriente MS. qui ex ornatu quidem haud exigui pretii exiſtimationisve aut vulgaris inter Græcos domini videatur fuiſſe. Idem tamen p. 738. recte monet, ut Juris ita & Facultatum aliarum revera *Doctorem* & *Magiſtrum* idem eſſe nomen, atque huc videri vult *Alciatum* in Parerg. VIII. c. 10.

ὁ Χριστὸς) omittit in verſ. Gall. *Rich. Simonius*, paucorum quorundam Codd. auctoritate nixus. De re ipſa lege Cl. *Jo. Laur. Moshemii* Orationem de Chriſto unice Theologo imitando, in Primitiis ejus Juliis, Wolfenbuttelæ 1723. editam, & ex Patribus *Petavium* Tom. V. Dogmatum p. 86. ſqq.

Verſ. 9. καὶ πατέρα μὴ καλέσητε) Diſcipuli etiam doctores Patrum nomine vocare ſolebant, ſicut doctores diſcipulos filiorum. Hinc phraſis nata eſt *filii Prophetarum* &c. Vide etiam *Pocockium* ad Portam Moſis p. 334. & *Seldenum* de Synedr. p. 744. Evagrius quidam ægre tulit nunciari ſibi mortem Patris, cum habeat Patrem immortalem. Vide *Raynaudum* Tom. XI. Opp. p. 157. in libro de paternitate ſpirituali Ord. Religioſ.

ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς) Codd. nonnulli, ut & editiones quædam ac verſiones legunt ὑμῖν eodem ſenſu. Vide huc *Seldenum* de Synedriis p. 738. Idem phraſin ἐπὶ τῆς γῆς reſtringi vult ad terram Iſraeliticam, quippe de qua nomen *terræ* κατ' ἐξοχὴν uſurpari ſoleat. Ut ſenſus ſit, neminem in terra ſeu Republica Judaica, præter Chriſtum, pro *Rabbi* ſeu Magiſtro aut Patre & Principe agnoſcendum eſſe, quemadmodum nec tituli iſti extra terram Iſraeliticam fuerint recepti. Præſtat cum B. *Feſſelio* Adverſar. Sacror. Tom. I. p. 366. dicere, Chriſtum hic non titulum Patris aut Magiſtri damnaſſe, ſed rem tituli tantum: rem autem tituli non fuiſſe quodlibet ma-

gisterium aut quamvis auctoritatem, sed ejusmodi tantum, unde nemini provocare liceat.

Vers. 16. μηδὲ κληθῆτε καθηγηταί) De voce καθηγητὴς lege *Selden.* l. c. p. 739. & p. 745. ubi posteriore loco respondere hanc vocem vult Hebraicæ נשוא i. e. *Præsidi*, *Primati*, *Principi*, qui una cum אב בית דין seu Patre Synedrii maxima auctoritate polluerit.

Vers. 11. Ὁ δὲ μείζων ὑμῶν) Vox μείζων respondere hic videtur Hebræo רב, quod *superiorem* denotat, ut sensus sit, qui autem maximus est inter vos, h. e. qui censet, se summo jure debere vocari רב *excellentem*, is sit minister. Confer *Vitringam* de vetere Synagoga p. 575. & in Archisynagogo p. 431.

Vers. 12. Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται) Locutio est Hebræis frequentata. Vide *Vorstium* de Adagiis N. T. c. VII. & *Carpzov.* ad Schickardi Jus Regium Hebr. p. 217. Similiter *Polybius* V. 26. p. 521. apud *Raphel.* in Notis Polyb. p. 95. & alii apud *Grotium* ad h. l. quibus Cl. *Trillerus* in Notis MSS. addit *Sophocl.* in Antigone v. 128. *Pindar.* Pyth. VIII. p. 200. *Lucian.* Ἐπισκοπέντ. p. 232. 234. ex Latinis vero *Senec.* Agamemn. v. 100. & *Juvenal.* Sat. X. 105. & Sat. III. 9. Adde *Schotti* Adag. N. T. p. 55.

Vers. 13. Οὐαὶ δὲ ὑμῖν) Versum hunc ex Marco & Luca huc translatum esse cum *Grotio Millius* affirmat, eumque iis & *Pfaffius* de Variant. Lect. N. T. p. 187. qui tamen, mutata sententia, in Notis ad h. l. Matthæi p. 184. contrariam B. *Calovii* amplectitur.

Vers. 14. Οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς) Et hunc versum, quippe ab *Origene* & *Eusebio* non agnitum, ex Marco vel Luca huc translatum temere opinatur *Millius* in Prolegomenis: contra quem vide *Whithy* in Examine p. 40. Confer & *Mareschalli* Observatt. ad Vers. Anglo-Saxon. p. 499. Cum *Millio* facit R. *Simon* in Observatt. Novis p. 244.

κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν) Vide *Schotti* Adigal. N. T. p. 56.

καὶ προφάσει) τὸ καὶ hic habet vim intendendi, quasi Latine dicas: *Idque*; vide huc *Raphelium* ex Polybio p. 95. *Heraclitus* de Incredibilibus Narrat. VIII. Harpyias vocat καταφαγέσας τὴν τοῦ Φινέως οἰκίαν, quod observavit Cl. *Trillerus* ad h. l. Conf. ad *Luc.* XX. 47.

Vers. 15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν) Proverbialis est locutio, quæ magno studio aliquid facere, ideoque multa loca adire significat. Sic *Aristides* Eleusin. p. 450. de Cerere Proserpinam quærente: ἐπέρχεται γῆν πᾶσαν καὶ θάλασσαν ζητοῦσα τὴν θυγατέρα. Ita & alii, quos affert *Elsnerus* ad h. l. Terra hic simpliciter vocatur ξηρὰ, subintellecto γῆ, quod & apud

& apud profanos occurrere ostendit post *Casaub.* ad h. l. *Horatius Vitringa* in Animadversion. ad *Vorstium* c. 1. p. 211. qui pro Hebraismo haberi volebat in Philolog. Sacr. Part. I. c. 2. p. 26. Similiter mare ὑγρὰ vocatur *Homero* Iliad. κ. v. 27. notante *Elsnero* l. c.

ποιῆσαι ἕνα προσήλυτον) Lege de Proselytis, eorumque diversa ratione ex multis *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. II. & de Success. c. XXVI. *Casaubonum* adversus Baron. p. 25. sq. *Morinum* p. 69. de Pœnitentia, *Georg. Eliez. Edzardum* ad Avoda Sara c. I. p. 191. sq. *Leusdenium* in Philologo Hebr. mixto Diss. XXI. & ad Jonam Illustratum p. 120. sq. nec non *Montacutium* in Apparatu p. 180. sq. præterea vero singulares de iis dissertationes *Pauli Slevogti*, Jen. 1651. *Georg. Müller*i, Witteb. 1672. *Peringeri*, Upsal. 1694. & *Lundii*, Aboæ 1695. 8. nec non *Ludov. Ferrandi*, quam laudat Beughem in Biblioth. Curios. p. 144. Studium proselytos faciendi magni facere Judæos, ostendit *Carpzovius* in notis ad Schickardi Jus Regium Hebr. p. 324. ubi & exponit, quo sensu Christus id h. l. improbarit. Adde Cl. *Jo. Andr. Danzii* Dissert. de cura Judæorum in proselytis faciendis, *Jen.* 1688. 4. & *Balth. Raithii* Disput. de Proselytismo Judaico Christiano, *Tubing.* 1666. 4. Tempore Davidis & Salomonis proselytos non fuisse receptos, tradunt Judæi, de quibus vide *Edzardum* ad c. I. Avoda Sara p. 190. sq. qui & ad Berachoth c. I. p. 244. sq. demonstrat, Judæos passim de illis eorumque fide leviter sentire, & sinistre judicare, quam in rem confer & *Maimonidæ* querelam apud *Serarium* in Trihæresio lib. II. p. 53. Adde *Wagenseilium* ad Sota p. 754.

ποιεῖν αὐτὸν υἱὸν γεέννης διπλότερον ὑμῶν) Lege huc *Serarium* l. c. p. 52. quo judice Pharisæi id, quod Christus hic castigat, effeciisse ita videntur, quod neque satis curarent, ut priorem in Gentilismo malitiam morumque pravitatem proselyti abjicerent, & novæ adjungendæ occasionem ipsis exemplumque pravum suggererent: deinde vero, quod Mosaicam iis legem laxarent, quædamque iis permitterent, quæ illa prohiberet, v. c. conjugia vetita.

Vers. 16. Οὐαὶ ὑμῖν) Vide huc, quæ ad *Matth.* V. 33. sq. dicta sunt. Inprimis vero in hoc & sequentibus commatibus interpretandis diligentes sunt *Schast. Schmidius* in Fascic. Disputt. Theolog. p. 613. sqq. & *Jo. Marckius* in Exercitatt. Scripturariis Diss. VI. p. 162. sq. Confer & *Gustav. Georg. Zeltneri* Dissertat. de Juramentis veterum Ebræorum, Jen. 1693. & *Jo. Frid. Miegium* in notis ad Maimonidis Tractat. de Juramentis p. 122. sqq. qui speciatim ostendere conatur, Servatorem non simpliciter hic Judaicam jurandi rationem improbasse. Adde & *Justi Christoph. Dithmari* notas ad eundem Maimonidæ tractatum passim, inprimis vero p. 220. seq. & Scriptores de Trihæresio.

ἐν τῷ ναῷ) i. e. בהיכל per templum: vide *le Moyne* ad Varia Sacra p. 85.

ἐν τῷ χρυσῷ τοῦ ναοῦ) Per aurum templi alii hic alia intelligunt. Vide *Marckium* l. c. p. 164. cui cum *Barradio* id omne hic inferri videtur, quod vel uno vel altero modo ad templum spectabat, sive vasa essent aurea, sive aurum in templo oblatum, sive aurum, quo parietes essent exornati. De juramento per templum lege *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l.

Vers. 18. ὀμόσῃ ἐν τῷ θυσιαστηρίῳ) De juramento per altare ex antiquitate profana differit *Dougtæus* in Analect. N. T. p. 25.

Vers. 19. Μωροὶ καὶ) Duas has voces, in Codd. nonnullis desideratas, ex v. 17. huc relatas esse statuit *Millius*, omittit & *R. Simon* in Versione sua Gall. Sed vide *Whithii* Examen p. 41. a. De vocis μωρὸς notione lege *Scaligerum* in Elencho Trihæresii p. 406. & in Minervali p. 87.

ἢ τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον) Per aram, quæ sanctificet oblationem, non hic nude intelligi aram, sustinentem sacrificia, quippe quæ nihil ad sanctificationem victimæ conferre potuerit, sed aram σὺν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ, *cum omnibus, quæ super ea sunt*, v. 20. h. e. aram instructam *igne sacro*, per quem victima consumebatur consecrabaturque, statuit *Cloppenburgius* in Schola Sacra Sacrificiorum Patriarchalium p. 221. quem sequuntur ex Reformatis *Vitringa* in Observatt. Sacris lib. II. p. 227. & ex nostratibus *Deylingius* Obss. Sacr. Part. II. p. 299. sq. qui uterque ibidem de eo differunt, num, & in quantum ara V. T. figura fuerit crucis Christi.

Vers. 23. 24. illustrantur a *Seb. Schmidio* in Disput. quam inscripsit Ὕστερον πρότερον Pharisaicum, *Argentor.* 1672. Conf. ejusdem Appendic. ad Repetit. Articulorum Form. Concord. p. 145. sq.

Vers. 23. ἀποδεκατοῦτε) Omnem hanc de Decimis Judaicis materiam diligenter persecutus est *Joh. Conr. Hottingerus* in Comment. Philolog. de Decimis Judæorum, Lugd. Bat. 1713. 4. Adde *Guil. Guisium* ad *Berachoth.* VII. 1. *Sixtin. ab Amama* in Dissert. de Decimis Mosaicis, quam tamen minus probat *Guisius*, *Seldenum* in tractatu de iis singulari, cujus tria priora capita ex Angl. Latine facta & notulis illustrata habes apud *Clericum* in calce Commentarii in Pentateuchum, & *Dav. Clericum* in Quæst. Sacr. p. 2. sqq. Pertinent huc etiam Dissertatt. singulares *Frischmuthi* & *Peringeri*, quarum hæc prodiit Upsal. 1685. ut ceteros taceam, a *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 509. & a *Carpzovio* ad Schikard. de Jure Reg. Hebr. p. 270. laudatos.

τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον, καὶ τὸ κύμινον) Harum rerum decimas dari solitas, patet ex libris Talmudicis, quorum testimonia post *Lightfootum* Tom. II. Opp. p. 359. produxit *Hottingerus* de Decimis Judæorum p. 51. sq. qui tamen uterque observat, menthæ speciatim in iis non fieri mentionem,

nem, neque tamen hinc excludi, cum regula generalis huc referat, qua res omnes, in usum hominis cedentes, decimationi subjiciuntur in *Scheviit* c. VII. §. 1. Lucas XI. 42. non meminit *anethi* & *cumini*, sed affert πήγανον καὶ πᾶν λάχανον, i. e. *rutam & omne olus*, de quibus vide *Hotting.* l. c. qui & in eo multus est, utrum *olera* vi legis divinæ, an tantum ex instituto Sapientum, decimarum juri obnoxia fuerint. Posterius affirmant *Beza*, *Piscator*, *Drusius*, *Casaubonus*, *Lightfootus*, *Cornel. Adami* in Observ. Sacr. p. 162. & *Gussetus* in Lexic. Hebr. rad. עשר not. E. & ex nostratibus *Carpzovius* ad Schickardi Jus Regium p. 270. Pro priori pugnat post alios *Jo. Henr. Hottingerus* in notis ad *Goodwini* Mosen & Aaronem p. 865. Utriusque sententiæ argumenta in cumulum confert *J. C. Hottingerus* l. c. p. 56. & ex nostratibus *Salom. Deylingius* Observatt. Sacrarum Part. III. p. 212. sqq. qui uterque prioris classis assecias suffragiis suis fulciunt, & dissentientium argumentis respondent. Et sane, si recogitemus dictum Dei præceptum *Deut.* XIV. 22. quo *omne semen* sive *omnis seminis proventus* decimare jubetur; si advertamus, Christum ipsum τὰ βαρύτερα τῦ νόμυ isti decimationi olerum, tanquam rei faciliori, atque adeo lege comprehensæ, quam & observare fas sit (ταῦτα ἔδει ποιῆσαι) opponere; si denique meminerimus, Rabbinos ipsos, a nudis Sapientum præceptis has decimas repetentes, sibi non satis constare; facile quidem affirmabimus, Christum decimarum istiusmodi persolutionem non simpliciter, tanquam lege non præceptam, rejicere, quam Pharisæos cum præjudicio & fraude præstantiorum præceptorum, illam potissimum sectantes, reprehendere. Quod ad κύμινον attinet, sunt, qui hic Græcorum proverbium de κυμινοπρίσαις i. e. *cuminum secantibus*, seu in minutis rebus versantibus, afferunt. Vide *Adami* Obss. Sacr. p. 162. & Biblioth. Bremens. Class. I. p. 240. De *oleribus* istis, quæ hic memorantur, ex Botanicis commentatur *Wedelius* Centur. I. Dec. VIII. Exercit. V.

ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τῦ νόμυ) Interpretes *graviora* aut *difficiliora* Legis capita hic innui censent, quod miratur *Elsnerus* p. 105. ideo, quia Pharisæi φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα v. 4. imposuisse dicantur. Is itaque per βαρύτερα τῦ νόμυ intelligit *præstantiora Legis* & *majoris momenti atque pretii*, qua quidem notione vocem Græcam βαρὺς etiam apud profanos occurrere ibidem ostendit. Ita βαρυτάτη πόλις *Polybio* lib. I. c. 38. p. 55. & alibi est urbs *primaria*. Non dubitem ego utramque notionem conjungere, cum omnino alia Legis præcepta aliis sint difficiliora observatu, atque ea, quæ posterioris generis sunt, majus quoque momentum post se trahere intelligantur.

ταῦτα ἔδει ποιῆσαι) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 56.

Vers. 24. οἱ διϋλίζοντες τὸν κώνωπα) Vide huc *Vorstium* in Adagiis N. T. c. III. & *Schottum* l. c. p. 56. Proverbium hoc *Serarius* in Trihæresio p. 51. in calidioribus regionibus natum observat, ubi frequens in vinaria vasa &

pocula culicum involatus erat, ita ut vinum, si quidem purum id bibere quis vellet, percolare necessum esset. Cavillationem auctoris *Nizzachon* hæc ita detorquentis, ac si Christus se cum camelo a Pharisæis deglutiendo comparasset, vide in Telis Igneis Satanæ Wagenseilii p. 248. Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 29.

Vers. 25. τὸ ἔξωθεν τῦ ποτηρίυ καὶ τῆς παροψίδος) παροιμιῶδες quid hic, observat *Vorstius* de Adag. N. T. c. XI. Παροψὶς hoc loco vasis nomen est, ut patinæ, cum eodem & cibus significetur, quemadmodum *Athenæus* ostendit libro I. Ita cum Camerario *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 47. Eodem simili uti R. *Salom. ben Gavirol*, observavit *Cappellus* in Spicileg. Notarum ad h. l.

ἔσωθεν δὲ γέμουσιν) phrasis compendiosa, quippe quæ & vasa & Pharisæos respicit, quod *R. Simon* in Notis ad versionem Gall. observat.

Vers. 27. τάφοις κεκονιαμένοις) His verbis & toti commati tantam lucem a *Lightfooto* ad h. l. & *Pocockio* in Notis Miscellan. ad Portam Mosis c. V. (ad quem etiam provocat *Wagenseilius* in Notis ad *Sota* p. 291. nonnihil de suo addens) p. 73. affusam esse, recte ait *Vitringa* Observatt. Sacr. lib. I. p. 203. ut vix quidquam ad illius illustrationem addi possit. Ibi is summatim ostendit, τάφους κεκονιαμένους *Matthæi* eosdem esse cum μνημείοις ἀδήλοις *Lucæ* XI. 44. porro sepulchra apud Judæos polluendi vim habere credita in eos, qui illa calcarent: in eorum itaque gratiam, ut sibi caverent, exstructos fuisse cippos illorum indices, quos nunc נפשות (de qua voce commentatur *Vitringa* l. c.) nunc ציונים appellabant. Addit idem, sepulchra calce signari consueviſse, quod manifestum est ex *Maimonide* ad *Maaser Scheni* c. V. §. 1. qui ita: *Innuit signata fuisse sepulchra calce. Macerabat* (quis) *calcem aqua, deinde effundebat super locum sepulchri, quo dignosceretur, locum istum immundum esse, atque ab eo secederent Sacerdotes.* Atque hinc patere putat, eadem sepulchra, quæ quod ἄδηλα essent, utpote gramine & herba obducta, adeoque ὡραῖα seu speciosa hominibus apparerent, adeo, ut iis inambulantes incauti polluerentur, κονίᾳ seu calce aqua temperata pro more signata fuisse: non enim ideo, quod κεκονιαμένα essent, ὡραῖα visa fuisse, sed contra, quod speciosa herbis forsan virentibus tecta, atque vestita, vel saltem a reliqua terra nihil specie exteriori differentia, adeoque ἄδηλα, nulla latentis immunditiei nota insignita calce in cautelam notata fuisse. Approbasse hæc *Relandum* ex Antiquitatt. ejus Hebr. patet p. 416. Confer in eandem fere sententiam *Jo. Christoph. Rosteuscheri* Dissertat. ad N. T. Tom. II. p. 170. sqq. Adde tamen, quæ scribentur ad *Luc.* XI. 44. His addenda est *Jac. Rhenferdii* observatio, quam in Dissert. posteriore de mensa & panibus Propositionis Corollar. II. proponit his verbis: Quando Christus Pharisæos sepulchris dealbatis comparat, Matth. XXIII. 27. non tantum hypocrisin eorum notat, sed & ipsos tanquam commune proficiscentium scandalum proponit, a quo sibi cavere eos oporteat, qui in itinere ad spiritualem Hieroſoly-

ſolymam, quam Chriſtus fundaverat, conſtituti ſunt. Ad illum enim morem alludit, quo die 15. menſis Adar in Cananæa ſignare ſepulchra & calce incruſtare conſueverant, ut Sacerdotibus Hieroſolymam tendentibus ſigno eſſent, ne imprudenter illi in ea loca inciderent, & impuritatem ſibi contraherent. Vide *Bartenoram* ad Cod. Schekal. Perek I. §. 1. De phraſi hac ex Patribus & profanis Scriptoribus differit *Suicerus* Tom. II. p. 144. De hypocritis agit ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

Verſ. 29. ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰς τάφους τῶν προφητῶν) Vide huc *Marckii* Exercitatt. Textuales n. XXVI. qui, recenſitis variorum Interpretum ſententiis, ita ipſe p. 229. ſcribit: *Ita fere ſtatuo, nec ad ſolam hypocriſin redargutionem hanc ſpectare, quæ tamen iis ædificatis monumentis Prophetarum æque quam in aliis operibus notari merebatur, nec in nomine filiorum eam unice fundari, quod tamen damnabilitatem eorum & pravam imitationem innuit; ſed ædificationem ipſam monumentorum tanquam opus, hypocriſin & imitationem majorum arguens, maxime taxari, juxta ſenſum τῷ ὅτι ſive cauſalis, ſive ratiocinativi, quod eſt apud Matthæum & Lucam.* Crudelitatem idem ait ipſo facto, ſi non intentione eorum, proditam eſſe, inprimis ſi cogitetur lætitia, qua in opus hoc incubuerint, corraſio numorum pauperum hanc in rem &c. *Witſius* in Miſcellan. Tom. I. p. 319. relicta Grotii ſententia, tanquam ſubtiliori, cum *Lightfooto* facit, qui proverbium quoddam Judæorum, quo in Tract. שקלים c. II. Sect. 5. ajunt, ſepulchra juſtorum elogiis ornari non debere, cum dicta ipſorum memoriam tueantur, Phariſæis hic exprobrari contendit. Locum hunc cum 2. *Maccab.* XIII. 27. ſq. collatum vide a *Keuchenio* ad h. l. Ceterum pietatis quoddam officium erga bene meritos, aut immerita morte ſublatos, habitam fuiſſe monumentorum exornationem, duobus exemplis comprobat ex Xenophonte *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 48. Alia exempla ex profana antiquitate attulerunt *Franc. Luiſinius* Parerg. lib. II. c. 14. & *Elsnerus* ad h. l. p. 106. De ſepulchro Mardochæi Judæi, ſolenni celebratione annua ornato a Judæis, lege *Vitringam* de Synag. Vetere p. 221. ſq. Externum hoc Judæorum circa Prophetarum ſepulchra ſtudium cum interiore quadam voluptate, quod illi Prophetæ non ſuperſint, quos ſublatos volebant, conjunctum fuiſſe, ſtatuit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 21. ſq.

Verſ. 30. Εἰ ἦμεν &c.) Vide huc *Olearii* Obſſ. Sacr. p. 640. ſq. ubi oſtendit, Chriſtum id ſibi hic velle, quod ingenii, ſententiarum & factorum paritate in ſceleſtiſſimorum parricidiorum, antea patratorum, communionem veniant, id quod ex *Luc.* XI. 48. pateat. Idem contra Chryſoſt. oſtendit, non exprobrari hic Phariſæis, quaſi ideo ſepulchra iſta ornaverint, ne memoria tantorum auſorum, quæ & ipſi probent, intercideret.

ἐν τῷ αἵματι τῶν προφητῶν) i. e. *cædis Prophetarum*: αἷμα enim hoc ſenſu paſſim in N. T. occurrit. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 114.

Verſ. 32. καὶ ὑμεῖς πληρώσατε τὸ μέτρον) Anonymus im freywilligen Heb-

Opfer Part. I. p. 411. nec imperativam, nec conceſſivam, nec ironicam phraſin, ſed hebraizantem, hic agnoſcit, in qua nempe Imperativus pro Futuro uſurpatur, quod frequenter fieri oſtendunt *Glaſſius* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. III. can. 43. & *Danzius* Interpret. Hebr. §. 214.

Verſ. 33. ὄφεις, γεννήματα ἐχιδνῶν) De appellationibus iſtis lege *Rechenbergii* Diſſertat. ſingularem in Exercitationibus ejus recuſam p. 164. ſqq. ubi illis id innui ſtatuit, Phariſæos peſſimorum parentum peſſimos eſſe filios: quam in rem affert Chryſoſtomi locum in h. l. homil. 75. & *Bochartum* laudat ex Hierozoic. Part. II. lib. III. c. 2. Per γεννήματα ἐχιδνῶν hic communionem Phariſæorum cum Diabolo, ſerpente antiquo, homicida antiquo, *Joh.* VIII. 44. & univerſo ſemine ejus innui, oſtendere conatur *Olearius* l. c. p. 642. Epictetus II. 22. cum ſerpentibus comparat eos, qui ita feras & deteſtandas opiniones habent, ut in iis amicitia nulla eſſe poſſit, quod obſervavit *Raphelius*. Veterum nonnulli hac appellatione ad id putant alludi, quod vipera ex eroſo matris utero naſci traditur. Vide *Suicerum* T. I. p. 754. ubi habes & aliorum ſententias.

πῶς φύγητε) i. e. πῶς φεύξητε, ut *Marc.* II. 20. ὅτι ἀπαρθῇ i. e. ὅταν ἀπαρθήσεται. Vide *Boiſii* Collationem ad h. l. Effugere judicium is Græcis dicitur, non qui fuga ſibi conſulit, ſed qui, cognita cauſa, judicum ſententiis abſolvitur. Oſtendit hanc phraſeos vim ex Polybio & Xenophonte *Raphelius* in notis ex utroque ad h. l. allatis.

Verſ. 34. Διὰ τοῦτο, ἰδοὺ &c.) Laborarunt hic Interpretes in eo, ut oſtenderent, quomodo & quo ſenſu ſequentia cum præcedentibus per hanc particulam connecterentur, quorum diverſas rationes commemorat *Olearius* p. 644. qui optime rem inſtitui cenſet, ſi dicatur, voces διὰ τοῦτο per Hebraiſmum, cujus ſtudioſiſſimus ſit Matthæus, reſpondere Hebraico בזאת, & denotare idem, quod Latini dicunt: *poſt hoc*, vel *interea*, quod alias in N. T. per ἐν τούτῳ, ἐπὶ τούτῳ, ἐν οἷς exprimatur. Hoc præſtructo, ſermonis Chriſti ſumma iſta foret: Ipſi vobis teſtes eſtis, genuinos vos ut natura, ita ingenio & indole, eſſe Parentum veſtrorum filios, qui aſſidue impletis menſuram, cui implendæ illi initium fecere, ſerpentes & genus viperarum, non devitaturi judicium Patris veſtri, ſerpentis antiqui. Interea ego mitto ad vos miniſtros meos, quorum effundetis ſanguinem, eo eventu, ut menſura demum veſtra impleatur, & cumulo judicia divina vobis ſuperveniant.

προφήτας καὶ σοφοὺς καὶ γραμματεῖς) i. e. omnis generis Doctores, qui a Judæis diverſis atque his inprimis nominibus v. c. חכמים & סופרים appellari ſolebant.

μαστιγώσετε ἐν ταῖς συναγωγαῖς) Vide huc *Vitringam* in Archiſynagogo p. 352.

p. 352. ſq. & de vetere Synagoga p. 768. ſqq. & confer, quæ de flagellatione in Synagogis fieri ſolita obſervavimus ad *Matth.* X. 17.

ἐξ αὐτῶν) ſcilicet τινὰς, quam ellipſin apud profanos quoque Scriptores occurrere, oſtendit *Horat. Vitringa* in Animadverſ. ad Vorſtium, *Bos* de Ellipſi p. 195. & *Schwarzius* ad Olearium de Stylo N. T. p. 270. *Vorſtius* itaque præter rem hic Hebraiſmum ſtatuit Part. II. Philolg. S. p. 119. ſq.

Verſ. 35. ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα) Quomodo in communionem reatus & pœnæ tot cædium venire dicantur, oſtendit *Olearius* l. c. p. 645. Confer etiam *Eraſmi* Opera T. IX. p. 904. D. ubi ſe contra cenſuram Theologorum Lovanienſium tuetur.

αἷμα ἐκχυνόμενον) Per Hebraiſmum dici oſtendit *Vorſtius* Philolog. S. Part. II. p. 215.

Ζαχαρίᾳ υἱῦ Βαραχίᾳ) Quis ſit Zacharias, diſquirit *Marckius* inprimis in Exercitatt. Miſcellan. p. 305. & *Jo. Möllerus* in Homonymoſcopia p. 212. ſqq. Plerique Interpretum reſpici hic cenſent *Zachariam*, de quo 2. *Chronic.* XXIV. 20. nec obſtare putant, quod ibi non *Barachiæ*, ſed *Jeſaiæ* filius appelletur. Multis enim exemplis conſtare, quod binomines fuerint inter Judæos. Hoc modo occurritur exceptioni Judæorum, quam hinc formarunt ad menda Novi Inſtrumenti tabulis exprobranda. Vide inprimis *Guſſetum* in Confutat. Chiſſuck Emuna p. 332. & 383. item *Kidderum* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 192. Idem ſtatuunt *Alex. Morus* in Cauſa Dei p. 108. ſq. *Poſſinus* in Spicileg. Evangelico p. 26. *R. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. *Lud. Cappellus* in Spicileg. Notarum, & *Seb. le Roux* in Harmonia IV. Evangeliſtarum, qui tamen uterque *Barachiæ* nomen pro *Jojadæ* a librario hallucinante poſitum eſſe opinantur. Atque huc inclinat & *Millius* in notis ad h. l. ſcribens, aut librarium antiquiſſimo lapſu Βαραχίᾳ nomen ſcripſiſſe pro Ἰωδαὲ, aut etiam Evangeliſtam ſphalmate μνημονικῷ filium *Barachiæ* ab altero illo, quem Hiſtoria reſpicit, *Jojadæ* filio, non diſtinxiſſe. Sed utraque hac violenta ſuſpicione non opus eſſe facile largientur, qui memoratam nominum inter Judæos ὁμωνυμίαν non ignorant, & locum hic facile habere poſſe intelligunt. Nec adeo multum putem tribuendum Evangelio Nazaræorum, in quo filium *Jojadæ* ſcriptum fuiſſe tradit Hieronymus ad h. l. quam lectionem probat *Rich. Simon* in Hiſt. Crit. N. T. lib. I. p. 85. quemadmodum Cl. *Pfaffius* in Diſſ. de Variant. Lect. N. T. p. 236. alteram Epiphanii, qui pro υἱῦ Ζαραχίᾳ legit τῦ προφήτᾳ (quaſi idem Nazaræorum Evangelio memoriæ lapſu tribuit,) genuinam eſſe cenſet. Sed idem tamen in notis ad Matthæum p. 187. opportune ad communiorem & veriorem illam, de qua modo, ſententiam accedit. Ex noſtratibus poſt plerosque omnes Zachariam illum Jojadæ hic ſignificari, arbitratur *Olearius* l. c. p. 645. & *Fabricius* ad Apocrypha N. Teſt. p. 121. qui & p. 122. ſq. loca vete-

rum affert, quibus vestigia sanguinis Zachariæ in saxis relicta tradantur. Conf. p. 40.

At huic sententiæ obstare id nonnullis videtur, quod Christus cædes sanctorum Virorum, a Judæis impie factas, hic summatim comprehensurus, atque ideo ab Abele, prima hostia, incipiens, finem faciat in Zacharia isto, Jojadæ filio, ab ipsius ætate tot sæculis remoto, & post quem plures alii, iique boni Viri, cruentas manus experti sunt. Itaque maluerunt Zachariam istum interpretari de *Zacharia, Baruchi* filio, quem *Josephus* de Bello Judaico IV. 19. (ed. Lat. V. 1.) occisum tradit in templo paulo ante obsidionem & excidium Hierosolymorum. Atque in has partes concedit *Trillerus* in Examine locorum quorundam Biblicorum p. 223. sq. ad quem confer Observationes Pfeiferi p. 14. *Nic. Gurtlerus* in Institutt. Theolog. p. 917. & noviſſime *Calmetus* in Commentario ad Matthæum p. 505. Neque alienus videtur *Kidderus* l. c. Horum itaque judicio Christus, instar Prophetæ, prædixisset cædem Viri boni proxime imminentem, quæ signum quasi quoddam futurum erat excidii, toti Reipublicæ Judaicæ exitium allaturi. Non diffiteor, sententiam hanc multis nominibus se mihi probabilem reddere, nisi priorem illam, quam attulimus, hac observatione tuendam censeas, quod Zacharias Jojadæ ultimus sit, qui in Codice sacro V. T. memoretur impie occisus, sicut Abel primus est, cujus hoc nomine mentio fit. Atque hanc difficultatis illius solutionem probat & amplius ornat *Wolfburgius* in Observatt. Sacris p. 286. sq. Ceterum sunt ex veteribus inprimis, qui Zachariam, Johannis Parentem, hic intelligi contendunt, quos nominatim appellat *Fabricius* in notis ad Codicem Apocryphum V. T. p. 120. Hos sequitur *Montacutius* p. 352. Appar. De Zacharia Propheta, cujus vaticinium adhuc exstat, noviſſime hoc omne accepit *Wilh. Whistonus* in Conatu, quo consilia de restituendo contextu Hebraico suppeditare conatus est p. 105. & 134. existimans, historiam hanc de Zacharia isto occiso a Judæis ex V. T. tabulis callide sublatam esse, ut hoc modo Christi narrantis fidem suspectam redderent. Qua quidem in re more suo, h. e. temere, egisse eum, facile per se quisque intelligit. Alii nihil hic definiunt, inter quos est *Herm. Witsius* in Miscellaneis Sacris Tom. I. p. 269. sqq. & Tom. II. p. 472. De toto hoc argumento lege & *Maurit. Castens* Dissert. singularem, *Lipsiæ* 1720. 4. Ceterum historiæ, hic narratæ, similis est illa, quam de Metapontinis narrat *Justinus* lib. XX. c. 2. cum pœna de illis sumta. Debeo ejus indicium Cl. *Trillero*. Confer & *Hoornbeeckii* lib. III. Disspp. Miscell. p. 316.

Vers. 36. ἐπὶ τὴν γενεὰν ταύτην) i. e. ἐπὶ τὲς τότε ὄντας Ἰεδαίες, seu, *Judæos tum viventes*, ut *Theophylactus* ait, quem sequitur *Boisius* in Collatione.

Vers. 37. Ἱερσαλὴμ &c.) Lege huc *Danhaueri* Dissert. singularem in Dispu-

Disputatt. ejus Theolog. p. 82. sqq. & *Theophilum Alethæum* Tom. II. p. 333. sqq. Repetitionem vocis Ἱερουσαλὴμ augere hic increpationem & vehementem animi motum, ostendit *Elsnerus* p. 107.

τὰς ἀπεσταλμένας πρὸς αὐτὴν) Editiones quædam, v. c. Argentoratensis *Bæcleri* hic habent πρὸς αὐτὴν, quod & malebat *Camerarius* in Notis, idque eo sensu, ut idem sit, quod πρὸς σεαυτήν. Sed communem lectionem πρὸς αὐτὴν tuetur recte, alteram vero illam plane nihil esse contendit *Vorstius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 95. sq. Atque id quidem idem est, ac si scriptum esset πρός σε, *ad te*, ut *Luc.* I. 45. αὐτῇ adhibetur pro σοί.

ὃν τρόπον ἐπισυνάγει ὄρνις) vide *Schotti* Adag. N. T. p. 57. Phrasin hanc comparativam Hebræis æque ac Græcis receptam fuisse, ostendit *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 50. Inprimis ea respici ad formulam Judaicam veterem, qua sub alis Schechinæ esse Israelitæ dicti sint, quam in rem vide *Lamium* ad Harmon. Evangel. p. 479. Alii vero allusionem invenire sibi videntur ad *Num.* XXIV. 17. quorum observata repetit *Amelius* Part. II. p. 841. Eadem similitudine utitur alioquin & *Euripides* Hercul. Furent. v. 71. & alibi: vide *Elsnerum* ad h. l. p. 108. Vide & eundem *Euripidem* in Troadibus v. 746. & *Æschylum* in Septem ad Thebas, indice Cl. *Trillero* in Notis MSS.

Vers. 38. ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος) h. e. *templum*, in quo vanam fiduciam collocatis *Jer.* VII. 4. *vacuum*, nempe præsidio & præsentia Dei, vobis relinquitur. Ita *Olearius* p. 646. Obss. Sacr. qui etiam p. 650. disputat contra eos, qui per οἶκον Rempublicam Judaicam intelligunt. Et habet sane quo nitatur, inprimis, si credamus, ostensionem templi, quæ statim, c. 24. sequitur, ex ipsâ hac Christi comminatione natam esse. Idem opportune huc advocat p. 648. narrationem *Josephi* VII. 12. de B. Judaic. de voce proxime ante excidium Templi Sacerdotibus audita: μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, eamque contra *Anton. van Dalen* de Orig. & Prog. Idololatriæ cap. 7. p. 135. in dubium vocantem, adstruit.

Vers. 39. οὐ μή με ἴδητε) *non me videbitis.* Vide *Boisii* Collationem.

ἀπ' ἄρτι) i. e. non a temporis momento, quo hæc locutus erat, sed a tempore Paschatis, quod tunc celebratum ibat: post quod vulgo Judæorum non amplius se conspiciendum præbuit. Ita *Mede* in Operibus, p. 519.

Εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος) Refert hæc *Olear.* l. c. p. 945. ad tempus manifestationis gloriosæ, quo destructo jam templo in Deum respecturi sint, dicentes: *Benedictus sit* &c.

CAP. XXIV.

VErs. 1. προσῆλθον οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ ἐπιδεῖξαι αὐτῷ) Occasio hujus ostensionis Templi, cum admiratione facta, nata videtur ex præcedente v. 38. prædictione Christi: ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος, quæ

de

de templo potiſſimum accipienda eſſe monuimus. Nudatum enim præſidio divino Templum ad ruinam ſpectare dixerat Salvator: diſcipuli itaque, operis magnificentia & firmitate oculos præſtrictos habentes, monſtrandum Domino putarunt, quantum opus ſit, quod oraculis ſuis deſtruat. Matthæus pluribus diſcipulis hic tribuit, quod *Marcus* XIII. 1. uni, vel per enallagen, cujus exemplum exſtat *Matth.* XXVII. 44. collato *Luc.* XXIII. 33. vel, quod malim, eo ſenſu, ut unus ex reliquis, qui ſinguli acceſſerant, ſententiam eorum omnium, inſtar Interpretis, expreſſerit. *Andr. Maſius* in notis ad h. l. quæ exſtant Tom. II. Supplem. Criticorum ita ἐναντιοφάνειαν hanc reſolvit, Chriſtum, ex templo egredientem, ab diſcipulo de ſtructura templi monitum, deinde vero, ubi jam proceſſerat, a pluribus, quos Matthæus & Lucas memorant, de eadem re compellatum eſſe.

Verſ. 2. οὐ βλέπετε πάντα ταῦτα;) *Olearius* l. c. p. 651. mavult iſta legere ſublato interrogandi ſigno, ita quidem, ut tota oratio non *indicandi*, ſed *imperandi* vim habeat, hoc omnino ſenſu: *hæc tanta opera, ſubſtructiones tantæ ſoliditatis admirari nolite*, multo minus juſtum Dei judicium, iſta omnia deſtructuri averſamini. Qua ratione olim Deus ad Samuelem de Eliabo 1. *Sam.* XVI. 7. *ne reſpice* (mirare) *formam ejus præſtantiam.* Intempeſtivum ſcilicet videri poterat, Chriſtum diſcipulos, qui ipſi ſua ſponte ædificium templi admirabantur, & Dominum in admirationem pertrahere conabantur, ad contemplationem illius ſtructuræ adhuc excitare. Itaque eadem interpunctionis mutatio & *Hombergio* in Parergis p. 67. probabilis viſa eſt, hoc ſenſu: *ne ſpectetis hæc omnia cum admiratione, deſiderio & intentione ſingulari.* Cujus quidem notionis exempla exſtare idem monet *Matth.* V. 28. VI. 4. & VII. 3. ſicut *Olear.* ad Hebr. IX. 9. provocat. At idem tamen *Homvergius* mavult denique in interrogatione iſta acquieſcere, quia *Marcus* XIII. βλέπεις ταῦτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; ſine dubio interrogationem exprimat. Idem itaque hic eſſe vult, ac ſi dicatur: *ex his, quæ jam ſtudioſe vos intuemini & admiramini, ne lapis quidem ſuper lapidem manebit.* Viciſſim Olearius ex ipſa illa Marci locutione præſidium pro interpunctione mutanda repeti poſſe cenſet, quia ibi ſit interrogatio Chriſti exprobrantis: *haſcine igitur ſubſtructiones tantas & tam magnificas admiraris?* Equidem nihil hic ratione interpunctionis mutandum putem, modo obſervetur, Chriſtum reſponſionem iſtam non diſcipulis ſolis, & ſeorſim, ſed reliquis, qui ipſum ex templo exeuntem procul dubio comitabantur, pronunciaſſe, atque adeo ipſam diſcipulorum quæſtionem, ſibi propoſitam, alta voce, ut & alii audirent, repetiiſſe, & ſtatim ſubjeciſſe: ſi vel maxime hæc omnia intuentes percellerent, fore tamen, ut inſtar leviſſimæ ſtructuræ collabantur. Hoc ipſo & diſcipulorum quæſtioni ſatis erat factum, & reliqui, qui forte antea non recte perceperant, quid ſibi Chriſtus per domum vacuam relinquendam vellet, in verborum illorum ſenſum genuinum perducebantur.

οὐ μὴ

ὃ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον) Phrasis Hebraica est & παροιμιώδης, qualis exstat 2. *Sam.* XVII. 13. ceu monet *Olearius* p. 652. qui tamen in sequentibus ex veterum monimentis, excidium Hierosolymit. describentibus, ostendit, quousque ipsa quoque litera hujus phraseos eventu confirmata sit. Huc advocatur *Plinius* in Histor. Naturali V. 15. Inscriptio item in Titi honorem facta, quæ a *Barth. Merhano* in Topographia Romæ c. VII. exhibetur (vid. Antiquitt. Roman. Grævii Tom. III. p. 111.) & *Josephus* lib. VI. 44. & VII. 1. quibus deinde similia ex scriptoribus Ecclesiasticis subjunguntur. Confer quæ in eandem sententiam de vaticinio Christi, ex omni parte impleto, disseruntur a *Witsio* Miscellan. Tom. II. p. 333. *Fesselio* Adversar. Sacr. lib. VI. p. 60. sq. & aliis, ex quibus de eodem argumento commentatur *Amelius* Part. I. p. 826. sq. Vide etiam de *Prado* in Pentecontarcho p. 252. sq. evincentem, prophetiam hanc tempore Vespasiani impleri cœptam, sed sub Juliano demum omni ex parte eventum sortitam esse. Confer Veter. V. E. *Læscherum* in Stromatt. p. 35. ubi ostendit, hyperbolen hinc omnem abesse, cum verba hæc non de tota urbe, in qua turres nonnullæ & alia remanserunt, sed de solo templi ædificio accipi debeant, quod Josepho teste penitus eversum sit. Veritas & vis vaticinii Christi, ad plenarium nec unquam avertendum urbis interitum pertinentis, postea quoque inprimis eluxit, cum Juliani consilia ad urbem illam exædificandam solicite relata miraculose interverterentur. Vide huc *Theodoretum* III. 20. *Sozomenum* V. 22. & *Socratem* III. 20. Res ab illis relatas in dubium quidem vocat *Jac. Basnage* in Historia Judaica lib. VI. cap. XIV. §. 18. Sed temere id quidem fieri, inter alios ostendit Auctor libri Anglicani: *Remarks on some Books lately publishd* p. 10-28. Confer B. Olearii Tract. Germ. *de Jesu vero Messia.*

Vers. 3. Εἰπὲ ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται) Ad intelligenda sequentia necesse esse, ut tres discipulorum quæstiones v. 3. propositæ, nempe prima: *quando id fiet?* altera: *quodnam erit adventus tui signum?* & tertia: *quando erit finis mundi?* a se invicem probe distinguantur, monetur in Unschuldigen Nachrichten an. 1719. p. 1032. Ad primam responderi v. 4--14. ad alteram v. 15-22. ad tertiam denique v. 23--29. sicut & responsione ad secundam phrases ejusmodi adhibeantur, quæ ad ultimos sæculi dies respectum habeant. Eadem ratione argumentum capitis hujus repræsentat *Guisetus* in Vesperis Groningan. p. 226. sqq. *Mede* in Fragmentis Sacris, quæ recusa leguntur in Fragm. X. Opusculorum ad Histor. & Philolog. S. spectantium p. 130. sqq. qui tamen dubitat, utrum συντέλεια τῶν αἰώνων finem mundi denotet, an impletionem temporum Gentilium. Ex nostratibus confer omnino B. *Sandhagenii* Epist. Theolog. Dec. II. p. 239. sqq. Confer, quæ alia ad lucem huic capiti fœnerandum utrinque adducuntur. Adde *Guil. Whistoni*, Neo-Ariani apud Anglos, Dissertat. II. quæ subjecta est Conatibus ejus in Apocalypsin, in qua ostendit, hoc capite duo contineri vaticinia, quorum al-

terum ad interitum Hierosolymorum, alterum ad extremum judicium pertineat. Eandem τριχοτομίαν quæstionum vidit & *Grotius* a B. Calovio nostro in Bibliis Illustratis approbatus. Sed in omnia alia abiit *Hammondus*, a Clerico in animadversionibus fultus, qui παρουσίαν Christi, excidium templi, & συντέλειαν αἰῶνος unum idemque esse, atque adeo Christum tantum de templi & urbis Hierosolymitanæ excidio hic agere, arbitratur. Sed vide, quæ huic sententiæ opposita sunt ab *Oleario* p. 665. sqq. Ursérat inprimis *Hammondus*, συντέλειαν τῦ αἰῶνος significare *consummationem ævi, quo status Reipublicæ sacrorumque Judaicorum persistere debebat*, pertracto in hanc sententiam loco *Hebr.* VI. 26. ubi de Christo dicitur, quod νῦν ἅπαξ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων (i. e. ut Hammondus interpretatur, cum jam finienda esset V. T. & in eo obtinentium sacrorum œconomia) διὰ τῆς θυσίας αὐτῦ πεφανέρωται. Enimvero apud Matthæum phrasis hæc aliquoties, ut XIII. 39. 40. & 49. item XXVIII. 20. occurrens nunquam alio, quam hoc sensu, occurrit, ut finem mundi inferat. Itaque Matthæus, ex se ipso securius & rectius, quam ex alio Scriptore interpretandus, nec hoc loco de alia notione cogitasse merito creditur. Imo nec Paulus ad Hebræos aliter capiendus est, cum ibi ἡ συντέλεια τῶν αἰώνων opponatur τῇ καταβολῇ κόσμυ i. e. *consummatio sæculorum originibus mundi*, ubi, si de fine Reipublicæ atque sacrorum Judaicorum cogitasset Paulus, certe de initiis constitutæ illius Reipublicæ & Ecclesiæ mentionem fuisset facturus. Id itaque sibi vult Paulus, Christum ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων h. e. *circa* vel *prope*, vel *sub* consummationem mundi se ipsum in hostiam obtulisse. Atque hæc tempora ἐσχάτην ὥραν & ὑστέρους καιρούς vocari in N.T. nemini non constat. Omitto cetera Viri docti observata, cum hæc ad rem ipsam sufficiant. Atque hinc facile quoque respondebitur ad ea, quæ in *Vesperis Groning.* p. 229. pro eadem Hammondi sententia afferuntur, ubi & explicatio totius capitis huic hypothesi gratis assumtæ superstruitur. Olearii judicio primo loco a Christo demonstratur, visibilem sui præsentiam, & signa in sensus incurrentia exspectari non debere; deinde tempora devastandi cum urbe templi ex charactere aliquo maxime notabili designantur; tum vero de aliis quibusdam, paulo ante consummationem mundi eventuris, agitur, ut ex illis, tanquam certis quibusdam characteribus, eam imminere intelligatur. Hinc judicari ex parte potest, quid habendum sit de sententia L. F. G. quam is promulgavit in libro vernaculo, *Hamb.* 1713 8. edito: Der vorher verkündigte Zustand der Kirchen N. T. in ihren letzten offenbaren Zeiten und zwar anfänglich unter dem Bilde der mit = verkündigten Zerstörung Jerusalems. Auctoris sententia est, *Matth.* XXIV. 4-28. *Marc.* XIII. 5-23. & *Luc.* XXI. 8-24 primario, sub typo tamen urbis vastandæ, de funesto Evangelicorum statu sub tyrannide Papali exponi: sed inde a v. 29. apud *Matthæum* & ceteros Evangelistas non tam de signis ultimi adventus, quam de penultimo aliquo Christi ad Antichristum Occidentalem funditus tollendum adventu, agi. In eandem sententiam idem p. 178. sq. interpretatur *Lucam*

XVII.

XVII. 22--37. Sed examinavit ſtrictim & repulit hanc ſententiam J. M. in Schediaſmate ſingulari de Scopo verborum Chriſti *Luc.* XVII. 22 -- 37. *Roſtoch.* 1718. 4. 2 plagulis edito, in cujus præfatione juſtus tractatus de eodem argumento promittitur.

Verſ. 4. Βλέπετε, μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ &c.) Hinc incipit Servator reſpondere ad ſecundam quæſtionem, nempe eam, quæ ſint *ſigna adventus ſui.* Ad reſponſionem Chriſti recte perſpiciendam teneri inprimis debet, diſcipulos ex præjudiciis Judaicis eam Chriſti præſentiam ſibi inpoſterum promiſiſſe, quæ eum ut victorem gentium, ut tranquillatorem populi ſui externum, & everſorem omnis idololatrias repræſentaret. Itaque & ſigna talia exſpectabant, & ſcire ex Chriſto certo volebant, quæ hanc præſentiam præſagirent, v. c. miracula ſingularia, qualia etiam Pſeudo-Meſſiæ v. c. *Theudas* teſte Joſepho XX. 11. Antiquitt. & *Ægyptius* quidam apud eundem II. 12. de Bello Judaico præ ſe ferre conati ſunt. His vero ſomniis occurrit Servator v. 4 - 14. ea expromens *ſigna*, quæ efficerent, nullam talem viſibilem præſentiam ante finem mundi exſpectandam eſſe; & ne quidem tempore excidii Hieroſolymitani, de quo v. 15. ſqq. ut proinde nemini, tale quid promittenti, & vel in deſerto vel in conclavibus Meſſiam commonſtraturo, fides habenda ſit; tandem vero v. 30. ſub finem mundi appariturum eſſe ſignum præſentiæ ſuæ, ita ut omnium oculis pateat, viſuris filium hominis in nubibus cœli cum exercitu glorioſo. Hæc in compendio ſiſtunt *Olearii* cogitata p. 670. ſqq. ex quibus deinceps ibidem toti orationi Chriſti lux affunditur, quæ ſuo loco legi malim.

Verſ. 5. Ἐγώ εἰμι ὁ Χριστὸς) Reſpiciuntur hic Pſeudo-Meſſiæ, quos magno numero ſe prodidiſſe olim illi offenderunt, qui eorum hiſtoriam ſingularibus Tractatibus enarrarunt. Illos recenſui in Biblioth. Hebr.

Verſ. 6. ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε) Codices nonnulli hæc ita interpungunt ὁρᾶτε· μὴ θροεῖσθε, quos nominat *Millius*, qui proinde *Henr. Stephani* ſententiam in de Stylo N. T. p. 27. Collectionis Honertianæ propoſitam firmant.

Ἀλλ' ὅπω ἐστὶ τὸ τέλος) Hæc non ad ſola bella, excidium Hieroſolymit. præceſſura, ſed ad omnia potius, quæ uſque ad finem mundi continuanda ſint, referre vult *Olearius* p. 677. ſq. Dum vero reputo, hic opponi phraſin ὅπω ἐστὶ τὸ τέλος alteri, quæ v. 14. ſequitur: καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος, qui *finis* in poſteriori loco de exitu Reipubl. Judaicæ accipiendus eſt; vix dubitem, verba illa de iis calamitatibus tantum accipere, quæ excidium Hieroſol. antecedent.

Verſ. 7. ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ) Conjugi hæc duo ſæpe ſolent ab Auctoribus, ut annotavit *Grotius.* Iis Cl. *Trillerus* in Notis MSS. addit verſum Pythiæ in Fragmento de Olympiis, quod Phlegontis Tralliani eſſe dicitur:

citur: ὥρατε κακὴν λιμὸν παρὰ τοῖς καὶ λοιμὸν, nec non *Apollodori* verba ex lib. III. ubi de Minoë. Sic *Plato* lib. III. de Legibus & alibi passim σφαγὰς καὶ φυγὰς combinat, tanquam quæ & sono & re ipsa conveniant. Idem Cl. *Trillerus* in Notis ad H. *Grotii* Christum Patientem p. 543. sqq. ex Josepho inprimis diligenter ostendit, quomodo omnia, a Christo hic de fatis urbis Hierosol. prædicta, exitu confirmata sint.

σεισμοὶ κατὰ τόπους) i. e. *terræ motus erunt variis locis passim.* Distributive τὸ κατὰ τόπους sumendum hic esse, ex simili loco *Polybii* III. c. 53. evincit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 96. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 447.

Vers. 8. πάντα ταῦτα) Hic μένον subintelligi vult *Schætgenius* ad *Bos* de Ellipsi p. 376. Alia hujus ellipseos exempla habes apud *Noldium* in Concordant. Hebr. p. 49. & 499. Quæ quidem observatio innititur versioni sequentium verborum.

ἀρχὴ ὠδίνων) Ea enim vertunt communiter per *initium dolorum.* At *Olearius* l. c. p. 678. interpretanda censet per *dolores maxime insignes*, quemadmodum alias ἀρχὴ ad imitationem Hebr. ראש & ראשית præstantiæ notionem habet *Job.* XL. 19. ubi Behemoth vocatur ἀρχὴ πλάσματος Κυρίε i. e. *creatura Dei excellentissima*, & timor Domini Ps. XC. 9. ἀρχὴ σοφίας i. e. *præstantissima sapientia.* Hanc versionis rationem idem istam reddit, quod *initium* dolorum ea dici non possint, quæ ad *finem* usque mundi erant duratura. Sed videmur tamen in communi vocis notione ejusque h. l. interpretatione acquiescere posse, cum id Salvator innuere tantum voluerit, calamitates ab ipso memoratas eo tempore potissimum initium sumturas, sed sensim magis magisque, quod inprimis proxime sub finem urbis & Templi Hierosol. contingebat, augendas, & postea diversis temporibus continuandas & repetendas esse. Communem istum significatum voci ἀρχὴ h. l. vindicare videtur *Marcus* XIII. ubi legis in plurium numero ἀρχαὶ ὠδίνων, *initia dolorum*, quem nusquam, quod sciam, inveneris, ubi ἀρχὴ *præstantiam* seu *eminentiam* rei alicujus inferre debet. Ceterum de phrasi hac ἀρχὴ ὠδίνων lege quoque *Schottum* in Adag. V. T. p. 57.

Vers. 11 πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐγερθήσονται) Per hos falsos Prophetas hic non Pseudo-Messias intelligi, de quibus antea monuerat Dominus v. 5. sed eos, qui tempore N. T. Israelem spiritualem ab eo, qui solus est Dominus, ad cultum δαιμονίων, Sanctorum, imaginum, panis & vini &c. avocaturi sint, contendit *Olearius* p. 680. hoc ductus argumento, quod probabile non sit, Christum in brevi oratione, quæ ordinatissima in ceteris appareat, ordine turbato, rem jam ante dictam, repetere voluisse.

Vers. 12. καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν) Quam inconvenienter & obscure ista Germanice verterit *Trillerus*, ostendit B. *Olearius* in Obss. Sacr. ad Matthæum p. 141.

Vers.

Verſ. 13. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος) i. e. *qui perſeveraverit ad mortem.* Ita hæc verti poſſe cenſet *Elsnerus* ad h. l. p. 108. Advocat vero huc *Joh.* XIII. 1. ut eadem ſit ſententia, quæ legitur Apoc. II. 10.

Verſ. 14. totum illuſtrat B. *Neumannus* in Diſput. de Præconio Evangelii, *Witteb.* 1699. 4.

ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ) i. e. in toto imperio Romano, ut poſt alios ex *Luc.* II. 1. interpretandum cenſet *Mede* p. 705. Operum. Sed confer Veſperas Groning. p. 238. ſq. ubi oſtenditur, commode intelligi poſſe verba, ut jacent, cum vere dici poſſit, ante excidium Hieroſol. toti mundo Evangelium eſſe prædicatum. Vide *Coloſſ.* I. 6. & 23. item *Rom.* X. 18. Atque ita etiam intelligi hæc verba vult *Witſius* loco mox citando.

καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος) *tunc veniet finis* i. e. deſtructio Jeruſalem & Reipubl. Judaicæ: vide *Medum* p. 36. Opp. *R. Simonem* in notis ad Verſ. Gall. Veſp. Groning. p. 240. & *Witſium* in Miſcellan. Sacr. Tom. II. p. 405. & p. 438.

Verſ. 15. Ὅταν οὖν ἴδητε) Hic incipit Servator reſpondere ad quæſtionem alteram diſcipulorum, quæ pertinebat ad tempus excidii Hieroſol. πότε ταῦτα ἔσαι; Confer ad hoc & ſequentia commata B. *Seb. Schmidii* Diſſert. VII. quæ exſtat in Volumine XIII. Diſſertationum ejus, *Argentor.* 1681. junctim editarum in 4. & B. *Calovii* Programma ſingulare, quod exſtat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum p. 436. ſqq.

βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως &c.) Reſpici hic *Danielis* quendam locum, diſſerta ejus appellatio evincit. Ille vero triplici vice ita loquitur, ut Chriſtus eo reſpexiſſe dici poſſit, nempe c. IX. 27. XI. 31. & XII. 11. ut proinde dubium ſit, utrum Servator ad omnia, an ad unum eorum alluſerit, naſcaturque quæſtio, quis locus pro potiori habendus? *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 272. putat, Dominum omnia iſta oracula, præcipue tamen caput IX. in animo habuiſſe: *Beza* & cum eo nuperrime *Gerhardus Outhovius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. p. 625. ſq. pro cap. XII. 11. Danielis pugnat. At cap. IX. 27. ut ex noſtratibus plerique omnes, atque inter eos *Godfr. Olearius* in Obſervatt. Sacr. p. 683. ſq. ita quoque *Frid. Adolph. Lampe* in eadem Biblioth. Bremenſ. p. 990. ſq. præferunt, cujus poſterioris cogitata cum Outhovianis illis conferri debent. *Lampius* inprimis putat, Dan. XI. 31. de Antiocho Epiphane, & profanatione templi eo auctore facta, agi, ut proinde huc non niſi per accommodationem ſpectare poſſit. Idem locum Dan. XII. 11. non ad afflictionem Epiphanis, de qua *Olearius* & plerique alii accipiunt, refert, nec ad excidium per Romanos, ſed ad tempora Antichriſti. Quicquid hujus erit, id maxime probabile videtur, Dominum ſe referre ad Dan. IX. quia ipſe ordo & ſeries rerum, a Propheta prædictarum, ſuadet, ut de eo urbis excidio ſermonem eſſe credamus, quod ſequi patratum adverſus Meſſiam facinus, & cum omnimoda ſacrorum ceſſatione

conjunctum esse debebat. Atque hoc ipsum l. c. versio τῶν LXX. ita expressit, ut verba Servatoris illi exacte respondere intelligantur: id quod præ ceteris ostendere conatus est *Olearius* l. c. p. 684. Præterea Danielis illud oraculum non per accommodationem, sed proprie & directe huc pertinere & referri, contra Marshamum evincit *Wagenseilius* in Diss. de LXX. hebdomadibus Danielis, quæ in calce Telorum Igneorum Satanæ exstat p. 98. His ita præstructis proximum est, ut videamus, quid per βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως i. e. *profanationem desolationis* intelligendum veniat. Atque ibi quidem plerique phrasin hanc idem esse credunt, quod Latine *profanationem stupendam* seu *horrendam* ἐρήμωσιν βδελυκτὴν vel *abominationem desolantem* i. e. βδέλυγμα ἐρημωτικὸν dixeris. Confer Vesperas Groning. p. 242. Ipsam vero profanationem alii quærunt in signis Romanis, muris templi a militibus Romanis illatis, quī scilicet per scalas in eos ascenderint. Ita *Possinus*, quem *Outhovius* l. c. aliquoties *Possevinum* male vocat, in Spicileg. Evangel. p. 370. & ex nostratibus, ut alios taceam, *Franzius* de Interpret. Scripturæ p. 765. Alii speciatim innui volunt Tiberii vexillum in pinnaculo templi, aut Imperatoris, nominatim Caligulæ statuam in templo collocatam, quarum sententiarum patronos lege apud *Outhovium* p. 629. Alii non certum aliquod idolum, aut aliam rem singularem, a qua profanatio illa pependerit, hic cogitant, sed desolationem totius urbis & templi, omniaque mala, quæ ab exercitu Judææ sunt illata, quæque obsidionem urbis comitata sunt, significari censent, quod judicium est *Hombergii*, *desolationem horrendam* hic simpliciter indicari existimantis. Confer in eandem sententiam ex nostratibus *Wolfburgium* in Observatt. Sacr. p. 46. Huic vero se opponit *Outhovius* p. 637. statuens, signum desolationis imminentis ab ipsa desolatione h. l. distingui, ut scilicet pii hinc discere possent, quod sibi sit fuga consulendum. Ipse itaque p. 643. per βδέλυγμα ἐρημώσεως exercitum Romanum i. e. abominandam profanam ac detestabilem illam Ethnicorum militum copiam, quæ abominationi erat Judæis, intelligit. Atque ita post B. *Gerhardum* in Harmonia Evangelica ex nostratibus permulti, nec non *R. Simon* in Notis ad versionem Gallicam & *Herman. Schröder* in singulari Dissertat. Londini Gothorum an. 1706. de h. l. habita, noviſſime vero M. *Oederus* in Miscell. Lipsi. Tom. XII. p. 116. Quæ quidem sententia, ut cetera taceam, firmatur egregie a *Luca* XXI. 20. qui ita τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως exprimit: ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς. Ibi manifestum est *signum* a *vastatione* ipsa distingui, pro signo autem obsidionem exercitus Romani proponi, qui ab ἐρημώσει ideo appellatur, quod ab illo proficiscī debebat. Atque id quidem malim, quam cum B. *Oleario* p. 689. statuere, per βδέλυγμα innui *profanationem* notabilem, qualem Zelotæ templo inferebant, tyrannidis arcem illud constituentes, pedibus pollutis calcantes, manibusque, gentili cæde calentibus, inter media sacra deambulantes; per משומם autem apud Danielem significari *devastatorem* exercituum Romano-

manorum, qui ex occasione illorum in ipsa urbe Hierosolymitana motuum signa adversus eam moverint. Ut sic plenus verborum sensus iste sit: *quando videritis profanationem templi summam, & quem illa adduxit devastatorem exercituum.* Sane binæ illæ voces βδέλυγμα ἐρημώσεως nimis arcte, inprimis apud Danielem, ubi שקוצים משומם i. e. *abominationes desolationis* legitur, cohærere mihi videntur, quam ut de diversis subjectis accipi possint: ut omittam Lucæ locum illustrem, qui certe non nisi de uno imminentis desolationis signo loquitur. Neque tamen existimandum est, *Olearium* primum de his Zelotarum, (de quibus & Cl. *Dan. Wilh. Trillerus* in Notis ad H. *Grotii* Christum Patientem diligenter commentatur p. 549-564) *Simonis* inprimis *Gioridæ* turbis & motibus, a *Josepho* relatis, cogitasse. Idem enim jam in mentem venit *Ludovico Cappello* in Historia Judaica, quem & sequendum censuit *Casp. Ern. Trillerus* in Examine locorum quorundam Scripturæ p. 61. sqq. qui tamen alioquin istam de exercitu Romano, tanquam signo excidii imminentis, sententiam ceteris & meliorem & tutiorem esse arbitratur. Utriusque, *Cappelli* scilicet & *Trilleri*, argumenta, ad hanc hypothesin ornandam relata, sub examen vocavit Cl. *Franc. Wokenius* in Meditatt. Privatis Part. I. p. 139. sqq. Potiori, quam is movet, difficultati facile occurri posse videtur. Illa vero in eo posita est, quod non amplius fugæ, quam Christus suadet, locus fuisset futurus, si fideles ex obsidione urbis demum argumentum exitii imminentis capere debuissent. Sed habemus, quo eam tollamus, admonentes, obsidionem urbis tam amplæ non brevi tempore ita perfici posse, ut non copia fugæ detur eam tempestive quærentibus; quemadmodum ipsi quoque obsidentes petentibus eam concedere interdum consueverunt. *Cappelli* sententiam amplexi præterea sunt *Surenhusius* l. c. p. 273. & *Lampius* l. c. p. 1032. qui & plures ὁμωψήφους memorat. Ex Patribus βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως alii ad imagines lege interdictas, & a Pilato templo illatas, alii ad statuam Adriani Imperatoris, alii ad Antiochi Epiphanis ingressum in Templum, alii ad gravissimas Judæorum calamitates referunt. Vide *Suiceri* Thesaurum Part. I. p. 677.

ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ) Dubii hic iterum sunt Interpretes, quo τὸ ἑστὼς referendum sit: utrum ad Danielem, quasi is in loco sancto stetisse dicatur; an ad βδέλυγμα? Posterius tantum non omnes amplectuntur cum B. Luthero nostro. Nec fieri aliter potest, si advertatur, Marcum in loco parallelo XIII. 14. pro verbis ἐν τόπῳ ἁγίῳ habere ὅπου οὐ δεῖ, atque hoc ipso innuere, rem, de qua hic sermo est, ideo profanationis nomine appellari, quod in sancto atque adeo eo in loco inveniatur, ubi inveniri impuritatis causa non debebat. Cum vero Grammaticæ rationes permittere non videantur, ut ἑστὼς in masculino genere positum ad βδέλυγμα, vocem neutrius generis referatur, *Hombergius* in Parergis p. 69. verba illa ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ sequentibus jungi mavult, ut vel ad ὁ ἀναγινώσκων νοείτω pertineant, hoc sensu:

quicun-

quicunque ſtat in loco ſancto, & hæc legit, mentem advertat; vel, quod mavult, ad v. 16. τότε οἱ ἐν Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν &c. iſta ſententia: *quando videritis abominandam illam vaſtationem -- tunc ille, qui ſtat in loco ſancto,* (lector mentem advertat) *& illi, qui ſunt in Judæa, fugiant in montes.* Argumenta, quæ idem copioſe affert, in ſummam relata & examinata vide ab *Oleario* p. 686. ſq. Confer auctores *Biblioth. Novæ* Halenſis Parte XXXV. p. 369. ſq. & *Outhovium* l. c. p. 654. Sufficit nobis, legenti cuivis facile apparere, novam hanc Viri docti interpretationem & pluribus & gravioribus difficultatibus laborare, quam una illa Grammatica, cui non difficulter occurri poteſt. Nam ut taceam, illam generis enallagen, Hebræis, quippe qui neutrius generis forma carent, receptiſſimam, in N. T. ſæpius occurrere; non deſunt vel editi (inter quos & Millianus eſt) vel manu exarati Codices, qui pro ἑστὼς legunt ἑστός. Imo vero in ipſa illa forma ἑστὸς Neutrum deprehenditur, quod contextus ſeries requirit. Derivandum enim illud eſt ex participio neutro ἑστακὸς, quod Jonice dicitur ἑστεὼς & contracte ἑστὼς, quemadmodum & *Paſor* p. 19. Grammaticæ ſuæ iſtam hujus ἑστὼς rationem reddit. Conf. *Hcupelius* ad Marc. XIII. 14. & *Outhovius* l. c. p. 657. De M. *Georg. Ludov. Oederi* ſententia, ad *Hombergianam* proxime accedente, ad *Marc.* XIII. 14. dicemus.

ἐν τόπῳ ἁγίῳ) *Locum* hunc *ſanctum* de Templo ſpeciatim plerique accipiunt. Atque hanc perpetuam nominis iſtius notionem eſſe apud τὸν LXX. atque adeo & h. l. retinendam, vult *Lampius* l. c. p. 1030. Malim tamen cum *Grotio* accipere de *conſpectu Templi*, ſeu *ſolo circa urbem*, quam in rem confer *Ezech. Spanhemium* de Uſu & præſtantia Numiſmatum Tom. I. p. 669. *Outhovium* l. c. p. 658. & Veſper. Groning. p. 249. Conſtat enim, totam Judæam *terram Dei* Hoſ. IX. 3. atque adeo Sanctam appellari, ſicut & in Codice כלים cap. I. §. 6. terra Iſraelis omnibus terris ſanctior dicitur: atque adeo loca urbi Hieroſolymitanæ vicina commode ea appellatione deſignata creduntur.

ὁ ἀναγινώσκων νοείτω) Non Salvatoris hanc eſſe admonitionem, ſed Matthæi, exiſtimat *Outhovius* p. 660. At cum eandem & *Marcus* habeat in loco parallelo, & ejusmodi excitandi formulæ Chriſto alias receptæ fuerint, v. c. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, rectius ad ipſius Chriſti orationem iſta referuntur.

Verſ. 16. φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη) montes ſcilicet belli tempore peti ſolent. Ita de Carduchis *Xenoph.* de Exped. Cyri lib. IV. p. 248. ἔφυγον ἐπὶ τὰ ὄρη. Hac Chriſti admonitione & conſecuta alia excitati videntur Chriſtiani, ut paulo ante obſidionem urbis, Pellam, urbem Decapoleos, ſe reciperent. Vide rem narratam ab *Euſebio* III. 5. & *Epiphanio* lib. de Ponderib. & menſuris p. 171. qui divinum Angeli monitum anteceſſiſſe tradit. Lege quoque *Jo. Guil. Baieri* diſſ. ſingularem de Chriſtianorum migratione in oppidum Pellam, Jen. 1694. 4.

Verſ

Vers. 17. μὴ καταβαινέτω) scilicet eum in finem, ut quid sumat ex domo; fugæ enim gratia omnino descendendum fuit. Ita *Hombergius*. Sed dici quoque potest, ipsam illam descensionem hic dissuaderi, fugamque quovis modo ex ipso tecto maturandam commendari, quod fieri poterat, si quis se ex tecto, tum temporis plano, in plateam demitteret.

Vers. 18. καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ) i. e. *qui arat*: hoc enim fieri solebat a nudis sive tunica tantum interiore indutis. Vide *Elsnerum* p. 109. & *Cuperum* lib. I. Observat. c. 7.

μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω) *Hippolytus* de Anti-Christo p. 93. edit. Gudianæ & p. 31. Fabricianæ ita h. l. citat: μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. Atque hanc lectionem, nescio qui, pleniorem reique convenientiorem esse judicat *Oheimius* Corollar. I. disput. de Juliano Apostata, præside Rechenbergio habita. Patet omnino, Hippolytum, ut alias in isto opusculo, a recepta lectione Codicum non destinato consilio, sed casu discedere, quia ex memoria hæc repetebat. Hinc facta est illa permutatio phrasium, quæ v. 17. & 18. leguntur.

Vers. 19. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις &c.) Scilicet nec gravidæ nec lactantes jure belli exemtæ sunt: vide *Grotium* de Jure B. & P. lib. III. c. 4. §. 9. Adde *Homerum* Iliad. VI. 57. sqq. & *Tryphiodorum* v. 544. Hæc debeo Cl. *Trillero*.

Vers. 20. μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος) Vide huc *Schotti* Adag. N. T. p. 58. Phrasi ipsa φυγὴ ἐγένετο utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. VII. p. 140.

μηδὲ ἐν σαββάτῳ) Plerique Interpretes hæc de Sabbato Judaico intelligunt. Dubitabant enim Judæi, an eo fugam capessere liceret. Vide hanc in rem *Ludov. Cappellum* in Spicilegio Notarum ad h. l. Alii de die Dominico accipiunt, pro qua sententia inprimis pugnat *Marckius* in Exercitat. Exeget. XXVIII. p. 546. sqq. Atque hæc priori præferenda videri potest, si statuamus, admonitionem hanc pertinuisse ad Judæos Christi sacra amplexuros. Sed intercedit *Ludov. Cappellus* in Dissertat. de Sabbato p. 271. Opp. qui primo quidem urget, diem Dominicum nullibi in N. T. *Sabbatum* appellari: deinde vero hæc verba Christi non ad Christianos, sed ad impios, contumaces & incredulos Judæos pertinere, quibus scilicet Christus prædicat, fore, ut propter eorum incredulitatem superveniat ipsis horrenda illa calamitas, a qua fideles Christiani immunes esse debuerint, & re vera fuerint. *Jos. Mede*, de Sabbato Judaico hic agi statuens, p. 841. Op. alia ratione difficultati huic obviam ivit, opinatus, ipsos quoque Christianos & speciatim Apostolos instituta illa ceremonialia de Sabbato & alia ejusmodi observare debuisse, donec tota politia Judaica subversa esset. Alii nec ad Sabbatum Judaicum, nec ad diem Dominicum

hæc ſpectare volunt, ſed potius ad annum ſeptimum ſeu Sabbaticum, quo nullæ fruges in agro inveniebantur, quod tempus proinde æque ac hybernum fugientibus maxime funeſtum & incommodum fuerit. Ita poſt Hammondum ad h. l. *Pet. Allixius* in Diatriba *de Anno & Menſe natali Jeſu Chriſti* p. 135. cujus hæc verba ſunt: *Scilicet, ut hibernum tempus tres menſes continet fugientibus admodum graves; ita annus ſeptimus, quo omnis agricultura ceſſat, frugumque nullam ſpem relinquit, illis, qui lares ſuos deſerere coguntur, ut vitam ſuam militum furori ſurripiant, debuit eſſe longe funeſtius. Atque equidem non modo certum eſt, die Sabbati Hieroſolymam fuiſſe captam, ſed toto obſidionis tempore fluxiſſe ultimam partem anni Sabbatici, qui inceperat 1. menſis Tiſri Anni Aeræ Chriſti 69. & finem habuit Anno 70. Aeræ Chriſti octo diebus antequam Hieroſolyma caperetur. Id enim obſcure docet Joſephus de Bello IV. 7. primo, ubi memorat, iſtas fruges a ſeditioſis, quæ magno numero fuerant, collectas ſcilicet anno 6. ſemitæ ante primum Tiſri Anni 69. Aeræ Chriſti. ſecundo, ubi Judæos aut eruptionem facientes, aut ab urbe pulſos, a ſeditioſis, herbis ſponte naſcentibus famem ſuam ſedaſſe refert lib. VI. c. XII.* Hæc ille. Inclinare in has partes videtur etiam *Relandus* Antiquitatt. Hebraic. p. 488. Cum vero iſta vocis *σάββατον* notio prorſus inſolens ſit, nec in N. T. tabulis occurrat, præſtat in communiſſimo ſignificatu Sabbati Judaici acquieſcere, & admonitionem hanc non ſolum ad Chriſtianos fideles, tanquam illam ſecuturos, ſed & ad Judæos incredulos, hinc ſaltem difficultatem temporis illius æſtimaturos, referre.

Verſ. 22. *καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι*) Phraſis eſt Gemarica, ceu oſtendit *Hottingerus* ad Diſcurſum Gemaric. de Inceſtu p. 74. Ipſa illa decurtatio dierum ad tempus vindictæ divinæ in urbem & populum Dei nutu diminutum ab Interpretibus plerisque recte refertur, quando ſcilicet factum eſt, ut obſidio illa, quæ diutius protrahi, & cum plurium cæde conjuncta eſſe potuiſſet, intra brevius temporis ſpatium coërceretur. Confer huc poſt B. *Calovium* noſtratem in Bibliis Illuſtr. *Epiſcopium* Tom. I. Opp. p. 34. *Knatchbullum* ad h. l. *Guſſetum* in Confutat. libri *Chiſſuck Emuna* p. 315. & *Amelium* Part. I. p. 160. ſeq. Ex Patribus in eandem ſententiam differentem lege *Suicerum* Tom. II. p. 136.

οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σὰρξ) h. e. nemo fuiſſet in vita ſervatus, quia ſcilicet omnes fame mutuisque cædibus abſumi debuiſſent. Illuſtrat phraſin hanc optime proverbium vetus, a *Polybio* in Excerptis de Virtutibus & vitiis p. 1481. memoratum, his verbis: *ἅπαντες δὲ τότε τὴν παροιμίαν ταύτην διὰ στόματος εἶχον, ὡς εἰ μὴ ταχέως ἀπωλόμεθα, οὐκ ἂν ἐσώθημεν* i. e. *Tunc vero vetus illud dictum in ore omnium verſabatur:* niſi celeriter periiſſemus, nunquam ſalvi fuiſſemus. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 96. Σὰρξ hic ponitur pro *homine;* per Hebraiſmum ad imitationem vocis בשר. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 101.

διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτούς) *Electos* hic de Abrahamo, Iſaaco & Jacobo (conf. Rom.

Rom. X. 28.) capi posse arbitratur *Episcopius* l. c. qui tamen addit, posse etiam intelligi viros pios. Atque hoc posterius verius est, ut scilicet ἐκλεκτοὶ hic dicantur, tum Christiani jam conversi, tum, qui ex Judæis aut proselytis, excidium illud oculis suis contemplaturis, inposterum ad fidem perduci se passuri sint, veritate nempe vaticinii Christi reapse cognita. Christianos vero ἐκλεκτοὺς appellari, patet ex Rom. XVI. 13. *Coloss.* III. 12. & aliis locis.

Vers. 24. Lege *Seb. Schmidii* Colleg. Bibl. Posterius p. 234. sqq.

σημεῖα καὶ τέρατα) Utramque vocem jungit & *Polybius* III. 10. p. 365. notante *Raphelio* p. 99. qui cum Gerhardo statuit, utramque hic ideo adhiberi, ut appareat, de signis mirabilibus sermonem esse, quia scilicet σημεῖον alias generaliter significat *indicium*, seu *argumentum*. De portentis illis, quæ præ se tulerunt Pseudo-Messiæ, lege Scriptores, quos in Biblioth. Hebr. Vol. II. de iis excitavimus.

εἰ δυνατὸν) Lege huc *Hackspanii* Notas p. 162.

Vers. 26. Ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν &c.) Lutheri versionem contra Emserum tuetur *Raithius* in Vindiciis p. 355. Ab hoc commate prædictionem Christi de futuro extremo judicio incipere, censet *Gerh. Joh. Vossius* Tom. VI. Opp. p. 123. sqq. qui & toti isti vaticinio lucem ibidem affundit. Sed præstat, initium illius in v. 29. collocare, ceu mox videbimus; inprimis propter v. 28. ubi cadaver memoratur.

Vers. 27. ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ) ita *Sextus Empiricus* lib. X. contra Mathematicos p. 464. ἀστραπῆς τρόπον, & *Virgilius: Fulminis in rem.* Confer *Fabricium* ad Sextum p. 718. & *Elsnerum* ad h. l. p. 110. qui ex aliis profanorum locis ostendit, celerem atque improvisum adventum eleganter cum fulgure comparari. Adde *Sponium* in Miscell. eruditæ Antiquit. Sect. I. Art. 4. & Jo. d'Outrein in Observatt. Miscell. p. 223.

ἕως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου) De his verbis contra *Clericum* disputat B. *Clearius* in Obss. Sacr. p. 694. Vide etiam *Læderi* Schediasma mox citandum p. 19. sq.

Vers. 28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί.) In hoc commate Interpretes multum exercuit vox πτῶμα seu *cadaver*, quo scilicet illa sit referenda. Nemo diligentius in eo argumento versatus est, quam *Jo. Læderus* in *Schediasmate de Cadavere Judaico ab Aquilis Romanis discerpendo*, quod prodiit, *Argentor.* 1715. 4. decem omnino plagulis constante. Quinque diversas Interpretum, a se invicem dissentientium, classes is constituit. Prima eorum per cadaver *Christum* intelligit, & quidem in ultimo ad judicium universale adventu. Secunda eundem indicari putat, sed in spirituali suo adventu consideratum. Tertia per cadaver *Pseudoprophetas* innui contendit. Quarta cadaver de *piis*, Aquilam vero de *Christo* exponit.

Quinta illud ad *Judæorum* Rempublicam, aquilas vero ad *copias Romanorum militares*, refert. Ad ultimam se refert Auctor, ejusque sententiam fuse, reliquis antea confutatis, adstruit ex serie textus, locis Scripturæ Sacræ parallelis, atque ipso rerum eventu. Eadem interpretatio verosimillima quoque visa est recentioribus permultis, nominatim B. *Jo. Henr. Majo* in Dissert. de Aquila Romana cadaveri Judaico inimica, quæ recusa est in Exercitatt. Selectioribus Tom. II. num. XVI. *Adamo Rechenbergio* in Diss. ad h. l. quæ exstat in ejusdem Exercitatt. p. 106. sq. & Rev. *Gustavo Georg. Zeltnero* in Dissert. de Astro Judæis ominoso. Adde illis *Trilleri* Untersuchung p. 55. sqq. cum stricturis Schœnlandii p. 126. sq. Has partes tuetur quoque post *Knatchbullum* & *Lightfootum*, *Hammondus* & *Clericus*, & ex recentissimis *August. Calmetus*, in Comment. ad Matthæum.

Addi his quinque sententiis & *sexta* potest, nempe *Alex. Mori*, in Notis ad N. T. p. 53. sq. qui binas ex præcedentibus quinque conjungit, quam in rem lege B. *Olearii* animadversiones p. 692. seq. *Olearius* ipse per aquilam Christum intelligit, tanquam Judicem, Judæos insecuturum, per cadaver autem inquinatissimum Judæorum in civitatibus pene omnibus statum, quæ luridam cadaverum faciem tunc inprimis retulerint, cum pleræque in severa judicii Christi exsecutione everterentur, quemadmodum urbes vastatæ & perditæ cum cadaveribus comparari soleant. Latius patere Christi hoc oraculum *Marckius* in Disputat. ad h. l. §. 14. arbitratur, perque cadaver ita designari *homines in peccatis mortuos, & propterea immutabili sententiæ mortis cujuscunque obnoxios, ut Aquilarum congregatio apud illud dicat severissimum Domini judicium, quo hi prorsus perdentur, seu heic, seu maxime posthac, adhibitis quoque, si ita placet, instrumentis ad illud aptis, qualia tum in hominibus aliis, seu bonis seu malis, tum maxime in Angelis malis reperire licebit.*

Mihi quidem quintam, quam ex *Lædero* attuli, sententiam semper præ ceteris arrisisse fateor. Interim confer ad h. l. Dissert. singularem de Congregatione Aquilarum ad cadaver, *Henr. Teelmanni* Commentario in *Luc.* XVI. subjectam, *Jo. Marckii* Dissertatt. tres, *Lugd. Batav.* 1717. in Syllogе Dissertationum ejus Lugd. Bat. recusas. Observatt. Miscellan. Tom. II. p. 693. & *Wolfburgii* Obss. Sacr. p. 520. B. *Lutheri* versionem a censuris Trillerianis vindicat *Schönlandius* p. 126. sq. Paroemiam ipsam de aquilis in cadavera grassantibus ex *Jobi* XXXIX. 30. repetitam esse, *Bochartus* Hierozoic. Part. II. lib. II. c. 2. erudite observavit, adstipulantem nactus B. *Olearium* l. c. p. 690. qui id ideo accurate notatum cupit, ut hoc modo divina libri illius auctoritas ex allegatione ejus in N. T. facta confirmetur. Similia profanorum Scriptorum dicta habes apud *Schottum* in Adagial. p. 58. Cur ἀετοὶ, qui tamen non vesci dicantur cadaveribus, huc advocentur, disputat *Alex. Morus* ad Jes. LIII. p. 146. Confer *Bochartum* l. c. & *Lædernm* p. 31. qui ostendunt, id aquilarum genus, quod περκνόπτερον nomine venit, ex *Aristotelis* indicio

Hist.

Hiſt. Animal. IX. 32. commode huc referri poſſe. De voce πτῶμα, rectiſſime per *cadáver*, ex Hebræo מפלח reddita, vide *Boiſſii* Collationem ad h. l.

Verſ. 29. ſqq. Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν τῶν ἡμερῶν τούτων &c.) Circa hanc pericopen tres potiſſimum ſunt diſſentientium claſſes. Alii enim eam de adventu Chriſti ultimo ad Judicium extremum accipiunt. Alii de Judicio ſuper Judæos particulari literaliter & primario exponere contendunt, ita tamen, ut per analogiam ad Judicium extremum accommodari poſſe largiantur. Alii denique ſimpliciter de adventu Chriſti ad puniendos Judæos, abolendumque, quod tunc obtinebat, ævum Moſaicum interpretantur. Primam ſententiam poſt B. *Lutherum* noſtrates Theologi tantum non omnes, ſimiliter vero *Pontificii*, & ex *Reformatis* plerique, nominatim noſtra ætate *Jo. Marckius* Exercitat. Scripturaria VII. ad *Marc.* XIII. approbant, quam & B. *Olearius* in Obſſ. ad h. l. p. 696. ſq. tuetur. Tertiam iſtam noſtra memoria amplectendam & ornandam cenſuerunt *Andr. Lud. Königsmannus* in Diſputat. *de Judicio Regis Chriſti adverſus rebellem Eccleſiam Judæorum*, *Kilon.* 1712. & Rev. *Guſtav. Georg. Zeltnerus* in Diſſert. *de Aſtro Judæis ominoſo*, *Altorf.* 1713. Sed utriusque argumenta ſub accuratum & eruditum examen vocavit præſtantiſſimus Wittenbergenſium Theologus, *Gottlieb Wernsdorfius* in Diſputatt. de *Textu Evangelico* Dom. II. Adventus *de adventu Chriſti ultimo accipiendo*, *Wittemberg.* 1714. 4. qui, advocatis in communem verioremque ſententiam præſidiis, diſſentientium argumenta confutat, & eorundem exceptionibus occurrit. *Vindicias* quidem & novas acceſſiones diſſertationis ſuæ in nova ejus editione *Osnabrugæ* curanda daturum eſſe *Königsmannum* refertur in der gelehrten Fama anni 1715. p. 732. Sed eam nondum vidi, nec lucem vidiſſe exiſtimo. Argumenta ſententiæ communiſſimæ *Wernsdorfius* l. c. repetit a *ſcopo* ſermonis Chriſti, a nexu cum antecedentibus, a ſenſu verborum nativo & proprio, aliisque περικειμένοις, in ea luce poſitis, ut nobis otia hic facta eſſe credamus

Ad tres illas, quas modo recenſuimus, ſententias *quarta* accedit *Campegii Vitringæ*, qui in Comment. ad Jeſ. XXXIV. v. 2. ſqq. Tom. II. p. 276. contendit, locum hunc plane analogum eſſe emblemati Sigilli ſexti Apocalypſeos VI. 12. ſqq. ubi Sol obſcurandus, Luna rubore ſuffundenda, Stellæ de cœlo caſuræ, & Cœli convolvendi dicantur, quæ non de abolitione politiæ & Oeconomiæ Judaicæ, ob judicii illius univerſalitatem, ſed de judicio Dei ſingulari, quo paganiſmus tempore Conſtantini M. proſtratus ſit, accipi debeant. Proxime huc accedit *Henr. Morus* in Opp. Theolog. Lat. p. 204. qui v. 29. contineri putat deſcriptionem ſtatus mundi, præſertim Imperii Romani uſque ad apparitionem ſigni filii hominis. Jam potiores phraſes hujus pericopes perſequamur.

Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλῖψιν) Qui oraculum hoc Chriſti de Judicio extremo accipi poſſe negant, inprimis urgent particulam εὐθέως i. e. *ſta-*

tim, confestim, cum illud longissimo intervallo ab excidio Hierosolymorum sejungatur, adeoque cum hoc conjungi immediate non possit. Respondent itaque alii, per θλῖψιν τῶν ἡμερῶν seu *calamitatem dierum*, universam illam calamitatem intelligi, quæ Judæos etiam post excidium urbis toto illo longissimo tempore, quo induratio & rejectio Judæorum duratura erat, oppressura sit. Ita *Jos. Mede* in Opp. p. 753. & forte ejus exemplo *Simon Episcopius*. Utriusque argumenta lege apud B. *Olearium* ad h. l. Atque hanc sententiam approbat ex parte Rev. *Wernsdorfius* Dissert. citata p. 64. monens, θλῖψιν hic non solam vel Judææ depopulationem, vel Hierosolymorum eversionem, sed potius complexum omnium eorum malorum significare, quibus homines tum corporaliter, tum spiritualiter, tum politice, tum Ecclesiastice, afflictum iri, Salvator ante docuerat.

Alii τὸ εὐθέως non per *statim* sed *derepente, ex improviso*, interpretantur, quæ vocis hujus notio est *Jo.* VI. 21 *Actor.* XII. 10. & *Apoc.* IV. 2. quo sensu *Herodianus* VIII. 1. φυγὴν εὐθεῖαν i. e. *repentinam fugam* vocat. Hunc significatum a contextu loci propemodum exigi existimat *Wernsdorfius* l. c. p. 63. Idem probabile visum est *Olario* p. 699. qui præterea monet, τὸς LXX. vocem Hebraic. פתאם i. e. *derepente*, *Jobi* V. 3 per εὐθέως reddidisse. Eodem consilio is vocem εὐθέως non ad voces μετὰ τὴν θλῖψιν, sed ad sequentia ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται non incommode vult referri.

Alii significationem vocis εὐθὺς communiorem locum vel ideo habere censent, quod Christus & Apostoli novissimum diem, quem tamen longius abesse non ignorabant, tanquam proxime imminentem prædicere soleant. Vide 1. *Thess.* V. 3. 2. *Thess.* II. 2. & 2. *Pet.* III. 13. sicut & Christus ipse *Apocal.* XXII. 7. 10. 21. se ταχὺ adventurum pollicetur. Ex his sententiam primam minimis exceptionibus expositam, atque adeo reliquis præferendam esse, persuasus sum.

ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φθέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ.) Vide huc B. *Jo. Cypriani Tentamen de Casu Stellarum in fine Mundi*, Lipsi. 1718. habitam. Sententiæ ejus summa huc redit, Solem lumine suo Creatoris potentia privatum iri, & Lunam consequenter lucem suam amissuram, & Stellis quoque idem eventurum esse, ut proinde τὸ πεσοῦνται non de lapsu proprie dicto, quem magnitudo corporum statuere vix permittit, sed splendoris defectu accipi debeat. Atque id quidem veri simile fit ex eo, quod idem de Sole & Luna paulo ante dicatur. Nec phrasis insolens est. Ita *Jobus* XXIX. 14. אור פני לא יפילו h. e. *lucem faciei meæ non faciebant cadere*, i. e. *non infuscabant lucem faciei meæ*. Quem locum opportune huc advocat *Olearius* p. 700. qui præterea observat, phrasin ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ per Hebraismum idem esse, quod alias diceretur מלפני השמים vel מפני i. e. ἀπὸ πρόσωπα τοῦ οὐρανοῦ *in conspectu cœli*. Atque illa omnino malim, quam cum aliis supra citatis ad allegorias varias confugere. Earum nonnullas vide apud *Jos. Mede* in Opp. p. 615. & *Grænewegium*

in

in Commentar. ad h. l. ex quo ſua illis ὁμόψηφος repetit *Amelius* Part. I. p. 562. uſque ad 586. Quamvis enim Prophetæ tempus iræ divinæ ſimilibus phraſibus deſcribere ſoleant, v. c. *Jeſ.* XIII. 10. XXIV. 23. LX. 20. *Ezech.* XXXII. 7. *Joel.* II. 29. III. 15. &c. hic tamen in re ſingulariſſima & ſibi ſimilem nunquam habitura aliquid amplius indicari non dubito. Caſum ilium ſtellarum de lucis jactura itidem accipit *Rich. Simon* in Notis ad h. l. Confer quæ de ſtellis cadentibus hic affert *Picinellus* in Luminibus Reflex.

Verſ. 30. καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου) De *ſigno* illo *filii hominis* variorum ſententias lege apud *Jo. Philipp. Pfeiferum* in Differt. ſingulari, *Regiom.* 1682. habita & in Theſauro Diſputatt. Vol. II. p. 177. ſeq. recuſa, *Franc. Wörgerum* in Triga Diſſertat. Sacrarum num. I. *Kilon.* 1679. *Fridem. Bechmanni* Diſſ. ad h. l. *Jen.* 1681. *Urſinum* in Analect. I. p. 400. ſq. & Obſerv. Miſcellan. Tom. II. p. 535. Permulti veterum *crucem* hic innui cenſent, quos recenſet *Voſſius* in Theſibus Theolog. p. 228. ſq. Tom. VI. Opp. p. 416. Eos ſequitur *Pfeiferus* in Diſſert. citata, eo inprimis argumento uſus, quod crux ſæpe in cœlo & alibi hominibus cum ſignificatione judicii in malos & gratia Dei in bonos, prodromi inſtar, apparuerit. Reliqua ejus repetit *Amelius* Part. I. p. 84.

Alii rectius *ſignum Filii* idem eſſe ajunt, quod *Filium* ipſum. Sic *Matth.* XII. 38. σημεῖον Ἰωνᾶ idem eſt ac ſi dicas: *ſignum, quod eſt Jonas.* Ita poſt *Glaſſium* in Philolog. Sacra *Wörgerus* l. c. p. 9. *Bechmannus* l. c. qui inprimis ad majeſtatem & gloriam, cum qua appariturus ſit Chriſtus, hic reſpici volunt, B. *Olearius* ad h. l. p. 706. *Wernsdorfius* Diſp. citata p. 70. & *Wolfburgius* in Obſervat. Sacr. p. 533. ex *Reformatis* vero *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 7. *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 416. & *Hombergius* in Parergis p. 72. De Chriſto ipſo quoque interpretatur *Vitringa* Comment. in Jeſaiæ XI. 11. p. 551. ſed eo modo, quo ad voluntatem Judæorum ex ſententia Pilati crucifixus, poſtea per clariſſimam lucem verbi Evangelii & certiſſima argumenta potentiæ ac juſtitiæ ſuæ demonſtratus eſt Rex cœleſtis. Sed iſta quidem longius arceſſita videntur. Non magis vero illi hic audiendi ſunt, qui poſt *Hammondum* ad h. l. de portento, quod *Joſephus* de Bello Judaico VII. 12. refert, heic cogitantem, cometam indicari ſtatuunt, quem paulo ante urbis excidium ſupra urbem conſpectum fuiſſe idem Joſephus lib. VII. c. 30. fol. 960. teſtetur. Ita vero ſtatuit laudatus *Zelnerus* l. c. p. 28.

Chriſtum ipſum hic per σημεῖον intelligi manifeſtum eſt ex locis *Marci* & *Lucæ* parallelis, qui Chriſtum, non facta ſigni mentione, tunc appariturum eſſe teſtantur. Phraſis σημεῖον υἱοῦ ſimilis eſt illis, quibus profani paſſim utuntur, quando dicunt βία Ἡρακλέους i. e. *vis Herculis* ſeu ipſe Hercules, & μέγα χρῆμα παρθένος &c. Conf. *Hombergium* p. 72. Alii Scripto-

Scriptores dicunt ποταμὸς σῶμα, ἀνεμος σῶμα, σῶμα τὸ λόγος pro *flumen, ventus, oratio*, ceu ostendit *Vechnerus* in Hellenolexia lib. II. c. 8. Latini *robur saxi*, pro *saxo* ponunt, quod observatum est a *Scioppio* ad Priapeia p. 39. Adde Cl. *Majii* Observatt. Sacr. Part. IV. p. 99. sq. Nonnulli nihil hic definiunt, inter quos ex nostratibus sunt *Fessel.* & *Dorscheus*, ex Anglis *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 204.

Vers. 31. Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς Ἀγγέλους &c.) Vide huc *Ursini* Analecta I. p. 68. sq.

ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν) Similiter *Xenophon* de Vectigal. p. 727. ὁπόσοι τ' ἂν ἕν βουληθῶσιν ἀπ' ἐσχάτων τῆς Ἑλλάδος ἐπ' ἔσχατα ἀφικέσθαι. Confer de hac phrasi Hebræis & τοῖς LXX. familiari *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 32 sq.

Vers. 32. Ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς) Momenta comparationis hujus cum ficu lege apud *Adrian. Cocquium* in Phytologia S. p. 100.

τὴν παραβολήν) i. e. ταύτην *illam parabolam*, ad imitationem τὸ ה demonstrativi Hebraici, ceu *Beza* existimat. Sed & a Græcis Scriptoribus istam notionem articulo tribui, recte monuit hic *Hombergius* p. 73.

ἐκφύῃ) *Verbum* ἐκφύῃ *alii transitive, alii intransitive accipiunt. Ceterum de hoc ego haud magnopere contenderim, cum sensus idem sit, sive hoc sive illo modo accipias. Sciendum est tamen, apud Theophylactum (ni culpa sit typographi) in Marc.* XIII. 28. *esse* ἐκφυῇ τὰ φύλλα i. e. enata sunt folia. *Est enim* ἐκφυῆ *passivæ vocis.* Ita *Boissus* in Collat. p. 75. Utramque lectionem locum habere posse, existimat *Heupelius* in Notis ad Marc. XIII. 28. *Si legas*, inquit, ἐκφυῆ *vertes* enata fuerint; *sin* ἐκφύῃ *active interpretaberis*, producit, *seu* edit, *nisi velis cum Erasmo Schmidio in Not. ad N. T. p. 328. statuere, etiam ipsum præsens* ἐκφύω *intransitivam habere significationem.*

Vers. 33. ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις) Hac phrasi certitudinem eventus, non propinquitatem temporis indicari *Grotius* ad h. l. asserit. Vicissim vero, idque rectius, *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 12. non uno veterum loco ostendit, ista loquendi formula ea indicari, quæ brevi futura sunt, & quæ instant, ut idem sit, quod *Jacobus* V. 5. dicit πρὸ τῶν θυρῶν. Idem *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 51. ex *Xenophonte* confirmat, eademque opera monet, sic tamen non necesse esse, ut statuatur, adventum Christi ita appropinquare, ut statim post res Judaicas immineat judicium universale.

Vers. 34. ἡ γενεὰ αὕτη) Τὴν γενεὰν hic alii per *ætatem* seu *generationem* vertunt eo tempore viventem, alii de *natione* seu *gente* Judaica in universum accipiunt, quæ non sit interitura, donec prædicta omnia adeoque & prædictio

dictio de fine mundi impleta fuerint. Pro utraque sententia Patrum loca habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 742. sq. Priorem sententiam amplexus est *R. Simon* in notis ad vers. Gallicam, & *Suicerus* l. c. Posteriorem cum nostratibus tuetur inprimis *Marckius* in Exerc. Exegeticis p. 560. sqq. Eandem quoque propugnavit olim *Jos. Mede* in Operibus p. 752. inprimis ideo, quod hæc vox proprie *gentem* denotet, atque hoc sensu in historia Evangelica usurpari soleat, ut *Matth.* XXIII. 36. *Luc.* XI. 50. 51. & XVII. 25. Atque in his partibus & nos acquievimus, cum sermo sit Domino de extremo judicio, ceu ante ostensum est, quod certe in Judæos illius ætatis non cadebat. Præterea vero durationem Judaicæ gentis ad finem usque sæculi vel ideo prædixisse videtur Salvator Optimus, ut intelligeretur, gentem, tot calamitatibus & perpetuis exsiliis inposterum vexandam, nihilominus divino nutu in fidem doctrinæ a Christo prædicatæ conservatum iri.

Vers. 35. οὐ μὴ παρέλθωσι) i. e. *non carebunt eventu*, ut *Clemens* hanc phrasin adhibet Epist. ad Corinth. p. 37. quem locum annotavit *Raphelius* in Semicentur. Annotat. Philolog. p. 5.

Vers. 36. οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν) Hic exemplaria quædam addunt οὐδὲ ὁ υἱὸς *neque filius*. Sed hæc ex *Marci* XIII. 32. huc relata recte credunt *Millius* in notis ad h. l. & *Clericus* in epistola, quæ editioni Amstelodamensi N. T. Milliani præmissa est, quem & lege in Artê Critica Part. III. Sect. I. c. XV. §. 15. item *Rich. Simon* in notis ad vers. Gall. & in Observatt. Novis p. 445. nec non *Pfaffius* de Variant. Lection. N. T. p. 187. contra Sandium. Adde *Garnerium* ad Mercatorem Tom. I. p. 118. sqq. De re ipsâ ex Patribus disserit *Suicerus* Tom. II. p. 164.

εἰ μὴ) i. e. *nisi*, quod refertur ad præcedens οὐδείς, nemo, ut supra c. XII. 4. Vide *Boisii* Collat. p. 76.

Vers. 37. 38. γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες) h. e. stupra committebant mares, & admittebant femellæ, omnia vagis libidinibus miscebantur. Propter nuptias enim legitimas non erant, quod punirentur. Γαμεῖσθαι autem, unde & ἐκγαμίζεσθαι, κατ' εὐφημισμὸν, idem nonnunquam est, quod συνεσιάζειν, *congressum venereum exercere*, & γάμος idem, quod συνεσία. Ita Juno apud Callimachum Hymno in Delum v. 240. pellices Jovis alloquitur:

Οὕτω νῦν ὦ Ζηνὸς ὀνείδεα, καὶ γαμέοισθε
Λάθρια, καὶ τίκτοιτε κεκρυμμένα.

i. e. Ita nunc, o Jovis probra, concumbatis
Clanculum, & pariatis occulte.

Similiter γάμος ab eodem *Callimacho* l. c. v. 38. de *stupro* adhibetur, *Euripide* in Alcest. v. 316. *Theocrito* Idyll. XXVII. 57. *Aristæneto* lib. I. ep. 21. & aliis,

quos laudant *Barnesius* ad Anacreont. Od. LII. p. 179. & *Euripidem* in Danace v. 18. *Mercerus* ad Aristæneti l. c. & *Ezech. Spanhemius* ad Callimachum p. 460. qui ibidem ex Latinis Scriptoribus ostendit, τὸ *nubere* & *nuptias* in sensu lasciviore adhiberi solere. Quam in rem conferri par est *Th. Munckerum* ad Hygini Fab. XIV. p. 34. & ad *Lactantii Placidi* Narrat. Fabular. XX. p. 219. nec minus ad Antonin. Liberal. c. I. ubi de simili notione vocum *Conjugium* & *Connubium*. Hausi ista est Cl. *Trilleri* Notis MSS. De verbo γαμεῖν in hoc significatu lege quoque Scholiast. Aristoph. ad Plutum v. 1082. itemque *Ludolph. Kusterum* ad Aristoph. p. 16. & *Fessel ium* in Adversariis Sacris T. I. p. 156. cujus verba digna sunt, quæ hic laudentur tanquam explicationi Trillerianæ apprime conformia. Ille vero ita: Verecunde autem Matth. XXIV. 30. verbis γαμεῖν & ἐκγαμίζειν, ut ex cap. XIX. Genes. colligere possumus, notantur non solum illegitima antediluvianorum conjugia, dum alii duxerunt uxores, non quas Parentes volebant, sed quas ipsi sibi eligebant, plerique dispari gaudebant connubio, cum Cainitis apostatis affinitates contrahendo, nonnulli pulchritudinem sine ullo pietatis respectu in futuris conjugibus quærebant, multi in gradibus prohibitis nubebant, ut colligitur ex voce מכל ex omnibus vel quibusvis i. e. ex quorumcunque Parentum &c. filiabus, non pauci polygamiam cum improbo Lamecho introducebant; sed etiam eorundem adulteria & illiciti congressus, siquidem rapuerunt sibi conjuges. Sic *Marc.* VI. 17. verbum ἐγάμησε de Herode Antipa usurpatur, qui Philippi fratris uxorem furtim ablatam incestu polluit.

Vers. 40. ὁ εἷς παραλαμβάνεται, καὶ ὁ εἷς ἀφίεται) per enallagen: *unus assumetur* &c. Vide *Fesselii* Adversar. Sacr. T. II. p. 500. Adde *Scholti* Adagial. N. T. p. 59. Similem locum habes apud *Cosmam* Indopleustem, de quo vide *Fabricium* ad Sextum Empir. p. 381.

Vers. 41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι) Ancillarum olim erat *molas trusare*, ut ex *Exod.* XI. 5. & *Jes.* XLVII. 2 probat *Grotius*. Conf. *Almeloveenii* Antiquitates e Sacris profanas p. 36. Adde *Homerum* Odyss. VII. 103. & XX. 105. quem huc affert Cl. *Trillerus*. Conf. ad *Luc.* XVII. 35.

καὶ μία ἀφίεται) Post hæc Codd. nonnulli habent: δύο ἐπὶ κλίνης μιᾶς &c. quæ ex Luca huc repetita esse recte monet *R. Simon* in Notis ad vers. Gall. Itaque nec reprehendendus erat Lutherus, qui in versione sua hæc non expressit, defensus a *Kaithio* in Vindiciis p. 357.

Vers. 43. διορυγῆναι τὴν οἰκίαν αὐτοῦ) Eadem phrasi & *Xenophon* utitur p. 699. notante Raphelio. Latini dicunt *parietes perfodere*, quod Græci efferunt per τὸ χωρυχεῖν.

Vers. 45. Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς δοῦλος &c.) Perperam hæc a nonnullis eo abripi, ut Romanum Pontificem Ecclesia & Concilio superiorem efficiant, ex

ex Patrum, cómma hoc longe aliter interpretantium, locis oſtendit diligenter *Launojus* in Epiſtolis p. 86. ſqq. Ad parabolam hanc de ſervo frugi & nauci Cl. *Trillerus* conferri vult *Plauti* Moſtellariam initio.

ὃν κατέστησεν ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτῆ) i. e. *quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vel ſuper famulitium ſuum, ut τὸ ἐπὶ τῆς θεραπείας* idem ſit, quod *ἐπὶ τῆς οἰκετίας.* Vide *Boiſium* in Collatione p. 76. Similis phraſis eſt *Actor.* VI. 3. & 1. *Maccab.* VI. 14. *Polybius* IV. 87. p. 484. *τὸν ἐπὶ τῆς θεραπείας τεταγμένον*, ubi de *ſatellitum præfecto* loquitur.

Verſ. 48. χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν) Vide *Picinellii* Lumina Reflexa ad h. l.

Verſ. 49. μετὰ τῶν μεθυόντων) i. e. *cum ebrioſis*: v. *Feſtelii* Adverſ. Sac. III. 5. p. 249.

Verſ. 50. ᾗ οὐ προσδοκᾷ) *Non ſperat*, ut Vulg. vertit; recte, judice *Alex. Moro* ad h. l. p. 54.

Verſ. 51. Καὶ διχοτομήσει αὐτὸν) *Et dividet eum*, ut Vulg. quem tuetur *Boiſius* in Collatione p. 77. addens: *dignum hypocritis ſupplicium eſt, ut qui duplici ſunt corde, in duo diſſecentur, cujus ſupplicii inſigne exemplum habemus in Metio Suffetio apud Livium.* Is itaque proprie accipi hanc vocem vult, ut denotet *ſectionem in duas partes.* Atque hoc ſupplicii genus apud Hebræos *Judic.* XIX. 29. 1. *Sam.* XV. 33. Chaldæos *Daniel.* II. 5. III. 29. *Romanos*, vide *Sueton.* in Caligula c. 27. *Græcos*, qui id per ῥαχίζειν & διατμήγειν exprimunt: (confer *Eraſm. Schmidium* in Not. ad h. l.) receptum fuiſſe oſtendit *Majus* Obſſ. Sacr. Part. II. p. 27. ſq. cui junge *Schelhornii* Obſervat. ad h. l. in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. p. 111. ſq. ubi varia veterum Græcorum loca habes, in quibus verbum hoc vel diſſectionem in duas partes, vel ſaltem ſectionem ventris infert. *Polybii* locum lege apud *Raphel.* p. 99. De ſectione vero circa debitores adhiberi ſolita lege *Salmaſium* de Modo Uſurarum p. 824. ſqq. Atque is quidem poſt *Quintilianum* & *Gellium* Noct. Attic. XX. 1. ſectionem illam proprio ſenſu accipit de diſſectione corporum, forte poſt obitum facta, quam tamen de venditione tantum creditoris cum bonis ſuis, collectæque inde ſummæ inter debitores diſtributione, accipiendam eſſe oſtendit Cl. *Bynckershœck* in Obſerv. Juris Romani lib. c. I. In notione propria acquieſcere mavult *Majus* l. c. & *Olearius* in Obſſ. Sacr. p. 714. nihil definiente *Schelhornio*, qui extremum mortis ſupplicium ſervo hic denunciari credit, ſive capitis amputatio, ſive diſſectio per medium, vel aliud hujusmodi infelix mortis genus innuatur. Διχοτομίαν hanc proprie capiendam, *Alex. Morus* quoque in præfat. ad comm. in *Jeſ.* LIII. ex eo ſibi perſuadet, quod ſtatim *τῆ μέρει* fiat mentio. Sed fortaſſe alius ex hac phraſi contrarium ſibi perſuaſerit, ut, quemadmodum illud *μέρος τιθέναι* improprie hic omnino uſurpatur, ita ante-

cedentem quoque phrasin eadem notione induendam censeat. Ingenioſa eſt ſententia, quam *Georg. Aug. Pancomius* (ita enim auctor latere voluit) in ſingulari epiſtola de ſervi negligentis dichotomia per cultrum, Lipſ. 1713. edita, ornavit, exiſtimans, reſpici hic ad eos, qui tempore excidii Hieroſ. ventre medio a militibus ſecto perierint, ceu Joſephus VI. 36. de B. Jud. teſtatum relinquat. Confer quæ in hanc rem obſervat *Schelhornius* l. c. p. 1119.

Alii impropriam notionem præferentes de *ſeparatione* interpretati ſunt, quod poſt *Bezam*, & alios, facit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. III. qui hujus notionis exemplum exſtare credit in Homero Il. I. v. 530. ubi tamen vide quæ objicit *Gatackerus* p. 251. Ita ſentit & *Rich. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. Atque in has partes concedere quoque videtur *Wolfburgius* in Obſerv. Sacr. p. 127. ſq. qui figuratam ait eſſe locutionem, deſumtam vel a genere ſupplicii crudeliſſimo ad denotandam crudelitatem pœnarum infernalium, vel a diſſectione victimarum, ut vult *Wimeſius* & *Suaningius*; vel a *ſeparatione*. *Damnationis æternæ* pœnas hic inferri cenſet *Godof. Preuſſius* in ſingulari Diſſertat. de διχοτομίᾳ ſervi nequam, quæ recuſa eſt Tom. II. Theſaur. Diſputat. p. 185. ſqq. ubi cum ſupplicii hujus exempla ex veteribus Scriptoribus attuliſſet, ſuamque, quam diximus, ſententiam firmaſſet, eos tandem confutat, qui vel ad ſacrificia alludi exiſtiment, vel de occiſione quacunque accipiant, vel de ſeparatione ſervi hujus a reliquo famulitio interpretentur.

Alii de *morte* generatim accipiendam contendunt, quippe per quam *anima a corpore* ſeparetur. Hanc interpretationem ornat inprimis *Martianæus* in *Eſſay* p. 136. ſq. & adſtruit ex Hebraica phraſi 2. *Sam.* VI. 7. 8. 1. *Chron.* XIII. 10. 11. & 2. *Sam.* V. Sed invenit Cl. *Chriſtoph. Aug. Heumannus*, quæ huic ſententiæ opponeret in Actis Eruditorum anni 1712. p. 26. iterumque in Vindiciis, quæ exſtant Tom. V. Supplement p. 202. quæ in compendio refert, eademque opera a Viri docti exceptionibus Martianæi ſententiam liberat *Godfr. Olearius* in Obſſ. Sacr. p. 709. ſqq. Ad *mortem violentam* innuendam ſpectare hanc phraſin cenſet quoque *Elsnerus* p. 111. qualis ſcilicet in prælio detur, ubi in ardore viribus pollentes viri hoſtem interdum διχοτομοῦσι, *medium ſecant*, ut de Pyrrho Plutarchus narrat in vita ejus.

Heumannus, quem modo appellavimus, mitius de phraſeos notione ſentiens, *verbera* tantum & *plagas ſerviles* innui arbitratur, quia ſcilicet utriusque Linguæ Scriptores τὸ τέμνειν & *ſecare* de illis uſurpare ſoleant, dicentes, *ſcindere flagello*, *ictibus tergum ſecare*. Sed illi ſe oppoſuit Anonymus C. F. K. in ſingulari diſſertatione, ad quam, in MS communicatam, cum *Heumannus* in Supplementis Actorum Lipſ. Tom. V. p. 202. reſponderet, alter ille & priorem ſuam diſſertationem & animadverſiones ad vindicias iſtas Otiis Academicis (Acadēmiſche Nebenſtunden) Part. IV. n. 7. & Part. V. n. 3. inſeruit. Sed & calamum

mum in hanc interpretationem ſtrinxit B. *Olearius* p. 712. ſq. obſervans in univerſum, partim loca ex profanis Scriptoribus huc allata interdum eo non ſpectare, partim vero non ſequi, quod vox nude poſita v. c. *ſecare*, διχοτομεῖν, eundem ſignificatum obtineat, quem aliis juncta, v. c. *ſecare ictibus tergum*, tueatur: partim denique durum videri, vocem compoſitam διχοτομεῖν, quæ omnino in ſe veram & integram diviſionem inferat, de flagris, dorſum ſervile ſecantibus, interpretari.

Alii denique *graviſſimam* quamque *pœnam* hic denunciari exiſtimant, per ſynecdochen ſpeciei pro genere: quæ ſententia eſt *Suiceri* T. I. p. 927. & Anonymi illius, quem *Heumannus* adverſarium nactus eſt, T. V. Supplem. Actorum Lipſ. p. 305. Atque huc retulerim quoque *Kuhnium*, qui in Pentade Diſſertt. Philolog. Pentade II. p. 6. vertit per: *ultimis exemplis peſſundabit.*

Meo quidem judicio in explicatione hujus verbi reſpiciendum fuerit tum ad parabolam ipſam a ſervo deſumtam, tum ad ſcopum Domini, & ipſius parabolæ nucleum. Si ad prius, non dubitem, per τὸ διχοτομεῖν intelligere diſſectionem mediorum corporum, tanquam ſupplicium graviſſimum, gentibus Orientis atque adeo & Judæis receptum. Si ad poſterius, indicari videntur graviſſimæ quæque pœnæ, ſervis improbis & malæ frugis aliquando infligendæ, inprimis in inferno, cujus ſupplicia per phraſin κλαυθμὸς καὶ βρυγμὸς ὀδόντων in Scriptura Sacra innui conſueverunt. Patrum expoſitiones diverſas lege apud *Suicerum* Tom. I. p. 926.

καὶ τὸ μέρος αὐτῆ μετὰ τῶν ὑποκριτῶν θήσει) Hic tum *Camerarius* tum *Beza* Hebraiſmum haberi exiſtimant, alter, quod pars hic *communitatem, ſocietatem, conjunctionem* denotet: alter, quod τὸ μέρος τιθέναι *partem ſtatuere*, ſit *genus dicendi ſumtum a dominorum conſuetudine, in demenſo ſervis aſſignando, prout fidos ſe præſtiterint.* Confer *Gatackerum* de Stylo N. T. c. 41. p. 252. Nec video, *Pfochenium* §. III. ſatis ſolide Hebraiſmum hunc eſſe amolitum, rectius vero hac opera defunctum arbitror *Elsnerum* p. 112. Ita enim, eo monente, *Demoſthenes* pro Corona p. 354. dixit ἐν τῷ τῶν ἐναντίων μέρει τετάχθαι i. e. *adverſariis ſe annumerare*; & *Plutarchus* in Mario p. 422. εἰς ἀρετῆς καὶ δεινότητος μερίδα τὸ ψεύσασθαι τιθέμενος. Senſus itaque eſt, eandem ſervi ejusmodi ſortem fore, quæ ſit hypocritarum.

μετὰ τῶν ὑποκριτῶν) Scilicet hypocritis graviores pœnæ debentur, quod ut in Scriptura Sacra paſſim traditur, ita & a Judæis & Muhammedanis, imo ipſis gentilibus paſſim docetur. Vide loca apud *Elsnerum* p. 112. ſq.

ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων) Non vult hæc ad æternarum pœnarum indicium referri *Heumannus* in Actis Erud. T. V. Supplem. p. 205. ſed potius ad pœnam maleferiati ſerui, qui in frigidum & caliginoſum carcerem conjectus, dentium ſtridorem ſentiat, neceſſe eſſe. In quam ſententiam idem trahit *Matth.* VIII. 12. & XXII. 13. *Schelhornius* l. c. p. 1121. ea phraſi indicari putat timiditatem & cruciatum animi, quo hi præſertim affliguntur, qui ſævæ mortis ſupplicio deſtinati ſint. Nec diſſentit *Olearius* l. c. p. 715.

CAP. XXV.

PArabola hæc exſtat quoque in Cod. *Schabbat*, unde repetit *Sheringham* in præfat. ad Cod. *Joma*.

Verſ. 1. ſq. Ad expoſitionem hujus parabolæ, ex antiquitate faciendam, legatur *Roa* in Singularibus Parte I. lib. II. c. 21. p. 215. Integram illuſtravit *Arnoldus Ruimius* in libro Belgico, Lugd. Bat. 1721. 8. edito, quo & Hannæ Canticum 1. Sam. II. explicavit. Confer quoque Rev. *Jo. Wilh. Zieroldii* deutliche Erklärung p. 365. ſq.

De nuptiis, noctu celebrari ſolitis, lege *Prado* in Pentecontarcho p. 96. ſq. *Stuckium* in Antiquitatt. Convival. lib. III. c. 24. *Feſſelium* Tom. II. Adverſar. Sacrorum p. 111. ſq. *Dilherrum* Tom. I. Diſpp. Acad. p. 797. ubi de antiquo ritu nuptiarum, itemque *Picinellum* in Luminibus Reflexis.

De Virginibus, ſponſam comitantibus, adeundus idem *Picinellus* l. c. Atque hinc *Frider. Adolphus Lampe* in Exercitatt. ſuper Pſ. XLV. p. 526. conficit, decem virgines non debere conſiderari ut ſponſam ipſam, ſed ut comitatum ſponſæ, quia lampades nunquam a ſponſa, ſed interdum a virginibus comitantibus, plerumque vero apud Græcos antiquiores a matribus, apud Romanos autem a pueris patrimis & matrimis, præferri conſueverint. Vide loca ab ipſo allata, & confer *Elsnerum* p. 114. qui inter cetera quoque obſervat, lampadas has *νυμφικὰς λαμπάδας* vocari ſolitas.

De benedictione Sacerdotali in nuptiis veterum, de qua ad h. l. commentatur *Grotius*, lege quos citat *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris p. 749.

ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν) Ita *Polybius* p. 1433. ἐξήεσαν ἐπὶ τὴν ἀπάντησιν.

τῷ νυμφίῳ) Hic Codd. quidam addunt καὶ τῆς νύμφης, præter rem, judice *Pfaffio* in Diſſert. de Var. Lect. N. T. p. 188. *Millium* hic ſibi non conſtare, ſed alibi probare, quod alibi rejecerat, obſervat *Whitby* in Examine p. 91. B. *Lutherus* in verſione ſua omiſit, præter rem ideo notatus a Pontificiis, contra quos vide *Raithii* Vindicias p. 357.

Verſ. 2. Πέντε δὲ ἦσαν) Romani in nuptiis quinque tantum lampadas accendere ſolebant, auctore *Plutarcho* Quæſt. Roman. p. 263. Hinc & *Roa* l. c. p. 217. ita: *Quinque fuiſſe legitimum numerum puto* (de virginibus hic memoratis loquitur) *nam alioquin non juſto lampadum numero eſſent celebratæ nuptiæ, quod fuiſſet piaculum. Reliquæ vero quinque fatuæ ſe inſinuare quidem voluerunt, ſed prudentes eas antevertunt, ne jus omitterent prælucendi, aut piaculo nuptias obligarent. Nam ſi legitimæ fuiſſent, non credibile eſt, tantam fuiſſe inopiam olei in ſponſi domo, nec ubi rediiſſent, non extruderentur.* Ita ille.

Verſ. 4. ἔλαιον) Per hoc in ſcopo parabolæ *Legis cognitionem & obſervationem* indicari, cenſet *Vitringa* in Archiſynagogo p. 220. Patres veram & ſince-

finceram fidem, atque adeo per consequens veritatem & misericordiam indicari existimant. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1076.

Vers. 5. ἐνύσταξαν) *dormitarunt*, ut Vulg. approbante *Turnebo* XXV. 15. Adversariorum & *Boisio* in Collatione p. 78. *Dormito* vero idem est, quod *dormire cupio.*

Vers. 6. Μέσης δὲ νυκτὸς) Vide huc *Adami* Observatt. Philolog. p. 162.

Vers. 8. δότε ἡμῖν) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 59.

Vers. 9. μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν) Ante hæc verba ad complementum sensus intelligi debet ὁρᾶτε, σκοπεῖτε, aut βλέπετε, sicut Paulus Hebr. III. 12. ait: βλέπετε, ἀδελφοὶ, μήποτε ἔσται &c. Sic sensus erit: *cavete, ne nobis non magis ac vobis sufficiat.* Ellipseos hujus exempla exstant passim, ut *Actor.* V. 39. μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε i. e. σκοπεῖτε, *cavete, ne cum Deo pugnare videamini.* Alia vide apud *Kusterum* ad Aristoph. Plutum v. 320. inprimis vero, cui hæc debemus, *Elsnerum* p. 115. *H. Stephanus* de Stylo N. T. p. 21. Collect. Honerti subintelligi vult: μὴ δώσομεν, vel etiam interrogative verti: *quid si sufficere nobis & vobis non possit?*

πορεύεσθε δὲ) i. e. *sed, quin abite potius*, observante eodem *Elsnero.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. & Xenophont. ad Hebr. IV. 15. Atque sic non opus est violenta verborum trajectione, quam *Hombergius* in Parergis Sacris p. 73. huc advocavit, qui verba: μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν ad finem versus 9. collocanda, τὸ δὲ vero post πορεύεσθε delendum arbitratur.

Vers. 12. οὐκ οἶδα ὑμᾶς) Indicatur hic notitia specialis, & cum affectu conjuncta. Vide *Hackspanii* notas ad h. l. p. 164. Conf. *Schotti* Adag. p. 59.

Vers. 13. Γρηγορεῖτε οὖν) vide *Schottum* l. c. p. 59.

οὐδὲ τὴν ὥραν) i. e. *nedum horam*, ut τὸ οὐδὲ pro μήτιγε positum existimetur. Sic enim postulat sententiæ ratio, ut, quod minus est, præcedat, quod majus, sequatur. Vide *Boisii* Collat. p. 78.

ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται) Verba hæc, quia in Codd. nonnullis desiderantur, ex capite præcedente huc relata putat *Millius* & cum eo *R. Simon*, qui in Vers. sua Gallica non expressit. Confer *Whitby* p. 41. Exam.

Vers. 14. sqq. Ὥσπερ γὰρ ἄνθρωπος &c.) Parabola hæc tota strictim explicatur a *Theringio* in Dissertat. quæ inserta est Miscellaneis Lipsiensibus Tom. VII. p. 265. sqq. Ceterum deesse hic posteriorem partem similitudinis, seu apodosin, post alios observat *Boisius* p. 79. Collationis, veterem præterea Interpretem laudans, qui maluerit Græcam ellipsin servare, quam de suo aliquid adjicere. Quid vero supplendum sit, patet ex v. 29. Per talenta

lenta hic intelligi dona a Deo conceſſa, quibus gloria ejus promoveri debeat, ſtatuunt Patres, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 1231.

ἀποδημῶν) i. e. peregre profecturus. Vide *Boiſium* l. c.

Verſ. 16. ἐιργάσατο) *negotiatus eſt*: vid. *Poſſini* Spicileg. p. 116. & confer *Grævii* notas ad Heſiod. p. 9.

ἐποίησεν) Conferatur idem *Grævius* p. 74. *Hombergius* p. 74. phraſin *Jacobi* III. 18. τοῖς ποιοῦσιν ἐιρήνην huc advocat. Adde *Boiſium* p. 79. qui vertit: *lucratus eſt.*

Verſ. 21. εἴσελθε ἐις τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου) Phraſeos hujus hanc rationem reddit *Dilherrus* in Diſpp. Acad. Tom. I. p. 709. *Erant veteribus in unica domo conclavia diverſa, adpoſito, in gentium natione, alicujus Numinis, alias alterius cujusdam rei, nomine, in quibus cœnabant & convivia agitabant. Conclavia illa vocabantur diætæ, in quibus æſtate cœnabatur ad umbram, hyeme ad Solem. Non igitur vero nobis videtur abſimile, Dominum ad ejusmodi cœnaculum ſive diætam reſpexiſſe, cui nomen χαρᾶς* i. e. *gaudii impoſitum: quæ ſane ſive inſcriptio, ſive appellatio non dedecebat locum iſtum, in quo gaudium & hilaritas, (ut ita loqui nobis liceat) debacchabantur.* Hæc ille, qui ad *Pignorii* comment. de Servis p. 489. provocat. Minus ſe hæc conjectura probavit *Cornelio Adami* in Obſſ. Theolog. Philolog. p. 164. inprimis ideo, quod hic non dicatur: εἴσελθε ἐις τὴν διαίταν, ſed: εἴσελθε ἐις τὴν χαρὰν, quo nomine conclave aliquod figillatim indicatum fuiſſe, nullo idoneo loco probatum eſſe meminerit. Addiderim ego, probandum inprimis fuiſſe, inter Hebræos iſtam cœnaculorum diverſorum in eadem domo diſtinctionem & appellationem diſtinctam uſu receptam fuiſſe, quam non fuiſſe probabile fit ex eo, quod Servator, Apoſtolos ad parandam Cœnam Paſchalem ultimam ablegans, conclave, quod elegerat, non proprio quodam & ſpeciali, ſed generali cœnaculi nomine deſignat. Rectius itaque agunt, qui cum *Clerico*, quem & *Adami* ſequitur, per χαρὰν hic convivium, cum quo alias melioris & futuræ vitæ conditio comparatur, indicari cenſent, quemadmodum *Eſth.* IX. 19. Hebr. משתה i. e. *convivium* a τοῖς LXX. per χαρὰ vertitur.

Verſ. 24. σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος) alluditur ad *Jeſ.* XIX. 4. judice *Keuchenio* ad h. l. qui præterea oſtendit, voce hac non ſolum *duritiem* ſed & *ſtupiditatem* ac ſævitiam indicari.

θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας) ita Græci olim vulgari proverbio dicebant ἄλλοι μὲν σπείρουσιν, ἄλλοι δὲ ἀμήσουσι, *alii quidem ſeminant, alii vero metent.* Vide *Diogenianum* Centur. II. 62. & *Apoſtolium* Centur. II. 55. Adde & *Ezech. Spanhemium* in Notis ad Callimach. p. 750. *Schottum* Adag. N. T. p. 60. *Vorſtium* de Adagiis N. T. p. 60. & *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 130.

Verſ.

Verſ. 26. πονηρὲ δοῦλε καὶ ὀκνηρὲ) *ſerve male & piger:* ita Vulg. quem tuetur *Boiſius* in Collat. p. 80. qui addit adverſus alios Interpretes: *Cunctator eſt* μελλητὴς, *& ignavus* ἀργὸς, *piger vero* τῷ ὀκνηρὸς *plane reſponaet.*

Verſ. 27. τοῖς τραπεζίταις) De voce τραπεζίτης lege *Suiceri* Obſervatt. Sacras cap. V. p. 139. ſq. ubi de dicto: γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, quod oraculum, ad Chriſtum a variis relatum, ex hoc loco depromtum eſſe, nonnulli crediderunt, citati a *Fabricio* ad Codicem Apocryphum N. T. Tom. I. p. 330. ubi & plura de eodem leges. Confer *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 549. ſq. qui p. 550. ſpeciatim obſervat, unum eundemque trapezitam olim pecuniam fœnori dediſſe, & accepiſſe, ſed & nummos adulterinos falſosque a veris & publica moneta ſignatis discreviſſe. Idem quoque p. 564. monet, ita verba hæc eſſe vertenda: *oportuit te poſuiſſe pecuniam meam menſariis;* verbum enim βαλεῖν hic idem eſſe, quod Attice diceretur θεῖναι.

Verſ. 29. δοθήσεται καὶ περισσευθήσεται) i. e. *abunde dabitur*, per Hendiadyn, ut, ſicut alias ſubſtantivum pro adjectivo ponitur, ita hic verbum ponatur pro adjectivo. Ita & *Lucas* VI. 48. ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε i. e. βαθέως ἔσκαψε. Lege huc *Boiſii* Collat. p. 80.

ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος &c.) Vide ad *Luc.* XIX. 26.

Verſ. 30. εἰς τὸ σκότος ἐξώτερον) Vide quæ ſcripſi ad *Matth.* VIII. 12. Adde hic *Pignorium* de Servis p. 491. quo judice tenebræ exteriores hic opponuntur copioſo tædarum lampadum & lychnorum lumini, quo cœnaculum illuſtrari ſolebat. Idem monet, ſervum illum ejectum & amictum ſindone ſuper nudo, agentem ſub dio in tenebris, & metuentem ſibi, nihil aliud manſiſſe, quam fletum & ſtridorem dentium.

Verſ. 31. ſqq. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) Proceſſus judicii extremi hic delineatur a Domino, quo ita uſus eſt *Altingius* in Heptad. II. Diſſ. VII. §. 25. ubi de fundamento judicii extremi quoad judicandos differit, ut oſtendat, fundamentum primæ Juſtificationis, qua homo peccator pœnitens, & fide Chriſtum amplectens, coram Deo in hac vita juſtificatur, ſolam eſſe fidem in Chriſtum: in ultima vero juſtificatione, qua fideles in cœleſtia gaudia immittantur, ſola opera bona fundamenti loco ex parte judicandorum habenda eſſe. At hanc ſententiam, ut plena eſt offenſionis, ita nec in iſto judicii proceſſu hic delineato, nec alibi in Scriptura Sacra fundamentum invenire, perſpicue oſtendit *Olearius* in Obſerv. S. p. 715. ſqq.

Verſ. 31. Reſpicere hic Chriſtum ad *Zachar.* XIV. 5. vel ſaltem ad phraſin ab eo uſurpatam, cum *Grotio* ſtatuit *Keuchenius* ad h. l.

Verſ. 32. καὶ ἀφορίσει αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων &c.) Lege huc *Franc. Wörgeri* Trigam

gam Dissertationum, quarum II. exponit de hœdis separandis in judicio ab ovibus. Confer & *Schotti* Adag. N. T. p. 60.

Vers. 33. τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν &c.) Verosimile est, alludi hic ad ritum Judæorum in Synedrio observatum. Cum enim confessui huic duo adessent scribæ, alter, qui ad dextram sedebat, suffragia, accusatum absolventia, notabat, qui ad sinistram, condemnantia. Ita Cl. *Lampe* ad Ps. XLV. p. 363. Confer Drusium Præterit. lib. I. *Jos. Mede* in Opp. p. 841. & *Saubertum* in Palæstra p. 289. Locus, ad quem isti respiciunt, exstat in *Sanhedrin* in hanc sententiam: *duo Judicum scribæ stabant coram illis* (Synedrii assessoribus) *alter a dextra, alter a sinistra, qui conscribebant sententias absolventium & condemnantium.* Lege de eo *Vitringam* Observatt. Sacr. lib. II. c. 4. p. 68. qui ibidem observat, antiquissimi moris esse, ut rei coram tribunali ad sinistram consisterent, stante ad dextram accusatore. Vide *Ps.* CIX. 6. & *Zachar.* III. 1. Hirci igitur hic ad sinistram sistuntur, ad declarandum, esse, qui eos criminaretur, & ob crimina condemnaret; fideles vero ad dextram, ad significandum, non esse in illis aliquod κατάκριμα, ob quod vel accusari, vel condemnari possint. Similem a dextra & sinistra hinc justorum hinc injustorum collectionem, in judicio post mortem factam, memorat *Plato* de Republ. lib. X. p. 700. quem locum debeo *d' Outreinio* in Observatt. Miscellan. p. 224. & *Elsnero* p. 116.

Vers. 34-40. illustrat B. *Georg. Mœbius* Dissert. singulari, *Lips.* 1689. 4.

Vers. 34. οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου) i. e. ὑπὸ τοῦ πατρός μου. Ita vero & profanos Scriptores loqui, ostendit *Horatius Vitringa* in Animadverss. ad Vorstium p. 232. quem lege Part. I. Philolog. S. p. 334.

Κληρονομήσατε) i. e. possidete instar hereditatis. Vide *Hackspan.* Notas p. 165. Ita quoque versio Gall. *Montensis*, improbante præter rem *Rich. Simone* de Versionibus N. T. p. 449.

ἀπὸ καταβολῆς κόσμου) i. e. πρὸ καταβολῆς κόσμου, ut ἀπ' αἰῶνος *Act.* XV. 18. idem est, quod πρὸ τῶν αἰώνων 1 *Cor.* II. 7. Conf. *Witsii* Oeconomiam Fœderum p. 301. De ipsa ista phrasi lege quoque *Jac. Altingium* Tom. V. Opp. p. 37. a ubi de Sabbato, & *Massonium* Tom. I. Hist. Crit. Reip. Liter. p. 231. sqq. qui ostendit, καταβολὴν Græcis idem esse, quod *initium*, sicut & καταβάλλομαι pro *incipere* iisdem adhibetur. Confer *Pindari* Nemea Od. II. v. 5. atque ibi Scholiasten. Adde & *Raphelii* Notas Polybian. p. 70. Hebræi יכד i. e. fundavit, usurpant de consilio, quod scite monet *Alex. Morus* in Notis ad N. T. p. 167. Judæi ajunt, paradisum ante mundum exstitisse. Vide *Fagii* Collationem Translationum ad Genes. III. 24.

Vers. 35. ἐπείνασα γὰρ &c.) De bonis his operibus, a Judæis passim celebratis, lege ipsorum effata apud *Hackspanium* de Usu librorum Rabbinic. p. 438. sqq. & in Notis ad h. l. p. 166. Pertinent illa ad גמילות חסדים de

qua

qua tam præclare ii lem. Lege *Vitringam* de vetere Synagoga p. 805. Iidem bona opera teſtimonii loco Iſraëlitis in ſeculo futuro fore tradunt apud *Wagenſeilium* ad Sota p. 335. Cave, ex his commatibus colligas, vitæ æternæ largitionem a bonis operibus pendere. Lege, quæ ſcripſi ad v. 31.

Verſ. 36. ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με) *ægrotavi & viſitaſtis me*; utrumque verbum in eodem ſignificatu profanos Scriptores adhibere, oſtendit *Elsnerus* p. 117. ad h. l. Illam ægrotorum viſitationem Hebræi in maxima religionis parte habuerunt, quod patet ex Maimonide in Tract. אבל ſeu de *luctu* c. 14. §. 4. Sic in *Sota* cap. I. dicitur Deus in hoc imitandus, quod veſtiat nudos, & viſitet ægrotos. Confer *Vitringæ* Archiſynagogum p. 406. & *Wagenſeilium* ad Sota p. 335.

Verſ. 37. ἐθρέψαμεν) *pavimus*, ut Vulg. quod tuetur *Boiſius* in Collat.

Verſ. 40. ἐμοὶ ἐποιήσατε) eleemoſynæ pauperibus datæ Deo dantur. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 1084. & p. 1284.

Verſ. 41. Comma hoc varie allegant Patres, de quibus vide *Grabii* notas ad Irenæum p. 263.

πορεύεσθε εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον) Hac phraſi utitur hic Chriſtus, tanquam recepta tunc inter Phariſæos, quod obſervat *Rich. Simon* in Not. ad Verſ. Gall. De igne inferni proprio non metaphorico ad h. l. diſſerit *Chriſtoph. Sontagius* in Diſput. ſingulari, *Altorf.* 1694. 4. habita.

τὸ ἡτοιμασμένον) Codd. quidam habent: ὃ ἡτοίμασεν ὁ πατήρ μου. Atque hoc mavult *Millius*, receptam lectionem tutante *Whithio* in Examine p. 45.

τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ) De æternis Diabolorum ſuppliciis lege Patrum loca apud *Petavium* Tom. III. Dogmatum p. 99. ſqq. 104. & 113.

Verſ. 46. ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον) Similiter in Tract. Talmud. *Roſch haſſchana* c. 1. fol. 16. de hæreticis & Epicuræis dicitur, quod *deſcenſuri ſint in Gehennam, plectendi ibi in ſecula ſeculorum*, יורדין לגיהנם ונידונין בה לדורי דורות

CAP. XXVI.

AD caput hoc & ſequens proximum in univerſum legi poſſunt *Antonii Bynæi* Comment. de Morte Jeſu Chriſti, *Amſtelod.* 1691. 4. ed. *Herman. Verſteeg* Comm. Philolog. in Paſſionem Servatoris noſtri J. C. *Amſtelod.* 1710. 4. *Emundi Merillii* Notæ Philolog. in Paſſionem Chriſti, ſecun-

cundum Evangelistas singulos & *Jo. Jac. Wissenbachii* Notæ Nomico-Philolog. in eandem, quæ junctæ exstant in Opusculis Philolog. Fascic. III. *Jac. Lydii* Florum Sparsio Dordrac. 1672. 12. *Gerh. Joh. Vossii* Harmonia Historiæ Passionis, mortis & Resurrect. J. C. in Opp. ejus, *Jo. Casp. Mercken* Observatt. Criticæ 532. in eandem, *Duisburg.* 1722. 4. quæ tamen minima sui parte tituli rationem tuentur, unde & raram earum mentionem a nobis in hoc argumento factam videbis. Ex nostratibus lege *Jo. Henr. Ursini* Passionale Historicum, Propheticum, Typicum & Symbolicum, quod exstat in Adversariis ejus sacris Francof. 1651. 8. una cum ejusdem Agno Paschali & Sacro Crucis Heptalogo, *Casp. Sagittarii* Historiam Passionis, Lipsi. 1684. 4. & *Valent. Henr. Vogleri* Physiologiam historiæ Passionis, Helmstad. 1673. 4. ut ceteros taceam, suis quosque locis laudandos. Historia Passionis ex columnis, in Ecclesia passionis Mediolani exstantibus, descripta exstat in *Jenkini Thomasii* Dissertationibus varii argumenti num. III. Varios Pictorum errores, circa Passionem Christi delineandam commissos, castigat *Philip. Rohr* in Pictore Errante Sect. II. n. 16. sqq. Argumenta quædam specialia, nominatim de Sudore Christi sanguineo, de Sudariis Christi, itemque de fasciis excussit Rev. *Salomon Ernestus Cyprianus* in Pentade Dissertatt. Ecclesiastic. Passionem Christi ita omni ex parte comparatam fuisse, ut a Prophetis descripta fuit, ostendit diligenter *Pet. Allixius* in Considerat. librorum Scripturæ Sacr. Part. II. p. 356. sqq.

Non-Christianos Passionis Jesu Christi testes in singulari Programmate produxit *Jo. Henr. von Seelen* Lubec. 1720. Idem vero Homerum, ejusdem Passionis testem, ab *Herm. Hugone* productum, rejecit alio Programmate ibid. 1722. Pertinent huc fabulæ, quæ de biga testium passionis Christi ἀυτοπτῶν adhuc superstitum circumferuntur. Lege de illis *Jo. Paschii* Disput. de morte immortalium mortis Christi testium, Judæi atque Gentilis, *Witteb.* 1685. 4. Conf. quæ de Judæo isto, immortali credito, scripsi in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 1093.

Salvatorem Sanctissimum in universa Passionis enarratione nusquam *Christi*, sed semper *Messiæ* nomine appellari, observat *Mercken* in Observatt. Criticis modo citatis p. 132. hac addita ratione, quod Jesu nomen ad statum exinanitionis proxime pertineat. Ibidem etiam de eo disquirit, cur discipuli Jesu in eadem historia nunquam Apostoli, sed semper discipuli vocentur.

Vers. 1. Καὶ ἐγένετο) De Hebraica hac loquendi formula, qua Scriptores Sacri in limine vel progressu narrationum suarum frequenter utuntur, lege post Vorstium *Bynæum* lib. I. de Morte Christi p. 9.

Vers. 2. μετὰ δύο ἡμέρας) *post biduum.* Christus itaque, feria sexta passus, hæc

hæc locutus est vel feria tertia, i. e. die Martis, vel feria quarta, seu die Mercurii, prout terminum vel excludendum hic vel includendum censeas. Plerique cum *Grotio* & *Coccejo* diem Martis intelligunt, cum quibus & facit *Bynæus* p. 19.

τὸ πάσχα γίνεται) i. e. solennitas *seu festivitas Paschalis celebrabitur*, ut B. *Gerhardus* in Harmonia T. II. p. 940. exponit, suffultus a *Raphelio* in Notis Xenophont. p. 53. qui ex Xenophonte confirmat, quod is dixerat, verbum γίνεσθαι de festis diebus agitandis usurpari Græcis solere. Verbum γίνεται idem hic esse, quod ἔσται sicut proximum παραδίδοται idem valet, quod παραδοθήσεται, monet *Boisius* in Collatione. Rectius tamen cum *Camerone* ad h. l. exponas per δεῖ γίνεσθαι, ut Matth. II. 4. dicitur: πῦ ὁ χριστὸς γεννᾶται, i. e. πῦ δεῖ γεννᾶσθαι. Ita *Luc.* XXII. 7. ἦλθε δὲ ἡμέρα ἡ τῶν ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. Ceterum de voce פסח & πάσχα hujusque tum origine, a variis varie ostensa, tum significatione diversa, fuse hic commentatur *Bynæus* p. 13. sq. Confer & *Casaubon.* p. 242. sq. Exerc. Anti-Baron. *Masium* p. 89. ad Josuam, *Montacutium* in Originibus II. p. 14. *Cheitomæum* de vocibus Græco-Barbaris & *Pfeiferum* in Opp. Critic. p. 478. A Græco πάσχειν plerosque veterum incondite derivare, pridem ostendit *Bochartus* Part. I. Hierozoici & *Fevardentius* ad Irenæum IV. 23. p. 309. qui eos excusat, tanquam qui non tam ipsius vocis etymon, quam mysterii rationem respexerint. Festivum est *Duporti* in hos etymologos epigramma, quod in Poematibus ejus legitur:

A κεφαλὴ Κεφᾶς, a πάσχειν πάσχα· verendum,
Sic derivantis ne κεφαλή τι παθοι.

De Paschate tum typico V. T. tum antitypico, Christo ipso, lege ex Partibus differentem *Suicerum* in Thesauro Tom. II. p. 608-621. qui deinde usque ad p. 627. de Paschali festo Christianorum commentatur.

Circa hoc comma disputatum de variis argumentis fuit a Viris doctis, quorum duo inprimis commemorabimus. Nonnulli sibi persuaserunt, Christum in ultima ista ante mortem cœna non agnum Paschalem comedisse, sed cœna tantum vulgari usum. Ita cum *Vecchieto*, *Toinardo* & *Bernh. Lamio* statuit nuper *Aug. Calmetus* in Diss. III. præmissa commentario ejus in Matthæum. Sed vide pro contraria & communiori veriorique sententia, ut ceteras taceam, pugnantem *Jo. Harduinum* in Operibus Selectis p. 373. sqq. qui eo procedit, ut furorem esse ajat, intolerabilemque audaciam, in adversas istas partes ire, prætereaque monet, deserendum esse Grotii errorem, qui contendat, peractum a Christo esse pascha non θύσιμον, sed tantum μνημονευτικὸν, voluntarium magis quam lege præceptum, in quo non agnus, sed ázyma tantum cum lactucis agrestibus pararentur. Ad definiendam hanc controversiam opus tantum esse putem accurata verborum *Marci* consideratione, quæ XIV. 12. leguntur: καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων λέγουσιν αὐτῷ, πῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν, ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα; Ibi Apostoli de communi Judæorum Paschate imminenti ita loquuntur, ut

satis intelligeret Sanctissimus Salvator, eorum mentem esse, quod & Dominus & ipsi, more alias ipsis frequentato, Pascha Judaicum celebraturi sint. Dominus vero ita respondet, ut ostendat, omnino parandum illud esse recepto more, atque hoc consilio jubet, ut ex hospite, apud quem celebritate hac perfuncturi erant, quærerent: *πῦ ἐστι τὸ κατάλυμα, ὅπυ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μυ φάγω.* Ipse ille hospes non poterat ex his verbis aliud colligere, quam Christum receptos agni Paschalis ritus observaturum esse. *Lamii* sententiam plures oppugnarunt, quum is primum in *Harmon. Evangel.* tum vero singulari *Tractatu Historico de Paschate Judæorum* adsertum iverat, inprimis vero *Guil. Beffin* libro singulari, *Reflexions sur le nouveau Systeme du P. Lamy*, Rothomag. 1697. cui epistolis nonnullis Lamius respondit, de quibus consule Ephemerid. Paris. an. 1697. p. 716. sq. 763. & 774. sq.

Disputatum præterea & de eo est: utrum Christus eodem die, quo Judæi, Pascha comederit, an potius uno die eos anteverterit? Controversiæ hujus rationem prolatis diversarum partium patronis, libratisque, quæ utrinque sunt, argumentorum ponderibus, ita enarravit *Bynæus* l. c. p. 24. sqq. ut nobis otium fecerit, ea tantum addituris, quæ ibi frustra quæras. Junge illi B. *Thom. Ittigii* Selecta Capita Histor. Eccles. Sec. I. p. 404. sqq. & *Herm. Witsii* Meletemata Leidensia Diss. XI. p. 421. sq. item *Jac. Basnagii* Histor. Judaic. Tom. VI. p. 258. sq. edit. repetitæ, & *Suicerum*, ex Partibus de argumento hoc differentem, Tom. II. p. 609. sq. Ex illis *Euthymius* existimat, Christum Pascha Judaicum uno die antevertisse. Vide huc *Rich. Simonis* Hist. Crit. N. T. lib. III. p. 416. sq. Conferri quoque meretur eruditissimus *Dan. Wilh. Trillerus* in notis ad *Hugonis Grotii* Christum Patientem, versibus Germanicis eleganter expressum p. 170. sq. qui itidem Paschalem cœnam Christi uno die Judaica priorem fuisse contendit. Diversitatem temporis, quo a Jesu & ceteris Judæis Pascha celebratum sit, ursit noviissime *Harduinus*, novam ut solet, illius rationem & originem enarrans. Statuit enim in Operibus Selectis p. 629. Christum cum discipulis suis, qui, quod inprimis observandum monet, *Galilæi* erant, comedisse Pascha pridie XV. Nisan post Solis occasum, adeoque initio diei decimi quinti Nisan, qui Judæis, h. e. civibus Hierosolymitanis, & Judææ provinciæ incolis, dies decimus quartus fuerit; illis a conjunctione Solis & Lunæ, istis a primo tantum Lunæ conspectu, sive postero a conjunctione die, Neomeniam primi mensis hoc anno computantibus. Hanc sententiam idem amplius ornare conatus est in Tractatu de supremo Christi Paschate p. 371. sqq. argumenta vero sua l. c. in summam confert. Conf. ibidem p. 405. sq. ubi habes compendium tractatus de Supremo Christi Paschate. *Guil. Whistonus* in Harmonia IV. Evangelistarum p. 188. sq. Christum cum Judæorum vulgo eodem die solennitatem hanc obiisse pronunciat, dum interim Synedrium & pauci quidam Judæi eam usque ad horam quartam matutinam proximam prorogarint. Pro diversis diebus pugnat ex Anglis *Rudolphus*

dolphus Cudworthus in Dissert. de vera notione S. Cœnæ cap. III. p. 19. & *Jo. Wallisius* Tom. IV. Opp. p. 339. Pro communiori vero sententia de eodem die utrinque electo stat *Bartoloccius* Tom. II. Biblioth. Magnæ Rabb. p. 752. sqq. & *Ignatius Hyacynthus Amat. de Graveson* in Tract. de mysteriis & annis Christi Diss. XIX. ubi data opera confutat P. *Manduit*, affirmantem, Judæos eo anno Pascha suum usque in vesperam diei Christi emortualis distuliss. Ex nostratibus huc pertinet *Jo. Frischmuthus* in Dissert. singulari de Agno Paschali, an eum eodem die cum Judæis comederit Salvator, Jen. 1674. 4. quæ cum *Jo. Sauberti*, contrarium hic statuentis, Dissert. simili recusa exstat in Thesauro Disputatt. Præcipuis difficultatibus, quibus hæc sententia premi nonnullis videtur, occurrit *Relandus* in Antiquitt. Hebr. p. 436. sq. cujus observata nonnulla ad *Marc.* XIV. 12. afferemus.

Utramque sententiam non contemnendis rationibus inniti, vel ex eo colligas, quod *Josephus Scaliger*, qui posteriori huic illique communiori calculum olim dederat, Christumque eadem cum Judæis hora Paschali cœna usum affirmaverat, postea lib. VI. de Emendat. Temporum p. 567. edit. posterioris, mentem mutavit, eadem opera professus, se cum multis hominum millibus errasse. Mihi quidem hactenus inprimis se probavit communior sententia de Paschate, eodem die a Christo & Judæis celebrato, inprimis ideo, quod nullum clarum vestigium mutati a Christo vel Judæis temporis in narratione Evangelica exstet, quod omnino in re non levis momenti exspectari posse facile quisque largietur; tum &, quod Christus, institutorum ceremonialium alias observantissimus, non videtur occasionem Judæis dare voluisse sub finem vitæ invectam novitatem criminandi; denique vero quod, quæ contrariam sententiam premunt difficultates, & plures & difficiliores sunt illis, quæ nostræ huic opponi possunt. Cetera apud *Bynæum* inprimis legi velim. Compara vero etiam Rev. *Zeibichii* Comment. German. de Horis Passionis J. C. p. 107. sqq. qui Judæos eo tempore festum Paschale uno die prorogasse, atque adeo Christum illud consveto die, sed ante Judæos, celebrasse statuit, & ad dissentientium argumenta respondet.

ὁ υἱὸς τ῀ ἀνθρώπ῀) De appellatione hac fuse differit *Bynæus* p. 67. sqq. quemadmodum & de Crucis supplicio.

Vers. 3. καὶ οἱ γραμματεῖς) Vox hæc in paucis quibusdam Codd. desiderata perperam omittitur a *Rich. Simone* in Versione Gall.

τ῀ Ἀρχιερέως) De Pontificatu *Caiphæ* lege *Josephi* Antiquitates Judaic. lib. XVIII. p. c. 3. 5 & 6.

Καϊάφα) Eum *Josephus* l. c. XVIII. 6. appellat τὸν Ἀρχιερέα Ἰώσηπον Καϊάφαν ἐπικαλούμενον, i. e. *Pontificem Maximum Josephum, qui Caiphas cognominatur.* Aulam Caiphæ, quæ hic memoratur, Summorum Pontificum palatium fuisse, putat *Th. Milles* ad Cyrillum Hierosol. p. 185.

Vers.

Vers. 5. μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ) i. e. non in festi celebratione: vide *Keuchenium* ad h. l. Subintelligi vero hic debet: *capiamus & occidamus*; quod ex Xenophontis quodam loco illustrat *Raphelius* p. 54. qui idem recte observat, articulum τῇ hic inservire Festo Paschatos tum imminenti sigillatim indicando. Vide & *Schotti* Adag. N. T. p. 61.

μὴ θόρυβος γένηται) Motus enim metuendi inprimis eo festo erant ob incredibilem hominum frequentiam, eo tempore undiquaque confluentem. Testis est *Josephus* de Bello Jud. VII. 45. & Antiquitt. Jud. XX. 4. Adde *Bynæum* p. 146. Confer & ad hoc comma *Casaub.* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 424. 461. & 519.

Vers. 6. ἐν Βηθανίᾳ) de loco hoc vide quæ scripta sunt ad Matth. XXI. 17. Historiam hanc de unctione Christi singularibus dissertatt. edisseruerunt *Joach. Hildebrandus*, *Georg. Henr. Gœtze*, Lipsi. 1687. & in Thesauro Dispp. p. 200. & *Albertus Jaschke*, Lipsi. 1700. 4. tum vero *Jo. Marckius* in Exercitat. Textuali XXVII. p. 230. sqq. ubi inprimis de unctione vivorum & mortuorum ex antiquitate disserit. Vide & *Jo. Casp. Mercken* in Biblioth. Bremens. Class. IV. p. 888. sqq. ubi de varia Christi unctione, a Deo & hominibus facta, commentatur, & p. 892. sq. statuit, Christum a tribus distinctis fœminis ad tria distincta munera unctum fuisse, a peccatrice scilicet illa *Luc.* VII. ad Propheticum, a Maria *Joh.* XII. 3. ad Sacerdotale: ab Anonyma denique hac ad Regium. Sed vereor, ne plerique putent, hæc pie magis, quam rei ipsi convenienter dici, cum inprimis dubium adhuc sit, an unctiones illæ tres a se invicem distingui debeant, (quod negat cum aliis *Vossius* Tom. VI. Opp. p. 108. sqq. adstruente viciissim *Jo. Clerico* in Dissertat. II. Latina, quæ Harmoniæ ejus Evangel. subjuncta est,) de quo argumento diligenter disputat *Bynæus* p. 155. sqq. Illius hæc sententia est, Lucam cum Matthæo & reliquis Evangelistis non eandem narrare historiam, Johannem vero eandem cum Matthæo & Marco referre. Atque id quidem non diffiteor & mihi ex contextuum circumstantiis probabile videri. Conf. *Schœnlandii* Dissert. de diversa Salvatoris nostri unctione, quæ exstat in Miscellan. Lipsiens. Tom. XI. p. 171. sqq. ubi primo quidem narrationem hanc Matthæi edisserit, tum vero cum illa Johannis XII. comparat, quam cum ista Matthæi in multis quidem capitibus convenire, sed in aliis nominatim ratione *temporis*, *loci*, *hospitum*, *modique* unctionis ab eadem abire arbitratur. Pro diversis factis habet quoque *Gussetus* in Confutatione *Chissuk Emuna* p. 383. Lege tamen, quæ non ita pridem Rev. *Jo. Guilielmus Baierus* attulit in Disputat. de una Christi unctione in una domo Simonis leprosi & Marthæ, *Altorf.* 1722. 4. nec omitte, quæ hac de re dicentur ad *Joh.* XII. De fœmina autem, quæ unxerit, agetur ad *Luc.* VII. 37.

ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ) Simon hic *leprosus* dicitur, quod talis olim fuerit, deinde a Christo sanatus: qui in animi humilis tesseram & memo-

memoriam accepti a Christo beneficii agnomen hoc, cetera ignominiæ plenum, adsciviſſe, aut ab aliis inditum tuliſſe videtur. Lege *Schönlandium* in Miſcellan. Lipſienſ. l. c. p. 174.

Verſ. 7. ἀλάβαστρον) B. Lutheri verſionem hujus commatis a reprehenſionibus Pontificiorum liberat *Raithius* p. 359. Vindiciarum. De voce ἀλάβαστρος aut ἀλάβαστρον, (utroque enim genere dici auctor eſt Etymologici M. Scriptor) vide diligenter agentem *Ezech. Spanhemium* ad Callimachi Hymnum in Palladem p. 540. ſq. ubi inter cetera oſtendit, eam non de lapideis ſolum, ſeu e lapide alabaſtrite, quod Grammaticis viſum, ſed de quibusvis vaſis unguentariis adhiberi. Vide inprimis *Athenæum* lib. XIV. p. 686. & IV. p. 129. ubi priori loco ἀλάβαστρον inter vaſa aurea numeratur. Itaque temperanda fuerit *Hombergii* aſſertio ad h. l. p. 74. qua ἀλάβαστρον vaſculum lapideum vel vitreum eſſe contendit. Conf. de eadem voce *Corn. Adami* Obſſ. Theolog. Philolog. p. 168. ſq. & *J. C. Dieterici* Antiquitt. N. T. p. 75. De ἀλαβάστρῳ μύρε Cl. *Trillerus* in Notis MSS. conferre jubet *Æliani* Var. Hiſt. XII. 18. *Theocritum* Idyll. XV. 114. cum ſcholiis, Ariſtophanis Acharnenſ. Act. IV. Sc. 6. cum ſchol. p. 421. *Lucian.* Dialog. Meretric. Tom. II. p. 553. & in Aſin. p. 128. inprimis vero *Voſſii* Obſervatt. Catullian. p. 267.

μύρε) μύρον proprie *unguentum mixtum* infert, quod patet ex *Callimachi* hymno in Pallad. qui v. 13. μύρα commemorans, eadem v. 16. χρίματα μιγλὰ appellat. Scilicet unguentum ſimplex ἔλαιον, e variis autem odoribus mixtum, μύρον vocatur. Lege omnino *Spanhem.* ad Callimachum l. c. p. 538. & ad Hymnum in Apollinem v. 39. Ceterum de more veterum convivas ungendi tum alias, tum in capite, vide quæ ex monimentis idoneis attulerunt *Dilherrus* Diſpp. Acad. Tom. I. p. 403. *Cornel. Adami* l. c. p. 166. ſeq. inprimis vero *Chriſtianus Andr. Eſchenbachius* in Diſſertatt. Acad. Diſſ. VII. quæ de unctionibus Gentilium fuſe commentatur, & recuſa exſtat in Syntagmate II. Diſſ. Philolog. Roterod. 1700. p. 355. ſqq. Adde & *Picinelli* Lumina Reflexa.

βαρυτίμε) *pretioſi*, ut Vulg. vertit, approbante *Boiſio* in Collat. ad h. l. Alii vertunt per *valde pretioſum.*

κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτε) Honoris hoc maximi erat argumentum. Ita *Plato* lib. III. de Republ. p. 396. in Poetas jubet μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέειν, quod annotavit *Grotius.* Addit Cl. *Trillerus*, *Maxim. Tyrium* Diſſ. VII. p. 73. & VIII. p. 82. cum notis Dan. Heinſii p. 67. conferendum.

Verſ. 8. οἱ μαθηταὶ) Cur diſcipulis hic omnibus, quod *Judæ* uni Joh. XII. 4. tribuitur? Fieri id per *Syllepſin*, in Sacris Scripturis paſſim receptam, contendit *Boiſius* in Collat. p. 83. Ita & olim *Hieronymus* in h. l. Conf. *R. Simonis* H. Crit. lib. III. de Interpretibus N. T. p. 218.

Verſ. 10. ἔργον γὰρ καλὸν ἠργάσατο) καλὰ ἔργα Græcis vocantur *facta eximia*,

mia, res præclare gestæ & opera honestiora. Vide *Schwarz.* ad Olear. de Stylo N. T. p. 350.

Vers. 11. τὰς πτωχὰς ἔχετε) Num pauperes apud Judæos mendicarint, disputatum est inter *Serarium* affirmantem, & *Drusium* dubitantem. Vide huc *Drusii* Respons. ad Serarii Minerval. p. 108.

ἐμὲ δ' οὐ πάντοτε ἔχετε) Versio Montensis hoc ἔχετε, sicut & prius, reddit: *habebitis.* Displicuit hoc *Rich. Simoni* in Hist. Critica de Versionibus N. T. p. 466. & *Malleto*, contra quem posteriorem vindicias lege apud *Arnaldum* in Nova defensione dictæ versionis p. 481. sqq. & aliarum versionum exemplo & argumento non uno se tuentem. Ceterum, quomodo hæc verba conciliari possint cum aliis Christi apud Matthæum XXVIII. 20. ostendit *Verstius* Diss. Sac. lib. I. p. 2. sq.

Vers. 12. πρὸς τὸ ἐνταφιάσαί με ἐποίησεν) *Marckius* in Exercitatt. Textual. p. 240. sqq. ostendit, verbum hoc, in se consideratum, denotare tum ad *sepulchrum disponere*, tum *in sepulchro deponere.* Prius tamen h. l. magis respici, ex eo quoque evincit, p. 247. quod officia mortuis debita, imminente morte, præstari consueverint. Neque tamen definire audet p. 250. utrum mulier imminentem Christi sepulturam sciverit, an minus? Scilicet ἐνταφιάσαι omnino in se nihil aliud est, quam *corpus ad funus componere, & ornamentis sepulchralibus ornare*, quod ad h. l. notavit *Casaubonus*, & firmavit *Elsnerus* p. 118. nec non *Martianæus* p. 146. Conatus sui, & *Rich. Simon* in Notis ad versionem Gallicam, tum vero *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 1124. ex Patribus, imo & *Boisius* in Collatione p 84. relicto ipso, quod alias raro facit, Vulgato, qui vertit: *ad sepeliendum me. Notandum*, inquit ille, *præterea, quod Christus jam vivus & spirans de se ipso tanquam mortuo & jam jam sepeliendo loquatur.* Addit tamen: *Veteris Interpretis versio sic defendi potest, si modo ex consequenti antecedens, ex sepultura pollinctura etiam & præparatio ad sepulturam intelligatur.*

ἐποίησεν) *Martianæus* l. c. vertit: *elle en a faite une offrande pour ma sepulture.* Itaque τὸ ποιεῖν pro *sacrificare*, aut *in victimam offerre* accepit, quod omnino mireris, cum ista notio nusquam in sacris literis huic verbo tribuatur, ac præterea communior significatus locum hic optime tueatur.

Vers. 13. λαληθήσεται) *celebrabitur.* Vide *Keuchenium* ad h. l.

Vers. 15. ἔστησαν αὐτῷ) i. e. *appenderunt ei*, quæ verbi notio occurrit etiam apud profanos Scriptores, nominatim *Xenophontem*, cujus loca affert *Raphelius* p. 54. Eodem verbo utuntur & LXX. qui verbum Hebr. שקל in hoc ipso æstimandi Salvatoris argumento & alias ita interpretantur. Scilicet argentum olim non annumerari, sed appendi & ponderari consueverat. Confer *Salom. Deylingii* Observatt. Sacras Part. III. p. 181. *Boisius* in Collat.

ad

ad h. l. p. 84. interpretationem hanc non penitus rejicit, mavult tamen alteram, quæ Vulgatæ se probavit, vertenti: *constituerunt ei.* Rationes ita sentiendi has affert: *Sic melius convenit Matthæo cum Marco & Luca, nec (quod quidam fortasse suspicentur) vis aliqua affertur verbo ἔστησαν. Apud Zachariam* XI. 12. ἔστησαν est וישקלו i. e. appenderunt, *aliisque præterea locis nonnullis: at quoties respondet idem verbum Hebræorum* הקימו *i. e.* statuerunt, constituerunt, stabiliverunt, confirmarunt? *Cum igitur duo Evangelistæ, Marcus & Lucas, pro veteri interpretatione manifeste faciant (alter enim, loco τῷ ἔστησαν, ἐπηγγείλαντο ponit, alter συνέθεντο) nec verbi ipsius usus repugnet, iniquum arbitror, ut recentiori, diversa dicenti, locum cedere jubeatur. Huc accedit, quod Theophylactus disertis verbis & priorem confirmet & posteriorem jugulet.* Hæc ille. Sed pugnam illam, quæ hic inter Matthæum & ceteros Evangelistas interceſſura dicitur, nisi vertas: *constituerunt;* nullam esse ostenderunt jam *Beza*, & *Erasmus Schmidius.* Nec tam videndum est, quæ significatio verbi quodammodo locum obtinere possit, quam dispiciendum, quæ magis sit consueta, quæve a circumstantiis nonnullis, v. c. more ponderandi olim recepto, postuletur. Confer *Cappelli* Opp. p. 159. a. & adde *Jo. Wulferi* notas ad Tract. Talmud. *Schekalim* p. 2. qui tamen non definit, utrum *pendendi* an *constituendi* aut *promittendi* notio verbo ἵστημι hic tribuenda sit.

τριάκοντα ἀργύρια) Dabantur olim totidem sicli servis e servitute exeuntibus. Vide *Exod.* XXI. 32. Atque huc alluſisse Deum per Zachariam, pretium hoc Christi æstimati prædicentem, ad innuendam indignitatem viliſſimæ æstimationis, non dubitat *Gussetus* in Lexico Hebr. p. 394. Confer *Relandi* Antiquitates Hebr. p. 492. Addideris, forte non inepte, Christum eo tempore, quo hoc pretio vendebatur, in eo fuisse, ut, perpessione salutari defunctus, servi conditionem deponeret. Siclos istos nonnulli, inprimis Pontificii, nimium creduli, adhuc exstare censent, contra quos lege Vener. *V. E. Læscheri* Stromata p. 166.

Vers. 17 – 35. illustrantur a *Nicol. Gurtlero* in Dialogis Eucharisticis, Brem. 1699. 4.

Vers. 17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν Ἀζύμων) Vim phraseos hujus ita exponit *Relandus* in Antiquitat. Hebr. p. 422. *Dies 14. Nisan appellatur primus dies Azymorum, quod intelligendum est secundum canonem Judæorum mox traditum, scilicet in sacris comedendis diem præcedere noctem; sic ut tempus vespertinum diei 14. & nox subsequens hoc modo diei 14. accensentur. Vel dies 14. appellatur* πρώτη τῶν Ἀζύμων i. e. πρότερα, *dies scilicet antecedens* τὰ ἄζυμα (*nam* τὰ ἄζυμα *hoc festum nuncupatur* Marc. XIV. 1.) *uti Joh.* I. 30. πρῶτός μου est πρότερος, & *Luc.* II. 2. πρώτη ἡγεμονεύοντος *i. e. antequam Quirinus præesset. Quomodo* & ראשון *Hebræis accipitur pro die, qui est* לפני השבע *ante segetem. Vide & Job.* XV. 7. *Nam alias certum est, diem* XV. *Nisan primum azymorum a Judæis appellari. Sic olim Josephus* δευτέραν τῶν ἀζύμων

esse ἑνδην καὶ δεκάτην diem 16. Nisan, lib. III. Antt. c. X. Hæc *Relandus*. In eandem sententiam vide & differentem *Lomeierum* in Diebus Genialibus Dec. II. p 289. Ad difficultates, quas Judæus *Amram* in lib. MS. ex hoc loco nectit, respondit *Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. III. p. 109. sq.

Vers. 18. *πρὸς τὸν δεῖνα*) Per hunc alii *Simonem*, leprosum, alii *Nicodemum*, alii Josephum Arimathæum intelligunt. Vide *Dougtæum* de Calicibus Eucharist. p. 57. ed. Bremens.

ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστιν) Phrasi ista non diem agendi Paschatis, sed tempus passionis & mortis indicari, statuit *Witsius* in Meletematibus Leidensibus p. 433.

ποιῶ τὸ Πάσχα) *faciam*, i. e. *celebrabo Pascha*; sive faciam, quicquid hoc festo fieri par est. Genus loquendi non tantum Hebraicum, quod statuit *Vorstius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 131. (v. *Exod.* XII. 48. *Numer.* IX. 26.) sed & pure Græcum, quo etiam *Xenophon* usus est p. 500. dicens, *ποιεῖν τὰ Ὀλύμπια*. Confer Raphelium p. 55. Annotatt. Xenophont. Locum Xenophontis observavit etiam *Relandus* Antt. Hebr. p. 351. ubi & monet, ex sola ista voce, quæ *τῷ θύειν* i. e. *sacrificare* passim æquipollet, non probari, agnum Paschalem esse verum sacrificium.

Vers. 19. *Καὶ ἐποίησαν οἱ μαθηταί*) Significationem phraseos nimis coërcet post *Toinardum* in Harmonia Evangelica *Augustus Calmetus* Comment. in Matthæum p. 562. statuens, ea tantum indicari dispositionem cameræ, mensarum, lectorum, farinæ & aquæ ad panes azymos, proximo die conficiendos, nec non expurgationem fermenti & perquisitionem cameræ. Vide quæ contra hæc observat *Clericus* in Biblioth. Selecta Tom. XV. p. 281.

Vers. 20. *ἀνέκειτο*) More Romanorum Christum hic cœnasse, statuit *Ciacconius* de Triclinio p. 98. sqq. atque adeo tribus usum esse lectis, quia, cum tredecim essent, in eandem omnes patinam manum porrexerint; præterea discipulos lautos i. e. lotos & unctos accubuisse, ac vestes quoque mutasse, id quod patere putat exemplo juvenis, qui, amictus sindone super nudo, quasi veste cœnatoria adhuc indutus aufugerit. Ibidem vide figuram ære expressam, qualem etiam habes apud *Nigronium* de Caliga ex editione Nilanti p. 56. ubi is varios allegat, idem cum *Ciacconio* de Romana ista cœnandi ratione, tanquam Christo recepta, sentientes, v. c. *Mercurial.* lib. I. c. 11. de Arte Gymnast. quibus & ipse accedit, ac in hoc argumento copiose versatum esse scribit *Jo. Bapt. Villalpandum* in Ezechielis XXIII. Idem statuit *Rohr* in Pictore Errante Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 868. & *Casalius* de Conviviis veterum cap. I. Tom. IX. Antt. Roman. Grævii p. 139. sqq. ubi Romanorum ritus cœnandi cum iis, qui hic & alibi memorantur, confert.

fert. De Judaicis, qui huc pertinent, ritibus commentatus est *Theod. Dassovius* in Disput. de Accubitu ad agnum Paschalem veterum Hebræorum.

Vers. 21. Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν &c.) Hic, & in sequentibus Christus divinitatis argumenta varia edit, ostendens, cognitas sibi esse omnes passionis suæ circumstantias, ad quas & proditoris Judæ notitia & designatio pertinet. Atque hanc non solum in ipsa Cœna Paschali demum, sed & ante, certo quodam signo promulgato, ex quo in Cœna a reliquis discipulis liquido cognosceretur, factam esse, tradunt Constitutt. Apostol. V. 14. Confer *Olearii* Observatt. p. 728. sq. Ceterum ex eo, quod h. l. Judæ proditoris indicium ante S. Cœnam factum dicatur, quod Luc. XXII. 21. post eam contigisse nunciat, nonnulli ad Synchysin provocandum censent, cum *Trillero* in Untersuchung einiger Oerter Neues Testaments. Sed ea non opus esse post B. *Gerhardum* in Harmonia Evangel. p. 1123. evincit *Wokenius* in Part. II. Pietatis Criticæ p. 98. Apostolos bis de eadem re quæsivisse censens, & responsionem quidem ad priorem quæstionem referre Matthæum, uti repetita quæstio legatur apud Lucam. Confer *Sandhagenii* Einleitung p. 68.

Vers. 23. ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ) *qui intingit mecum manum:* i. e. unus ex familiaribus meis & quotidianis convictoribus. Ita *Boissius* p. 86. Itaque ejus judicio ἐμβάψας idem fuerit ac, *qui intingere consuevit.* Sed præferendam puto, quam & ipse refert, eorum sententiam, qui cum *Theophylacto* statuunt, Christum hac phrasi Judam, tunc manum suam in paropside una cum Christo habentem, designasse. Idem statuit *Masius* ad Josuæ c. VII. qui verti hoc verbum vult: *qui una mecum intingit.*

ἐν τῷ τρυβλίῳ) τρύβλιον est *acetabulum.* Vide *Salmasium* ad Solinum p. 265. qui ostendit, vasa, quæ embammati continendo serviebant, appellata fuisse veteribus ὀξύβαφα, ἐμβάφια & τρύβλια. Adde Commentatores ad *Pollucis* VII. 162. & X. 86. tum vero *Heupelium* ad Marc. XIV. 20.

Vers. 24. ὑπάγει) i. e. *moritur*, sicut Luc. XIII. 33. eodem sensu adhibet verbum πορεύεται. Ita Græci dicunt ἀπέρχεσθαι *abire*, subintellecto τῷ βίῳ, aut τῷ ζῆν aut ἐξ ἀνθρώπων. Confer *Elsnerum* p. 119. *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 75. *le Cene* in Projet p. 759. & *Raphel.* Annotatt. Xenophonteas p. 56. Adde *Jo. Henr. Lederlini* Disputat. de Græcorum & Hebræorum εὐφημίᾳ.

Καλὸν ἦν αὐτῷ, εἰ οὐκ ἐγεννήθη) Ita & Talmudici loquuntur. Vide *Hackspanium* in Notis ad h. l. p. 167. & in Additam. ad Lipmannum p. 442. nec non *Hottingerum* ad Discurs. Gemaricum de Incestu p. 131. Itaque liberalius scripsit *Lud. Cappellus* in Spicileg. Notarum p. 35. non temere hanc phrasin inveniri, nisi in libro *Chovat Hallevavoth.* Scriptorum utriusque linguæ profanorum loca, huic similia, affert *Gatackerus* ad Antonin. IX. 58. p. 320. a. con-

tra Virum doctum, qui affirmavit, deterioris esse conditionis, omnino non esse, quam esse in miseria pœnæ interminatæ.

Vers. 25. σὺ εἶπας) i. e. *Ita.* Non dissimile est, quod quidam apud Xenophontem respondet Socrati Memorabil. III. p. 618. Αὐτὸς ἔφη, τοῦτο λέγεις, ὦ Σώκρατες: *Ipse tu, inquit, hoc dicis, o Socrates.* Alia hujusmodi lege apud *Erasm. Schmidium* ad h. l. & *Balth. Stolbergium* ad Sophoclis Ajacem p. 124. seq. Cl. *Trillerus* refert huc *Sophoclem* in Electra v. 625. Σύτοι λέγεις τιν' ἐκ ἐγώ. *Tu dicis hoc: non ego;* & *Euripid.* in Hippolyto v. 352.

- - - Σῦ ταῦθ', ἐκ ἐμοῦ κλύεις,
Ex te hæc, non ex me audis.

Lud. Cappello l. c. respicere & respondere videtur Christus ad testimonium clamantis & intus accusantis conscientiæ. Poterat h. l. de eo disputari, num Judas præsens fuerit in S. Cœna? sed hujus argumenti tractationem ad Lucam instituemus.

Vers. 26. ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν) *cum comedissent.* Vide *Colomes.* Observat. p. 163.

λαβὼν ὁ Ἰησοῦς τὸν ἄρτον) De forma panis Judaici, buccellatim distincti, & ad fractionem idonei, lege *Rohrii* Disput. de Pictore Errante, Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 868.

καὶ εὐλογήσας) B. Lutheri versionem contra Emserum defendit recte *Raithius* in Vindiciis p. 361.

Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου) Quæ ad hæc verba notari poterant doctrinalia, merito & libentes relinquimus illis, qui in hac doctrinæ parte versantur. Id tamen omittendum non est, *Leonh. Christoph. Sturmium* ante annos non ita multos inveniisse sibi visum esse genuinum horum verborum sensum in vocula τοῦτο, quippe quam idem hic esse, quod τοιοῦτο, evincere conatus est in scripto vernaculo, quod titulo *Demonstrationis Mathematicæ de S. Cœna* edidit, Francof. 1714. 8. Sed illi se primum *Jo. Albertus Fabricius*, tum vero & alii plures recte opposuerunt, quos maximam partem laudatos invenies in Unschuldigen Nachrichten an. 1714. p. 162. sqq. & 473. sqq.

Nuper *Joh. Wilh. Zieroldus* in der deutlichen Erklärung p. 1418. sq. genuinæ horum verborum interpretationi lucem attulit novam ex particula Hebr. הנה cui respondere hic putat Græcum τοῦτο, quod proinde veritatem præsentiæ, non autem similitudinem ait inferre, quemadmodum τὸ הנה idem semper apud Hebræos significet.

Alias de his verbis & toto argumento controversias, recens agitatas, enarrarunt *Gottlieb Wernsdorfius* & *Jo. Franc. Buddeus*, uterque in singulari de hoc argumento Dissertatione. Adde quoque *Christoph. Matth. Pfaffii* Dissertationes de oblatione veterum Eucharistica, quas primum cum

Irenæi

Irenæi Fragmentis edidit, & deinde in Primitiis Tubingenſibus cum vindiciis contra Turretinum recudi curavit. In illis enim varia ex antiquitate Eccleſiaſtica afferuntur, quæ toti S. Cœnæ Inſtitutioni fœnerantur lucem. Quo & pertinet ejusdem Diſputat. de *Lud. Rogerii* Fœtu Polemico, ad Euchariſtiam pertinente, Tubing. 1718. 4. Dignum quoque eſt, quod legatur, *Johannis Conradi Schwarzii* Fragmentum Demonſtrationis Theologicæ, Miſcellaneis ejus Philolog. & Theologicis, Coburgi 1715. 8. inſertum, quo oſtendit, Chriſtum eſſe antitypum agni Paſchalis, cui ut umbræ ſucceſſerit tanquam ſubſtantia & corpus, & tam vere eodemque loco adeſſe corpus & ſanguinem Chriſti, quam vere adfuerit agnus Paſchalis.

Chriſtum ipſum S. Cœnam ſumſiſſe cum diſcipulis, ſingulari libro recte negat *Johannes Faës*, in Chriſto Incœnato, Brem. 1693. 8. Quod verbum ἐστὶ idem hic ſit, quod Latine dixeris, *ſignificat*, ex eo nonnulli poſt *Cameronem* in Myrothecio & *Lempereurium* colligunt, quod Hebræis deſit ejusmodi vox, quæ τὸ *ſignificat* exprimat. Sed vide *Hackſpanium* in Notis p. 171. qui inter cetera obſervat, ſi vel maxime id largiamur, negari tamen non poſſe, Græcos habere ejusmodi verbum, quo Evangeliſtæ uti potuiſſent, ſi quidem ea verbi ἐστὶ notio hoc loco eſſet. Lege alia de his verbis Inſtitutionis apud eundem in Sylloge, Diſp. II. §. 43. ſq. & in Miſcellaneis p. 191. Τὸ σῶμα hic carnem ſine ſanguine denotare, ſtatuit *Keuchenius* ad h. l.

Verſ. 28. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου) Vulg. *Hic eſt ſanguis meus*: quam verſionem multis, quod mireris, tueri conatur *Boiſius* in Collatione p. 87. ſq. ita quidem, ut lector facile habiturus ſit, quæ reſpondeat.

περὶ πολλῶν) i. e. *pro omnibus*, quod multi obſervarunt. Confer etiam *Clericum* in Arte Critica p. 437. Partis II. qui monet, *multos* hic videri dici, ut opponatur multitudo ingens totius humani generis paucitati Judæorum.

ἐκχυνόμενον) *quod effundetur*: Vulg. quem tuetur *Boiſius* in Collat. p. 89. Alii malunt in præſentis verbi forma perſiſtere, & vertere: *quod effunditur*. Lege huc inprimis *Whitbium* tum in Commentar. tum in Examine Lectionum Variant. Millii p. 30.

Verſ. 29. ὃ μὴ πίω ἀπ' ἄρτι) Tres diverſas interpretationes horum verborum lege apud *Hammondum*, ex quo eas cum animadverſionibus nonnullis repetit *Wolfburgius* in Obſervat. Sacris p. 80. Quæritur inprimis, de quo tempore & de quo vino novo hic loquatur Chriſtus, bibiturum ſe aliquando cum diſcipulis prædicens. *Ant. Bynæus* de Cruce & Morte Chriſti id ait Chriſtum velle, ſe ſtatim poſt reſurrectionem ſuam, cum qua incipiat regnum Patris, atque adeo ſuperata morte, vinum iterum cum diſcipulis bibiturum. Eadem eſt & *Lamii* opinio, quæ tamen Chriſti ſententiam

tiam dilutiorem reddere videtur *Gotfr. Oleario* p. 735. cum nihil aliud inferat, quam vel proximam esse perpessionem suam, vel, vinum se iterum sumturum, neque etiam causam reddat, cur vinum illud appelletur *novum*. Is itaque putat vinum, de quo tum bibebat Salvator, i. e. *Paschale*, opponi *novo* i. e. *mystico vino Paschali*, aliquando in regno Patris bibendo, seu lætitiæ plenissimæ in æternum percipiendæ. Atque hanc interpretationem firmat *Lucas* in loco parallelo, apud quem Christus ait, se non amplius esurum Pascha cum suis, ἕως ὅτε πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *donec impleatur in regno cœlorum*, nec bibiturum, *donec venerit regnum Dei*. Eodem omnino modo verba Christi interpretatur *Simon Episcopius* in Resp. ad LXIV. Quæst. Tom. I. Opp. p. 43. sq. Atque hæc sententia mihi videtur probabilior, consideranti, regnum cœleste post finem mundi & regni gratiæ, cum quo regnum Christi non omne, sed illud, quod hic per verbum & Sacramenta in regno gratiæ administravit, desinit, ex 1 Cor. XV. 28. κατ' ἐξοχὴν dici posse *regnum Patris*, præterea vero expendenti, vitam æternam sub convivii figura repræsentari solere. Hæc malim, quam cum *Gurtlero* in Systemate Theol. Prophcticæ p. 417. & aliis, quos sequitur *Amelius* Part. II. p. 275. *regnum Patris* interpretari de *nova Ecclesiæ ætate* & novo statu, *vinum* autem *novum* de *gaudio* Spiritus S. in discipulis & aliis fidelibus excitando. Longius quoque petita vel saltem non satis adstructa videtur observatio, quam ex *Allixii* ore consignatam video in Vesperis Groninganis p. 67. Alludi scilicet hac phrasi is credidit ad morem veteris Ecclesiæ Judaicæ, quo Pontifici Maximo, munere suo in Festo Expiationis perfuncto, & Deo solennitatem hanc placuisse ceteris testato, convivium paratum in eoque vinum novum propinatum fuerit. Hoc ipso itaque Christum declarasse, se peccata hominum brevi expiaturum, eo quidem successu, ut in signum expiationis, rite & cum Dei beneplacito peractæ, cum discipulis suis *vinum novum* bibere posset. Adde quæ de his verbis *Vitringa* commentatur ad Jesaiam c. XXV. 7. p. 43.

ἐκ τούτου τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου) Herodotus lib. I. p. 44. ἀμπέλινον καρπὸν vocat. Est tamen omnino phrasis more Hebræorum formata, qui vinum sæpe פְּרִי הַגֶּפֶן vocant. Vid. *Vorst.* Philolog S. Part. II. p. 38. Vide etiam *Suicerum* Tom. I. p. 755.

Καινὸν frequenter idem esse quod ἕτερον, seu *alius generis*, ostendit *Gataekerus* in Adversariis cap. XXVIII. Per *excellentissimum* hic verti vult *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall.

Vers. 30. sqq. explicantur a *Jo. Frid. Hekelio* in Tract. de itinere Christi trans torrentem Cedron in hortum ad montem olearum, *Cygneæ* 1676. 4.

Vers. 30. Καὶ ὑμνήσαντες) De verbi hujus, quod in Nov. Testam. semper in bonam partem accipitur, notione lege *Cornel. Adami* in Observatt. Theolog. p. 171. *Ezech. Spanhemium* ad Juliani Orat. I. p. 9. seq. & *Rhodig.*

VII. 5. Antiq. Lect. Idem *Adami* l. c. veterum locis probat, Judæos poſt cœnam Paſchalem hymnis uti conſueviſſe, & deinde inſtitutum hoc cum gentilium more confert, qui variis occaſionibus ὑμνῆσαι leguntur. Non obſcurum alioquin eſt, quos hymnos decantarint in ea ſolennitate Judæi, atque adeo & Chriſtus cum diſcipulis, ritus Paſchales imitantibus. Geminum ſcilicet hymnum Euchariſticum canunt Judæi nocte Paſchali, alterum, quem *Hallel* vocant, quia ab *Halleluja* incipit, ſex Pſalmis CXIII-CXVIII. conſtantem, quem in duas partes dividunt, ita ut Pſ. CXIII. & CXIV. ante accubitum, reliquos vero poſt finitam cœnam cantent. Huic ſubjungunt deinde alterum i. e. Pſ. CXXXVI. quem a prima voce הודו, aut *Hallel magnum* vocant, quia in eo vicies ſexies leguntur verba: כי לעולם חסדו. Conſtant hæc ex libris precatoriis & ritualibus Judæorum, ſpeciatimque *Haggada ſchel peſach*, ex quibus rem totam exponit *Georg. Eliezer Edzardus* ad cap. I. Berachoth, p. 250. ubi & veri ſibi ſimile videri ait, Chriſtum utroque illo, vel minimum altero hymno, uſum eſſe, quia hymni nomen utrique Hallel, a laudibus nempe divinis appellato, apprime conveniat, diſcipuli quoque, niſi notus fuiſſet hymnus, & alias receptus, Salvatorem præeuntem in recitando ſequi non potuiſſent; denique vero Evangeliſtæ de recitatione illa hymnorum tanquam de re nota & conſueta, differant. Adde de hymni hujus conditione *Saubertum* in Palæſtra p. 85. *Martianæus* in Eſſay p. 156. *Hallel magnum* i. e. Pſ. CXXXVI. tanquam totum euchariſticum, adhibitum hic a Salvatore ſtatuit, ideo inprimis, quod finiat his verbis: *dat alimentum omnibus, quia magna eſt miſericordia ejus.* Conferri idem vult *Jerm.* XXXIII. 10. 11.

Verſ. 31. πατάξω τὸν ποιμένα &c.) Dictum hoc *Zachariæ* XIII. 7. ad omnia alia, quam quidem ad Chriſtum ſpectare, contendunt Judæi, nominatim auctor τῆ *Chiſſuck Emuna*, contra quem lege inprimis *Guſſetum* p. 280. ſq. oraculum hoc Meſſiæ ex contextus circumſtantiis diligenter vindicantem. Neque hic pugna inter Prophetam & Evangeliſtam intercedit talis, quæ non poſſit facile tolli. Propheta ait הך את הרועה i. e. *percute Paſtorem*, quod apud noſtrum effertur in futuro: πατάξω τὸν ποιμένα. *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς hanc mutati temporis reddit rationem: *Propheta ex mandato Domini ad percuſſorem clamat, ut paſtorem percutiat; Evangeliſta vero mandatum percuſſori jam pateſactum eſſe tradit, qui in perſona ſua ita quaſi loquitur: jam tempus adeſt, quo mihi per Prophetam mandatum eſt, ut paſtorem percutiam.* Malim ego dicere, Chriſtum hic, ut alias, Prophetæ Interpretem egiſſe. Propheta ſcilicet Deum inducit præcipientem gladio, ut percutiat. Ut vero pateret, Deum ipſum eſſe, qui gladio illo utatur, Chriſtus ipſum Patrem ſuum affert ita loquentem: πατάξω ποιμένα. Atque hujus rei veſtigium, licet obſcurius, in ipſius Prophetæ verbis ſequentibus expreſſum eſt: *ſed reducam manum meam ad parvulos.* His enim Deus ibi ſignificat, ſe, dum

percutiat paſtorem, ovium tamen, ne pereant, curam habiturum eſſe. In LXX. Interpretibus legitur : πάταξον τὸν ποιμένα, atque hinc dicam corruptionis Codicibus hodiernis ſcribere auſus eſt *Paulus Pezronius*, contra quem lege *Brandani Henr. Gebhardi* Vindicias locorum quorundam ipſi oppoſitas p. 168. Ceterum in his verbis adagium ſibi inveniſſe videtur *Schottus* de Adagiis N. T. p. 61.

Verſ. 32. προάξω ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν) Factum hoc eſſe impudenter, negat *R. Jac. Amram* in Porta veritatis apud *Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Part. III. p. 91. ſq. qui recte videri jubet *Matth.* XXVIII. 16. 17. & *Joh.* XXI. 1. ubi apparitionis, in Galilæa factæ, mentio fit, nec cetera omittit, quæ ad retundendam Judæi inſolentiam faciunt.

Verſ. 34. πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι) Ita *Matthæus* cum *Luc.* XXII. 60. & *Joh.* XIII. 38. & XIIX. 27. unum gallicinium memorat, pro quo duplex habet *Marcus* XIV. 30. πρὶν ἢ δὶς. De hac pugna mirum quantum gloriatur idem, quem modo diximus, Judæus apud Kidderum p. 98. ſq. Atque hic quidem reſpondet primum, in Codice Cantabrig. apud Marcum verba ἢ δὶς deeſſe, quo ipſo omnis contradictio evaneſcat. Cum tamen idem recte fateatur, unius Codicis lectionem illi, quæ tot aliorum auctoritate confirmetur, opponi non poſſe, difficultatem qualemcunque hoc modo e medio tolli poſſe cenſet. Conſtat, gallum bis de nocte cantare conſueviſſe, ſemel nocte media, tum vigilia quarta, ſeu ſub lucis ortum. Atque hoc poſterius *gallicinium* proprie vocari ex *Marc.* XIII. 35. evincit, ubi ita Salvator: ἐκ οὐδατε γὰρ, πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ὀψὲ, ἢ μέσον νυκτὸς, ἢ ἀλεκτοροφωνίας, ἢ πρωΐ. Ibi gallicinii tempus collocatur inter mediam noctem, & tempus matutinum. Atque hunc alterum Galli cantum, qui proprie gallicinium vocatur, hic indicatum voluit Chriſtus, quod Marcus diſertius, reliqui vero Evangeliſtæ obſcurius, ſed tamen ex more loquendi recepto, exprimunt. Confer in eandem ſententiam *Bocharti* Hierozoicon lib. I. c. XVII.

Alia de Gallicinio hic memorato difficultas movetur ab illis, quibus ex inſtitutis Judæorum notum eſt, Judæos gallos Hieroſolymis alere non conſueviſſe, nec proinde vocem eorum ibi audiri potuiſſe. Vide, quæ huc attulerunt *Lightfootus* in Horis Hebr. ad h. l. & *Bynæus* de Morte Chriſti II. 6. Alii itaque iſtam Judæorum traditionem novam eſſe & proinde falſitatis ſuſpectam contendunt. Alii cantum galli interpretantur de קרא הגבר i. e. clamore præfecti Templi, qui ſingulis mane januam *Beth Moked* pulſaverit, & Sacerdotes, ibi pernoctantes, ad miniſterium ſacrum excitarit. Enimvero prior ſententia nodum ſcindere, non ſolvere videtur, quod non temere faciendum eſſe recte monuit, & oſtendit *Adrianus Relandus* in Orat. mox citanda. Poſterior, de qua idem Relandus fuſius agit, contra-

trariatur ſitui ædium Caiphæ, quas a Templo Hieroſolymitano adeo remotas fuiſſe contendunt plerique, ut præfectus ille Templi audiri ibi non potuerit: quemadmodum nec conſtat, eum repetita vice ſonitum feciſſe, quod factum tamen oportuit, cum Petrus bis vocem audiiſſe dicatur. Itaque aliam iniit viam laudatus *Relandus* in ſingulari Oratione de Galli cantu Hieroſolymis audito, Roterod. 1709. 8. & *Belgice* 1718. edita. Huic ſcilicet gallus ille extra urbem ceciniſſe videtur, cujus tamen vox Hieroſolymis a Petro audiri potuerit, urbe ſcilicet editiore, nocturno tempore, quo omnia ſileant in ædibus Caiphæ, quæ ex *Villalpandi* accurata computatione vix 400. gradibus a muris Hieroſolymitanis remotæ fuerint. Addit idem, ſi quidem hæc omnia admittere quis nolit, veri videri ſimile, Pilatum, aut reliquos Romanos, urbem habitantes, tanquam inſtitutorum Judaicorum omnino vel incurioſos vel ignaros, gallos gallinasve vel victus, vel auſpiciorum, quæ inde capere Gentiles frequenter ſolebant, cauſa aluiſſe, atque adeo hinc gallicinio illi occaſionem factam eſſe. Atque his Viri docti conjecturis non temere ſubſcripſero, quas fuſius propoſitas leget, qui volet, in Bibliotheca Nova Halenſi Part. XIII. p. 221. ſqq. Adde Rev. *Zeibichii* Commentationem Germanic. de Horis Paſſionis J. C. p. 143. Sed fuit nuper *Jo. Georg. Altmannus*, Helvetius, qui vocem galli, extra urbem cantantis, in tanto ſtrepitu, tantoque Judæorum & militum tumultu, exaudiri non potuiſſe in urbe cenſens, vocem ἀλέκτωρ ſignificatu improprio induendam ſtatuit, ut *buccinatorem* denotet. Vide Nov. Liter. Helvet. 1722. p. 34. & ipſam Diſſertat. ejus in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. p. 452. ſq. Eam in rem Poetarum quædam loca ex *Athenæo* lib. IV. p. 184. *Theognide* & *Ariſtophane* in Veſpis v. 100. affert, in quibus ἀλέκτωρ vel de *buccina*, vel de *buccinatore* ſumatur. Addit idem, φωνὴν non gallinaceorum, ſed hominum & buccinarum vel tubarum eſſe, quod pateat ex 1 Cor. XIV. 8. Atque iſta quidem ad h. l. ita accommodat, obſervans, Romanos vigilias ſuas buccina diſtinxiſſe & indicaſſe. Vide *Vegetium* III. 8. & *Tacitum* Annal. XV. 30. Tales autem vigiles in urbe ſancta non modo ad portas urbis, ſed in Prætorio quoque & alibi, ad continendam ſeditioſam Judæorum gentem, diſpoſitos fuiſſe. Sed non unum eſt, quod his conjecturis recte opponatur. Quos vir doctus Græcorum locos affert, illi omnes ex Poëtis deſumti ſunt, quos conſtat metaphoricas ejusmodi appellationes ſibi proprias habere. Hanc vero Salvatorem, qui præterea dialecto Aramæa uſus eſt, vel potius Evangeliſtas, hic uſurpare voluiſſe minus probabile, vel minimum incertum eſt. Deinde manifeſtum eſt, Græcos æque ac Latinos Gallicinium in diſtinguendis temporum menſuris appellaſſe, quo pertinet adagium Græcorum πρὶν ἢ τὸ δεύτερον ἀλεκτρυόνα ἐφθέγγετο, de quo *Eraſmus* Chiliad. III. Cent. 7. n. 66. Denique φωνὴν gallis tribui, vel Marci vox, qui ἀλεκτοροφωνίαν memorat, evincit. Adde his, quæ Altmanno oppoſuit *Jo. Chriſtianus Biel* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. VI. p. 1057. ſq. ubi poſt recenſitam Relandi Orationem in-

ter cetera monet, nec *Theognidis*, nec *Ariſtophanis* locos iſtam, quam illis tribuit, ſignificationem manifeſte præ ſe ferre. Taceo ceteras difficultates contra ſententiam allatas ab eodem *Bielio*, & ab Anonymo, cujus cenſura in Altmannum ſtricta ibidem legitur p. 1070. ſqq.

Verſ. 36 -- 46. explicat B. *Jo. Andr. Quenſtedt* in Diſp. de deprecatione calicis Chriſti, Witteb. 1675. quæ recuſa eſt in Theſauro Diſputt. Tom. II. fol. 204. & *Alb. Joach. a Krackevitz* in alia diſput. de internis animæ Chriſti doloribus, *Roſtoch.* 1706.

Verſ. 36. Γεθσημανῆ) De loco iſto & nominis origine lege *Pfeiferi* Opera Philolog. p. 479. *Caſaubon.* adverſus Baron. p. 521. & *Caninium* in locis N. T. p. 44. nec non *Relandum* in Palæſtina Sacra p. 857. qui ita inter cetera: *In monte olivifero ſita erat Gethſemane, quam crediderim potius ab oleo & torculari nomen tuliſſe, quam a ſignis novilunii,* סימנין *quæ in ſummo hujus montis vertice edebantur, accenſis facibus. Locum enim, quem Chriſtus frequentabat, ut lateret, in apice montis fuiſſe non putem.*

Verſ. 37. ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν) Verba hæc, & alia reliquorum Evangeliſtarum, illis parallela, exponit diligenter *Marckius* in Sylloge Diſſertationum ſuper locos quosdam N. T. Exerc. VIII. ubi eadem opera & varietatem & gravitatem dolorum, a patiente Chriſto exantlatorum, ediſſerit. De vocibus iisdem, ut de verbo ἐκθαμβεῖσθαι, quo D. Marcus utitur, lege *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtol. p. 388. De verbo ἀδημονεῖν B. *Dietericum* in Antiquitat. N. T. Tom. I. p. 43. *Elsnerum* p. 120. *Guſſetum* in Lexico Hebr. ad רהם & *Lamb. Bos* in Diſſert. de Etymologia Græca p. 14. qui ab ἄδος i. e. tædium derivat. Exſtat apud *Alciphronem* lib. I. Epiſtol. p. 160. & apud *Xenophont.* p. 407. monente *Raphelio*, qui poſt *Camerarium* obſervat, ſignificationem habere ingentis doloris & maximæ ac mortiferæ triſtitiæ. Confer *Heupelii* Not. ad Marc. p. 449. & ex Theologis B. *Dorſcheum* Theol. Zacharian. Part. I. §. 273. & D. *Jo. Franc. Buddeum* in Inſtitutt. Theol. Dogmat. p. 1074. Patrum loca huc pertinentia attulit *Petavius* Tom. V. Dogmatum p. 394. Judæos alias ipſi Deo mœrorem, ejulatum, lacrymas & preces tribuere, ex ſcriptis eorum oſtendit *Wagenſeilius* in notis ad Tela Ignea Satanæ p. 179. & *Eiſenmengerus* in Judaiſmo detecto Tom. I. p. 15. ſq.

Verſ. 38. περίλυπός ἐστιν) *valde* aut *undiquaque triſtis eſt*, ut expoſuit *Beza*, quem ſecit *Elsnerus* ad h. l. p. 120. De vi vocis confer & *Boiſſum* in Collatione p. 90. cui tamen ſufficere videtur Vulgati verſio, qui reddit ſimpliciter; *triſtis eſt anima mea;* cum ſequens phraſis ἕως θανάτου vehementiam triſtitiæ abunde doceat. Naturalem mortis timorem in Chriſto fuiſſe, hinc colligunt Patres, quorum loca habes apud *Suicerum* Tom. II. p. 1449. & 1579. *Pearſonius* l. c. ait, non tantum vehementem curam ac mœſtitiam ſignificare,

care, quæ animum quaſi obſepiat, ſed &, quæ conſternationem animique abjectionem afferat, animam quaſi ſub pondere deprimens. Cavendum tamen eſt, ne dicamus, Chriſtum meticuloſe mortem exhorruiſſe & dolorum ſuſtinendorum pavore hæc dixiſſe, quod olim in blaſphemiam convertit *Vaninus*. Id cavit jam olim *Hieronymus* in Comm. ad h. l. Adde *Rich. Simonis* Hiſt. Crit. lib. III. de Interpret. N. T. p. 219. Confer *Fabricium* ad Codicem Apocryphum N. T. p. 279.

ἕως θανάτου) Pro Hebraiſmo habet *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 260.

Verſ. 39 -- 42. Verſus hos, quibus repetita Chriſti ad Patrem precatio continetur, exponit *Jo. Schmidius* diſſ. ſingul. *Lipſ.* 1713. 4. & *Marckius* in Sylloge laudata Exerc. IX. ubi inprimis difficultates memorat, quæ ex his precibus Chriſti nonnullis obortæ ſunt, allatis etiam variis veterum reſponſionibus, quæ tamen non ſatis facere videntur. Ipſe preces has prorſus cum conditione prolatas, & eo tantum fine factas exiſtimat, ut calix tranſiret. Optat præterea ut Calvinus ea, quæ de hoc argumento commentatus eſt, nunquam ſcripſiſſet. R. *Iſaac*, virulentiſſimus precum harum calumniator, in *Chiſſuck Emuna*, retunditur a *Guſſeto* in Confutatione libri iſtius p. 347. ſq. qui oſtendit, ex his non effici, Chriſtum invitum paſſione ſua defunctum eſſe, neque offendiculo eſſe poſſe Judæis, quæ hic de Chriſto tradantur, cum ſimilia ipſi de Patre pronuncient. Confer in eandem ſententiam *Theophilum Alethæum* Tom. II. p. 371. ſq. qui comma 39. accuratius perſequitur. Patrum cogitata huc pertinentia congeſſit *Petavius* Tom. V. Dogmatum Theologicorum p. 433. ſqq. & 436. ſqq.

ποτήριον) Quo per vocem hanc in ſenſu paſſionis hic uſurpatam alludatur, de eo diximus ad *Matth.* XX. 22.

πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ.) Similiter *Arrianus* lib. IV. c. 7. κρεῖττον ἡγεῖμαι, ὃ ὁ θεὸς θέλει, ἢ ἐγώ.

Verſ. 40. οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι) Pertinent huc *Libanii* verba, quæ leguntur Tom. II. Opp. Orat. XXIV. p. 568. εἰ δέον ἐγρηγορέναι καθεύδετε.

Verſ. 41. ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν) De phraſi hac lege *Suicerum* Tom. II. p. 655.

Τὸ μὲν πνεῦμα προθύμον) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 61.

Verſ. 42. ἐκ δευτέρου) Eadem phraſis eſt apud *Polybium* p. 955.

Verſ. 43. ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι) *Anacreon* Ode LII. p. 176. dixit παρθένον βαβαρημένην εἰς ὕπνον. Vide ibi *Barneſium*. Ita in Anthologia βεβαρημένον ὕπνῳ dici monet hic Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Vers. 44. τὸν αὐτὸν λόγον εἰπών) De precibus eadem phrasi utitur *Polybius* p. 825.

Vers. 45. καθεύδετε τὸ λοιπὸν καὶ ἀναπαύεσθε) Interrogative hæc vertenda esse, monuit *Henr. Stephanus* de Stylo N. T. p. 27. Collectionis Honertianæ, cui accedit P. *Colomesius* in Observatt. Sacr. p. 44. & *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. nec non *le Cene* in Projet p. 466. Sic & B. Lutherus noster: Ach wolt ihr nun schlafen und ruhen? Millius unum affert Codicem, in quo nota interrogandi differte legatur. Conf. quæ dicentur ad *Marc.* XIV. 41.

λοιπὸν) Vulg. *jam:* quod approbat *Boisius* in Collat. p. 91. *Jam*, inquit Glossarium, λοιπὸν, ἤδη, & sic Lexicon vetus cum Glossario plane concinens: λοιπὸν ὄνομα, *cæterum, reliquum:* λοιπὸν, ἐπίῤῥημα, *post fecus, jam.* Idem monet, τὸ *dormite jam* esse ironicam συγχώρησιν, hoc sensu: videte, an dormiendi & requiescendi tempus nunc sit, cum adsint, qui me ad mortem rapiant, & cum vobis tot mala ac pericula impendeant.

Vers. 46. ἐγείρεσθε, ἄγωμεν) Phrasin hanc exponit *Outhovius* in Bibliotheca Bremensi Class. I. Fascicul. II. p. 62.

Ἰούδας εἷς τῶν δώδεκα) Res atrocissima ad modum simplicis styli breviter & nude sine exaggeratione proponitur. Similia ex Græcis exempla habes apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 57.

Vers. 47. μετ' αὐτοῦ ὄχλος πολὺς) Num in hac hominum turba Romani quoque milites fuerint, disquirit B. *Hector Adrianus Junsson* in Schediasmate vernaculo, *Bremæ* 1710. 4. edito, & tales adfuisse, adductis, tum argumentis, tum consentientibus multorum veteris & recentioris ævi Interpretum testimoniis, recte affirmat.

Vers. 48. ὃν ἂν φιλήσω) scilicet σώματι, quod addit *Xenophon* p. 17. & 711. Confer *Raphelium* p. 59. De ritu, osculo diversis occasionibus figendi aliis, & de consilio Judæ, Christum hic osculantis, lege *Corn. Adami* in Observatt. p. 176. nec minus eos, qui de Osculis generatim commentati sunt, quos laudat *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 668. De osculo Judæ lege & *Schotti* Adag. N. T. p. 62. & *Picinelli* Lumina Reflexa, item *Mart. Kempii* Dissertatt. duas de Osculis in genere & Judæ speciatim, Lipsi. 1665. 12. Judam osculatum esse Christum auctor τῆ *Chissuck Emuna* temere negat ex silentio Johannis c. XVIII. Sed hoc argumentum nihili esse, cum non omnia perpessionis momenta ab Evangelistis singulis enarrata sint, ostendit *Gussetus* in Confutatione libri illius p. 412. ubi præterea monet, osculum hoc locandum esse statim post Judæ adventum, antequam Jesus ad satellitum turmam procederet.

Vers.

Vers. 50. Ἑταῖρε) Alii alias hujus appellationis causas reddunt. Quidam ad discipulatum respectum haberi volunt. Discipulos enim nomine חברים appellari consueviſſe constat. Conf. *Georg. Ursinum* de Antiquitatibus Hebræorum Scholasticis. Præcipuum vero ex discipulis hic innui, judicat *Dav. Millius* in Corollar. I. ad Disp. de אוב & אובות. Ita vero & Philosophorum discipuli a Græcis appellati fuerunt ἑταῖροι, ut Xenocrates ab *Æliano* Var. Hist. XIII. 31. & XIV. 42. ἑταῖρος Πλάτωνος, inprimis tamen, qui præceptoribus se præ aliis commendassent, & interioris essent admissionis. Lege huc *Schefferum* de Philosophia Italica p. 99. *Menagium* ad Laërtium III. 81. *Perizonium* ad *Ælian.* III. 2. & ad h. l. *Elsnerum* p. 121. *Majum* lib. I. Obss. Sacr. p. 13. qui inter cetera observat, ἑταίρε nomen in *discipuli* notione respicere nomen Ῥαββὶ, seu *Magistri*, quod Christo Judas dederit, quem vicissim Christus officii sui admonere ipso hoc nomine voluerit, unico vocabulo insinuans, quam belle genuini discipuli partes impleverit. Atque hæc quidem malim, quam cum *Relando*, in Antt. Hebr. p. 357. & qui eum sequi videtur, *Amelio* Part. II. p. 613. statuere, Judam hic חבר sive ἑταῖρον ideo vocari a Christo, quia cum ipso in eadem societate agnum comederat. Addit tamen *Relandus* l. c. forsan & ad munus Apostolatus, quo eum promoverat, Christum respexisse. In quam rem observari par est, Doctorem jam promotum, sed gradu minore, vel auctoritate, vel ætate, tamdiu חבר dictum fuisse, quamdiu promotor ejus, cujus חבר dicebatur, vivebat. Confer Biblioth. Brem. Class. V. p. 695. in nota marginali. De mira Christi humanitate, ex hoc alloquio elucente, lege eandem Biblioth. Class. I. p. 241. Pertinet huc *Julii Cæsaris* ad Brutum, telum in ipsum torquentem, allocutio: καὶ σὺ τέκνον. V. *Sueton.* in Vita Cæsaris c. 82.

ἐφ' ᾧ πάρει) Alii malunt legere: ἐφ' ὅ, cum *Isaaco Casaubono*. Atque hanc lectionem diversi Codices MSS., interque eos bini mei, exhibent. Sed nihil temere mutandum est, cum utriusque formæ exempla apud Græcos exstent Scriptores. Casaubonus speciatim provocat ad *Xenophontem* ἐφ' ὅ scribentem. Sed & hunc altera illa structura ἐφ' ᾧ adeo frequenter uti ostendit *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 60. ut ignoret, utra syntaxi sæpius utatur. Confer *Elsnerum* ad h. l. p. 121.

πάρει) non male Vetus Interpres: *venisti*: quanquam *ades* mavult *Erasm. Schmidius*. Confer *Raphelii* Notas Polyb. p. 101. Sensus est: *cujus rei causa* vel *quorsum venisti?* Id enim præstat, quam, quod hic attulit *Schottus* in Adag. N. T. p. 62. vertens: *quo tandem recidisti, ex discipulo proditor factus?*

ἐπέβαλον τὰς χεῖρας) ita passim externi Scriptores. Lege *Elsnerum* ad *Luc.* XXI. 12. p. 274.

Vers. 51. ἀπέσπασε) *eduxit, extraxit.* Ita *Boissius* ex simili loco Diogenis Laërtii, in Collatione p. 92.

τὴν

τὴν μάχαιραν) De hac voce lege, quæ habet *Salmasius* de Cruce p. 338. sq. ubi ostendit speciatim, indicatum hac voce fuisse ferrum lanceæ latum, planum, & utrinque aciem habens, quale cultri nomine appellaverit *Grotius*. Longiorem sive graviorem gladium, quali Galli usi sint, μάχαιραν vocatum fuisse, ostendit *Spanhemius* ad Callimach. hymnum in Delum v. 172. Ex Patribus nonnulli cultrum, quo victimæ mactari consueverint, hic a Petro adhibitum fuisse censent. Vide *Heinsium* in Exercitatt. ad Nonni Paraphrasin p. 483. Sed non apparet utique, unde Petrus cultrum ejusmodi, ad sacrificia ferienda accommodatum, acceperit, qui nec Sacerdos esset, nec agnum Paschalem ipse mactasset. Itaque alii rectius pro gladio vero & militari Petrinum illum habendum esse, inprimis ex *Luc.* XXII. 36. 38. 49. contendunt. Vide *Jac. Lydii* Florum Sparsionem p 54. sq. Ceterum constat, cultrum istum Petri Venetiis ad S. Marci mirum quantum ostentari, quem præterea *Vinc. Blancus* singulari libro descripsit, & ut genuinum defendit *Aloys. Novarinus* in Schediasmatibus Sacro-Profanis lib. X. c. XXVIII.

Vers. 52 Ἀπόστρεψόν σου τὴν μάχαιραν) Lege ad hoc comma *Dorschei* Semestre Tiburtio-Dionysian. sive Miscellanea Historico-Theolog. p. 134. sq. & *Hackspanium* in Notis p. 172. qui speciatim ostendit, capitalia supplicia ex his verbis perperam oppugnari. Confer & *Grotium* Tom. III. Opp. p. 213. a.

Vers. 53. καὶ παρακάσῃσε μοι) *servitio meo sistet.* Ita *Luc.* I. 19. & *Rom.* VI. 19. quemadmodum οἱ LXX. usurpant pro Hebr. שרת *ministravit*, Genes. XL. 4. & Exod. XXIV. 13. nec minus profani Scriptores. Lege *Perizonium* ad Ælian. V. H. II. 17. & *Elsnerum* ad h. l. p. 122.

πλείους ἢ δώδεκα λεγεῶνας Ἀγγέλων) Alludi hic ad numerum duodecim discipulorum censet *Bæclerus* in Dissert. de Legione Romana cap. II. Tom. X. Antt. Rom. p. 1457. eo quidem sensu; si vim vi repellere animus esset, se facile pro duodecim vel undecim imbellibus sectatoribus duodecim legiones Angelorum accipere potuisse. Idem ibidem ostendit, diversum pro diversa ætate numerum militum, unam legionem constituentium, fuisse, quod & post alios plures demonstravit *Jo. Rualdus* in Plutarchum p. 71. Hinc per se ruit Hieronymi observatio, qui legioni uni 6000 milites tribuens de duodecim ait prodire 72000. Angelos, in quot gentes hominum lingua divisa sit. Confer *Fabricii* notas ad Codicem Apocryphum N. T. p. 665.

Vers. 59. οἱ πρεσβύτεροι) omittit *Rich. Simon* in Vers. Gall. in gratiam Vulg. & MS. Cantabrig. qui certe tot Codicibus & Versionibus præferri non debebant.

συνέδριον) De Synedrio magno Hebræorum ad h. l. vide *Jo. Ern. Bor-*

Bornitii Dissertat. Witteb. 1644. 4. & alios a *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 69. citatos.

Vers. 60. Καὶ οὐχ εὗρον) Delenda hæc censet *Kusterus* in præfatione ad repetitam editionem N. T. Milliani, repetitionem illam τῦ οὐχ εὗρον non solum hic ingratam, sed etiam supervacaneam esse censens, ac præterea ad MS. Paris. 3. provocans, ubi non legantur. Enimvero uni Codici tantum tribuendum non erat. Non ingrata erit hæc earundem vocum repetitio ei, qui simplicitate dictionis N. T. non in universum præter rationem offendi se queratur. Minime vero omnium pro supervacanea habebit, qui perpenderit, prius illud καὶ οὐχ εὗρον ad comma 59. pertinere, ubi diligenter quæsiti dicuntur testes falsi, neganturque primum inventi. Posterius vero οὐχ εὗρον infert, ne tum quidem, cum plures testes subornati essent, inventum fuisse, quod satis erat ad Jesum morti tradendum. Id enim quærebant: ὅπως αὐτὸν θανατώσωσιν. Itaque necessaria prorsus est horum verborum repetitio, nisi & structuram totius commatis & sensum mancum reddere velis. Et tamen vel sic *Rich. Simon* in Notis ad Vers. Gall. superfluum putat posterius οὐχ εὗρον, quod tum in ed. Græca Complutensi, tum in vers. Syriaca non exstare viderat.

Vers. 63. ἐξορκίζω σε κατὰ τῦ Θεῦ τῦ ζῶντος) Vide huc *Pocockium* ad Portam Mosis p. 303. & *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 263. sq. Adde *Jo. Jac. Lungershausen* Disput. de adjuratione Caiphæ, Jen. 1695. & Rev. *Zeltneri* Diss. de Juramentis veterum Hebræorum.

Vers. 64. σὺ εἶπας) *Heinsius* verba hæc credit esse contemnentis, & dicta ad animum non revocantis, quæ alii rectius concedentis, & id, de quo quæritur, affirmantis esse censent. Confer *Hombergium* p. 74. qui huc advocat pro posteriori sententia phrasin Græcam φημὶ ἐγὼ, quod Latine dixeris: *ita*. Conf. quæ supra ad v. 25.

ἀπ' ἄρτι) *Heinsius* in Exercitatt. ad N. T. p. 81. legi vult ἀπαρτὶ hoc sensu: *diserte, certe, plene dico*: quo ipso & antecedens comma tollendum fuerit. Adstipulatur *Pet. Zornius* de Philosophissimis N. T. p. 20. qui tamen in Curis suis *Amelianis* super loca N. T. p. 544. rectius arbitratur, mutationem istam accentus & vocis sinistram interpretationem secum ferre.

ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως) Vocabulum גבורה quod est hoc ipsum δύναμις, pro Deo capitur in Hebræorum scriptis quam frequentissime. Gemara Babyl. ad Erubhin c. V. משה למד מפי הגבורה *Moses didicit Legem ex ore potentiæ* Dei. Idem quoque de תורה seu *Lege* asseritur in lib. *Colbo* p. 20. quod sit מפי הגבורה *ex ore potentiæ*. Sedere igitur ad dextram τῆς δυνάμεως est sedere ad dextram Regis, (Dei) majestatem suam revelantis, & potentiam virtutemque suam egregie exserentis, quod cum quam maxime faciant,

quando throno insident, sceptro armati, non minori sane indicio τῆς δυνάμεως, quam τῆς μεγαλωσύνης, concludo, καθίσαι ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως significare communicationem ejusmodi δυνάμεως, qualem Rex habet throno insidens, sceptroque potentiam suam significans. Ita *Vitringa* Obss. Sacr. lib. II. p. 76. sq. Confer *Amelium* Part. II. p. 544. sq. & *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 263. sq. Adde dicenda ad *Marc.* XIV. Adventum Christi ad judicium extremum hic indicari, ostendit B. *Pfeiferus* in Scepticismo Speneriano Part. I. p. 149. sq. Ceterum Gentilium Scriptores de suprema Deorum, quos τελείες appellabant, potestate similes phrases adhibuisse, ostendit *Ezech. Spanhemius* ad Callimachum p. 643.

Vers. 65. Τότε ὁ Ἀρχιερεὺς διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ) De scissione vestium, variis casibus adhiberi solita, lege, quos laudat *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 560. atque *Geierus* & *Nicolai*, qui de Luctu veterum exposuerunt. Adde iis singularem Dissert. *Christophor. Jac. Schröderi* de laceratione vestium, *Jen.* 1705. 4. habitam, & *Corn. Adami* in Observatt. Theolog. Philolog. p. 180. Eam inprimis hominibus gravi affectu commotis usitatam fuisse, ostendit *Pet. Faber* Semestr. II. p. 122. sqq. Sunt, qui singulare quid in eo quærunt, quod eo tempore vestes Sacerdotales a Caipha, ut Pontifice S. cui id prohibitum erat, scissæ sint. Ita *Allixius* in Considerationibus librorum N. T. Tom. II. p. 258. id arbitratur indicio esse debuisse, Pontificatum ab ipso ad Christum translatum esse, cujus vestes non dividebantur. Sed intercedunt alii, qui ex Judæorum monimentis observant, Sacerdotes extra ministerium sacris vestibus non fuisse indutos, sed vulgaribus, cum sacræ illæ in templo fuerint reclusæ. Lege hanc in rem Maimonidem in *Kele Hammikdasch* c. X. & *Josephum* de Bello Judaico cap. XIV. Confer *Braunium* de Vestitu Sacerdotum Hebr. p. 842. & *Deylingium* Obss. Sacr. Part. III. p. 325. Fortasse tamen dici poterat, veri videri simile, quod, ubi de gravibus ejusmodi causis, qualis hic erat, & quidem in Synedrio ageretur, Sacerdos Summus vestes sibi proprias gestarit. Deinde observatio ista non prorsus in fumum abit, cum pontifici vestes dirumpere, quæcunque illæ fuerint, in universum per leges non liceret. Vide *Levit.* XXI. 10. Lege de his verbis *Schottum* quoque in Adag. N. T. p. 62.

Vers. 66. Ἔνοχος θανάτου ἐστὶν) ita sæpe οἱ LXX. Vide ad h. l. *Keuchen.* Sententiam hic latam privatam fuisse istorum hominum, non autem judicialem, contendit *Isaacus Casaubonus*, cui se opponit *Zachar. Huberus* in Dissertatt. Juridicis & Philolog. Diss. I. cap. III. ubi observat, fuisse has partes ipsorum municipalium magistratuum, ut secundum suam jurisdictionem reos omnes apprehenderent, in custodiam darent, de causa delicti cognoscerent, testes & legitima probationum indicia examinarent, de iis omni-

omnibus deliberarent & nocentes, quasi pœna dignos, in anteceſſum damnarent, talique præjudicio gravatos remitterent ad Præſidem provinciæ cum elogio, ſive cum epiſtolis informatoriis, qui deinde novam ἀνάκρισιν inſtituerit.

Verſ. 67. Τότε ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτῦ) Tale quid Phocioni, poſt latam ſuper eo capitis ſententiam, accidiſſe, refert *Plutarchus* in Vita ejus p. 758. De Ariſtide, ad ſupplicium ducendo, idem narrat *Seneca* in Conſolat. ad Helviam cap. 13. de Catone vero idem de Ira lib. III. c. 38. Hæc Cl. *Trillerus*. Alia veterum in hanc rem loca lege apud *Dougtæum* in Analectis Sacris Part. II. Exc. XXVII. p. 40. ſq. Deteſtabilem quemque & inviſum hominem κατάπτυστον vocabant veteres.

ἐκολάφισαν αὐτὸν) i. e. *pugnis verberarunt*. Vide *Sauberti* Opp. Poſthuma p. 141. ſq. Confer de eodem verbo *Vechnerum* de palo Pauli p. 160. ſq. & *Jo. Crojum* in Obſervatt. Sacr. p. 268. *Suicerum* in Theſauro Eccleſ. Tom. II. p. 132. & *Heupelium* ad Marc. XIV. 65.

ἐῤῥάπισαν) Vulg. *palmas in faciem dederunt*. *Heinſius* in Exercitatt. Sacr. p. 493. nihil eruditius dici potuiſſe ait. Eandem verſionem adſtruunt *Boiſius* in Collatione p. 93. *Lempereur* ad *Bava Kamma* p. 218. *Saubertus*, noſtras, in Opp. Poſthum. p. 141. item *Rich. Simon* in Hiſt. Crit. de verſionibus N. T. p. 355. ſeq. contra *Veronium*, & *Bezam*, qui verterat: *bacillis eum ceciderunt*. Confer & *le Moine* ad Varia Sacra p. 557. qui ita: Ῥαπίζειν non tantum notat virgis cædere, ſed etiam alapis, & illudere; quin imo alapas impingere erat illudere, & dedecus maximum inurere. Heſych. ῥαπίζειν, ῥάβδῳ πλῆξαι, σκώπτειν, τύπτειν, i. e. *bacillo verberare*, *illudere*, *tundere*. Et ῥάπισμα Joh. XIX. 3. & XVIII. 22. ſumitur vel pro alapa, vel pro colapho. Vide ibi plura, quæ nullam dubii cauſam relinquent, quomodo hic ſit vertendum. Adde *Dilherri* Diſputatt. Philolog. Tom. II. p. 19. ſq. *Heupelium* ad Marc. XIV. 65. *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 90. & *Suicerum* Tom. II. p. 901. qui pro Vulgato pugnat contra Bezam.

Verſ. 69. Ad hunc & ſequentes verſus illuſtrandos faciunt, quæ leguntur im freywilligen Heb-Opfer Faſcic. III. p. 261. ſq. item *Jo. Chriſt. Engelſchalli* Petrus peccans & pœnitens, *Lipſ.* 1701.

μετὰ Ἰησῦ τῦ Γαλιλαίᾳ) Hinc *Epictetum* Chriſtianos appellare Galilæos lib. IV. cap. 7. cum elogio ſummæ pietatis ac virtutis, obſervat *Raphelius* in notis Polybianis p. 101. Eodem nomine appellantur a *Juliano* ep. VII. & IX. Alia huc pertinentia lege apud *Rhenferdium* in Diſſ. de fictis Judæorum hæreſibus §. 26. ſqq.

Verſ. 73. ἡ λαλιά σε δῆλόν σε ποιεῖ) Exempla varietatis, quæ inter dialectum Galilæorum & ceteras intercedit, lege apud *Buxtorf.* in Lexico Talmud.

mud. p. 435. & 2417. *Lightfootum* in Centuria Chronographica p. 156. *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 701. *Morinum* in Exercitatt. Biblic. lib. II. p. 514. ſqq. qui dialectum illam rudem, ruſticam & inſulſam fuiſſe, Talmudicorum judicio, oſtendit. Confer & *Saubertum* in Palæſtra p. 367. & *Hænerum* in Diſſert. de Benedictione Sacerdotali Tom. II. Theſauri Diſp. p. 938. nec non *Aug. Pfeiferi* Diatriben de Lingua Galilæa, *Vitemb.* 1663. 4. tum vero *Dilherrum* in Diſputatt. Academic. Tom. II. p. 321. ſq. & noviſſime *Laur. Brönlundii* Diſſ. Biblico-Critic. de idiomate Petrino, Hafn. 1718. Proverbialem formulam hic invenit *Schottus* in Adagiis N. T. p. 63. De loquela, patriam prodente, ad h. l. diſſerit *Picinellus* in Luminibus Reflexis.

Verſ. 74. Τότε ἤρξατο) i. e. frequenter id fecit. Neque enim verbum illud initium tantum, ſed & continuationem actionis, de qua ſermo eſt, infert. Vide Lydii Florum Sparſionem ad Paſſionem J. C. p. 6.

καὶ ἀναθεματίζειν) Male vertunt: *tunc cœpit ſe ipſum devovere.* Nec melius Vulgaris: *tunc cœpit deteſtari:* nec recte Eraſmus: *exſecrari.* Ita *Salmaſius* Exercitatt. Plinian. p. 767. qui exiſtimat, nihil aliud hoc verbum inferre, quam ſi quis dicat: *anathema ſim*, h. e. Synagoga vel Eccleſia excluſus, quam veteribus Chriſtianis & Judæis in jure jurando ſolennem formulam fuiſſe teſtatur. Confer *Amelium* Part. I. p. 638. ſq. Καταθεματίζειν mavult legere Millius, ſed vide *Whitbium* in Examine p. 41. b. Ceterum de lapſu hoc Petri lege cogitata Auctorum des Heb. Opfers Tom. I. p. 261. ſqq.

καὶ εὐθέως ἀλέκτωρ ἐφώνησε) Vide ſcripta ſupra ad v. 34.

CAP. XXVII.

Verſ. 1. οἱ Ἀρχιερεῖς) i. e. *Sacerdotes*, quemadmodum ſæpe vocem iſtam vertit Interpres Gothus. Confer *Mareſchalli* Obſervat. ad Verſ. Anglo-Saxon. p. 407.

ὥστε θανατῶσαι αὐτόν) Quam proterve Judæi in proceſſu hoc criminali ſuas ipſi leges neglexerint, oſtendit *Georg. Jer. Hofmannus* in ſingulari Diſſert. quæ recuſa eſt in Tomo II. Theſauri Diſputatt. p. 216. & ex eo *Amelius* Part. I. p. 91. Conf. *Val. Ern. Loeſcherum* in Decimis Evangelicis Part. III. p. 140. & *J. H. Ottonis* Lexicon Philolog. Rabbinic. p. 302.

Verſ. 2. ἀπήγαγον) Ἀπάγειν eſt ad ſupplicium ducere, aut in carcerem, aut ad judicem, qui damnatum vel confeſſum ad mortem duci jubeat. Ita Latini *duci* ſimpliciter accipiunt. Hæc *Salmaſius* de Modo Uſurarum p. 764. ubi plura vide. Confer *Joach. Kühnii* Notas ad *Laërtii* VIII. 83.

Ποντίῳ Πιλάτῳ) Longum foret, commemorare, quæ de eo ad illuſtrandam Paſſionis hiſtoriam opportune dici poſſent. Ex præcipuis ſunt

Acta

Acta Pilati, in quibus retulit ad Tiberium, quæ a se de Christo acta essent. Atque ea quidem omnia, quæ ex illis Actis referunt veteres, hodie leguntur in *Evangelio*, quod a *Nicodemo* appellatur. Quod ut Cl. Fabricius cum Judiciis & Censuris veterum ac recentiorum recudi curavit in Tom. I. Apocryph. N. T. p. 214. sqq. ita dignæ sunt, quæ huc legantur Notæ ejus. Epistolam Pilati ad Tiberium de rebus circa Christum gestis revera olim exstitisse, nuper probare instituit Anglus quidam, qui se *Mystagogum* vocat, Lond. 1720. 8. Conf. Nova Literar. Lipsiens. 1721. p. 113. De etymologia *Pilati* lege *Pearson.* ad Symbol. Apostol. p. 345. sqq. qui & alia de eo habet ibidem, & in Opp. Posthumis ad Actus Apostol. p. 50. sq. Conf. *Henr. Valesium* ad Euseb. p. 29. & *Rich. Montacut.* p. 159. sq. Apparatus, ex nostratibus autem B. *Franzium* de Interpret. Script. p. 894.

Pertinet huc disquisitio de linguæ genere, quo usus est Pilatus in cognitione causæ & condemnatione Jesu. Eam diligenter instituit *Tobias Eckhardus* in Miscellaneis Lipsiens. Tom. XI. p. 21. sqq. qui ex ritibus in Imperio Romano tunc receptis conficit, Latino eum sermone usum esse, atque adeo per Interpretem egisse cum Jesu, Dialecto Hebræo-Chaldaica more suo uso, & cum populo Judaico eidem linguæ adsueto.

τῷ ἡγεμόνι) Hæc vox idem sibi vult, quod aliæ ipsi similes, διοικητὴς, φρουτιστὴς, ἐπίτροπος, de quibus legatur *Montacutius* in Apparatu p. 159. sq. De munere & auctoritate Pilati, qua valuerit, commentatur *Bynckershœckius* in Observationibus Juris Romani lib. II. c. XX. & XXI. Procurator fuit Cæsaris, sed tantum cum potestate Præsidiali. Confer *Clerici* Biblioth. Selectam Tom. XIX. p. 339. sq.

Vers. 3. ὅτι κατεκρίθη) *Gothus* vertit: *quod in judicium protractus esset:* vide *Mareschallum* ad Versionem Anglo-Saxonic. p. 409. Sed amplior est omnino vocis notio, & condemnationem ipsam infert. Eam itaque respexit Judas, quæ a Judæis, præeunte Caipha, pronunciata erat mortis sententia; nisi dicere malis, Judam certa conjectura præcepisse, Pilatum non mitius de Christo judicaturum.

μεταμεληθεὶς) Hanc vocem a μετανοεῖν ita distinguunt nonnulli, ut hanc salutarem pœnitentiam, istam vero quamcunque aliam inferre dicant. Sed vide *Saldeni* Otia Theolog. p. 371. qui differentiam hanc negat admittendam esse ex *Hebr.* XII. 17. & *Matth.* XII. 41. ubi μετάνοια de pœnitentia etiam non salutari usurpatur. Rectius itaque ex circumstantiis utriusque verbi notio definitur.

ἀπέστρεψε) i. e. ἐπέστρεψε, *retulit, restituit*, ut Judic. XI. 13. observante *Boisio* in Collatione ad h. l.

Ad hunc versum speciatim pertinet Programma Paschale Jenense anni 1720. quo Judas ut testis veritatis Evangelicæ sistitur.

Verſ. 4. Τί πρὸς ἡμᾶς) Ita *Polybius* p. 1204. ἐὰν μὴ πρὸς αὐτὸς ἡγῶνται, h. e. *ſi nihil ad ſe eam rem pertinere putent.*

σὺ ὄψει) *tu videbis, tu videris, tu videas.* De qua forma & ſignificatione Verbi vide inprimis *Eraſmum Schmidium* ad h. l. & alios, quorum verba affert *Thom. Crenius* in Animadverſionibus ſuis Part. III. p. 128. ſqq. Contra eos, qui Latiniſmum hic ſtatuunt cum *Oleario*, lege *Schwarzium* ad librum ejus de Stylo N. T. p. 378. qui τὸ ὄψει vertere mavult per: *tu cogноſces, tu reperies*, ita quidem, ut ſubintelligatur τὰ πράγματά σε aut ſimile quid: quam in rem ibidem varia Auctorum loca leges.

Verſ. 5. ἐν τῷ ναῷ) in ea ſcilicet templi parte, in qua conſidere ſolebat Synedrium, quam לשכת הגזית vocabant, monente hic *Grotio*. De differentia inter ναὸν & ἱερὸν ex h. l. commentatur Baashuyſenius in Diſſert. I. quam præmiſit Clavi Talmudicæ Maximæ p. 88.

ἀπήγξατο) Diverſæ ſunt eruditorum, ut de notione vocis hujus, ita de morte Judæ ſententiæ, inprimis ſi conferantur, quæ Petrus in Actibus Apoſtolicis de ea tradit, ſententiæ. Eas recenſitas vide a *Georgio Gœtzio* in Diſſertat. de ſuſpendio Judæ, Jen. 1661. *Jac. Röſer* in Diſpp. 3. de morte Judæ Proditoris, *Witteb.* 1674. *Tob. Eckhard* de funeſto Judæ exitu, ib. 1689. *Raithio* in Vindiciis verſionis Lutheri p. 362. *Suicero* Tom. I. p. 405. ſeqq. *Matthia Blochio* in Diſquiſit. Philolog. Critica de interitu Judæ, & *Jac. Gronovio* in Exercitationibus Academicis de pernicie & caſu Judæ, Lugd. Bat. 1683. Atque is ipſe, communiorem ſententiam amplexus, ſtatuit, Judam, teſte *Matthæo*, laqueo ſibi gulam fregiſſe, corpus vero ejus in voraginem ejusmodi cadaveribus deſtinatam, & eminentibus hinc inde ſaxis alperam, præcipitatum, & hac præcipitatione, auctore *Petro* in Actis, ruptum fuiſſe. De ſuſpendio plerosque is ſibi habet conſentientes, ſed horum nonnulli de ruptis & effuſis viſceribus aliter ſentiunt. Inter hos *Daniel Feſſelius* in Adverſariis Sacris lib. I. c. 11. p. 65. ita: *Animus fuerat proditori laqueo vitam finire; ſed non ſimplici morte pereundum erat: dum enim pendet, aut pendens ſe impellit, ut fauces elidat, fracto laqueo, præcipitatur in faciem, & caſu in ſaxum, aut lignum aliquod acutum forte delatus ventrem rumpit & effundit inteſtina.* *Jo. Philip. Storrius* in Exercitatt. Exegetic. ad quædam loca Scripturæ Exerc. X. verba πρηνὴς γενόμενος de nuda in terram prolapſione accipit, ita ſtatuens, Judam in loco ſolitario laqueum collo circumdediſſe, factoque in cervice nodo manibus ſuis hinc inde traxiſſe, uſque dum, ſpiritu intercluſo, pronus in terram conciderit.

Horum & aliorum, ipſis ὁμοψήφων, partes deſerunt, qui τὸ ἀπάγχεσθαι non de *ſtrangulatione*, ſed mœrore animi, atque inde orta morte accipiendum putarunt. Inter hos ſunt, ut ceteros taceam, qui *Gronovio* inprimis ſe oppoſuerunt. Nominatim ex noſtratibus *Joachimus Fellerus* in epiſtola,

la, Lipſiæ ſub *Franciſci Dermaſii* nomine an. 1687. edita & *Guil. Saldenus* in Otiis Theologic. lib. II. Exercitat. VIII. p. 386. ſqq. ubi cum *Pricæo* & *Heinſio* ſtatuit, Matthæum per verbum ἀπήγξατο indicare exulceratæ conſcientiæ tormentum, quo ita preſſus fuerit Judas, ut quaſi ſpiritus ipſi intercluſus ſit: quo facto, & ſolatio a Phariſæis fruſtra exſpectato, vitæ ſuæ pertæſus idem ſe dederit præcipitem, ita ut medius crepuerit. Utrique ſe oppoſuit Gronovius acerbe in legitima & perſpicua Defenſione Exercitationum ſuarum, quam novæ earum editioni, Lugd. Bat. 1702. addidit. In qua cum & in *Jac. Perizonium* notasque ejus ad Æliani Var. Hiſtor. V. 8. in quibus verbum ἀπάγχεσθαι de obitu non ex ſuſpendio ſolum, ſed & animi mœrore contracto, a veteribus uſurpari oſtenderat, animadvertiſſet, *Perizonius* ſententiam ſuam & Matthæi Lucæque loca accuratius expoſuit in Diſſertat. de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι, Lugd. Bat. 1702. 8. Summa huc redit, Judam ex animi deſperatione & anguſtia mortem quæſiviſſe & reperiſſe qualemcunque, quod Matthæus indicet verbo ἀπάγχεσθαι, *Petrum* vero & *Lucam* mortis genus accuratius definiviſſe, ſive Judas ultro ſe præcipitaverit, ſive vertigine ſubita captus ex alto pronus prociderit. Eam paulo poſt an. 1703. ſecuta eſt hinc Gronovii Notitia & illuſtratio Diſſertationis nuperæ de morte Judæ & verbo ἀπάγχεσθαι; hinc *Perizonii* Reſponſio repetita ad Notitiam nuperam. Sententiam hanc amplexus quoque eſt *le Cene* in Projet p. 558. ſq. Alii nihil hic definiri malunt, inter quos eſt *Thomas Bartholinus*, qui argumentum hoc erudite tractat in Tract. de *Cometa* p. 110. ſq. & de Morbis Biblic. c. XXII. (Faſciculo V. Opuſculorum Hiſtoric. & Philolog. p. 495. ſq.) Is vero ſic: *Sive igitur ab interno animi mœrore & anguſtia cordis interepius illi ſit ſpiritus, quod hypochondriaci & hyſterici non raro patiuntur, ſive ipſe melancholicus, rebus ſuis deſperans, Satanæ auxilio fauces ſibi præcluſerit, penes me non dijudicabitur.*

Singularem Lightfooti ſententiam, qui Judam a Diabolo in aëre ſuffocatum & ſtrangulatum eſſe contendit, confutatam vide a *Saldeno* l. c. p. 393.

Equidem non dubitaverim, verbo ἀπάγχεσθαι ſuſpendii notionem hic relinquere, quippe quæ & in exponendo ſpontaneæ mortis genere auctoribus frequentiſſima eſt, atque ita præterea comparata, ut prolapſi & rupti corporis Judæ ratio hinc optime reddi poſſit. Vide huc *Raphelium* in Notis Polybianis p. 102. ſq. & inprimis p. 107. ubi non contemnenda Perizonii ſententiæ opponit. Idem vero & ex Epicteto apud Arrianum lib. I. p. 9. eandem phraſin ἀπελθὼν ἀπήγξατο i. e. *abiens ſe ſuſpendit*; & ex aliis profanis Scriptoribus eodem ſenſu adhibitam affert. Quod & faciunt idem ſentientes *Hombergius* in Parergis p. 75. *Majus* in Obſervatt. Sacr. lib. II. c. 63. & *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacr. p. 15. Optime & breviſſime B. *Gerhardus* noſter in Harmonia Evangel. p. 1848. *Matthæus ſupplicii initium* (nempe ſuſpen-

pendium) *Lucas vero finem & exitum describit.* Adde *Casauboni* Exercit. XVI. adversus Baron. c. 69.

εἰς τὸν κορβανᾶν) i. e. *in gazophylacium.* Sic Josephus lib. II. Αλώσ. τὸν ἱερὸν θησαυρὸν memorans, addit; καλεῖται δὲ Κορβανᾶς. Tales autem *corbanas* varias olim fuisse in templo, ostendit *Lightfootus* Chorogr. Marc. c. III. Confer *Pfeiferi* Opera Philolog. p. 479. in Quinquagena Locorum Exotic. Loc. XV. & *Bashuysenii* Dissert. I. præmissam Clavi Talmudicæ Maximæ p. 89. sqq. item Cl. *Dan. Wilh. Trilleri* Notas ad H. Grotii Christum Patientem p. 345. sq. Cur vero pecuniam illam in gazophylacium ad usum Templi deponi nefas habuerint, patet ex Sanhedrin fol. 112. b. ubi cavetur, ne pecunia ex ulla re illicita, cujuscunque ea sit generis, proveniens in Corbanam deponatur. Confer *Wagenseilii* epist. de Infundibulo suo p. 79.

Vers. 7. τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως) *Ager figuli vocatus hic locus est ex eo, quod, quicquid erat argillæ, aut glebæ utilis ad opus figlinum, longa plastice exhaustum fuerat; residuo tantum solo sterili strato glarea, & prorsus ad agriculturam inepto. Propereaque fundus ille vilioris pretii facile potuit triginta argenteis parari, h. e. siclis totidem.* Ita *Possinus* in Spicileg. Evangel. p. 23.

εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις) Per ξένους Grotius intelligit non ἀλλοφύλους, quippe quorum cura minime tangeret Sacerdotes, sed Judæos, qui ex longinquis regionibus Hierosolyma adventabant, religionis ergo. At *Wagenseilius* vicissim in Dissert. epist. de Infundibulo suo p. 79. ξένους hic esse contendit eos, qui *Ephes.* II. 12. ἀπηλλοτριωμένοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας vocentur, h. e. qui ex gentilibus forte ad urbem Sanctam accederent, ibique morerentur. Horum enim cadavera in sepulchra sua recipere religio erat Judæis. His itaque cœmiterium commune tum paratum fuit ob auctum, post Herodis M. & posterorum ejus dominatum, τῶν ἀλλοφύλων & domicilii Proselytorum in urbe numerum.

Vers. 8. & sqq. Διὸ ἐκλήθη ὁ ἀγρὸς ἐκεῖνος &c.) Vide huc ex nostratibus *Christoph. Slegelii* dissert. *de Agro Sanguinis juxta ductum historicæ descriptionis & prophetiæ allegatæ* Matth. XXVII. 3-11. *pressius* consideratum, & Lips. 1706. in 4. recusum, *Franc. Wörgeri* Hakeldama sive Harmoniam S. Matthæi cum Jeremia facilem, primum *Hamburgi* sine notato anno in 4. editam, & in Thesauro Disputatt. N. T. f. 222. recusam; item *Georg. Schwarzii* Dissert. singularem de pretio, quo Salvator noster inæstimabilis æstimatus est, *Witteb.* 1678. ed. & in Thesauro eodem recusam, f. 210. inprimis vero *Jo. Frischmuthi* Disput. ibidem super V. T. p. 1031. obviam, qua Zachariæ IX. 12. 13. expenditur; nec non Celeb. *Jo. Alb. Fabricium* in Codice Pseud-epigrapho V. Test. p. 1103. sq. & *Wolfburgium* in Obss. Sacr. p. 511. Ex Reformatis post *Anton. Bynæum* lib. II. de morte Jesu Christi cap. VIII. legatur *Jo. Marckius* in Exercitatt. Miscellan. p. 314. sq. & novissime *Guil. Surenhusius* in libro καταλλαγῆς

λαγῆς p. 41. ſq. & plenius p. 280. ſqq. Hi plenis calathis effundent diverſas veterum ac recentiorum ſententias, quæ vel ad Prophetam V. T. unde hoc oraculum petitum ſit, cognoſcendum, vel ad allegationem ipſam cum prototypo conciliandam, pertinent. Nos ſpicilegium hic poſt meſſem inſtituemus.

Præcipua controverſia in eo vertitur cur *Jeremiæ* nomen hic occurrat, cum vaticinium ipſum totidem fere verbis, quæ hic afferuntur, apud Zachariam XI. 12. legatur. Hoc cauſæ momentum diligentius excuſſit Rev. *Salom. Deylingius* in Obſſ. Sacr. Part. I. p. 110. ſqq. Illius obſervatis hæc velim addas. *Librarii* vitium, pro *Zachariæ* nomine illud *Jeremiæ* ſcribentis, agnoſcunt nonnulli etiam noſtratium, quos citatos vide a Rev. *Pfaffio* in Primitiis Tubingenſ. p. 79. Sunt illi *Æg. Hunnius*, *Andr. Oſiander*, *Geſnerus*, *Franzius*, *Calixtus* & *Hülſemannus*. De aliis, ut *Scaligero* in Scaligeranis p. 201. idem ſentientibus, non dicam. Hujus vero lapſus occaſionem nonnulli ex compendio ſcriptionis repetunt, quod in exarandis Nominibus Propriis inprimis frequentatum eſſe ajunt. Eorum itaque judicio librarius aliquis obvio, ut putant, errore Ζρὶς i. e. Ζαχαρὶς nomen in contextu inveniens Ιρὶς i. e. Ἱερεμὶς ſcripſit. Ita poſt *Huetium* in Demonſtrat. Evang. p. 983. ſuſpicatus eſt *Campeg. Vitringa* in Prolegom. ad Comm. ſuper Jeſaiam p. 23. ſqq. & ex noſtratibus laudatus modo *Pfaffius* in Diſſert. Crit. de Variis Lectionibus N. T. p. 149. ſq. qui tamen in Commentar. ad Matthæum p. 201. violentam hanc conjecturam deſerit, & aliam, ut mox dicemus, viam ingreditur. Et ſane iſta quidem ratione difficultati huic minime omnium conſulitur. Jeremiæ enim nomen in omnibus etiam vetuſtiſſimis Codd. MSS. (ſi unum Colbertinum, qui *Zachariam* hic habet, excipias) & verſionibus occurrit, adeoque pro lectione antiquiſſima haberi debet, de qua jam *Origenis* ætate diſputatum fuit. Jam vero nemini non conſtat, morem compendia ſcriptionis exhibendi recentioris eſſe ætatis, nec ad eam antiquitatem adſurgere. Præterea exploratum quoque eſt harum rerum peritis, librarios Nomina Propria rariſſime, ſi v. c. nomen Ἰησῆς & Χριςὸς excipias, per compendium exprimere conſueviſſe. Probandum inſuper erat, *Zachariæ* & *Jeremiæ* nomina per Ζρὶς & Ιρὶς compendioſe exarari ſolita, quod illis a vero videbitur alienum, quibus compertum eſt, quomodo librarii ſcriptionem compendioſam inſtituerint. Accedit, literarum Z & I, unde iſta nominum permutatio pendere exiſtimatur, non tantam eſſe affinitatem, ut tam proclivis in iſtis permutandus lapſus ſit. Confer, ſi placet, *Millii* notas ad h. l. *Alex. Morus* non magis audiendus eſt, qui in Cauſa Dei p. 106. duplicem lapſus hujus, quem putat, cauſam affert. Alteram ex eo, quod librarius ſcriptum invenerit Ζι, atque pro eo ſcripſerit Ιι i. e. Ἱερεμὶς. Alteram hanc, quod, ſi Matthæus Hebr. ſcripſerit, ceu nonnulli opinantur, ab eo ſcriptum fuiſſe videatur ביד הנביא, i. e. *per manum Prophetæ*, pro quo poſtea librarius oſcitans legerit ביר" חנביא *per Jeremiam Prophetam*, unde tandem

lectio Græca hodierna enata sit. Idem suspicatus est *Steph. le Moyne* in Dissert. ad *Jerem.* XIII. 7. c. III. §. 14. Enimvero petitur hic multis modis, quod in principio est. Quis enim hactenus evicit, Matthæum Hebraice Evangelium suum scripsisse? Quis idoneis antiquitatis exemplis ostenderit unquam, Hebræos olim Nomina Propria in compendium misisse? Itaque recte *Vitringa* l. c. p. 23. cogitationem hanc pro ingeniosa quidem habet, sed contra quam excipi possit.

Alii itaque *Jeremiæ*, nomen rectissime ab ipso Matthæo repetentes, contendunt, Scriptorem Sacrum Jeremiam hic appellasse, quamvis oraculum Zachariæ esse nosset, ideo, quod Jeremias olim in Volumine Prophetarum Posteriorum primum locum obtinuerit, cui proinde suo modo ea, quæ in Propheta quocunque legantur, tribui potuerint, quemadmodum v. c. *Luc.* XXIV. 44. Hagiographa a Psalmis, tanquam parte potiore, denominentur. Nec negari sane potest, ordinem hunc Prophetarum tum ex Cod. Talmud. *Bava Bathra*, tum ex antiquis nonnullis Codd. MSS. hodienum superstitibus, qui Jeremiæ prophetiam primo loco exhibent, comprobari posse. Vide huc præ ceteris Cl. *Jos. Henrici Opitii* dissert. singularem de Jeremia inter majores Prophetas primo, Lips. 1705. tum vero Rev. *Jo. Henr. Michaelis* Dissertat. de Codd. Biblicis MSS. p. 5. *Buxtorf.* in Commentario Masorethico c. 11. p. 26. &, quæ ipse dixi in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 148. Itaque mirum non est, in hanc sententiam a pluribus itum esse post *Lightfootum* v. c. *a Sauberto* in Palæstra p. 366. & in Var. Lection. ad Matthæum, *Wolfburgio* in Obss. Sacr. p. 511. *Herman. Versteeg* Comm. in Passionem Christi ad Matth. c. 27. §. 13. & *Guil. Surenhusio* in libro καταλλαγῆς l. c. Sed nec hoc sufficere tollendæ difficultati alii ostenderunt, ex quibus hic nominasse sufficerit *Frischmuthum* in Diss. ad Zach. XI. c. III. §. 10. Rev. *Deylingium* Part. I. p. 114. inprimis vero *Vitringam* in Prolegom. ad Jesaiam p. 19. sq. qui cum cura in eluenda hac solutione versatur, & Auctorem des Neuen Bücherſaals Part. XXIII. p. 782. & Part. X. p. 775. item *Rich. Simonem* lib. III. Hist. Crit. N. T. p. 796. qui de Augustini sententia commentatur ibidem p. 266.

Alii, insolentiori conjectura utentes, Zachariæ caput XI. ex quo hæc citari recte contendunt, una cum IX. & X. non a Zacharia, sed Jeremia, scriptum esse opinantur. Ita *Jos. Mede* in Fragmentis Sacris, quæ Tom. X. Opusculorum, ad Philologiam & Histor. Sacr. spectantium, recusa sunt, p. 229. ait, Spiritum S. hic capita illa genuino suo auctori vindicare voluisse, cum pluscula in iis exstent, quæ Zachariæ ætati non convenire videantur; fuisse autem hæc capita ideo forte vaticinio Zachariæ addita, quod ab eo post captivitatem reperta, & Ecclesiæ primum commendata sint. Conferatur idem p. 260. & in Opp. p. 786. Amplexus eandem sententiam est, quamvis *Medio* non nominato, post *Hammondum*, *Rich. Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 199. & *Jo. Bridge* in Lightfooti Opp. Posthumis p. 200.

p. 200. ubi Lightfootum de argumento in conſilium vocat. Acceſſit illis nuperrime *Guil. Whiſtonus* in Tentamine inſtaurandi textum Hebræum V. T. Propoſ. III. p. 93. cujus judicio & hoc, & alia nonnulla vaticinia, non ſolum Jeremiæ ſunt, ſed & ſeculo I. poſt C. N. in Jeremiæ volumine lecta, Judæorum vero fraude poſtea in alium locum translata. Confidentius & audacius hæc ita dici, & toti antiquitati Judaicæ & Chriſtianæ opponi cuique patet. Confer huc Rev. *Jo. Gottlob Carpzovii* Vindicias Criticas Sacri Codicis Hebræi, libro Whiſtoniano nuper Lipſ. 1724. oppoſitas p. 93. ſq. & p. 79. ubi cum plerisque aliis ſtatuit, Jeremiæ nomen a primo, quem inter Prophetas majores olim obtinuerit, loco repetendum eſſe.

Alii *Jeremiam* pro Zacharia hic appellatum ajunt ideo, quod multa uterque habuerint communia, ita ut poſterior Jeremias ſui temporis dici potuerit: quæ *Poſſini* conjectura eſt in Spicilegio Evangel. p. 28. De ſimilitudine phraſium utriuſque Prophetæ *Grotius* quoque ad h. l. commentatur.

Alii cum *Origene* & *Hieronymo apocryphum* quoddam Jeremiæ ſcriptum hic innui pugnant, inter quos eſt *Colomeſius* in Obſſ. Sacr. p. 31. & *Franc. Turrianus*, qui huc advocat ἀναγραφὰς Jeremiæ, de quibus 2 *Maccab.* II. 13. Sed ibi quidem ἀναγραφαὶ non Jeremiæ ipſius, ſed tales, in quibus de Jeremia narretur, memorantur. Confer *Blondelli* Turrianum Vapulant. p. 35. & in Prolegom. p. 87.

Alii deperditum quendam Jeremiæ Codicem hic allegari volunt, inter quos eſt *Pfaffius* ad h. l.

Alii denique hic inprimis illud urgent, quod Matthæus diſerte dicit τὸ ῥηθὲν διὰ Ἱερεμίου, non vero τὸ γεγραμμένον. Atque ita porro ſuas inſtituunt rationes. Jeremiam ajunt primum hoc vaticinium ore protuliſſe, non vero literis conſignaſſe, quod deinde Zacharias, in multis alias Jeremiam ſecutus, repetierit & ad poſteritatem propagarit, ex quo tandem, primo auctore ſimul indicato, oraculum hoc Matthæus attulerit. Ita poſt *Grotium* ex noſtratibus B. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis viſum eſt, nec minus aliis, quos a *Calovio* laudatos videbis. Eandem ſententiam ſuam quoque nuper fecit Rev. *Deylingius* l. c. p. 114. quæ & mihi quoque præferenda ceteris videtur, niſi illam locum habere poſſe putes, quæ ad ordinem & ſitum vaticinii Jeremiæ in Prophetarum majorum claſſe reſpiciendum putat. Non alienus hinc eſt *Poſſinus* modo laudatus in Spicileg. p. 92.

Quod ad verborum ſententiam, eorumque a Zacharia in nonnullis diverſitatem attinet, eam ab aliis exquiri malim, quam hic a me, brevitati ſtudente, repeti. Præ ceteris legi velim ex noſtratibus B. *Friſchmuthi* Diſſertat. citatam, tum vero *Surenhuſium* l. c. Contra R. Iſaaci *Chiſſuck Emuna* vaticinium hoc Meſſiæ vindicat *Guſſetus* in Confutat. libri illius p. 386. ſqq.

Vers. 9. καὶ ἔλαβον) Pro tertia persona in plurium numero accipiunt plerique Interpretes, paucis pro prima singulari habentibus, quippe quæ tum apud Zachariam in Hebræo exstet וְאֶקְחָה, tum apud Syrum legatur. Sed id quidem non admittit τὸ ἔδωκαν, quod v. 10. exstat.

Vers. 10. ἔδωκαν) Nonnulli legi malunt ἔδωκα, ut sit prima persona, & sic propius ad Zachariæ textum Hebr. versionemque τῶν LXX. & Syriacam quoque accedatur. Ita post *Bezam* & *Piscatorem Jo. Mede* in Fragmentis Sacris Tom. X. Opuscul. p. 260. *Ibi sumatur*, inquiens, ἔλαβον *in prima persona, & in* ἔδωκαν *deleatur* ν, *& sic conveniet cum Zach.* XI. 13. Idem vult *Hombergius* in Parergis p. 77. nisi quis particulas καὶ αὐτὰ per *quæ* vertenda putet. Amplectuntur eandem lectionem Auctores des freywilligen Heb-Opfers Tom. II. p. 122. & Cl. *Trillerus* in Notis ad h. l. MSS. Conf. etiam *Gomari* Opp. Part. I. p. 44. Sed cum nulla hic inter Codices MSS. varietas occurrat, ingenio non putem indulgendum esse, dicendumque potius, Matthæum sensum magis, quod in allegationibus frequenter fieri solet, quam verborum habitum respexisse.

Vers. 12. ἰδὲν ἀπεκρίνατο) De silentio inter calumnias differit ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Reflexis. Vide & *Maximi Tyrii* Dissert. singularem de eo: εἰ καλῶς ἐποίησε Σωκράτης μὴ ἀπολογησάμενος.

Vers. 15. Κατὰ δὲ ἑορτὴν) Posse hoc intelligi de omnibus festis solennioribus cum Interprete Syro & Arabe, monet post *Bezam Rich. Simon* in Notis ad Version. Gallicam. Plerique tamen, & rectius, de Paschate solum accipiunt, quemadmodum & *Johannes* XIIX. 39. Pilatum inducit, consuetudinem hanc ad solum Pascha restringentem. Atque hanc sententiam tuentur ex nostratibus *Heupelius* ad Marcum p. 493. (qui contra *Erasm. Schmidium* dissentientem recte monet, post verba κατὰ ἑορτὴν subintelligi debere τῶ πάσχα) & *Joh. Henningius* in Archæolog. Passionali c. XIII. §. 1. ex Reformatis *Vossius* in Harmonia Evangelica II. 5. §. 3. & *Jo. Lomeierus* loco mox citando p. 311. qui ita: *Sed nec articuli ellipsis alia festa hic includit, cum ea, accentibus Grammaticis, frequens sit. Glass. Philol. Sacr. lib. III. Tract. II. can. 3. Universalitas autem, quam & Syrus, & præpositio* κατὰ *notare videntur, de toto festi hujus tempore, quod plurium dierum fuit, capienda est; aut de ipso quidem festo, sed singulis annis recurrente. In hoc enim ratio occurrit probabilis, quæ de aliis festis adferri nequit. Memoriam enim liberationis majorum suorum ex servitute Ægyptiaca tum temporis Judæi celebrabant, in aliis non item.* Ita *Lomeierus* in diebus Genialibus Dec. II. Diss. VII. quæ de consuetudine rei apud Judæos in Festo dimittendi exponit. Ibi videbis varia exempla similis instituti, apud alias gentes sub solennitatibus festis & in sacris recepti, qualia & commemorat *Cornel. Adami* in Obtervatt. p. 185. sqq. & *Jac. Lydius* in Florum Sparsione ad Histor. Pass. J. C. p. 142. nec non Cl. *Trillerus* in Not. ad H. Grotii Christum Patientem p. 359.

Adde

Adde *Jo. Schmidii* ὁμοψήφῳ Dissertat. de eodem Judæorum ritu, Lipsi. 1685. editam & Heb. Opfer Tom. II. p. 283. De ceteris vero gentibus, Romanis inprimis & Græcis, legendi sunt, quos laudat Cl. *Jo. Albertus Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 313. Ritum hunc nonnulli derivant a Lectisterniis Romanorum. Sed hoc minus probabile visum est *Relando* in Antiqu. Hebr. p. 425. quia Judæi illo tempore ritus hos idololatricos non admisissent, Pilatus autem Christum cum Barabba liberum fuisset dimissurus, quoniam non unum, sed omnes, e carcere dimittere solebant Romani in Lectisterniis. Judaicum morem imitati videntur Imperatores Christiani, tempore Paschali & aliis festis solennioribus captivos e carcere dimittere soliti. Vide huc *Jac. Godofredum* ad Codicem Theodosianum Tom. III. p. 272. *Caveum* in Christianismo primitivo p. 183. sq. & alios a laudato *Fabricio* l. c. & ad Codicem Apocr. N. T. p. 255. citatos.

Vers. 16. Βαραββᾶν) Hunc in nonnullis exemplaribus *Jesum Barraban* appellari, observat *Origenes* Tractat. 35. in Matthæum, quos tamen idem negat audiendos.

Vers. 19. Καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος) Vocem βῆμα suam ex Græcis fecerunt Syri & Rabbini in significatu tribunalis בימה illud appellantes. Vide *Wagenseilium* ad Sota p. 681.

ἡ γυνὴ αὐτοῦ) Hanc Πρόκλαν vocant *Malelas*, *Nicephorus*, *Pseudo-dexter*, *Vinc. Bellovacensis*, VII. 41. Speculi Historial. ubi Nicodemi Evangelium allegat, in quo tamen hodie nomen illud non legitur. Ibi enim apud *Fabricium* in Apocryph. N. T. p. 242. legis: *Cogitante autem eo (Pilato) exsurgere de sede sua, matrona ipsius Pilati procul posita misit ad eum.* Forte non inepte suspiceris, vocem *procul*, sono quippe adfinem, effeciisse, ut nomen *Procla* excideret. Lege de eadem Procla *Tillemontium* in memoriis ad Hist. Eccl. pertinentibus Tom. I. p. 239. Ceterum ex hac Matthæi narratione manifestum est, Pilatum, in provinciam profectum, uxorem comitem habuisse. Quod stante Republica paucis ejusmodi Præsidibus indultum observat *Lydius* in Florum Sparsione p. 145. Sed Tiberio imperante invaluisse, ostendit *Corn. Adami* in Observationibus p. 187.

μηδὲν σοὶ καὶ τῷ δικαίῳ ἐκείνῳ) Hic *justi* nomen tribuitur Salvatori, quo idem mactatur a Pilato v. 24. Petro *Actor.* III. 14. Stephano ibidem III. 52. & alias, ex quibus locis *Guil. Whitsonus* in Conatu textum Hebræum restituendi p. 79. conficit, hunc ex præcipuis Domini nostri titulis esse, qui vero data opera in V. T. a Judæis eo in loco sit corruptus, qui merito pro palmario habeatur, ad quem Sacri Scriptores respexerint. Eum vero putat esse *Jes.* XLI. 2. ubi hodie צדק legatur pro צדיק. Sed miror, Virum tam sagacem non cogitasse de *Jes.* LIII. 11. ubi Pater de Christo הנה עבדי צדיק יצדיק. *Ecce servus meus justus justificabit multos.* Is certe locus

adeo ad hanc causam accommodatus est, ut alias nullus; nec quisquam mutatione opus esse censebit in altero Jesaiæ loco, nisi cui volupe sit, corruptelas ubique somniare

κατ' ὄναρ) De somnio hoc lege *Valent. Friderici* & *Frider. Gottl. Götteri* Dissertationes singulares, *Lipsi.* 1681. & *Jen.* 1704. habitas, nec non *Cornel. Adami* Observ. p. 189. qui pro divinitus immisso recte habet ad declarandam Salvatoris innocentiam. Adde *Esaiæ Helt* Dissert. de Somnio uxoris Pilati, *Hafn.* 1701.

Vers. 21. ἀπὸ τῶν δύο) Τὸ ἀπὸ idem hic valet, quod ἐκ. Vide *Hackspan.* in Notis p. 174.

Vers. 22. σταυρωθήτω) De causa sive crimine prætexto, quo crucem meritus videri debebat Salvator, lege *Justum Lipsium* de Cruce lib. I. c. 13.

Vers. 23. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν;) Maldonatus & Grotius subintelligendum hic esse statuunt postulationis recusationem: *non faciam:* ad quam deinde τὸ γὰρ inferatur: *quid enim*, sive, *quidnam mali fecit?* Sed, ut opinor, argute magis, quam necessario, aut Græcæ Linguæ congruenter, cujus Scriptores in interrogationibus eodem sensu γὰρ ponunt, quo nos vernaculum nostrum Denn. Ita *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 63. qui idonea exempla affert.

Vers. 24. Θόρυβος γίνεται) Θόρυβος hic de plebe tumultuante, & supplicium Jesu incondito clamore urgente, accipi debet, quo quidem sensu vocem Θόρυβος & Θορυβῶν frequenter adhiberi ostendit *Cornel. Adami* in Observatt. p. 190. sq.

λαβὼν ὕδωρ ἀπενίψατο) Lotionem alii aliter accipiunt, & ex diversa origine repetunt. Nonnulli Pilatum ritum illum imitatum putant, qui præcipitur *Deuteron.* XXI. ut, si quis occisus deprehenderetur in agro, Seniores proximæ civitatis illuc egressi manus super vitulum lavarent, dicendo: *manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc.* Ita censet *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 30. Sed non veri est simile, Pilatum vel instituti hujus gnarum fuisse, vel, si gnarus fuerit, imitando exprimere voluisse. Neque sufficit dicere cum *Buxtorfio* l. c. Pilatum, tum temporis jam per aliquot annos in Judæa commoratum, cærimoniæ hujus politicæ notitiam habere potuisse. Nam & ipse ille ritus non adeo frequens erat, quippe ad singularem casum accommodatus, ubi scilicet auctor cædis esset ignotus. Atque ista circumstantia hic prorsus frustra quæritur. Itaque præstat dicere, Pilatum manus hic lavisse more Gentilium, quo illi quoque, qui cædis inviti imprudentesque rei facti essent, lustrari debebant. Vide huc *Jo. Lomcierum* de Lustrationibus p. 79. & *Jac. Elsnerum* p. 122. sq. Neque tamen existimaverim,

rim, Pilatum persuasum sibi habuisse, quod lotione illa perfunctus crimine omni expiatus & purus sit. Namque hæc opinio prudentioribus Gentilium pridem explosa erat. Lege huc *Corn. Adami* in Observatt. p. 193. & *Buxtorfium* l. c. Ea itaque mens potius Pilato fuisse videtur, quod hac lotione non solum verbis, sed & symbolo quodam testari voluerit, se invito agi, quicquid hic ageretur. Confer in hanc sententiam *Adami* l. c. & *Alethæum* in der Erörterung Tom. I. p. 18. sq. Ceterum de lotionis ritu, in his aliisque casibus olim recepto, lege *Jo. Adami Königii* Dissertat. ad h. l. in Thesauro Disputatt. T. II. fol. 227. recusam, tum *Godofr. Arnoldi* Disput. Witteb. 1689. item *Jo. Georg. Leschnerti* Disp. de Lotione Manuum, innocentiæ signo, *Witteb.* 1710. 4. tum *Dilherrum* in Dispp. Academ. Tom. I. p. 202. & *Jos. Arndium* in Miscell. p. 109. Adde & *Schottum* in Adag. N. T. p. 63. Ceterum quæ in defensionem aut excusationem Pilati attulit *Jo. Stellerus* libello singulari, Dresd. 1674. edito, ea confutavit B. *Kirchmaierus* in Dissert. de Pilato, Witteb. 1680. Adde *Crispini Weissii* Antibarbarum de Jure Manium barbare violato convictum p. 101. & Relationes Innoxias an. 1711. p. 986. Pilatum tandem ad Christi sacra conversum nonnullis præter rem videri, recte ostendit *Pitschmannus* in Dubiis Vexatis Histor. Eccles. Sæc. III. p. 234.

Ἀθῶός εἰμι ἀπὸ τοῦ αἵματος) Non dissimilem formulam usurpant *Daniel* in Historia Susannæ v. 46. & *Paulus* Act. XX. 26. observante ad h. l. *Colomesio* p. 60. Duplicem hic Hebraismum eruditi quidam statuendum putarunt, alterum in voce ἀθῶος cum præpositione ἀπὸ conjuncta, quæ sine sensus detrimento abesse poterat: alterum in voce αἷμα, quæ cædem hic notat. Sed posteriorem hunc depulit pridem *Pfochenius* §. 89. & *Jo. Vorstius* de Hebraismis Part. I. p. 340. Priorem vero, pro quo idem Vorstius l. c. p. 340. propugnat, *Horatius Vitringa* in Animadversionibus ad Vorstium p. 233. & *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 206. qui ostenderunt, & Græcos illa præpositione usos, &, si omittatur, eam subintelligendam in his loquendi formulis esse. Confer de ipsa voce ἀθῶος *Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 53.

Vers. 25. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς) Formula hæc recepta erat apud Judæos, ubi Judices & testes manibus, capiti hominis, ad necem condemnati, impositis, dicere solebant: *Sanguis tuus super caput tuum.* Vide *Goodwini* Mosen & Aaronem V. 6. §. 5. & inprimis *Mart. Jac. Oumannum* in Disput. de diris sanguinum in lapidatum derivatis, Kilon. 1705. ubi phrasin hanc ostendit, in libro *Siphra* Part. II. c. 10. f. 216. & a *Raschio* in Biblioth. Buxtorfianis f. 137. col. 2. ita explicari, ut proprie ad lapidandum referatur, Ibidem is de ritibus in lapidatione receptis exponit, eosque cum supplicio Salvatoris confert. *Gussetо* in Lexico Hebr. p. 190. b. Judæi hic respexisse videntur ad phrasin, quæ exstat *Deuter.* XIX. 10. והיה עליו דמים i. e. *& sit super te sanguis*

hoc

hoc ſenſu: mortem Jeſu non producere reatum in auctores. Confer de eadem formula *Amelium* Part. II. p. 872. qui ex *Hottingero* ad Goodwinum l. c. obſervat, Maimonidem hanc formulam ex Levit. XXIV. 14. ſuper hominem blaſphemum præcipue pronunciatam putare. Addatur idem *Amelius* Part. I. p. 170. ubi ex *Juſto Lipſio* implementum hujus temerariæ exſecrationis in eo contigiſſe oſtendit, quod vix intra ſeptem annorum decurſum innumerabilis Judæorum copia, quæ ad 1339690. progreſſa ſit, tum in bellis, tum in motibus domeſticis partim capta partim trucidata legatur. Confer omnino de hac phraſi *J. C. Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 56. Ceterum & apud Athenienſes hunc morem obtinuiſſe, ut is, qui alium gravioris criminis, ac morte puniendi, accuſaret, ſe ac liberos ſuos diris devoveret, ſi falſo accuſaſſet, ex Demoſthene adverſus Ariſtocrat. p. 438. ſcite obſervat *Elsnerus* ad h. l. p. 124. Eadem imprecandi formula etiam alias recepta fuit inter Gentiles. Vide *Spanhemium* ad Ariſtophanem in Ramis v. 594. & *Joſuam Arndium* in Miſcellan. p. 68. Adde *Lomeierum* de Luſtrationibus p. 273.

Verſ. 26. φραγελλώσας) Corrupta vox Latina ex *flagellare*: Lege *Lipſium* de Cruce p. 72. & *Barnab. Briſſonium* de Vocum Significat. voce *Flagellum*, qui legi vult φλαγελλώσας. Sed nihil mutandum eſt, cum eodem modo *Marc.* XV. 15. hæc vox legatur, & *Joh.* II. 15. φραγέλλιον occurrat, quemadmodum & in ſcholiis ad Ariſtoph. Acharnenſ. v. 720. ubi vox ἱμάντες exponitur per λώρους & φραγγέλια. Confer ibi notas *Kuſteri* & *Menag.* ad Laert. VI. 90. nec non *Suidam* voce Ἀγοραναμίας, qui legit φραγγέλιον. Ceterum pro voce hac origine Latina *Joh.* XIX. 1. habet ἐμαστίγωσε, qua in ſimili negotio utitur & *Polybius*: vide *Raphelium* p. 110. De conſilio Pilati in hac flagellatione diſſentiunt eruditi. Alii enim eam ſuſceptam volunt, ut Judæorum animi ad miſericordiam inflecterentur: alii vero, ut Chriſtus ex more tum recepto, quo cruci figendi flagellis prius exponebantur, ſupplicio iſti deſtinatus intelligeretur. Atque morem quidem iſtum probarunt eruditi tum aliunde, tum ex *Luciani* Reviviſc. p. 385. & *Joſepho* de Bello Jud. II. 25. v. *Elsnerum* ad h. l. p. 126. Sed probabilior mihi prior ſententia videtur, narrationem Johannis XIX. 1. comparanti. Ex ea enim patet, Pilatum, cum Chriſtum flagellis cædi juſſiſſet, nondum apud animum conſtitutum habuiſſe in crucifixionem conſentire, ſed potius Chriſtum denuo oculis Judæorum, ut vices ejus miſerarentur, produxiſſe. Neque flagellationem certe excipere ſemper crucifixio ſolebat. De ipſa flagellatione hac expoſuit *Caſp. Sagittarius* Diſſertat ſingulari, Jen. 1674. edita, ad quam perſpiciendam permultum faciunt, quæ ex Romanorum antiquitatibus attulerunt *Lipſius* de Cruce lib. II. c. 3. & *Briſſonius* in Selectis ex Jure Civili Antiquitatibus III. cap. 9. Illi autem liberos virgis, ut ſervos flagellis, cædere ſolebant, quibus poſterioribus Chriſtum ſubjectum eſſe utrumque verbum, quo Evangeliſtæ hic utuntur, declarat. Itaque recte *Rohrius* in Pictore errante

rante castigavit eorum errorem, qui Christum virgis, & quidem a duobus, cæsum repræsentant. Vide Tom. II. Disputatt. p. 868.

Vers. 27. οἱ στρατιῶται) milites scilicet, sive spiculatores, tribuni aut centuriones hoc agere solebant. Vide *Fabri* Semestria lib. II. p. 110.

εἰς τὸ πραιτώριον) Vox iterum Latina, qua designatur locus peculiaris in domo Pilati militibus septus & munitus, & a loco, in quo sententia dicebatur, distinctus. D. *Marcus* describit his verbis: ἔσω τῆς αὐλῆς ὅ ἐστι πραιτώριον. *Maximus* in versione Græco-Barbara in margine explicat per παλάτιον τῦ ἡγεμόνος, quod certe aliter habet, cum πραιτώριον ab ædibus seu palatio Pilati, ut pars a toto, satis hic distinguatur. Lege plura de prætorio in singularibus *Huberi* & *Perizonii* de Prætorio commentationibus, de quibus infra ad *Philipp.* I. 13. plura tradentur.

ὅλην τὴν σπεῖραν) *Cohortem* reddunt Latine; mallem ego eodem verbo *Spiram* dicere, utpote quo & *Ennius*, teste *Festo*, multitudinem hominum appellat, cum ait: *spiras legionibus nexunt.* Cohors quidem secundum *Polybium* certe majorem militum copiam complectebatur, quam spira, neque erat, eodem teste, vel spira, vel cohors, decima pars legionis, uti nonnulli existimant. Quanto autem militum numero spira constiterit, certo definire non licet. Ita *Raphelius* in Notis Polybianis p. 110. qui deinceps ex Polybio, qui & accuratissime de Romanorum institutis militaribus exposuit, spirarum rationem, quoad fieri per ipsum potuit, explanat. Confer de eadem differentem *Salmasium* de re militari Romanorum, Tom. X. Antiquit. Roman. p. 1301.

Vers. 28. Καὶ ἐκδύσαντες αὐτὸν &c.) Picinellus ad h. v. in Luminibus Reflexis de Rege illusorio differit. Scilicet omnia hic ad ludibrium comparata fuisse, ostendit etiam *Adami* in Observatt. p. 195. qualem contumeliam eodem fere modo Agrippæ Regi sub aliena persona factam refert *Philo* contra Flaccum p. 970. Adde *Relandi* Antt. Hebr. p. 254. Habitum hunc Christi singulari Dissertat. exposuit *Jo. Frieder. Hekelius*, Chemnitii 1673. qui ibi de purpura, corona spinea & arundine commentatur.

περιέθηκαν χλαμύδα) eadem phrasi utitur *Polybius* lib. IV. c. 4. p. 380.

χλαμύδα κοκκίνην) *Marcus* XV. 17. & *Joh.* XIX. 2. πορφύραν & ἱμάτιον πορφυροῦν vocant. At color *coccineus* & *purpureus* omnino in se differunt. Scilicet veteres colores omnes, qui ruborem præ se ferunt, purpureos appellant, atque adeo & ipsum coccinum. Ostendit id *Braunius* de Vestitu Sacerdotum lib. I. c. XIV. qui c. XV. §. 2. p. 288. pugnam hanc apparentem facile tollit, nec assentiendum putat *Alb. Rubenio*, tunicam illam Christi cocco & purpura tinctam fuisse tradenti, de Re vestiaria lib. II. c. 14. Multo minus *Lazarus Bayfius* cap. III. de re Vestiaria audiendus est, suspi-

cans fere, Interpretem in vertendo Matthæo falsum esse, & ad coccum transtulisse, quæ de purpura accipienda erant. Rectius idem, relicta hac temeraria conjectura, pronunciat, Matthæum coloris potius, quam materiæ rationem habuisse. Idem toto illo capite de vestimentis purpureis differit, & cap. X. statuit, vestem illam, quam Evangelistæ purpuram & purpuream dixere, fuisse togam purpuream, quæ & picta dicebatur, in Servatoris nostrum ludibrium scilicet, tanquam a S. P. Q. R. missam illi, qui se Regem Judæorum diceret. Confer de coccinea hac seu purpurea chlamyde *Lacerdam* in Adversariis p. 181. & singularem *Casp. Sagittarii* Dissert. Jen. 1672. Quomodo hæc χλαμὺς κοκκίνη cum ἐσθῆτι λαμπρᾷ, quam *Lucas* appellat, conciliari possit, dicemus ad *Luc.* XXIII. 11.

Vers. 29. πλέξαντες στέφανον ἐξ ἀκανθῶν) De corona hac spinea exstant *Frenzelii* & *Car. Göttschii* Dissertatt. *Witteb.* 1679. & *Altorf.* 1694. habitæ. Adde *Georg. Wolfg. Wedelii* Diss. Medico-Philolog. Cent. I. Dec. IX. Exerc. III. qui, recensitis repudiatisque variorum sententiis, statuit, rubum rosaceum adhibitum hic fuisse, quia circumstantiæ loci, personarum & temporis evincant, fuisse spinam obviam, maximeque notam, quia milites de aliis ignotioribus non videantur cogitasse, spina denique rosacea maxime ad fabricam coronæ idonea exstiterit. Eodem fere tendit *Jo. Ern. Müllerus* in Diss. singulari, quæ exstat Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 230. sqq. qui ait, spinas coronæ Christi innexas teneros fuisse roseti ramusculos πλεκτὰς, atque in figuram circularem sive coronæ facili opera flexibiles. Fruticem vero, non herbam, per ἄκανθαν indicari omnes versiones tradere. *Pet. Bellonius* ῥάμνον hic indicari putavit, quia circa Hierosolymas non invenit alium fruticem spinosum, si cappares paucas excipias, quam rhamnum. Sed vide in contrarium *Relandi* Palæstin. Sacr. p. 523. qui mavult ipsas illas cappares spinosas, aut minores spinas, quæ inter segetes crescant, materiam huic coronæ suppeditasse. Aliorum sententias lege apud *Andr. Cocquium* in Phytologia Sacr. p. 115. sq. & in *Andr. Gonsagari* Schediasmatibus Criticis de corona Christi spinea, *Hafn.* 1713. ad 1716. editis. Coronam hanc pilei instar caput Christi ambiisse Patres quidam statuunt. Vide *Lacerdæ* Adversaria c. 100. p. 162. De eadem lege *Picinellium* in Luminibus Reflexis ad h. l. Quo fine corona hæc Christo imposita fuerit, disquirit *Bartholinus* de Cruce p. 160. sq. qui & in Hypomnematibus IV. de Cruce de eadem corona commentatur, de qua & singularis Diss. *Casp. Sagittarii* exstat, *Jen.* 1672.

κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ) Nempe ut calamus esset pro sceptro, atque ita absolveretur species fictæ majestatis regiæ: neque tam purpura & diadema, quam sceptrum, sive baculus, sive scipio, sive hasta Regum, eorumque, quibus vis imperii tradita, gestamen semper fuit, idque quidem antiquissimum potestatis insigne, ante inventam purpuram aliaque regia

regia ornamenta: unde Reges Homero σκηπτοῦχοι. Ita *Jensius* in Ferculo Literario p. 28. sq. ubi & idonea loca huc ex profanis afferuntur.

χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων) de acclamatione hac lege *Jo. Schlemmii* Philologema, Jen. 1664. 4.

Vers. 30. καὶ ἐμπτύσαντες) De sputo ignominioso lege *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l.

Vers. 31. ἐνέδυσαν αὐτὸν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ) *Hic per enallagen* **vestes** *pro* **veste**, *seu pallio superiori. Non enim vestes omnes deposuit, sed tantum vestimentum exterius, quod cum quatuor pannis esset compositum & fibulatum, unde facile dividi potuit inter milites: hinc est, quod potuit etiam voce pluralis numeri designari.* Ita *le Moyne* ad Varia Sacra p. 319.

καὶ ἀπήγαγον) extra urbem scilicet damnati ultimo supplicio ducebantur. Vide *Fabri* Semestria II. p. 105. Confer quæ de hoc verbo supra ad v. 2. scripta sunt.

Vers. 32. ἠγγάρευσαν) De verbo hoc lege *de Prado* in Pentecontarcho p. 101. sq. *Herm. Verstreeg* Comment. in Pass. Christi §. 41. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. qui vim ipsi factam innui contendit. Adde scripta ad *Matth.* V. 40.

Κυρηναῖον ὀνόματι Σίμωνα) Lege de hoc varia apud *Montacut.* Origin. II. p. 392. & *Tillemontium* in Memoriis H. E. Tom. I. p. 69.

ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ) Non mutuam alternis operis, sed sociam operam Simonem hunc Christo tulisse in ferenda cruce, ostendit *Jo. Edwardus* in Exercitatt. in loca quædam N. T. Exerc. II. p. 172. Vicissim solum Simonem portasse contendit *Dilherrus* Disputatt. Tom. I. p. 212. *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 15. sq. *de Prado* p. 101. sq. & *Rohr* in Pictore Errante Tom. II. Thesauri p. 869. Atque hoc rectius videtur. Christus scilicet inde a prætorio solus crucem suam portavit, quod Johannes refert. Cum vero Judæi, aut milites, viderent eundem onere fere oppressum, crucem Simoni obviam facto extra urbem portandam totam imposuerunt, ita ut seorsim, sed Jesum sequens, gestaret. Id enim innuit Lucas per ὀπισθεν τοῦ Ἰησοῦ. Confer in hanc sententiam plura apud *Bynæum*, & ipsum cum aliis ibi citatis ita sentientem de Morte Christi lib. III. p. 250. Conf. ad *Joh.* XIX. 17.

Vers. 33. Γολγοθᾶ) Collis exiguus, a forma cranii humani dictus. Elisa est litera ל, uti קיקלתא dixere pro קלקלתא & לובלב pro לבלב Collocatur ab Eusebio & Hieronymo in Onomastico ad septentrionem montis Sion. Hæc *Relandus* in Palæstina Sacra p. 860. ubi vide plura. Ex his patet, *Caninium* de Locis Hebr. præter rationem putare scribendum ex Hebr. Γολγολθᾶ. Lege contra eum disputantem *Lacerdam* in Adversariis p. 184.

qui rectè monet, literam λ consilio ablatam esse ex more illius ætatis, sicut *Babel* scribitur pro *Balbel*. Confer etiam *Rus* de Usu Linguæ Syriac. in N. T. p. 72. Collem hunc pro monte Moria habet, minus verisimiliter, *Jo. Edwardus* in Exercitat. modo citata. Cur hic colliculus eo nomine appellatus sit, *Suicerus* edifferit Tom. I. p. 156. Thesauri, ex Patribus, quorum plerique ex Adami sepultura ita dictum existimant.

Vers. 34. Versum hunc ex Talmude illustrat *Hackspanius* de Usu librorum Rabbinic. p. 443. sq. & in notis Philolog. ad h. l. p. 175. Confer & *Casaubon.* adversus Baron. p. 461. & 571.

ὄξος μετὰ χολῆς) Marcus vocat οἶνον ἐσμυρνισμένον, quod ne cum Matthæo pugnet, *Jo. Edwardus* Exercit. citata cum aliis Christo duplex poculum exhibitum fuisse censet. Sed eo opus non est, cum melior conciliandi ratio sit in promtu. *Jos. Mede* ita rem instituit p. 518. Opp. Is legit οἶνος μετὰ χολῆς, & ait, idem hoc esse, quod οἶνος τῷ θυμῷ. Χολὴ enim & θυμὸς idem valere. Voce autem χολῆς *speciem amaram* in genere designari, Hellenistarum usu, quibus & absinthium χολὴ dicatur. Hanc Marcum per *myrrham* definire. Myrrham vero Hebraice מור, Syriace מורא ab amaritudine summa nomen traxisse. Ita ille. Cetera sic satis bene se habent. Cave tamen, οἶνος pro ὄξος legendum putes, & vide quæ pro communi lectione affert *Bartholinus* de Cruce p. 140. sq. qui præterea observat, vinum hic vocari ὄξος, vel quia acetum nihil nisi vinum mortuum sit, vel, quod vinum fuerit vetus & acetosum, quod *Oribasio* eodem loco cum aceto habetur. Idem in sequentibus τὸ μετὰ χολῆς μεμιγμένον cum Marci ἐσμυρνισμένῳ erudite conciliat. Confer Cl. *Dn. Wilhelm. Trilleri* Notas ad Grotii Christum Patientem p. 401. sq. & *Merillum* Not. Philolog. in Passionem Christi p. 124. item *Lydium* in Florum Sparsi. p. 203. & 271. ut alios omittam. Lege quoque de potu hoc *Henrici Pippingii* Dissert. *Lipsi.* 1688.

ἠθέλησε πιεῖν) Quomodo hoc conciliandum cum *Joh.* XIX. 30. ubi dicitur: ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος, *Gussetus* in Lexico Hebraico p. 885. ita: *Illud Hiphil* ישקוני *quod est Ps.* LXIX. 22. *potest conciliare Matth.* XXVII. 34. *quo negatur, Jesus bibisse, & Johan.* XIX. 30. *quo bibisse affirmatur. Scilicet in Matthæo est illud* ראש *seu* χολὴ, *de quo Psalmus dicit duntaxat* ויתנו *& dederunt. Hoc enim sive suppleas* לי, *mihi, seu exponas*: in alimento meo dederunt, h. e. posuerunt; *abstrahit a successu, ita ut datum non acciperet. Sed apud Johannem est illud* חמץ ὄξος, *quod exhibitum est post trihorium tenebrarum, & Jesu ipso petente datum. De hoc ait* ישקוני *fecerunt me potare, quo ponitur successus, nempe bibisse actu.*

Vers. 35. σταυρώσαντες δὲ αὐτὸν) De crucifixione Christi præter Disputationes singulares v. c. *Jo. Puschii, Andr. Baudisii, Sal. Ernesti Cypriani* de fabrica crucis Christi, *Georg. Mœbii*, de crucis supplicio, ubi imprimis contra

Scali-

Scaligerum & *Casaubonum* ostendere conatur, illud Hebræis veteribus non inusitatum fuisse, quæ recusa est Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 234. sq. & *Laur. Normanni* de Cruce veterum, Upsal. 1692. legendi sunt, qui de Cruce & ejus supplicio in universum scripserunt. Eorum præcipuos laudatos vide a Cl. *Jo. Alb. Fabricio* in Bibliographia Antiquaria p. 503. Adde *Bernh. Lamii* Dissert. de Cruce in Harmonia Evangel. p. 573. sq. & *Pet. Landry* in libro, le Triomphe de Jesus Christ, Paris. 1701. De numis variis, crucis imaginem exhibentibus, lege Vener. *V. E. Löscheri* Stromata p. 205. sq. in Dissertat. de usu numorum veterum. De clavis Dominicis singularis exstat liber *Cornel. Curtii*, Antwerp. 1670. 12. de quibus legendus quoque est *Nicquetus* de Titulo Crucis p. 129. & *Lucas Tudensis* lib. II. c. 11. contra Albigenses. Adde *Nic. Fontani* Responsum ad Quæstionem: *an manus, clavis transfixæ, pares ferendo corpus inde pendulum?* Amstelod. 1643. 4. ubi inprimis contra *Dilherrum* affirmat quæstionem, adeo, ut nec suppedaneo, nec pedum confossione opus ad corpus portandum fuisse censeat. Lacerari enim manus perforatas non facile posse, quia clavus infixus medio volæ multas ejus partes ordine transeat, quarum singulæ validæ & robustæ satis sint, quæque simul junctæ per mutuum contextum se invicem egregie firment ac fulciant. Has esse cutem, membranam carnosam, musculum palmarem, latum tendinem, ligamentum volæ tenacissimum, musculos rotundos quatuor connexos, musculos lumbricales, ossa metacarpi vinculis colligata, musculos interosseos, &c.

De anno, mense & die emortuali Christi diligenter disserit *Gerhard. Joh. Vossius* Tom. VI. Opp. p. 86. sq. ut & *Jo. Harduinus* in Operibus Selectis p. 384. sq. qui pro anno 33. Aeræ Christianæ vulgaris propugnat, quod idem facit *Guil. Whistonus.* in Harmonia IV. Evangelistarum p. 193. sq. cui tertius dies Aprilis anni Periodi Julianæ 4746. sive A. C. 33. emortualis habetur: Adde ex nostratibus *Salom. Deylingium* in Dissert. de die J. C. emortuali, quæ exstat in Miscellaneis Lipsiensibus Tom. II. p. 513. sqq. Is p. 525. ita rationes computat: *Joannes munus suum auspicatus est anno Tiberii Imp. XV. qui cum anno Æræ Vulg.* XXIX. *coincidit. Paulo post Servator a Joanne baptizatus & inauguratus sui muneris initium fecit, illudque per aliquot annos administravit. Ergo ante annum* XXIX. *non est trucidatus, sed, elapsis aliquot annis, mortem subiit sub P. Pilato, Procuratore Judææ, ante Tiberii interitum, qui anno Aeræ Vulg.* XXXVII. *contigit, exauctorato & evocato ex Judæa. Necessario igitur Christi mors collocanda est inter annum Aeræ Vulgaris* XXIX. *&* XXXVII. *Solus autem in hoc tractu temporis sub præfectura Pilati annus* XXXIII. *Aeræ Vulgaris est, qua Pascha Judaicum in diem Jovis aut diem Veneris incidere potuit. Ergo Christi crucifixio huic anno debet adscribi.* Disquiri etiam h. l. poterat, utrum Christus de illo, quo Judæi Pascha celebrabant, an potius pridie ejus, ceu visum est nonnullis, cruci sit affixus? Prioris partis argumenta erudite excussit Rev. *Zeibichius* in Commentat. Germanica de Horis Passionis Christi p. 152. sq.

& pro hac ſententia amplius propugnant *Grotius* in Notis ad h. l. item lib. III. de Verit. Relig. Chriſt. *Huetius* in Demonſtrat. Evangel. p. 42. *Guſſetius* in Addendis ad Lexicon Hebr. p. 943. ubi Phlegontis teſtimonium ſpeciatim ab exceptionibus liberat, *Adr. Relandus* in Palæſtina Sacra p. 30. & *Alphenius* Comm. in *Danielis* IX. p. 427. ſq. Ex noſtratibus horum partibus accedunt *Jo. Andr. Schmidius* in Diſſ. de labore Solis, laborante Sole juſtitiæ, Jen. 1683. & *Chriſtoph. Tobias Wideburgius* de obſcuratione Solis in Paſſione Dominica, Helmſtad. 1687. ut alios omittam. Sunt tamen, qui & *Phlegontem* & Sinenſium Annales non de miraculoſa iſta, ſed naturali quidam, & in aliud tempus incidente, obſcuratione Solis loqui, atque hinc univerſalitatem ejus negari debere, cenſent. Huc referendus eſt, poſt *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 525. & ad Euſebii Chronicon, *Voſſius* in Harmonia Evangelica II. 10. Noviſſime vero Cl. *Theophilus Sigefridus Bayerus* horum ſententiam ornare aggreſſus eſt in libro ſingulari de Eclipſi Sinica, in qua Sinarum de Eclipſi Solis, quæ Chriſto in crucem acto facta eſſe creditur, judicium examinat, Regiomonti 1718. 4. Is ſibi perſuadet, eclipſin illam Sinicam, quam *Dominicus Gabianus* pro eadem cum Evangelica iſta habet, *Philippus Cupletus* vero in Chronologia ſua Sinica aliis dijudicandam relinquit, anno integro annum Chriſti emortualem antevertiſſe, eandemque eſſe cum illa, quam *Phlegon* & *Thallus* in literas retulerint. Gravius hoc argumentum eſt, quam ut paucis hic a nobis confici poſſit, quibus prolixis eſſe non licet. Confer Acta Erudit. Lipſ. an. 1719. p. 206. ſqq. Vide & ſingularem diſſertat. *Auguſtini Calmeti*, quæ in Tomo III. Diſſertationum ejus junctim editarum exſtat, & *Hevelium* in Cometographia lib. VIII. Nec omitte *Jo. Marckii* Exercitatt. Scripturar. n. IX. qui difficulter definiri poſſe ſtatuit, utrum tenebræ illæ univerſales fuerint, an ad Judæam reſtrictæ, poſterius tamen pro veroſimiliori habet, ita tamen, ut in quibusdam Aſiæ, Africæ & Americæ partibus obſervari potuerint.

Verſ. 46. Ἠλὶ Ἠλὶ &c.) de formula hac ex dialecto Chaldæo-Syriaca, cum temporis inter Judæos recepta, a Chriſto pronunciata, lege fuſius commentantes *Cheitomæum* de Vocibus Græco-Barbaris voce *Eli*, item *Lama* & *Sabachtani*; *Pfeiferum* item in Quinquagena Locorum Exotic. in Opp. Critic. p. 480. *Leusdenium* in Philologo Hebræo-mixto p. 34. *Jo. Reinh. Rus* de Linguæ Syriacæ uſu in N. T. p. 47. ſq. & noviſſime eos, qui novam *Oligeri Pauli* interpretationem vocis σαβαχθανὶ, de qua mox, confutarunt. Quam varie *Gothus*, *Anglo-Saxo* & alii ejusmodi Interpretes expreſſerint iſta, intelliges ex *Marſchalli* notis ad Verſ. Anglo-Saxon. p. 500.

Quo modo & quo ſenſu Pater vocetur *Deus Chriſti*, oſtendit *Feſſelius* Adverſar. Sacr. lib. IV. c. 3. p. 234. ſq. eadem opera evincens, nihil hic invenire Socinianos, quo pro ſe utantur.

Cur

Cur Salvator optimus hic clamarit Ἠλὶ, Ἠλὶ, vel Syriace Ἠλωΐ, Ἠλωΐ, non autem יהוה, יהוה disquirit *Jo. Gregorius* in Obſſ. ad Loca quædam N. T. cap. II. atque hanc reddit rationem, quod in ſententiis judicii & juſtitiæ prior, in miſericordiæ vero ſententiis poſterior appellatio Deo placuerit. Conf. *Amelium* Part. I. p. 131.

σαβαχθανὶ) reſpondet Hebraico עזבתני Pſ. XXII. & Chaldaico שבקתני, quod Chaldaica *Jonathanis* Paraphraſis exhibet: utrumque vero eorum non aliam quam *deſerendi* notionem habet. Ut mirum ſit, *Oligerum Pauli glorificationis* ſenſum hic obtinere, & credere ſerio potuiſſe, &, ut aliis perſuaderet, conatum eſſe. Ejus enim judicio ſententia Chriſti fuerit: *Deus, Deus mi, quantopere glorificas me.* Aſſeclam tamen nactus eſt *Car. Catſium*, in quem ideo animadvertit *Rabus* in *Maandlicken Uyttreckſels* an. 1701. p. 1105. Lege de ſcriptis *Olig. Pauli*, huc pertinentibus, *Relationes Innoxias* Theologicas anni 1702. p. 38. ſq. An. 1703. p. 206. & An. 1704. p. 714. ubi in ſequentibus commentationes quædam hyperaspiſtarum ejus cum additis animadverſionibus & M. *Gilberti Leidingii* Confutatio ψευδερμηνείας hujus commemorantur. Adde *Wokenii* Meditationes Privatas Part. II. p. 61. ſqq. & D. *Mich. Schreiberi* Vindicias horum Chriſti verborum, Regiomonti 1716. 4 nec non *Lud. Winslovii* Salvatorem deſertum, *Haſn.* 1707. 8. Nova quoque eſt Anonymi, neque tamen tam inſolens explicatio, quæ refertur in Bibliotheca Anglicana Tom. X. Part. I. p. 133. Is ſcilicet verba hæc non pro querela habet, ſed pro affectuoſiſſima & ardentiſſima precatione, qua efficere voluerit Chriſtus, ut ſe non amplius exponat adflictionibus, quas jam ſufficienter pertulerit. Atque ad has preces credit reſpicere Paulum *Hebr.* V. 7. ubi Chriſtus & precatus dicitur & exauditus. Ex parte ad hunc accedit *Jo. Chriſtian Herzog* in diſſ. de auxiliis Grammaticis certitudinis Hermeneut. in Lingua N. T. §. 35. qui verba ἵνα τί με ἐγκατέλιπες verti vult: *cur me derelinquebas?* ut proinde Chriſtus illa verba non in ſtatu derelictionis divinæ, ſed tempore illius ceſſantis, prolocutus credatur. Huic interpretationi obſtare id videtur, quod Chriſtus aliquo tempore poſt demum teſtatus ſit, nunc omnia eſſe conſummata. Vox σαβαχθανὶ occaſionem dediſſe videtur inſcriptioni crucis cujusdam metallicæ per *Ananiſabta* conceptæ. Quam in rem lege B. *Georg. Serpilii* Obſervationem, quæ exſtat in Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. V. p. 284. ſq. Cur *Poſſinus* in Spicilegio p. 7. ſuſpicatus ſit, Chriſtum hanc formulam bis, & ſemel quidem Hebraice, deinde Chaldaice pronunciaſſe, non video. Criminationes & calumnias in formulam hanc admiratione omni, non vero ſciolo judicio, dignam, a ſacrorum Chriſti hoſtibus conjectas depulerunt multi, ex quibus lege inprimis ſingularem B. *Dannhaueri* Diſput. Theolog. VII. *Jo. Marckii* in comma hoc 46. diſſertationem, quæ exſtat in ejus Sylloge Diſputationum ſuper loca N. T. & *Guſſeti* Confutationem libri *Chiſſuk Emuna* p. 347. & 387. *Henr. Morus* in Opp. Theolog. p. 353. verba Chriſti tam ſobria eſſe obſervat, ut apo-

logia nulla indigeant, præsertim si quis ea secundum Hebraici textus latitudinem interpretetur. Tum enim *Lama* i. e. *ut*, vel, *quomodo*, idem esse, quod *cur*: vocemque esse non nisi dolentis, miseramque suam vicem, ex præsenti sensu intolerabilis suæ desertionis, deflentis. Ex nostratibus hæc Christi de Desertione conquerentis verba singularibus Disput. illustrarunt permulti, quos laudatos vide a M. *Wildeshausenio* in Biblioth. Disputatt. Ex iis *Frischmuthi* una recusa est in Thesauro Disputatt. Tom. II. f. 247. Patrum expositiones habes apud *Suicerum* Tom. I. p. 991. sq.

Τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων) Hi non ex militibus, sed plebejis spectatoribus fuisse, creduntur *Salmasio* de cruce p. 310. Judæi certe erant, non Romani, cum his de *Elia* nihil constiterit, quem isti ex vocibus Christi vel male intellectis, vel in ludibrium versis, exsculpebant.

περιθεὶς καλάμῳ) Johannes XIX. 29. ὕσσωπον hic memorat, ad quem locum vide, quæ annotabimus. Confer interim *Wolfburgii* Observatt. p. 305. & B. *Jo. Georg. Neumanni* Disp. de spongia ori Christi admota, quæ recusa est in Primitiis ejus Academicis p. 3. sqq. Ceterum arundine longiuscula hic opus fuit ob altitudinem crucis, quam adstruit *Th. Bartholinus* de Latere Christi aperto c. VII. quem minus recte hic deserit *Salmasius*. Neque tamen audiendus est Auctor Tragœdiæ Græcæ, qui κάλαμον hunc v. 559. ἐρανόδρομον ξύλον appellat. Lege contra eum Cl. *Dan. Wilh. Trillerum* in Notis ad Grotii Christum Patientem p. 407. qui & conferri jubet *Bochartum* Hierozoic. Part. I. lib. 2. c. 50. & Part. II. lib. 3. c. 12. tum vero *Kippingium* Antiquitt. Rom. lib. II. c. 8.

Vers. 50. ἀφῆκε τὸ πνεῦμα) Eadem phrasi & profani utuntur. Vide *Bos* Exercitatt. p. 12. Conf. *Gatakerum* ad Antoninum VI. 15. p. 228. a. Obitum Christi post *nonam* horam accidisse patet, quod tempus vel ideo notandum est, quoniam circa idem agnus Paschalis mactari solebat, cujus rei testis est *Josephus* VII. 45. de Bello Judaico, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης Pascha mactari consueviſse scribens. Verus itaque agnus Paschalis Christus, typici illius mactationi morte sua egregie respondit.

Vers. 51. τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη) i. e. velum interius, quod inter Sanctum & Sanctum Sanctorum intercedebat. Vide *Keuchenium* ad h. l. Duo autem fuerunt ejusmodi vela, cubiti intermedii spatio sejuncta, inter quæ Pontifex S. Sanctum Sanctorum intraturus, ab Austro versus Septentrionem intercedebat. Vide *Relandi* Antiquitt. Hebr. p. 119. & Dissert. de Spoliis Templi Hierosolymit. p. 131. Per enallagen itaque numeri Matthæus unum aulæum pro duplici commemoravit, quæ *Deylingii* sententia est in Obss. Sacr. Part. I. p. 116. vel, quod malim cum *Lamio*, de exteriori aulæo, quod Sancto magis contiguum erat, verba ejus accipienda sunt. De duplici isto velo confer *Cappellum* in Descriptione templi & *Lundium* in Anti-

Antiquitat. Judaicis, ubi de Templo agit, c. VI. p. 891. contra quem tamen obſervandum eſt, in *Jona* V. 1. ex R. Joſis traditione affirmari, non niſi unum eſſe velum ſecundum *Exod.* XXVI. 33. De circumſtantiis miraculoſis rupti præter exſpectationem veli, & indiciis in hac re latentibus lege omnino Relat. Innoxias anni 1713. p. 637. ſqq. ubi inter cetera ex Judæorum monimentis oſtenditur, velum illud non texturæ tenuis fuiſſe, ſed ita potius comparatum, ut fila ſingula ex 24. ad 48. filis compacta fuerint, ex quibus contorti funiculi 72. in craſſitiem ita contexti ſolidiſſimam texturam effecerint. Atque ejusmodi velum nulli tempeſtatis injuriæ erat obnoxium, & ſingulis annis novum, veteri remoto, ſuſpendebatur. Quæ quidem περικείμενα omnia manus Dei indicia ſecum luculenta ferunt. Adde *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacras Part. I. p. 115. ſqq. *Herm. Witſius* Tom. I. Miſcellan. p. 513. & ex eo *Ant. Bynæus* de Morte Chriſti lib. III. p. 457. poſt *Altingium*, (nempe in Heptade Diſſert. Acad. p. 25. a. Tom. V. Opp. quem locum invenire ſe potuiſſe negat *Olearius*) ſtatuunt, velum Sancto Sanctorum oppanſum, ad inſtar intergerini parietis aditum ad Deum peccatoribus intercluſiſſe; verum in die Expiationis, fuſo hirci ſanguine, Sacerdoti ſummo, in aditum intraturo, ceſſiſſe velum, expiationem coram Deo repræſentaturum: facta vero expiatione hac typica rediiſſe velum in locum ſuum. Aliter vero eſſe actum, expiatione per Chriſtum in cruce facta. Tunc enim non ceſſiſſe velum ad tempus, ſed ſciſſum eſſe manu non humana, ſed divina, tanquam nullius uſus poſthac futurum. Approbat hæc, tanquam pie & erudite cogitata, *Sal. Deylingius* l. c. p. 117. refragante *Gottfr. Oleario* p. 738. Obſervatt. Sacr. ideo, quod veroſimile non ſit, id, quod peccatorum typum habet, locum ſanctiſſimum attingere, imo ejus partem eſſe. Sed regerent, me judice, Viri eruditi non inepte, velum illud non peccatorum tantum, ſed potius *expiationis peccatorum neceſſariæ*, & aliquando a Chriſto pleniſſime perficiendæ, typum fuiſſe. Huc enim omnia, quæ ex eorum mente a me allata ſunt, tendunt. Interim non invitus B. *Olearii* largiar, concinne admodum & Scripturæ S. convenienter καταπέτασμα illud cum Paulo *Hebr.* X. 20. pro figura & typo carnis Chriſti haberi, lacerandæ ſcilicet, & removendæ, ut per eam ipſe laceratam in cœlum, cujus figuram *Sanctum Sanctorum* habuiſſe conſtat, ingrederetur: quemadmodum & nobis per idem velum aditus patet ad thronum gratiæ, *Hebr.* IV. 21. & acceſſus in cœlum, Hebr. VI. 20. In eandem ſententiam concedunt *Jac. Rhenferdius* in Comparatione Expiationis Anniverſariæ cum unica expiatione J. C. §. 39. *Braunius* Comm. in Epiſt. ad Hebr. p. 359. & *Biermannus* in Moſe & Chriſto p. 40. Adde *Amelium* Parte II. p. 586. Patrum ſententias de cauſis veli rupti myſticis lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 54. ſqq.

ἡ γῆ ἐσείσθη) Hunc terræ motum etiam extra Judæam obſervatum fuiſſe, veriſimile eſt. Vide Bibl. Bremenſem Claſſ. III. p. 712. ubi in notis *Lampii* præterea oſtenditur, deliquium Solis frequenter cum terræ motu

conjunctum fuisse. Conf. idem p. 738. sq. quo loco ostenditur, hunc terræ motum indicium fuisse in præsens iræ divinæ adversus Judæos Deicidas, in futurum vero prodromum magnorum eventuum, v. c. abolitionis Oeconomiæ V. T. & Reip. Judaicæ &c. Mare quoque commotum esse, tradunt Recognitiones Clementis lib. I. c. 41. Inter miracula, tunc temporis edita, referunt nonnulli id, quod de templi portis, 40 annis ante excidium Templi sua sponte apertis, narratur in Gemara Tract. *Joma* fol. 39. b. ad quem locum *Ganzius* in *Zemach David* p. 36. b. provocat. Vide huc *Buxtorfium* in Recensione Operis Talmudici p. 218. sq. & consentientem cum eo *Casaubonum* in Exercitatt. Anti-Baron. p. 571. Reclamare autem omnes, quæ utrobique occurrunt, circumstantias, quo minus id quidem huc accenseatur, existimat *Carpzovius* ad Schickardum de Jure Regio Hebr. p. 467. Alia ad hunc terræ motum pertinentia observavit Celeb. *Jo. Andr. Schmidius* in singulari Dissert. Jen. 1683. & *Voglerus* in Physiologia Historiæ Passionis J. C. p. 40. sq. De miraculis, eo tempore a Christo cumulatis, ex *Saurino* & aliis disserit *Wolfburgius* in Observatt. Sacris p. 317. Quæ hic speciatim memoratur *commotio terræ*, eam ab *Haggæo* II. 6. prædictam esse, statuit *Gussetus* in Addendis ad Lexicon Hebr. p. 943. existimans, corpoream motionem æque statuendam esse in antitypo, atque illa fuerit in typo, nempe cum lex promulgaretur. Nullum autem hujus generis motum terræ in Scripturis Sacr. apparere, nisi illum, qui contigerit sub obitum Christi.

Gentiles ita statuisse, quod, qui natura humana præstantiores essent, Deorum filii ab illis appellati, fausti & benigni nascerentur, mors autem eorum ingentia & multis funesta portenta secum ferret, ostendit idoneis locis allatis *Elsnerus* in Observatt. ad h. l. p. 126. sq.

Vers. 52. καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν &c.) Vide huc *Jo. Marckii* Exercitatt. Biblicas p. 720. sqq. ubi statuit, sepulchra ista in morte Christi aperta, excitationem vero mortuorum eam subsecutam fuisse, suscitatosque non iterum mortem oppetiisse, sed statim in cœlum beatorum ingressos esse, de quo ultimo momento quid sentiendum sit, disputatum est a *Pitschmanno* in Dubiis Vexatis H. Eccles. Sec. I. p. 36. Mortuos illos, qui in vitam hanc revocati sint, non multo ante obiisse, quia alioquin ab hominibus tunc superstitibus, agnosci non potuerint, qui & quales sint; recte monet *Jo. Lockius* in Responsione II. ad *Stillingfleeti* Responsionem ad epistolam suam II. Lond. 1699. edita. Confer *Nova Reip. Literar.* Bernardina an. 1699. Octobr. p. 384. Adde ὁμόψηφον *Lampium* in Biblioth. Bremens. Class. III. p. 734. Vide & *Aug. Calmeti* Dissert. de resurrectione SS. Patrum cum Christo, quæ exstat in Tomo III. Dissertatt. ejus Paris. 1720. editarum.

κεκοιμημένων) κοιμᾶσθαι & verba ἰσοδύναμα de mortuis profanos quoque Scriptores adhibere, ostendit post *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 119. *Horatius*

ratius Vitringa in Animadverſ. ad Vorſtii Philolog. Sacr. p. 218. Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. p. 716. ſqq. & quæ ſcribentur ad *Joh.* XI. 11. Lege etiam *Suicerum* Tom. II. p. 120. & *Vorſtium* Philolog. S. Part. I. p. 160. ſq. ubi inprimis contra *Pfochenium* oſtendere conatur, hanc verbi notionem ad mortuos relatam ex Hebraiſmo fluere.

ἁγίων) *Jo. Faeſius* ad Gyraldum de Sepultura p. 731. dubius eſt, an non *Sancti* hic dicantur mortui, qui immunes ſunt ab injuriis & violationibus, atque adeo ſenſu politico ita appellentur.

Verſ. 53. καὶ ἐξελθόντες ἐκ τῶν μνημείων μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ εἰσῆλθον) *Hermann. Verſteeg* Comm. in Paſſion. Chriſti §. 90. poſt *Dan. Heinſium* interpunctionem vulgarem ita cenſet mutandam, ut comma, quod poſt voces ἔγερσιν αὐτοῦ exſtat, referatur ad vocem μνημείων, atque adeo inferatur, mortuos quidem ante reſurrectionem Chriſti excitatos, ſed poſt reſurrectionem factam demum Urbem ingreſſos eſſe. Sed nihil hic mutandum eſſe per ſe patet, cum Chriſtus 1 *Cor.* XV. 20. ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων vocetur, atque adeo neceſſe fuerit, ut ipſe ante omnes excitaretur. Itaque per πρόλεψιν Evangeliſta hic id commemorat, quod cum reſurrectione Chriſti conjungendum erat. Confer Neuer Bücher-Saal Part. X. p. 777. & B. *Calovii* Biblia Illuſtrata ad h. l. nec non *Jo. Georg. Michaëlis* Obſervat. in Bibl. Bremenſ. Claſſ. III. p. 722. ſqq. Hinc & apparet, vocem αὐτοῦ non eſſe convertendam in αὐτῶν, ut ſic non ad Chriſtum, ſed & ad mortuos reſuſcitatos referatur. Quamvis enim Codex MS. unus & *Glycas*, & verſiones aliquot hanc lectionem tueantur, cum quibus & facit *Colomeſius* p. 124. Obſſ. Sacr. reliquorum tamen Codicum conſenſus longe amplior conjecturæ huic merito præfertur. B. *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſſertatt. p. 1153. nihil hic definit, utrum ante an poſt Chriſti reſurrectionem mortui iſti excitati ſint, exiſtimans, neutram ſententiam appellationi Chriſti, qua *primitiæ ex mortuis* vocetur, fraudi eſſe, cum exempla extraordinaria ad partes vocari non poſſint, quando ſermo eſt de eo, quod ordinarie fieri ſoleat. Idem vocem ἔγερσις putat rectius explicari de reſuſcitatione, apud alios per Chriſti vim facta, quam de reſurrectione. Quæ quidem ſententia admitti facilius poſſet, ſi textus vocem αὐτῶν pro αὐτοῦ exhiberet. Itaque præſtat in communi interpretatione perſiſtere. Ceterum de Sanctis his redivivis exſtat ſingularis Diſſert. *Andr. Kunadi* Witteb. 1664. 4. item *Jo. Jac. Stubelii* Miſn. 1713. 4. *Habichhorſtii*, Roſtoch. 1695. & *Jo. Georg. Michaëlis* Obſervatio in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. p. 707. ſqq. quam animadverſiones *Frid. Adolphi Lampe* ibidem p. 734. ſq. excipiunt. *Michaëlis* ibi poſt alia p. 728. ſtatuit, Sanctos hos ideo & excitatos eſſe, & apparuiſſe aliis, ut vel ſic convincerentur Judæi, Chriſtum eſſe verum Meſſiam, quippe, cujus tempore mortuorum aliquos reſuſcitatum iri, crediderint. Conf. huc *Menaſſe ben Iſrael* de Reſurrect. Mortuorum III. 2. *Pocockium* in Miſcell. c. VI. & B. *Theodor. Daſſov.* de Reſurrect. ex mente Judæorum.

ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς) Hinc quidam consequi crediderunt, mortuos illos non ab omnibus, sed a piis solum, ex singulari beneficio & dispensatione Dei visos esse. Sed vide *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 177.

Vers. 54. ὁ δὲ ἑκατόνταρχος &c.) de Centurione hoc legatur Rev. *Georg. Henrici Götzii* Dissertatio singularis, quæ exstat in Meletematibus ejus Annæbergens. num. II. p. 37. sqq. Singulare est, quod *Zacagnius* ad epistolam XIII. Gregorii Nysseni, quam is cum aliis primus in Monumentis veteribus edidit, p. 391. observat: *Ex hoc Nysseni loco*, inquiens, *discimus, Longinum Centurionem, qui lancea Christi latus in cruce perfodit, primum Cæsareæ Episcopum fuisse. Sane in Romano, aliisque vetustis Martyrologiis, Longini hujus apud Cæsaream Cappadociæ passi mentio habetur Idibus Martii; sed ipsum Cæsarienses urbis Episcopum fuisse, nec Martyrologia, nec acta ejusdem Longini, ab Hesychio circa A. C. 429. ut putant, conscripta, & a Bollando edita, testantur.* Confer de centurione hoc & nomine ejus, quod *Longini* est, *Tillemontium* in Memoriis Hist. Eccles. Tom. I. p. 81. & 251. & *Fabric.* ad Apocryph. N. T. Tom. I. p. 261.

Quæ hic varietates inter Evangelistas, centurionis res exponentes, occurrunt, eas commode conciliavit Cl. *Jos. Wasse* in Dissertat. Anglicana singulari ad v. hunc 54. pertinente, & *Bibliothecæ Literariæ*, Londin. 1722. 4. inserta, de qua lege *Nova Literaria* Lipsiensia German. an. 1722. p. 991. & Unschuld. Nachrichten An. 1723. p. 99. Is inter cetera scite observat, Centurionem hunc præsentem fuisse, cum causa Christi a Pilato cognosceretur.

τηροῦντες τὸν Ἰησοῦν) Moris scilicet erat, ut milites servandis corporibus cruciariorum, & eorum, qui sepultura privabantur, destinarentur, quibus & interdum centurio præficiebatur. Vide *Lydii* Florum Sparsionem p. 286. & *Adami* in Obss. p. 196. Quod ad rem ipsam attinet, aliquid non multum dissimile narratur a *Plutarcho* in Vita Cleomenis sub finem, quod observat Cl. *Trillerus.*

Vers. 56. Μαρία Μαγδαληνὴ, καὶ Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου &c.) De singulis his fœminis lege *Saubertum* in Palæstra p. 229. & *Vossium* in Harmonia Evang. Mariam Magdalenam alii cum peccatrice illa, de qua *Luc.* VII. 36. eandem esse putant, alii negant, qua de re dicemus ad Lucæ l. c. Hic observamus, in *Juchasin* fol. 17. memorari quendam *Papum*, qui feratur esse pater Jesu Nazaræni חסכונה לאבין של הנוצרי, cujus uxor dicta sit Maria מגדלא i. e. *plicatrix capillorum muliebrium.* Itaque cognomen hoc non ab urbe, sed a vitæ genere, repeti deberet. Ita statuit *Jo. Saubertus* in Opp. Posth. p. 122. sq. additque, eam ad detergendum Christum unctum comis ejusmodi factitiis, iisque egregie lotis, pretiosisque oleis & odorato pulvere subactis, usam esse. Cum vero alii Mariam illam, quæ Christum unxit, ab hac Maria Magdalena recte judicent diversam esse, & hæc conjectura concidit.

Confer

Confer *Relandi* Palæſtinam Sacr. p. 884. De reliquiis hujus Mariæ, quæ jactari temere ſolent, lege *Anton Reiſerum* in Launojo teſte veritatis p. 778. A pictoribus in pompa veſtium exhiberi ſolet. Vide *Molanum* III. 25.

Maria Jacobi eſt Alphæi uxor, non autem Zebedæi uxor vel mater. Vid. *Combefiſii* Auctarium Novum Tom. I. p. 1180. Eadem eſt, quæ alias dicitur *Maria Cleophæ*, quem Cleopham alii Patrem ejus, alii maritum ab obitu Alphæi ſecundum eſſe ſtatuunt. Vide huc *Tillemontium* Tom. I. Memoriarum Eccleſ. p. 265. ſq. Pro uxore Cleophæ habet *Dodwellus* de Jure Laicorum p. 227.

ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίε) illa alias vocatur *Maria Salome*, de qua lege *Tillemontium* l. c. Tom. I. p. 271. & *Cotelerium* ad Patres Apoſtolic. Tom. I. p. 278.

Verſ. 57. ἀπὸ Ἀριμαθαίας) Vide de hac urbe *Relandum* in Palæſtina p. 581. qui contendit, eam hic Arimathæam innui, quæ inter Lyddam & Joppen, & quidem non longe a Lydda ſita fuerit. Lege de eadem *Tillemontium* in Memoriis Hiſt. Eccleſ. Tom. I. p. 137.

τοὔνομα Ἰωσὴφ) De eo exſtat ſingularis diſſertatio, Witteb. 1683. habita, præſide *Tenzelio*, a *Broemelio*, cujus ad eandem acceſſiones lege in Miſcellan. Lipſienſ. T. IX. p. 136. ſqq. Vide & *Tillemontium* Tom. I. p. 137. Sunt, qui *Joſephum* hunc eundem eſſe putant cum *Joſepho Gorionide*, qui, ut frater *Nicodemi Gorionidis*, in tabulis Miſchnicis paſſim memoratur, & a divitiis, quarum & Matthæus hic meminit, laudatur. Vide, quæ in hanc cauſam dixi in Biblioth. Hebræa Tom. II. p. 854.

ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ) i. e. non tam *diſcipulus fuit*; (quo ſenſu Patribus inprimis hic accipitur apud *Suicerum* Tom. II. pag. 286.) quam *diſcipulos fecit* & adduxit Chriſto. Hæc enim vis verbi eſt *Joh.* IV. 1. *Matth.* XXVIII. 19. & *Act.* XIV. 21. Confer *Erasmi Schmidii* Annotatt. ad h. l. & *Bræmelium* in Miſcellaneis Lipſienſ. Tom. IX. p. 140. Ut hoc ſatis certum puto, ita omnino majori probatione egent, quæ de Evangelio ab eodem in Britannia prædicato, ſcriptisque illuc epiſtolis circumferuntur. Vide huc B. *Ittigium* de Patribus Apoſtol. §. 13. *Tillemontium* l. c. *Kempii* præfat. ad Biblioth. Anglic. & *Fabricium* ad Tom. I. Codicis Apocryphi V. T. p. 270. In Catal. Bibl. Norfolc. non ita pridem edito p. 129. laudatur Tract. MS. de eo, quomodo Evangelium paulo poſt Chriſtum paſſum a Joſepho hoc per totum orbem prædicatum ſit. Ibidem p. 137. memoratur fragmentum de Joſepho Arimathæenſi.

ἠτήσατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ) Joſephum hoc facto a Judæis in carcerem conjectum, ex eo vero non ſine miraculo liberatum, tradunt *Gregorius Turonenſis* I. 21. Hiſt. & Evangelium Nicodemi p. 271. ed. Fabric. l. c.

ἐκέλευσεν) Gothus vertit, ac ſi legiſſet: ἐπέτρεψεν, quod exſtat in hoc

hoc argumento *Joh.* XIX. 38. Confer *Marſchalli* notas ad verſ. Anglo-Saxon. p. 410. Scilicet ſuſpenſi publico judicio alias ex cruce pendere debebant, donec cadavera putreſcerent. Vide *Fabri* Semeſtria II. p. 114. Confer & *Salmaſium* de cruce p. 332.

ἀποδοθῆναι) i. e. non *reddi*, ſed *tradi*: vide *Hombergium* ad h. l.

Verſ. 59. σινδόνι) σινδὼν dicta, quia in *Sidone* urbe amictus hic fieri cœpit, unde & a Martiali *Tyria*, a Tyro, Sidoni vicina, vocatur, obſervante *Bayſio* de re veſtiaria cap. XIII. Fortaſſe tamen rectius ab Hebræo סדין, quo linteum candidiſſimum & molliſſimum indicatur, derivabitur. Lege omnino Cl. *Trilleri* notas ad Grotii Chriſtum Patientem p. 631. qui etiam p. 632. ſq. de ὀθονίοις differit. Ὀθόνια h. l. memorat Johannes c. XIX. de quibus adeundus eſt *Jo. Jac. Chifletus* in Criſi hiſtorica de linteis ſepulchralibus Chriſti, *Antwerp.* 1624. 4. Conf. ad *Marc.* XIV. 51.

Verſ. 60. ἐν τῷ καινῷ αὐτοῦ μνημείῳ) de forma ſepulchrorum Hebræorum veterum lege *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 516. ſqq. *Salmaſium* ad Solin. p. 1208. *Geierum* de Luctu Hebr. c. XII. *Frid. Mülleri* libros tres de Sepulchris Hebr. veterum, *Gieſ.* 1666. 4. & M. *Caſp. Frid. Arnoldi* Diſput. de Sepulchris Hebræorum, *Witteb.* 1695. De ſepulchro Chriſti Salvatoris ſigillatim expoſuit *Georg. Guil. Kirchmayerus* in Diſput. Witteberg. 1711. habita, *Jo. Andr. Schmidius* in Differt. *de Tumba Servatoris*, Helmſtad. 1703. ubi veteris conditionem ex verbis Evangeliſtarum, Novi autem ex recentiorum itineribus, ſpeciatim *Quaresmii* Elucidatione Terræ S. Tom. II. lib. V. Per. II. c. 9. ſq. & *Dapperi* Itinerario p. 305. ſq. delineat. Adde *Ortlobii* & *Thilonis* peculiares diſſertatt. de Sepulchro Chriſti, quæ recuſæ ſunt in Theſauro Diſputatt. p. 252. ſqq. item *Gottl. Frid. Seligmanni* Programmata p. 147. ſq. nec non noviſſime Cl. *Trillerum* in Notis ad H. Grotii Chriſtum Patientem p. 587. & ab eo citatos.

ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ) i. e. *quod conſtruxit in* vel *ex lapide*. Τὸ ἐν πέτρᾳ idem eſt quod ἐκ πέτρας. Hinc *Marcus* λατομητὸν ἐκ πέτρας. Vide *Salmaſium* ad Solinum p. 851. Confer, quæ ad Marcum dicentur.

προσκυλίσας λίθον μέγαν) Saxi vaſtitas arguitur ex voce προσκυλίσας, ut quod bajulari non poſſet, ſed devolvi oporteret: id quod ex *Ariſtoph.* Veſp. p. 442. illuſtrat *Bos* in Exercitatt. p. 12. Syrus devolutionem illam aliorum opera, ſervorum puta, factam innuit. Huic enim officio i. e. claudendis & aperiendis ſepulchris certum hominum genus apud Romanos olim deſtinatum erat, quos *janitores ſepulchrorum* vocabant. Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. p. 81.

Verſ. 61. καθήμεναι ἀπέναντι τοῦ τάφου) De ſedentibus ad ſepulchra lege *Picinelli* Lumina Reflexa ad h. l.

Verſ.

Verſ. 62. ἥτις ἐστὶ μετὰ τὴν παρασκευήν) Ex his verbis nonnulli credunt conſequi, quod Chriſtus non eodem die, quo Judæi, Paſcha comederit, cum hic dies crucifixionis Chriſti vocetur παρασκευὴ τῶ Πάσχα. Conf. *Joh.* XIX. 14. Sed regeri poteſt, παρασκευὴν tantum reſpectu Sabbati dici, atque hinc *Marc.* XV. 42. vocari προσάββατον, appellari autem παρασκευὴν Paſchatis, quod in diem primum feſti Paſchatis incideret, uti eadem παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων audit *Joh.* XIX. 42. quod Judæorum traditiones huic diei ob incidens Sabbatum aliam formam darent, permittendo, ea coquere in hoc יום טוב, quæ ſequenti die, Sabbati ſcilicet, erant comedenda, cum alias in יום טוב edenda illo die, non ſequenti, comedere liceret. Vide *Relandi* Antiquitatt. Hebr. p. 438. qui addit, vocem παρασκευὴ uſurpari velut nomen proprium diei ſexti, ſive Veneris, quemadmodum עירובתא in Talmude. Adde in eandem ſententiam differentem *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtol. p. 466. Confer *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 569.

Verſ. 63. μετὰ τρεῖς ἡμέρας) i. e. ἐν τρισὶν ἡμέραις, ut v. 40. ſive τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ut *Matth.* XVI. 21. Ita enim & profani Scriptores & οἱ LXX. loquuntur. Vide *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 64. *Relandi* Antt. Hebr. p. 412. & *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 182.

Verſ. 64. ἔχετε κουστωδίαν) verti poteſt dupliciter, nempe *habetis cuſtodiam*, quæ ſcilicet paulo ante ad crucem poſita erat: vel; *habete cuſtodiam*, quaſi ab imperante & indignante datam. Vide *Lipſium* de Cruce p. 117. Poſterius mihi veri videtur ſimilius, cum novo mandato opus fuiſſe merito credendum ſit ad cuſtodiam vel continuandam a prioribus illis militibus, vel inſtruendam per novos. Vocem κουστωδίαν *Gothus* vertit per *cuſtodes*. Atque ita & alii, nec non Codd. nonnulli Græci. Lege *Mareſchalli* notas ad Verſionem Anglo-Saxon. p. 411. Nempe κουστωδία Latinum eſt, & apud Latinos ſumitur pro *cuſtode* & *cuſtodientibus*. Confer hic *Theophylactum* item *Heſych.* & *Suidam*. In *Syriaco* legendum forte eſt קסטונא ut reſpondeat Græco κουστωδία. Vide *Simonem* de Verſion. N. T. p. 164. Per cuſtodes illos *Anton. van Dale* in Antiquitatibus Diſſ. V. p. 420. intelligit Judæos, ὑπηρέτας & ſervos, quales *Matth.* V. 25. indicentur, apparitores, & miniſtros publicos, quibus uſi ſint Judæi, quæ etiam ſententia eſt *Lightfooti* in Horis Hebr. ad *Luc.* XXII. 4. Sed rectius milites Romani intelliguntur, atque ii ſpeciatim, qui ex præſidiariis, Romæ ſemper verſantibus, diebus feſtis ad cuſtodiam Templo præſtandam mitti ſolebant. Judæis ſane tempore Paſchali & ipſo Sabbati die hoc officio defungi nefas erat. Confer *Salom. Deylingium* in Obſervatt. Sacr. Part. III. p. 236.

Verſ. 66. ἠσφαλίσαντο τὸν τάφον, σφραγίσαντες τὸν λίθον, μετὰ τῆς κουστωδίας) Interpretes plerique ultima verba μετὰ τῆς κουστωδίας referunt ad ver-

bum ἠσφαλίσαντο, contra quam *Chrysostomus*, qui conjungit cum σφραγίσαντες. Utriusque sententiæ rationes lege apud *Raphel.* in Notis Polybianis p. 114. sq. qui priorem recte tuetur.

CAP. XXVIII.

AD caput hoc integrum, cum ceteris Evangelistis collatum, rectius intelligendum varia confert B. *Godofr. Wegnerus* in Dissert. de triduo mortis Christi, quæ exstat in Dissertatt. ejus Sacris p. 233. sqq. De tollendis, quæ hic occurrere videntur, Evangelistarum varietatibus solicitus quoque olim fuit *Severus*, Archiepisc. Antiochenus, cujus cogitata ex MS. exhibet *Bernhardus Montfauconius* in Biblioth. Coisliniana Part. I. p. 68. sq. Contra Judæos conciliationem istam, inprimis quod ad tempus, instituit *Rich. Kidderus* in Demonstratione Messiæ Part. II. p. 112. sqq. Vide etiam *Hombergium* p. 79. sq. Ceterum Resurrectionem Christi ita omnino evenisse, prout a Prophetis & ipso Jesu prædictum erat, ostendit *Pet. Allixius* in Considerationibus librorum Scripturæ Sacr. Part. II. p. 364. sqq. Veritatem ejus ex nostratibus, ut alios taceam, adstruxit B. *Godfr. Olearius* in Demonstratione Apostolica Resurrectionis Christi ex 1 *Cor.* XV. 3. sqq. quæ subjecta est ejus Observationibus Sacris in Matthæum p. 741. sqq. ex Anglis vero inter multos *Humfr. Ditton* libro singulari Anglice, *Lond.* 1712. 8. edito. *Allixius* l. c. p. 378. sq. respondet speciatim ad exceptionem illam, cur Jesus post resurrectionem se Judæis non dederit conspiciendum?

Vers. 1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων &c.) Ὀψὲ hic notare noctem eamque jam recedentem, ut illucescenti auroræ locum faciat, arbitratur *Bochartus* in Hierozoico p. 85. & ex veteribus *Eusebius*, de quo lege *R. Simon.* de Commentator. in N. T. p. 89. Atque hanc sententiam confirmavit Cl. *Georg. Eliezer Edzardus* in notis ad Cap. I. *Berachoth* p. 157. sqq. ubi phrasis occurrit Gemarica, nostræ isti prorsus similis, ita Latine ab Edzardo expressa: *nocte media elapsi diei decimi tertii, cui succedebat erat lux diurna diei decimi quarti.* Et patet omnino, τὸ ὀψὲ non solum vesperam, ut *Marc.* XIII. 35. & *Matth.* XIV. 15. sed & noctem plenam denotare, ut *Matth.* XIV. 23. & *Joh.* XX. 19. Itaque Matthæus cum ceteris Evangelistis, qui mulieres ὄρθρου βαθέος, & περὶ σκοτίας ἔτι ὔσης ad sepulchrum venisse ajunt, non pugnat, quippe qui, de initio exitus e domo ad videndum sepulchrum loquens, tempus paulo anterius exprimit, quemadmodum ceteri terminum adventus exponunt. Vox σαββάτων itaque diem designat, qui noctem exitus fœminarum proxime antecessit. Judæi enim in determinatione noctis alicujus exprimebant diem proxime antecedentem, & primam lucem diei proxime sequentis. Nec obstat, quod vox σαββάτων in plurium numero hic occurrat. Id enim vel per enallagen numeri factum est, vel ideo, quod in diem illum tunc & Sabbatum proprie dictum, & Sabbatum Paschale incidebat.

Dicitur

Dicitur vero ἐπιφωσκέσῃ ſcilicet ἡμέρᾳ vel πρωΐᾳ, non, quod tunc jam illuxerit primus hebdomadis dies, ſed quod feminæ ea nocte prodierint, poſtquam prima lux diurna futura erat lux diei primi hebdomadis. Nam hic ipſe per μίαν τῶν σαββάτων indicatur, quod etiam alias frequenter fit. Senſus itaque horum verborum iſte eſt: *Nocte illa, quæ Sabbatum excepit, cujusque lux diurna ſubſequens fuit lux primi diei hebdomadis, venit Maria* &c. Ita recte & luculente *Edzardus*. Confer *Schætgen.* notas ad *Boſium* de Ellipſi p. 74. ſq. *Hombergium* in Parergis p. 79. & *Oſtermannum* in Poſitionibus Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 5. & 6. Circa vocem ὀψὲ, quod denotet *ſero*, ſeu, nocte jam provecta, conſentit *Rich. Simon* in Notis ad h. l. Alii vero plerique τὸ ὀψὲ de finito tantum Sabbato & peracto orbe ſeptem dierum explicant. Quo vide *Petavium* de Mundi Opificio Tom. III. p. 138. Opp. & *Lamb. Boſium* in Exercitat. ad N. Teſt. p. 13. Idem Petavius l. c. & ad Epiphanium p. 187. item lib. XII. de Doctrina Tempor. cap. XX. oſtendit, τὸ ἐπιφώσκειν idem eſſe, quod *inire*, ſeu *adventare*. Subintelligendam vero hic eſſe vocem ἡμέραν jam *Caſaubonus*, (quem & vide adverſus *Baronium* p. 578. & 594.) in notis ad h. l. oſtendit ex *Polybio*, qui lib. XI. ἡμέρας ἐπιφανούσης meminit, ſicut Xenophon ἡμέραν ὑποφαίνουσαν appellat. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 117. Addamus his *Boiſii* notam ad h. l. ex Collatione p. 98. Vertit is: *Sero autem Sabbati* (videlicet) *ſummo diluculo primæ diei hebdomadis*: vel; *ſero autem Sabbati* (videlicet) *valde mane, primo die hebdomadis*. Addit autem: *Poſterior pars explicat priorem.* Ὀψὲ Σαββάτων, i. e. τῇ ἐπιφωσκούσῃ, εἰς μίαν Σαββάτων. Εἰς μίαν Σαββάτων *ſine dubio id eſt, quod apud Marcum* τῆς μιᾶς τῶν Σαββάτων, *& apud Lucam* τῇ μιᾷ τῶν Σαββάτων, *neque certe collatio Evangeliſtarum patitur, ut aliud ſentiamus. Jam* τῇ ἐπιφωσκούσῃ *quid eſt, niſi* λίαν πρωΐ, *&* ὄρθρου βαθέος, *apud eosdem Marcum & Lucam? τῇ ἐπιφωσκούσῃ ſubintellige* πρωΐᾳ, ***luceſcente diluculo,*** vel ***luceſcente mane, cum luceſceret mane.*** *Atque hic ſubdiſtinguo. Tum ſequitur,* εἰς μίαν Σαββάτων i. e. ἐν μιᾷ Σαββάτων, ***in prima Sabbati*** h. e. *hebdomadis, ut rectiſſime vetus Interpres.* Hæc *Boiſius*, qui deinde ibidem *Theophylacti* explicationem horum verborum affert & illuſtrat. Ex dictis itaque apparet, non eſſe cauſam, cur audiamus *Andr. Maſium* in Tom. II. Supplementi Criticorum p. 1786. de phraſi εἰς μίαν Σαββάτων ita ſcribentem: *Porro* ***Sabbati*** *in Syro tam in Matthæo quam Joanne & Luca eſt* שבת, *quod quia Hebræis etiam dicitur* שבתון, *factum eſt, ut in Luca & Joanne ſcriptum habeatur* σαββάτων, *quod tamen non eſt pluralis numeri, ac proinde perperam illic reperitur articulus* τῶν, *qui deberet eſſe* τῦ σαββάτου. Ita & *Scaliger* de Emendat. Temporum hoc in loco & aliis ſimilibus legi vult σαββατοῦ, quem cave audias. Vide *Wolfburgii* Obſſ. Sac. p. 530. Reſtat, ut novam *Jac. Guſſeti* ſententiam, quam *Chriſtian. Frid. Sinnerus* in Diſput. de Diſtinctionibus Textus N. T. II. §. 4. Lipſ. 1694. edita, ante ipſum protulit, ex Lexico ejus Hebr. p. 640.

recenſeamus. Is voces ὀψὲ δὲ Σαββάτων ita refert ad cap. XXVII. comma ultimum, ut verba τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν Σαββάτων initium faciant capitis XXIIX. Quæ res ut rectius procedat, ſuppleri vult ἦν, quaſi ſcriptum plene eſſet, ὀψὲ δὲ σαββάτων ἦν, quod minoris putat eſſe audaciæ, quam interpretari nomen veſperæ ὀψὲ, quaſi mane ſignificet. Itaque hæc verba non tempus profectionis feminarum inferent, ſed ſigilli potius ſepulchro impreſſi, & appoſitæ cuſtodiæ militaris. Cetera, quæ ad ſententiam hanc ornandam ibidem afferuntur, omittimus, cum vel ex dictis pateat, eam non facile admitti poſſe. Primo enim præcipua difficultas, quæ ab eo communi interpretationi & interpunctioni objicitur, nulla eſt. Neque enim neceſſe eſt, ut illud ὀψὲ per *mane* explicetur, cum ſufficiat *noctem provectam* hic intelligi. Quam notionem voci ὀψὲ & alibi ſubjici oſtendimus. Deinde patet omnino ex ipſa phraſi ὀψὲ δὲ σαββάτων & ſpeciatim particula δὲ, Evangeliſtam novæ narrationis de rebus poſtea geſtis filum hic auſpicari. Præterea ipſa hæc verba alieno loco poſita videbuntur cuique, ſi ad tempus impreſſi ſigilli denotandum commemorata exiſtimentur. Taceo illis opus non fuiſſe, cum ex narratione per ſe hæc temporis nota conſequatur. Porro ellipſis verbi ἦν, ubi ea carere facile poſſumus, non temere fingenda eſt. Et quomodo quæſo cohærebit narratio in cap. XXIIX. ſuſcepta, ſi initium ejus collocare velis in verbis: τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν. Certe niſi & hic particulam δὲ iterum ſubintelligas, hiulca videbitur & a conſueto Evangeliſtarum ſtylo aliena narratio. Placuit tamen hæc ſententia Cl. *Majo* in Obſervatt. Sacris Part. II. p. 50. ſqq. cui vide, quæ oppoſuit Cl. *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 19. ſq. Ea hic repetere longum foret.

Verſ. 2. σεισμὸς μέγας) per *tremorem majorem*, in quo ſcilicet manifeſtiſſima fuerit Dei præſentia, interpretatur *Gerh. Havercampus* in diſſ. de voce μέγας, Lugd. Bat. præſide Jac. Gronovio habita C. 4. eumque refert non ad terram aut totum ſepulchrum, ſed ſolum illud ſaxum. Gentiles motum ejusmodi pro ἐπιφανείας ſeu θεοφανείας argumento habebant. Vide *Jamblichum* Sect. II. cap. 4. p. 44. de Myſter. Ægypt. Aliorum loca vide apud *Spanhemium* in Obſerv. ad Callimachum p. 48. & *Steph. le Moyne* ad Var. Sacra p. 279. quos huc advocat Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ubi idem memorat, ſe de hoc argumento uberius egiſſe in Schediaſmate de Theophaniis ſive Epiphaniis Deorum Dearumque Gentilium, ante aliquot annos auctius ab amico edito.

ἄγγελος γὰρ Κυρίε καταβὰς ἐξ ἐρανε, προσελθὼν ἀπεκύλισε) Quæ hic narrantur, non ita capienda ſunt, ac ſi tum demum facta fuerint, ſed quod jam antea contigerint. Itaque Tempus perfectum poſitum eſt pro Plusquamperfecto, hoc ſenſu: *factus erat terræ motus, avolverat Angelus*, & *conſederat*. Sic Matthæo probe cum Johanne conveniet, cap. XX. 1. rem

rem ita narrante, quod nec ipſe, nec Petrus, nec Maria Angelum viderint, cum ad ſepulchrum ſimul veniſſent, ſed quod Mariæ demum Angeli duo apparuerint, cum ipſe & Petrus jam abiiſſent. Quod ſi vero, mulieribus præſentibus, commotio terræ & amotio lapidis facta fuiſſet, neceſſe omnino erat, ut Angelum vidiſſent. Lege plura apud *Hombergium* p. 80. qui propterea & verbum ἦλθε v. 1. non de *adventu*, ſed potius de *profectione* ad ſepulchrum ſuſcepta, interpretatur. Ceterum quando terræ motus Angelo apparenti hic tribuitur, meminerimus, *Jamblichum* de Myſteriis Sect. II. c. IV. p. 44. obſervaſſe, Diis apparentibus τὴν γῆν μηκέτι δύνασθαι ἐξάναι. Confer *Elsnerum* ad h. l. p. 128.

ἄγγελος ἀπεκύλισε) *Johannes* binos memorat Angelos, *Marcus* vero non Angelum, ſed νεανίσκον. *Lucas* denique δύο ἄνδρας appellat. Scilicet *Matthæus* & *Johannes* deſcribunt Angelos tales, qui & quales re vera erant; ceteri vero ita, qui eſſe videbantur, ſcilicet humana forma induti. Ita qui *Geneſ.* XIX. 2. 15. vocantur *Angeli*, in eodem capite v. 8. 10. 12. dicuntur *Viri*. Qui *unum* memorant Angelum Evangeliſtæ, non ajunt, tantum unum fuiſſe, ſicut *Lothus* Gen. XIX. 18. 19. ad duos Angelos, qui ipſi apparebant, loquitur tanquam ad unum. Hic vero *unus* propterea tantum memoratus videtur, quod non bini Angeli, qui præſentes erant, ſed unus tantum ad feminas loqueretur. Confer *Rich. Kidderi* Demonſtrationem Meſſiæ Part. II. p. 117. ſq.

Verſ. 3. καὶ τὸ ἔνδυμα αὐτοῦ λευκὸν) in veſte hac candida ſymbolum erat cœleſtis gloriæ, quamvis etiam tum puritas naturæ, tum nuncii lætitia eodem indumento depicta videatur. Lege *Lampium* ad Pſalm XLV. p. 295. De veſte iſta candida lege Progr. Paſchale, Regiomonti an. 1705. editum.

Verſ. 4. καὶ ἐγένοντο ὡσεὶ νεκροὶ) Maxima hic conſternatio innuitur, ſicut alias, qui in maximo ſunt metu, mori præ timore, hyperbolico quodam loquendi genere dicuntur. Vide *Boiſium* in Collatione ad h. l. p. 100. & *Caſaubonum* adverſus Baronium p. 673. ſqq.

Verſ. 7. εἰς τὴν Γαλιλαίαν) quia ibi multos diſcipulos habebat, obſervante ad h. l. *Rich. Simone* in Notis. Vir doctus, cujus notas MSS. ſæpius attuli, legendum hic eſſe contendit: εἶπεν pro εἶπον. Verba enim ait relative eſſe prolata, quod ex verſu 6. antecedente pateat. *Marcum* quoque ita loqui c. XVI. 7. & *Lucam* XXIV. 6. Sed nolim ego recedere a communi lectione, quam nec Codicem MS. ullum, nec verſionem ullam video cum alia permutaſſe. Præterea ſenſus receptæ lectionis prægnantior eſt. Ex hac enim patet, Angelum ita nunc prædicere proxime futurum, ſicut ante per-

pessionem prædixerat Servator, ut hac ratione duplex haberent spei suæ & exspectationis præsidium. Nec obstat, quod *Marcus* & *Lucas* aliter rem exprimant, ut scilicet Angelus nudum Interpretem promissionis Christi ante factæ egisse intelligatur. Alterum enim alterum non excludit, & simile quid in narrationibus Historicis passim obvium est. Denique vox ἰδὲ magis requirere videtur τὸ εἶπον in prima persona, quam εἶπεν in tertia. Ita Servator noster *Matth.* XXIV. 25. ἰδὲ προείρηκα ὑμῖν.

Vers. 9. Ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ) Desunt hæc in Codd. nonnullis. Itaque ea νοθεύειν existimat *Millius*, quæ tamen alibi tuetur. Lege huc *Whitbii* Examen p. 91.

αἱ δὲ προσελθοῦσαι ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας) Ad exosculationem pedum hæc refert *Lightfootus* ad h. l. qui & verba Matthæi per enallagen numeri pluralis pro singulari concepta ait, cum de una tantum Magdalena accipi debeant ex *Joh.* XX. Sed vide contra ea *Gussetum* in Vesperis Groninganis p. 65. Ceterum de honore, pedibus præstito a supplicibus, lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis ad h. l. Passus hic Christus est se tangi a mulieribus, quod a Magdalena fieri nolebat *Joh.* XX. Scilicet moram illa factura videbatur, & Christo adhæsura diutius. Quam cunctationem, quippe cum præjudicio discipulorum, de Christi resurrectione nondum certorum, conjunctam amoliebatur Dominus. Confer *Vesperas Groninganas* l. c.

καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ) B. *Lutherus* recte beteten ihn an, quod fugillantes Pontificii repelluntur a *Raithio* in Vindiciis p. 365.

Vers. 10. κἀκεῖ με ὄψονται) *Nam illic me videbunt.* Ita cum Piscatore *Boisius* in Collatione ad h. l. p. 100.

Vers. 14. πείσομεν αὐτὸν) Nonnulli vertunt per *placabimus.* Sed alii malunt in communi *persuadendi* notione acquiescere, & subintelligere μὴ ἀγανακτεῖν ὑμῖν, aut similia. Confer *Pet. Zornium* de Philosophissimis N. T. p. 16. & *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 170. edit. primæ: nam in secunda & tertia hanc observationem prorsus video omissam esse.

Vers. 17. οἱ δὲ ἐδίσασαν) i. e. τινὲς δὲ, *quidam*, ut *Lucianus* in Timone, quem affert *Bos* in Exercitatt. p. 13. & *Xenophon*, apud *Raphel.* in Annotatt. Xenophonteis p. 65. Confer in eandem sententiam notas in Lucianum Tom. I. p. 63. & *Jo. Clericum* in Biblioth. Universali Tom. XIX. p. 455. nec non *Isaacum Casaubonum* in Epistolis p. 71. ed. in fol. Absit itaque ut cum *Beza* legendum censeamus ἃ δὲ ἐδίσασαν. Contra eum vide *Marckii* Exercitatt. Miscellan. p. 322. sqq.

Vers.

Vers. 18. ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία) Hebraicam hanc esse phrasin, contendunt nonnulli, contra quos vide *Pfochenium* §. 124. Sed lege, quæ huic opponit *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 257. Sententiam ipsam cavillari ausus est Judæus in *Chissuck Emuna*, contra quem lege *Gussetum* in Confutatione libri illius virulentissimi p. 388. ubi ostendit, phrasin illam non esse injuriam in divinam naturam, quàm Christus perpetuam habuerit, cum illa inprimis respiciat naturam Salvatoris humanam, in societatem divinarum perfectionum omnium perductam. Per ἐξουσίαν hic regnum providentiæ universalis innui, contendit *Vitringa* Observatt. Sacrarum lib. V. p. 44.

Vers. 19. Πορευθέντες) i. e. *proficiscentes*, rectius, quam *euntes*, ut occurratur illorum dicacitati, qui ex hoc verbo cavillantur, præcones Evangelii non nisi pedites ire oportere. Πορεύεσθαι enim etiam illi dicuntur, qui curru aut equo vehuntur. Vide *Act.* VIII. 36. 39 & XX. 22. Confer *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 65.

μαθητεύσατε) i. e. *discipulos facite*. Vide *Matth.* XIII. 52. XXVII. 57. & *Act.* XIV. 21. Hinc in notis versionis Lat. Tigurinæ observatur, idem hoc esse, ac si diceretur: *discipulate*. Nec improbat *Rich. Simon* in Hist. Crit. de Version. N. T. p. 272. Itaque hic amplius aliquid, quam τὸ *docere* innuitur, quemadmodum etiam v. 20. διδάσκοντες αὐτὸς ab illo μαθητεύειν distinguitur, tanquam species a genere. Scilicet τὸ μαθητεύειν seu *instituere* & *facere discipulos*, ut generale, comprehendit duo officia & media specialia huc pertinentia, nempe τὸ βαπτίζειν & τὸ διδάσκειν, quorum illud ad *parvulos* & *infantes*, hoc ad adultiores magis accommodatum est. Vide hæc diligentius urgentem B. *Joh. Winckler* in *Demonstratione solida Pædobaptismi* Germanice edita p. 73. & in *Defensione* ejusdem p. 18. Adde *Lightfootum* ad h. l. in Horis Talmud. ubi ex *Schabbat.* f. 31. 1. affert Ethnici dictum ad Hillelem: *Proselytum me fac, ut me doceas; Suicerum* Tom. II. p. 286. & *Wilh. Wall* History of Infant-Baptisme in Introduct. p. 52. sqq. qui insigni diligentia in tota illa commentatione Pædobaptismi perpetua Christi, Apostolorum, & Doctorum subsequentium, praxi, per singula retro sæcula, suffultam esse evicit. Idem argumentum & alii tractarunt, quos leges laudatos a *Fabricio* in Bibliographia Antiquaria c. XI. §. 25. & *Christoph. Matthæo Pfaffio* in Originibus Juris Ecclesiastici p. 84. sqq. Cetera, quæ huc pertineri videri poterant, Theologis lubentes relinquimus. Ceterum τὸ μαθητεύειν scriptionem quoque comprehendere statuit *Hackspanius* in Notis Philolog. p. 182.

πάντα τὰ ἔθνη) Per ἔθνη hic Gentiles tantum; non item Judæos intelligi, statuit *Altingius* Tom. VI. Opp. p. 143. De Evangelio per totum mundum prædicato vide quæ scribentur ad *Marc.* XVI. 15.

βαπτί-

βαπτίζοντες) De baptismo aquæ, non Spiritus, vel doctrinæ, sermonem hic esse, ostendit *Episcopius* Tom. I. Opp. Part. II. fol. 35. sq. Varias verbi βαπτίζειν significationes edisserit *Jo. Henr. Wedderkampius* de Baptisteriis veterum cap. I. unde patebit, non solum immersionem eo denotari, quod *Salmasius* affirmat, sed etiam adspersionem & infusionem aquæ. Adde in eandem sententiam *Wilh. Wall* in Historia Pædobaptismi p. 433. sq. & *Gerh. Joh. Vossium* Tom. VI. Opp. p. 259. sqq. item ante hos *Bezam* in notis ad Matthæi cap. III. quem præter rem castigat *Rich. Simon* Hist. Critic. lib. III. p. 753. Adde eundem p. 794. Itaque facile patet, quid de his *Salmasii* verbis habendum sit, quæ in libro de Cæsarie virorum p. 669. leguntur. Βαπτισμὸς *immersio est*, inquit, *& secundum vim ac notionem nominis olim celebrabatur. Nunc tantum* ῥαντισμὸς *est, aspersio, non immersio, nec tinctio.* Idem tamen p. 670. profitetur, se non reprehendere morem baptisandi hodie receptum, sed prædicare ut antiquum.

αὐτὸς) ad ἔθνη spectat consueta enallage generis, ut *Rom.* II. 15. & *Apoc.* XVII. 16. cujusmodi exempla etiam apud *Elsnerum* ad h. l. p. 128. & *Vigerium* de Idiotismis p. 30. sq. ex scriptoribus leguntur.

εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος) Anonymus apud *Sandium* p. 115. Interpret. Paradox. temere suspicatur, verba hæc ex Evangelio Apocrypho secundum Ægyptios Matthæo adsuta esse. Lege contra eum *Eduard. Stillingfleet* in Vindiciis SS. Trinit. Anglice editis p. 173. sqq. Phraseos hujus: βαπτίζειν εἰς ὄνομα, notionem diligenter scrutatur *Campeg. Vitringa* in Observatt. Sacr. lib. III. p. 319. sqq. cap. XXII. cujus cogitata ibi legi malim, quam hic a me repeti. Ex formula hac SS. Trinitatis mysterium recte probant contra Socinianos *Isaacus Faustius* in Dissertat. Argentor. 1667. & *Elias Sigismundus Reinhart* Dissert. singulari, Lips. 1666. edita & alii, quos a M. *Wildelshausenio* in Biblioth. Dispp. laudatos vide. Ex Patribus idem tradentes laudat *Suicerus* Tom. II. p. 1294. & *Petavius* Tom. II. Dogmatum p. 114. sq. Eam perpetuo adhibitam fuisse, contendit *Jo. Harduinus* in Dissertat. de baptismo in Nomine Christi, quæ exstat in Opp. ejus Selectis p. 229. sq. Compara *Jo. Marckium* in Exercitatt. Textualibus p. 251. sqq. ubi formulam hic præscriptam conciliat cum illis, quæ alibi in Actis memoratæ inveniuntur, ubi scilicet dicuntur baptisati ἐπὶ τῷ ὀνόματι Κυρίου & ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου. In hoc negotio dum versatur, primum quidem *Lightfootum* sibi confutandum sumit, qui putat, formulam a Christo præscriptam ad Gentiles tantum spectare, alteram vero, ab Apostolis adhibitam, ad Judæos & alios. Ipse cum *Piscatore* statuit, Christum hoc loco non jussisse, ut verba illa recitarent, sed mandasse tantum, ut baptisent in nomine Patris, quod fieri possit, etiamsi verba illa inter baptisandum non reci-

recitentur. Utramque vero phrasin, i. e. *in nomen Patris, Filii & Spiritus S.* aut *in nomen Christi* baptisari, idem monet inferre, cum utraque notet, ex auctoritate in obsequium mandatorum & fidem promissorum sive Christi, sive Dei triunius, baptismum hunc esse susscipiendum. Eadem fere est sententia *Vossii* Disp. II. de Baptismo Tom. VI. Opp. p. 262. sqq. qui tamen simul observat, præstare, si tres personæ nominatim appellentur, quia ita per totum terrarum orbem & olim obtinuerit, & adhuc obtineat, atque adeo satis verisimile sit, morem istum ab Apostolico exemplo promanare; quemadmodum & vis & efficacia baptismi ita clarius explicetur. Quæ nostrates Theologi in hanc rem observent, constat, nec a me multis explicandum est. Quid Patres de formula hac senserint, patet ex locis eorum a *Suicero* Tom. I. p. 634. sqq. allatis.

Vers. 20. ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τῶν αἰώνων) Vide huc ex nostratibus *Alberti Vogtii* Miscellanea Biblica p. 181. ex Reformatis autem *Jo. Marckii* Exercitat. Exeget. XXX. p. 568. sq. & *Jo. Vorstium* in Dissertatt. Sacr. lib. I. p. 2. sqq. qui speciatim ostendit, quomodo hæc verba cum aliis, Matth. XXVI. 11. legendis, conciliari possint. Arctius, quam par erat, horum verborum vim coercet *Amelius* Part. II. p. 230. quando præsentiam Christi de cumulo charismatum extraordinariorum Spiritus Sancti, in miraculis redundantium, exponit, συντέλειαν vero αἰώνων de consummatione seu excidio templi Hierosolymitani, quo stante difficilior futura sit Christianæ doctrinæ propagatio, interpretatur. Certe συντέλεια τοῦ αἰῶνος *Matth.* XXIV. 3. *Marc* XII. 4. & *Hebr.* IX. 26. quos affert locos, quibus & *Matth.* XIII. 39. 40. addi poterat, non nisi finem universitatis rerum infert, quem & ipse hic simul comprehendi vult, p. 231. monens, verba hæc repetitis vicibus eventu confirmata, semel primis Christianismi temporibus, deinde sub imminentem regni cœlestis gloriam, ubi multiplicanda sit Judæorum & Gentilium conversio. Equidem non video, quo argumento phrasi συντέλεια τοῦ αἰῶνος utriusque hujus status, excidii Hierosolymit. & mundi, significationem eodem in loco vindicare possit; multo minus autem capio, quomodo temporibus, Apostolos proxime consecutis, charismata extraordinaria abjudicet, quibus ea non defuisse & *Pfannerus*, & alii, quos ibidem affert, commonstrant; ut taceam, præsentiam Christi hic promissam & alia complecti, quam miraculorum largitionem: qua de re nostrates ad h. l. plura monuerunt.

IN EVANGELIUM S. MARCI.

CAP. I.

Τὸ κατὰ Μάρκον ἅγιον Εὐαγγέλιον) Refer huc, quæ ſupra ad Matthæum de inſcriptione hujusmodi dicta ſunt. Ad Marci hoc Evangelium lege Annotationes ex Syriaca & Neo-Græca verſionibus factas im Heb. Opfer Tom. II. p. 278. ſqq.

Quæ de D. Marco ipſo, & Evangelio ejus, generatim hic dici poterant, ea malim legi apud illos, qui operam ſuam huc ex profeſſo retulerunt. Inter eos eminent ex noſtratibus B. *Dorſcheus* in Prolegom. ad Comment. in Marcum, *Jo. Henr. Majus* in Examine lib. I. Hiſtor. Criticæ N. T. Simonianæ & Celeb. *Fabricius* noſter in Biblioth. Græc. lib. IV. c. 5. p. 130. ſq. & in Notis ad Codicem Apocryphum N. T. p. 780. & 983. item p. 326.

Breviatorem Matthæi Marcum habuerunt poſt *Auguſtinum* permulti, contra quos recte diſputantes lege ex noſtratibus B. *Sandhagenium* Decade I. Epiſtol. Theologic. p. 1. ſqq. & B. *Olearium* in Obſervatt. Sacr. ad Matth. p. 14. ſqq. ubi contra *Whiſtonum* & rerum argumentis, & variis veterum teſtimoniis contrariam ſententiam propugnat. Conf. *Jo. Millii* Prolegom. ad N. T. p. 12. Contra eos, qui Evangelium hoc Joanni Marco, Barnabæ conſobrino, tribuere malunt, lege Cl. *Jo. Mollerum* in Homonymoſcopia Sect. II. c. 1. §. 16.

Verſ. 1. ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ) Titulum hunc eſſe totius libri, qualis ſit Prophetiæ Hoſeæ cap. I. ſtatuit *Clericus* in not. ad Hammondum. Sed rectius illa verba referuntur ad concionem Johannis Baptiſtæ, de qua deinceps exponitur. Marcus enim repetit initium Evangelii a prædicatione Johannis præcurſoris, a quo diſerte promulgationem doctrinæ ſalutaris derivat *Lucas* XVI. 16. ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου ἀπὸ τότε ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ εὐαγγελίζεται. Adde Joh. I. 15. Confer *Lamy* Harmon. p. 86. & *Ant. Coulan* in Examine Hiſtor. Critic. N. T. p. 255. Id malim ſtatuere, quam cum *Surenhuſio* in βίβλῳ καταλλαγ. p. 288 affirmare, quod *Marcus* hic non aliud Evangelii principium velit deſignare, quam id, quod ab ipſis Prophetis antea prædictum erat.

Verſ. 2. ἐν τοῖς προφήταις) Codd. quidam legunt ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, quod ita pro genuino habet *Millius*, ut a Marco quidem ſimpliciter ſcriptum cenſeat ἐν τῷ προφήτῃ, alterum vero Ἡσαΐᾳ a ſcholio marginali repetat, quod deinde iterum mutatum ſit in ἐν τοῖς προφήταις, poſtquam apparuerit, univerſum teſtimonium partim ex Malachia, partim ex Jeſaia deſumtum eſſe. Sed nihil opus eſt his ambagibus. Communiſſima enim lectio ἐν

τοῖς

τοῖς προφήταις satis se, ut alia argumenta taceam, re ipsâ tuetur, quia duorum Prophetarum testimonia in eandem causam afferuntur. Conf. *Whitbii* Examen p. 30. *Pfaffium* de Var. Lect. p. 224. & *Lamium* p. 86. Harmon. Itaque nec necesse est, statuere hic *Enallagen*, ut idem sit, quod in *Propheta*, scilicet Malachia: ut B. *Glassius* volebat. Sed vide *Fesselii* Adversar. Sacr. T. II. p. 558. Vulgatus habet in Propheta Jesaia, quem præter rem tueri conatur *Simon* in Hist. Crit. de Interpretibus N. T. p. 211. & p. 434. item p. 722. nec non in Novis Observatt. p. 242. & in notis ad vers. Gallic. tum vero in Dissert. de MSS. N. T. quæ subjuncta est lib. III. Hist. Crit. p. 24. nec non *Martianæus* p. 162. Conatuum suorum. Vicissim recte lectionem hanc rejecit Scriptor antiqui exemplaris Coptici, in textu Jesaiæ nomen exhibentis. Ad hujus enim marginem librarius, rescripto ex saniori, ut ait, exemplari *Prophetarum* nomine, eam, quam diximus, rationem addit. Vide *Mareschalli* Observatt. ad vers. Gothic. & Anglo-Saxonic. p. 412. & *Wilkinsium* in Prolegom. ad vers. Coptic. p. 16. De Patrum nonnullorum lectione vide *Grabium* ad *Irenæum* III. 11. de eorundem, speciatimque *Hieronymi* & *Eusebii*, sententia lege *Rich. Simonem* in Hist. Crit. de Interpretibus N. T. p. 211. Alii cum *Hackspanio* Notis ad h. l. p. 185. *in Prophetis* idem h. l. esse ajunt, quod alias dicitur: *in libro Prophetarum*; repugnante *Rich. Simone* lib. III. Hist. Crit. p. 722. Ceterum veteres Hebræos varia Scriptura loca, sine interjecta allegandi formula, una serie secum invicem conjungere consueviſse, ostendit *Surenhusius* l. c. p. 45.

ἔμπροσθέν σου) Solicitat hæc verba Millius ideo, quod desunt in paucis quibusdam Codd. Sed vide *Whitbium* p. 41. Examinis. Malachiæ locum isti Jesaiæ, quamvis duobus seculis eo prioris, præposuisse videtur Marcus *Surenhusio* p. 288. quia *Malachias* de persona Johannis, *Jesaias* vero de actis ejusdem, quæ persona inferiora sunt, exponit. Fortasse præstiterit dicere, a Malachia vocationem & missionem Johannis, a Jesaia vero vocationis administrationem, quæ illius effectus est, prædici, atque adeo Malachiam ex rei natura & ordine præponendum fuisse.

Vers. 3. τὰς τρίβους αὐτοῦ) pro αὐτοῦ Goth. & Cod. *Cant.* habent τοῦ Θεοῦ ἡμῶν. Confer *Mareschalli* Observatt. p. 413. qui monet, facere hoc aliquanto ad Gothos a graviori Arianismi suspicione liberandos.

Vers. 4. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων) pro ἐβάπτισε per Hebraismum, ut Genes. IV. 2. Vide *Hackspan.* ad h. l. p. 186. qui idem hoc comma ab alio Hebraismo recte liberat, quem *Lud. de Dieu* videre sibi visus est in verbo ἐγένετο. Hoc enim ille positum putat pro παραγίνομαι i. e. *adsum, advenio.* Confer ad hoc comma B. *Schmidii* Colleg. Biblic. posterius p. 304. sqq.

βάπτισμα μετανοίας) i. e. baptismum cum pœnitentia ejusque confessione conjunctum, judicio *Simonis* in notis ad versionem suam. Malim ego verba ita capere, ac si diceres: βάπτισμα καὶ μετάνοιαν, sicut *Matthæi*

XXIV. 15. βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως commode vertitur per *abominationem & desolationem.* Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 242.

Verſ. 6. τρίχας καμήλε) De pelle cameli accipit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 639. ubi ex profanis Scriptoribus de pellibus, veſtitui inſervientibus, exponit.

Verſ. 7. ἔρχεται ἰσχυρότερος) *venit fortior* i. e. me ſuperior, interprete *Martianæo* p. 168. qui provocat ad *Joh.* III. 30. ſq. ſeu, *dignitate major:* vide *Lamii* Harmoniam p. 92.

κύψας) *cernuus:* vid. *Boiſium* ad h. l. & *Scaligerum* in Actis Literar. a Schurzfleiſch. editis p. 24. Is vero habitus eſt famuli calceos detrahentis, obſervante *Lamio* l. c.

λῦσαι τὸν ἱμάντα) Matthæus de portandis calceis, ceteri Evangeliſtæ una cum noſtro, de ſolvendis eorum corrigiis loquuntur. Utrumque vile erat ſervorum miniſterium, qua de re ad Matthæum. Quatuor diverſas horum verborum expoſitiones affert *Photius* ep. 133. & ex eo *Suicerus* Tom. I. p. 1450. qui merito primam earum præfert, quæ viliſſimum miniſterium locutione proverbiali hic exprimi contendit. Hinc vero recte conficias, Chriſtum calceatum inceſſiſſe, quod ex hoc loco probant *Balduinus* de Calceo c. 26. *Sopranes* in Davide fol. 378. & *Bynæus* de calceis Hebræorum p. 12. ſqq. qui addit, veteres Hebræos ἀνυποδησίαν vulgo receptam non probaſſe, & p. 115. excalceandi partes apud eosdem pro viliſſimis habitas, idoneis veterum locis commonſtrat.

Verſ. 9. ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις) i. e. *tempore illo.* Ita Græci: vide *Suicerum* Tom. I. p. 1331. quod ſupra jam evicimus.

Verſ. 10. εἶδε σχιζομένους) Quidam Codd. hic habent ἠνοιγμένους, cumque iis facit verſio *Goth.* & *Saxon.* vide *Mareſchalli* Obſervatt. p. 413. & *Wilkinſ.* Prolegom. ad N. T. Coptic. p. 16. *Millius* recte ex Matthæo explicandi cauſa mutuo putat delumtum. Interim Marcus aliquid amplius hac *ſciſſionis* voce, quam reliqui Evangeliſtæ, exprimit, innuens ſcilicet, cœlos non ſolum apertos, ſed & subito cum uno quaſi impetu ruptos eſſe. *Plutarchus* p. 239. Timoleont. dixit βαγέντα τὸν οὐρανὸν, & ſimiles phraſes apud τὸς ἔξω occurrunt, de quibus legatur *Elsnerus* p. 129. ad h. l. qui addit, ex interiori cœlo oſtentum hoc apparuiſſe, diviſis in exteriori nubibus. Videtur Marcus innuere, quod viſio illa demum poſt baptiſmum peractum evenerit, quam in rem vide, quæ dicta ſunt ad Matthæum, ubi de ſententia B. *Olearii*, qui hæc Marci verba ita interpretatur: *Jeſus vero, qui, non diu in aquis moratus, ſubito ex iisdem exſcendit, cœlum quoque vidit apertum.*

Verſ. 12. ἐκβάλλει) i. e. *emiſit*, ſine illata vi; *Suicerus* in not. Sic & οἱ ἔξω, quos [illegible] habes apud *Raphelium* in notis Polybianis p. 69.

Verſ.

Verſ. 13. ἡμέρας τεσσαράκοντα) Nonnulli Codd. MSS. & Vulgata quoque, qualis hodie eſt, non qualis exſtabat ante caſtigationem Hieronymi, monente Millio, addunt νύκτας τεσσαράκοντα, quod & *Simon* in verſione ſua exprimit. Sed & *Lucas* noctes omittit, per ſe quidem ſubintelligendas, præeunte inprimis, qui eas memorat, Matthæo, ex quo etiam librarii vel Scholiaſtæ illas in hunc locum poſtliminio infarſiſſe merito videntur.

ἦν μετὰ τῶν θηρίων) i. e. erat cum feris & belluis, leonibus, pardis, & urſis, obſervante *Lamio* p. 99.

Verſ. 14. & 15. data opera illuſtratos vide a *Joſ. Mede* in Operibus Anglicanis p. 97. ad p. 115.

Verſ. 15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς) impletum eſt tempus, ſcilicet luctæ, laboris, ſervitutis, pædagogiæ, ſeveritatis, Eccleſiæ ſub lege a Deo deſtinatum. Ita *Campeg. Vitringa* in Jeſaiæ XL. 1. ad quem hic putat reſpici, p. 352.

ἤγγικε) i. e. *venit.* Ita verſio *Perſica*, & *Martianæus* in Conatibus ſuis p. 173.

καὶ πιστεύετε) τὸ καὶ hic uſurpatur ἐξηγητικῶς, ut Actor. III. 19. Vide *Hackſpanium* ad h. l. p. 187.

πιστεύετε ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ) i. e. Evangelium plena fide recipite. Phraſes πιστεύειν τι, εἰς τι, ἐπί τινα, item τινὶ & ἐν τινὶ, ſæpe promiſcue, interdum tamen etiam proprio cuique ſignificatu adhibentur. Vide *Druſii* Obſervatt. III. 1. & Miſcellan. I. 21. *Gatackeri* Cinnum II. 20. & fuſiſſime *Vorſtium* de Hebraiſmis Part. II. p. 202. item *Guſſetum* in Lexico Hebr. radice אמן. Duplicem Hebraiſmum hic agnoſcit *Hackſpan.* in Notis p. 190. de quo & monuit *Vorſtius* l. c.

Verſ. 16. τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ) Nonnulli Codd. addunt Σίμωνος, quod & habent verſiones *Goth. Copt.* & *Moſcovit.* Merito autem pro ſcholio diſtinctionis gratia, ne ſcilicet frater ipſius Chriſti intelligeretur, addito habetur a *Millio* & *Mareſchallo* ad h. l. p. 414.

Verſ. 17. ποιήσω ὑμᾶς) *Goth.* vertit: *faciam vos duos:* vide *Mareſchallum* p. 414.

ἁλιεῖς) Atticos veteres ἁλιέας, mediæ autem ætatis contracta forma ἁλιεῖς dixiſſe, obſervat *Grævius* ad Solœciſt. Luciani Tom. II. p. 753. qui & *Leopardum* in Miſcell. videri jubet.

Verſ. 19. τὸν τοῦ Ζεβεδαίου) ſcilicet υἱόν. Ita Græci ſæpe: vide *Heupelii* Comm. ad h. l. p. 11.

Verſ. 19. καταρτίζοντας) communiter eo ſenſu accipitur, quem Latini per *ſarcire, reficere, reconcinnare*, exprimunt: *Elsnerus* vero ad h. l. p. 130. mavult ſimpliciter hic idem eſſe, quod *parare* ſeu *diſponere retia*, ut in mare mittantur: quemadmodum *Diodorus Sic.* lib. I. p. 105. καταρτίζειν νᾶυς *inſtruere naves* dixit. Et ſane Græci Auctores aliis verbis de reficiendis retibus uti ſolent. Ita *Heliodorus* Æthiop. V. p. 231. περισβύτην ἁλιευτικὸν ait δικτύῳ διερρωγότος βροχίδας ἀκεόμενον i. e. *retis lacerati nexus reficientem.* Sic *Menander* apud Euſtath. in Homer. f. 1647. 58. ἐξακεῖσθαί μοι δοκῶ τὸ δίκτυον h. e. *reſarcire mihi videor rete.* Loca hæc debes Cl. *Trillero*, in Notis MSS.

Verſ. 20. καὶ ἐυθέως) Vocem hanc non ad ἐκάλεσεν, ſed ad ἀπῆλθον referendam putat *Jo. Hogers* in epiſtola ad *Coccejum*, quæ legitur in hujus Opp. Poſthumis Tom. II. p. 739. In argumentum provocat ad v. 18. ac præterea affert ex profanis Scriptoribus nonnulla hujusmodi trajectionis exempla. Sed ad h. l. parum referre arbitror, cui verbo τὸ ἐυθέως jungatur; præterea vero nimis multa inter ἐυθέως & ἀπῆλθον interjiciuntur, quam ut ad poſterius illud commode referri poſſit. Denique non video, cur non τὸ ἐυθέως hic æque ad ἐκάλεσεν referri queat, atque v. 21. pertinet ad εἰσελθών. Facit tamen, ne quid diſſimulem, pro eo Codex *Leiceſtr.* & Int. *Armen.* qui teſte *Millio* legunt ἐυθὺς ἀφέντες, omiſſo ἐυθέως illo priori.

Verſ. 21. τοῖς σάββασιν) Hic vox τὰ σάββατα vel per enallagen pluralis pro ſingulari, quæ alias frequens eſt, ponitur, vel etiam indicat, Chriſtum ſingulis Sabbatis Synagogas adire conſueviſſe. Enallage illa utuntur Græci & Latini. Sic *Horatius* lib. II. Sat. 9. *triceſima Sabbata*, & *Joſephus* Antiquit. III. 20. ἑβδόμην ἡμέραν ſcribit, ἥτις σάββατα καλεῖται, nec minus *Philo* de Confuſione Linguarum. Confer *Relandi* Antiquitates p. 478. qui obſervat, nonnullos ſuſpicari, plurale σάββατα formatum eſſe ex eo, quod ſono conveniret cum שבתא. Mihi videtur hic innui conſuetudo Domini noſtri, ſingulis Sabbatis Synagogas adeundi, cum conſtet, eum Capernaumi inprimis verſatum eſſe, atque adeo occaſionem nactum verbum Dei prædicandi in Scholis, in quibus alias Moſes & Prophetæ κατὰ πᾶν σάββατον prælegebantur. Vide *Act.* XIII. 27. & XV. 21. Adſtipulatur huic ſententiæ verſio Syriaca. Confer *R. Simonis* notas.

ἐδίδασκε) Codex Bezæ addit αὐτὸς, quem ſequitur *Vulgatus*, item *Gothicus*: vide *Mareſchall.* p. 417. Obſſ. quemadmodum Lucas IV. 31. habet in loco huic parallelo; ἦν διδάσκων αὐτὸς, ex quo forte τὸ αὐτὸς huc translatum eſt.

Verſ. 22. ἐξεπλήσσοντο) nonnulli Codd. addunt πάντες, ex *Luca* iterum IV. 32.

ὡς ἐξουσίαν ἔχων) τὸ ὡς hic veritatem rei, non nudam ſpeciem infert, quemadmodum & alias: vide *Guſſetum* in Addendis ad Lexicon Hebraic.

braic. p. 929. ſub. כ. Ἐξουσία hic ſignificat non *nudam poteſtatem* docendi. Eam enim habebant & Scribæ: vide *Matth.* XXIII. 2. 3. Sed vim & efficaciam doctrinæ. Confer *Joh.* VII. 46. Hinc *Martianæus* in Conatibus verti vult: *in poteſtate erat ſermo ejus.* Ita enim *Lucas* IV. 32. Docebat ſcilicet Chriſtus intrepide ſine acceptione perſonarum, tanta dicendi majeſtate & perſpicuitate, tanta verborum ſimplicitate & gravitate, tanta denique ſpiritus efficacia, ut dicta in hominum pectoribus imprimeret. Confer *Lamii* Harmoniam p. 117. Non vero, ut Scribæ ſeu Legis periti, qui ad majorum ſuorum dicta tantum provocantes, & miraculis, & demonſtratione potentiæ ac ſpiritus deſtituebantur.

Verſ. 23. ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ) i. e. ἔχων δαιμόνιον ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, ut *Lucas* IV. 33. Τὸ ἐν hic notat *cum*, ut *Luc.* XIV. 31. ἐν δέκα χιλιάσιν, ubi ſtatim eodem commate τὸ ἐν permutatur cum μετά. Confer *Raphelii* notas Xenophonteas p. 66. Vel ellipſis quoque hic ſtatuenda eſt, quæ ſuppletur *Luc.* VII. 25. ubi pro eo, quod *Act.* I. 10. ſimpliciter legis ἄνδρες ἐν ἐσθῆτι λευκῇ, occurrit, ἄνθρωπος ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένος. Ita vero & profanos loqui, oſtendit *Hombergius* ad h. l. p. 83. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. affert hic *Hippocratis* epiſt. ad Cratevam, ubi Democritum ait ἐντὸς μανίης ἔοντα.

ἔα) Vulg. *ſine*, qui proinde pro Imperativo ex verbo ἐάω habuit. Atque eum ſecutus B. Lutherus vertit: Halt, quod ab Emſeri exceptionibus vindicat *Raithius* p. 366. Vindic. Verſ. German. Conf. in eandem ſententiam *Heupel.* ad h. l. Rectius forte habetur pro particula, animi motum indicante, qualis eſt Hebræorum אהה id eſt: *ah*, vel *vah!* Vide *Lamium* p. 118. *Caſaubonus* vocem ait eſſe tragicam, quam vix alibi in ſoluta oratione, quam Luc. IV. 34. legere ſe meminerit. Interim tamen bis occurrit apud *Arrianum*: vide *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 117. ubi & monet, eſſe exclamationem indignantis ſimul & dolentis.

Τί ἡμῖν καὶ σοί;) i. e. *quid nobis tecum eſt?* ut Scythæ apud *Curtium* VII. 8. & ſic Græci ſæpe, de quibus poſt *Er. Schmidium* Heupelius ad h. l. p. 14.

οἶδά σε) conjectabat hæc Satanas ex ſermone Jeſu, non certo ſciebat, judice *Lamio*, l. c. cui etiam ὁ ἅγιος cum emphaſi dici videtur, ut *ille ſanctus* intelligatur, de quo *Daniel* IX. 24. De phraſi ipſa, per antiptoſin poſita, pro: οἶδα τίς σὺ εἶ; lege *Heupelium*, & *Perizon.* ad Sanctii Minervam p. 204. ſimiles Latinorum phraſes afferentem.

Verſ. 25. καὶ ἐπετίμησεν) De ſilentio dæmonibus impoſito lege *Picinell.* in Luminibus Reflexis p. 639. ad h. l.

ἔξελθε ἐξ αὐτοῦ) addunt Codd. quidam πνεῦμα ἀκάθαρτον, quos ſequitur *Gothicus*: vide *Mareſchall.* p. 417. Deſumtum videtur ex alio Marci loco V. 8.

Verſ.

Vers. 26. καὶ σπαράξαν) Interpretes plerique: *& discerpens.* Cum vero Lucas in loco parallelo diserte testetur, dæmonium nullam homini noxam intulisse, *convulsionem* hic tantum & *commotionem* vehementiorem indicari post *Grotium, Heinsium, Hammondum* & *Lightfootum* observat *le Cene* in *Projet* p. 569. sq. Ita hoc verbo utuntur 61 LXX. & *Symmachus Jes.* LI. 17. & *Jer.* IV. 19. Græci alias idem adhibent, ubi de stomacho ad vomitum ciendo sermo est.

Vers. 27. καὶ ἐθαμβήθησαν) Gothicus: *& obstupefacti sunt omnes mirantes.* Vide ibi *Mareschallum* p. 417. qui p. 418. observat, eundem legisse in sequentibus πρὸς ἀυτὸς vel πρὸς ἑαυτὸς, *inter se invicem.*

τίς ἡ διδαχὴ ἡ καινὴ) qualis doctrina nova i. e. *insignis,* seu præstantissima, non talis, qualis erat Pharisæorum, traditionibus humanis referta, sed pura, & quæ aculeos in animis hominum relinqueret. Ita cum *Camerone* in Myrothecio, *Hackspanius* in notis ad h. l. p. 190. ad Hebraicam vocem חדש inprimis provocans, cujus hanc notionem frequenter esse evincit. Sed nullam puto causam esse, cur a communi *novitatis* significatu hic abeamus, cum omnino nova fuerit docendi ratio, Christo recepta & miraculo confirmata, ipsisque hactenus non visa. Contulerim hæc cum illis Judæorum vocibus ad Paulum *Actor.* XVII. 19. δυνάμεθα γνῶναι, τίς ἡ καινὴ αὕτη ἡ ὑπὸ σοῦ λαλουμένη διδαχή;

Vers. 28. Ἐξῆλθε ἡ ἀκοὴ ἀυτοῦ) Videri poterat, vox ἀκοὴ de præconio & doctrina ejus accipienda, quo sensu occurrit *Rom.* X. 17. Sed præstat interpretari de *fama*, quæ non solum de doctrina sed & miraculosa dæmonii expulsione percrebuerit: quo sensu quoque occurrit *Matth.* IV. 24. & XIV. 1. Hebræis שמועה eodem significatu usurpatur. Neque tamen propterea Hebraismum hic statuendum putem cum *Lamio* p. 118. & *Gussetio* in Lexico p. 869. qui hujus significatus in Hebr. voce idoneum exemplum primus sibi ex 2 *Sam.* IV. 4. exhibuisse videtur. Sane nec Scriptoribus pure Græcis *famæ* notionem obscuram esse, locis luculentis probavit *Alex. Morus* ad Jesaiæ LIII. p. 4. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 158. & *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. c. 3.

εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας) i. e. non: *in confinio Galilææ,* ut nonnulli; sed: *per totam Galilæam.* Ita enim hac voce περίχωρος utuntur LXX, ceu observavit *R. Simon* in notis.

Vers. 30. κατέκειτο) Verbum hoc de ægrotis decumbentibus sæpius apud τὸς ἔξω occurrit. Speciatim Hippocrates p. 1103. de febricitante ita: παρθένον, ἣ κατέκειτο ἐπὶ τῆς ἱερῆς ὁδὸ πυρετὸς καυσώδης ἔλαβε. Vide *Elsnerum* p. 130. Socrus Petri hic prima vice sanata est, de altera vero exponit Matthæus VIII. 14. Vide huc B. *Sandhagenii* epistolas Theolog. Decad. I. p. 8. sq. Conf. Decad. II. p. 85. sqq.

Vers.

Verſ. 31. ἤγειρεν) i. e. *ſanavit*. Ita Theophylactus: ἰᾶτο αὐτήν. Confer *Suicerum* Tom. I. p. 986.

Verſ. 32. ὀψίας) Erat ſcilicet Sabbatum, quo, niſi veſpera facta, onus portare non licebat Judæis, obſervante ad h. l. *Lamio*.

κακῶς ἔχοντας) i. e. *ægrotos*. Ita *Theophraſtus* Character. c. XIII. p. 64. *Arrianus*, & alii. Vide *Elsnerum* p. 131.

δαιμονιζομένους) Ex hoc inprimis loco, & aliis ejusmodi, *Marckius* in Exercitatt. Textualibus num. XXIX. p. 257. evincit, dæmoniacos, hic & alibi memoratos, vere a Satana obſeſſos fuiſſe. Qua quidem occaſione voces δαίμων & δαιμόνιον ex Scriptis N. T. Helleniſtis item, & profanis Scriptoribus, fuſe & diligenter exponit, nec cetera omittit præſidia, quorum in hac cauſa uſus eſſe poſſit.

Verſ. 35. εἰς ἔρημον τόπον) Deſertum hoc videtur Capernaumo proximum fuiſſe, adeoque diverſum ab eo, quod erat ultra lacum, monente hic *Lamio* p. 157. Ad hoc comma de utilitate ſolitudinis ex profanis Scriptoribus commentatur *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 639.

Verſ. 36. κατεδίωξαν) Eodem verbo utitur *Thucydid.* lib. I. p. 34. ſed in ſenſu ſequiori, qui hic non obtinet.

Verſ. 37. ὅτι πάντες ζ. σ.) Τὸ ὅτι hic ut & v. 40. paſſimque alibi, redundat, monente recte *Hackſpanio* p. 192. Notarum, qui tamen non æque recte pleonaſmum hunc ex Hebraiſmo, ubi τῷ כי idem uſu venit, repetit, cum & Græcis Scriptoribus idem frequentetur. Vide *Lamb. Bos* ad N. T. p. 23. Abundat inprimis in initiis narrationum, v. c. apud *Ælianum* in Variis Hiſt. paſſim. Conf. idem *Bos* de Ellipſi p. 262. & *Devarius* de Particulis ſub ὅτι.

Verſ. 38. εἰς τὰς ἐχομένας κωμοπόλεις) nonnulli Codd. & verſiones εἰς τὰς ἐγγὺς κώμας καὶ εἰς τὰς πόλεις, quæ mutatio explicationi inſervire debebat. Vide *Mareſchallum* p. 418. qui etiam obſervat, vocem Hebr. אחר pro diverſitate punctorum nunc inferre *alium*, nunc *poſt* ſeu *ſequens*, cui tunc apud LXX. Intt. v. c. *Geneſ.* XLI. 23. & Pſ. LXXVIII. vel LXXVII. 26. reſpondeat ἐχόμενος. Scilicet τὸ ἐχόμενος ſignificat hic *propinquum*, *vicinum*, *cohærens*, non tamen ex Hebraiſmo, ceu Hammondo viſum eſt. Nam & profani Scriptores ita loquuntur. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 131. & *Raphelium* in notis Polybianis p. 118. qui oſtendunt, *Arriano* & *Polybio* eodem ſignificatu venire. *Ariſtoteli* quoque eadem notione frequentari evicit *Hombergius* p. 48. De voce κωμόπολις, quæ h. l tantum occurrit, vide *Grotium* ad h. l. & *Vitringæ* in eum animadverſiones, quas habes in Tract. ejus de decem O-

tiosis p. 228. sq. ubi inter alia tradit, κωμόπολιν respondere Hebræo כפר, *Lightfootum* vero confutat, qui confert cum Hebr. עירות.

Vers. 39. εἰς ὅλην τ. Γαλιλ.) i. e. ἐν ὅλῃ. Ita etiam profani, vide *Hombergium* p. 84.

Vers. 40. παρακαλῶν αὐτὸν καὶ γονυπετῶν) Vide huc *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 581.

Vers. 41. τὴν χεῖρα) Codd. nonnulli addunt αὐτῦ, præter rem. Eos sequuntur *Goth.* Vulg. & Orientales. Vide *Mareschallum* p. 418.

Vers. 43. ἐμβριμησάμενος) i. e. ut *Suidas* exponit: μετ' ὀργῆς ἐλάλησεν, μετ' αὐστηρότητος ἐπετίμησε i. e. *cum ira locutus est, austere & severe increpavit.* Confer *Elsnerum* ad h. l. p. 132. qui addit, *Lucianum* p. 317. Necromant. eodem verbo, sed alia significatione, uti. Vide etiam *Heinsium* in Aristarcho p. 915. sq. *Spanhem.* ad Callimachum p. 363. Confer *Suiceri* Thesaur. Tom. I. p. 1099.

Vers. 45. διαφημίζειν τὸν λόγον) λόγος hic usurpari videtur de re ipsa & miraculosa sanatione *Pfochenio* de Stylo N. T. §. 54. qui, significatum hunc etiam profanis Scriptoribus non ignotum fuisse, ibidem probare contendit. Malim equidem cum iis facere, qui ex Hebræo דבר repetunt, quod & *sermonem* & *rem* denotat. Loca enim *Platonis* & *Euripidis* l. c. allata id non probant, quod debent. Fortasse tamen & communis significatus *sermonis* hic locum tueri potest, si ita capias, quod leprosus ille *multa prædicarit*, (κηρύσσειν πολλὰ) atque hoc ipso effecerit, ut sermones sui ad multorum aures pervenirent.

CAP. II.

Vers. 1. δι' ἡμερῶν) Τὸ διὰ hic denotat *post*, ut *Actor.* XXIV. 17. & apud *Aristoph.* in Pluto Act. IV. Sc. 5. monente *Bos* in Exercitatt. ad h. l. p. 14. qui præterea addit, subintelligendum hic τινῶν, ut *aliquot dies* interceſſiſſe credantur. Utrumque monuerat ante *Grotius* & diligentius *Boisius* in Collatione Vulg. & ceterorum Intt. p. 103. postea autem confirmarunt *Hackspanius* p. 192. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 66. *Heupelius* in Comment. ad h. l. & *Elsnerus* ad h. l. p. 132. Cl. *Schœtgenius* ad L. Bos de Ellipsi p. 50. subintelligi vult διελθόσων τινων provocans ad 2 Maccab. I. 20. ubi legitur: διελθόντων ἐτῶν ἱκανῶν. At idem valet τὸ διὰ apud Marcum, quod διελθόντων in loco Maccabæorum. Millius ad h. l. observat, Codices quosdam Latinos *octo* dies hic memorare, quos tamen ibidem recte rejicit, in Prolegomenis autem §. 413. probat, hac addita ratione; Græce Marcum scripsisse δι' ἡ ἡμερῶν, atque hinc Scribas, existimantes literam ἡ ex errore geminatam, istam numeri notam omisisse. Objectum a

Boisio

Boiſio eſt l. c. Græcos numeralem notam ἡ nomini temporis poſtponere ſolere, ut ſcribendum fuiſſet δι' ἡμερῶν ἡ i. e. ἑπτὰ, qua ratione omiſſio illius non tam facile contingere potuerit. Sed recte reſpondit *Elsnerus*, duplicem notas numerales collocandi rationem obtinere, ita ut nunc ante, nunc poſt nomen, tempus deſignans, occurrat. Vide v. c. *Marc.* XIV. 58. & *Ælian.* XIV. 7. Interim veriſimilius eſt, Interpretes Latinos, intelligentes aliquot dies interceſſiſſe, ex ingenio magis, quam certa quadam occaſione, numerum hunc addidiſſe. Inconſtantia *Millii* in hoc negotio notata eſt a *Whitbio* p. 91.

ἐις ὄικον) i. e. ἐν ὄικῳ. Scilicet ἐις & ἐν ſecum invicem permutantur. Vide *Hackſpan.* l. c. p. 193. & *Raphelium* in Notis Polybian. p. 118. item Xenophonteis p. 6. ubi Atticos ita loqui oſtendit. Ὄικον domum illam præter uſum privatæ habitationis deſtinatam fuiſſe τῇ κατ' ὄικον ἐκκλησίᾳ ſuſpicatur *Cloppenburgius* Tom. II. Opp. p. 352. quia ſcilicet Scribæ ibi v. 6. ſediſſe dicantur. Conf. 1 *Cor.* XVI. 19. & *Coloſſ.* IV. 15. Conſentit ibidem *Lud. de Dieu*, & talem ait fuiſſe domum, quam Hebræi בית הכנסת aut בית מורש appellare ſoleant.

Verſ. 2. Καὶ ἐυθέως) Adjectam putat hanc vocem *Millius*, quod in nonnullis Codd. MSS. deſit, nec ulla alioquin eam omittendi cauſa librariis ſubnata fuerit. At, qui meminerit, Marco hanc vocem ἐυθέως adeo familiarem eſſe, ut vel in I. capite ſæpiſſime occurrat, non facile ſibi perſuadebit, in univerſali inprimis tot Codd. ſi pauciſſimos exceperis, conſenſu, ut additamentum hic eſſe credat.

τὰ πρὸς τὴν θύραν) ſubintellige χωρία vel μέρη, & ſic idem h. l. ſignificatur, quod Græci alias dicunt πρόθυρον ſive *veſtibulum*. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 133. & *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 67.

χωρεῖν idem hic eſt, quod *capere*. Vide *Elsnerum* l. c. & *Perizon.* ad Ælian. l. 3.

τὸν λόγον) i. e. ſermonem Evangelii: *Boiſius* in Collat.

Verſ. 3. Φέροντες) verbum hoc manifeſte h. l. *portandi* habet notionem, quod contra Photinianos hic obſervat *Hackſpanius* p. 193.

Verſ. 4. ἀπεξέγασαν τὴν στέγην) *Beza*: detexerunt tabulatum: vel rectius, judice *Elsnero*, *demoliti ſunt tectum*: qua notione eo verbo utitur *Strabo* lib. IV. p. 304. quod & confirmat τὸ ἐξορύξαντες, quod ſtatim ſequitur: ut proinde ſenſus ſit, *eos demolitos eſſe tectum erutisque tegulis demiſiſſe ægrotum*. In eandem ſententiam de hoc loco diſſerit etiam *Hombergius* p. 85. cui itidem dubium videtur, quo pertineat τὸ ἐξορύξαντες, cum vel de ipſo tecto, vel de contignatione quadam, vel tabulato inferiori, accipi poſſit.

χαλῶσι τὸν κράββατον) *Goth.* funibus ligabant lectum ac demittebant:

quam periphrasin pluribus enarratam a Persico Interprete in Bibliis Polygl. atque graphice depictam in Evangeliis Romæ Arab. impressis, conspicere jubet *Maresschallus* p. 419. Confer de emphasi verbi καλῶν *Act.* IX. 25. 2 *Cor.* XI. 33. & *Actor.* XXVII. 30. κράββατον lectum esse pauperum monet *Cappell.* in Observatt. Sacr. p. 53. Pro voce minus pura, & cum σκίμπες permutanda habet *Salmasius* de Lingua Hellenist. p. 99. Confer *Olearium* de Stylo N. T. p. 284. a quo tamen in notis dissentit *Schwarzius* provocans ad *Pollucem.* X. 7. Triphyllius in Synodo Leucosienſi, hunc Marci locum citans, pro voce κράββατον substituit σκίμποδας, reprehensus ideo graviter a Spyridione, qua de re vide Vitam Spyridionis ab *Urbano Gothofr. Sibero* descriptam p. 53. De eadem voce & derivatis ejus exponit *Cotelerius* ad Tom. III. Monument. Græc. p. 619. Hebraicam origine esse, & a קרב derivandam credit *Hemsterhuisius* ad Pollucem p. 1182.

Vers. 12. καὶ ἠγέρθη εὐθέως) Referam huc, quæ in singulari libro Gallice scripto de sanatione miraculosa *Mariæ Maillard*, quæ fere inde a nativitate sua clauda fuerat, narrantur. Illa certo die arripit Novum Testamentum, in quo legens Marci caput II. mirata incredulitatem Judæorum, *si idem hodie contingeret*, inquit ad heram, loquens de sanato paralytico, *ego illuc advolavero, idemque credidero.* Vix effata hæc, facibus dolorum accensis, cogitur crus extendere, ac retractura pedem sentit crepitare os, crus sponte extendi, situm pedis & genu reddi naturalem, cessare dolorem, unaque audire sibi videtur vocem: *sanata es.* Hinc progredi facile novit, pede sinistro non minus, quam dextro, rite conformato, utut aliqua adhuc cum debilitate. Vide Acta Eruditorum Lipsiens. 1695. p. 81.

καὶ δοξάζειν τὸν Θεὸν) *Goth.* periphrastice ita vertit: *& exaltabant magnificantes Deum, dicentes, quod nunquam sic vidissent.* Vide *Maresschall.* p. 419.

οὐδέποτε οὕτως εἴδομεν) i. e. *nunquam tale quidquam vidimus. Boisius* in Collat. ad h. l.

Vers. 14. εἶδε Λευὶν τὸν τοῦ Ἁλφαίου) Nonnulli Codd. & cum iis *Victor Antiochenus* in suis ad Marcum commentariis ineditis, citatus inter ceteros a *Cotelerio* ad Constit. Apostol. T. I. p. 409. & *Millio*, legunt, εἶδε Ἰάκωβον τὸν τοῦ Α. Sed hæc lectio plurium Codicum, vulgatam tenentium, auctoritate facile convellitur. Per *Levi* istum, Alphæi filium, Matthæum hic indicari, communis Interpretum fert sententia, quæ & in Constitutt. Apostol. VIII. 22. traditur, ideo scilicet, quod *Matthæus* c. IX. v. 9. sqq. eandem historiam, memoratis fere iisdem circumstantiis, referat. Addunt iidem, Marcum & Lucam veteri quadam denominatione Matthæi nomen obtegere voluisse, Matthæum autem ea, quæ ad se pertinebant, enunciaturum manifestasse vulnus

vulnus ſuum, genuinum nomen ſuum proferendo. Ita Victor Antiochenus apud *Cotelerium* l. c. Confer *Lamium* p. 170. Fuerunt tamen, qui ab hac ſententia recederent, *Levin* a *Matthæo* diſtinguendum eſſe cenſentes, quos memoratos vide a *Theodoro Haſæo* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. V. Faſcic. III. p. 475. ſqq. Atque is ipſe, ab iſtis non diſſentiens, non Matthæum, ſed alium Apoſtolum, *Judam* ſcilicet *Thaddæum*, qui alias dictus eſt *Lebbæus*, hic intelligi perſuaſus eſt. Rationes ita ſentiendi has affert p. 484. ſqq. D. Matthæum ait nunquam mentionem facere τῦ Λευὶ, meminiſſe autem Judæ τῦ λεββαίε, ex adverſo autem, Marcum pariter & Lucam mentionem facere τῦ λευὶ, nunquam autem τῦ λεββαίε. Hinc conjicit, quod, quem Matthæus vocet λεββαῖον, non alius ſit ab illo, quem reliqui vocant λευὶ vel λεβὶ. Addit, Levin ſuum Marcum II. 14. appellare τὸν τῦ Ἀλφαίε. Fuiſſe itaque hunc Levin unum ex Alphæi ſ. Cleophæ filiis, qui dicebantur Domini fratres. Debuiſſe igitur unum ex his quatuor eſſe, quos *Matth.* XIII. 55. & *Marc.* VI. 3. ut tales recenſeant, vel *Jacobum*, vel *Joſen*, vel *Simonem*, vel *Judam*. Ex his autem in *Judam* tantum nomen hoc quadrare, cum *Matth.* X. 3. eum λεββαῖον appellans, medium locum inter Jacobum & Simonem, Alphæi ſobolem, ipſi adſignet. Pro eadem ſententia ipſam nominis *Levi* rationem & etymologiam pugnare idem arbitratur. Hoc enim eſſe idem cum *Levi*, quo Patriarchæ Jacobi filius olim ſit inſignitus Ex Λευὶ autem facile fieri Λεββαῖος, quia τὸ υ ut Latinum v vel f, ſive ut digamma Æolicum pronunciandum perſæpe cum litera B permutari Hebræorum, Græcorum & Latinorum exemplis, cumulate ibidem allatis, pateat. Itaque ex לוי λευὶ, λεβὶ, λεβαῖος ac denique λεββαῖος natum putat. Provocat quoque ad *Theodoretum* Qu. XVI. in Numeros, in edit. prima Græca, Pariſ. 1558. ita ſcribentem: Θαδδαῖος ὁ καὶ λεβὶ. Amplexus eſt eandem ſententiam, & ex *Heſychii* Gloſſario voce Ἰάκωβος Ἀλφαίε, ὁ καὶ Θαδδαῖος καὶ λευὶ confirmari poſſe putat Cl. *Jo. Chriſt. Biel* in eadem Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 1038. ſq. Et ita quidem hæc comparata ſunt, ut conſideratione digna merito habeantur, qua tamen nos quidem in præſentia defungi non poſſumus.

Verſ. 15. ἐν τῷ κατακεῖσθαι) i. e. *cum decumberet cibi capiendi cauſa*, ut apud *Theophraſtum* Character. c. 21. p. 88. Confer *Elsnerum* p. 135.

καὶ ἁμαρτωλοὶ) ex v. 16. huc transſumtum ſuſpicatur *Millius*, eo quod in *Saxon.* & *Armenic.* deeſt. Sed major nobis eſſe debet univerſalis Græcorum Codd. conſenſus.

Verſ. 16. καὶ τίνες) Addunt Codd. nonnulli Græci ὁ διδάσκαλος ἡμῶν, quibus & accedunt verſiones quædam. V. *Millium* & *Lindan.* de optimo genere interpretandi lib. II. c. 4. p. 71. Exprimit & *Rich. Simon* in verſione ſua Gall. Mihi non dubium eſt, gloſſema eſſe ad marginem olim ſcriptum,

cum ſeries ſermonis de Chriſto doctore hic per ſe cogitare jubeat, cujus diſcipulos Marcus teſtatur eſſe interrogatos.

Verſ. 17. καλέσαι δικαίους) Juſti h. l. dicuntur, non qui tales erant, ſed qui tales haberi volebant. Vide *Hackſpan.* p. 194. ad h. l. Adde &: qui tales ſibi & aliis ſimplicioribus videbantur.

εἰς μετάνοιαν) Omittitur in nonnullis Codd. & verſionibus. Vid. Mill. & *Mareſchallum* p. 419. item *Lindanum* l. c. p. 69. Nolim tamen habere pro gloſſemate cum aliis, de quibus ad *Matth.* IX. 13.

Verſ. 18. De varietate, quæ hic intercedit inter diverſos Evangeliſtas, facile concilianda vide *Mareſchall.* p. 419.

Verſ. 19. μὴ δύνανται) i. e. non decet, non convenit. Vid. *Suiceri* Theſaur. Tom I. p. 963.

υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος) *Martianæus* in Conatibus ſuis p. 182. vertit: *ceux, qui ſont du feſtin des noces, & qui paſſent avec l'Epoux tous les jours deſtinez a la noce.* Scilicet per filios thalami hic indicantur paranymphi, qui ſponſum in thalamum deducebant, dicti ideo filii nuptiarum, ſicut accolæ maris dicuntur *filii maris* Hoſ. X. 11. Confer *Seldenum* de Uxore Hebr. p. 188. & 202. *Hammondum* ad h. l. *Lightfootum* item, *Amelium* Part. I. p. 108. & 588. & *Lamium* p. 171. Atque id quidem malim, quam cum *Roa* de ſervis interpretari, qui id ex ſerie ſermonis elucere opinatur. Vide Singularia ejus p. 218. In poſteriori commate hic voces υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος repeti ἀπὸ κοινοῦ debere, ſtatuitur in Bibl. Bremenſi Claſſ. II. p. 994.

Verſ. 21. De varietate Codd. circa hoc comma, ſed ea, quæ nullius eſt momenti, vide *Mareſchall.* p. 420.

ἐπιβέβηκε) *aſſuit*, Vulg. adſtruente *Boiſio* in Collatione ad h. l.

ἄιρει) addit hic *Beza* ἀπό, notatus ideo a *Morino* p. 44. Exercitatt. Habent id Codd. nonnulli, ſed præter neceſſitatem.

Verſ. 22. εἰς ἀσκούς) Vocem iſtam h. l. de *utribus* ſive pellibus proprie accipi debere, non autem de vaſibus, oſtendit *Martianæus* in Conatibus p. 185. ſq. In utres enim tantum ea, quæ Servator affert, cadere, moremque hic indicatum in Gallia adhuc obtinere. Lege quoque huc *Vogler.* de rebus naturalibus p. 311. & *Suiceri* Theſaur. Tom. II. p. 549.

Verſ. 23. ἤρξαντο ποιεῖν) i. e. ἐποίουν, *facicbant iter.* Τὸ ἤρξαντο enim hic ut & alibi, ut c. VI. 7. 34. & 55. πλεονάζει, quemadmodum & apud τοὺς ἔξω. Vide *Elsnerum* p. 135.

τίλλοντες τοὺς στάχυας) vertendum eſt, & vellebant ſpicas, prout *Lucas* habet VI. 1. Regitur a verbo ποιεῖν, non vero ab ἤρξαντο, quod *Hammondus* exiſti-

existimat. Similis loquendi ratio occurrit *Marc.* XI. 5. & *Act.* XXI. 13. Vid. idem *Elsnerus*. Beza permutatam verborum collocationem hic observat, cum planius dicatur: *iter faciendo vellere spicas:* quam: *iter facere vellendo spicas.* Similis tamen syntaxis commutati verbi & participii exstat apud *Polybium*, monente *Raphelio* in Notis Polybian. p. 118. Ὁδὸν ποιεῖν perperam pro Latinismo habitum est a nonnullis. Eadem enim phrasi utitur *Josephus* III. 4. Antt. Judaic. monente *Wokenio* de usu Flavii Josephi in V. & N. T. p. 10.

Vers. 26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ Ἀρχιερέως) deest in uno *Cantabrig.* atque hujus auctoritate Beza id ex albo, ubi male fuerit annotatum, putat irrepsisse, non repugnante *Morino* in Exercitatt. Biblicis de textus sinceritate p. 42. At cum veteres quoque Interpretes hic locus torserit, & Syrus, vetustissimus Interpres, agnoscat, nec ullus Codex præterea adstipuletur, temerarium fuerit dicere, antiquissimum hic mendum esse, & magis omnino verisimile, quod audaculus aliquis, cui hæc historiæ minus consentanea videbantur, ea expunxerit. Conf. *Millium* in Prolegom. n. 1323. Opera itaque danda est, ut locus hic cum 1 *Sam.* XXI. 2. concilietur. Ibi enim pro *Abjathare*, ejus pater *Ahimelech* nominatur. Alii nihil hic definiunt, ut *Lamius* in Harmonia p. 214. Alii τὸ ἐπὶ hic vertendum ita putant, ut non denotet, quod Latini dicunt: *sub Abjathare pontifice;* sed ut innuat tempus proxime futurum, atque adeo sensus sit, eo tempore id contigisse, quod proxime secutus est Abiatharis Pontificatum; quemadmodum *Matth.* I. 11. ἐπὶ τῆς μετοικεσίας non notat transportationis ipsius tempus, sed illud, quod eam proxime anteceſſit. Ita *Hammondus*, quem deserens *Clericus*, τὸ ἐπὶ hic vertendum potius censet per *ad*, hoc sensu, quod David adierit *domum Dei*; i. e. in ædes Pontificis Maximi, ad tabernaculum sitas, quas non solum *Abimelech*, sed & *Abjathar* filius ejus habitarit. Hunc autem præ *Achimelecho*, tunc revera Pontifice Maximo, nominari, quia ex historia sacra notior fuerit. Præterea vero Christum hoc sibi velle, iviſſe Davidem ad Abjatharem, qui fuerit Pontif. Maximus aliquando, non qui eo tempore, de quo hic sermo est. At recte jam observavit *Elsnerus* ad h. l. p. 136. sibi non constare, an εἰσέρχεσθαι εἰς οἰκίαν ἐπί τινος significare soleat *ingredi in domum ad aliquem*, cum τὸ ἐπὶ quartum potius casum tunc postulet. Cumque idonea causa reddi non possit, cur tempus, quo hæc res accidit, tam vage hic commemoretur, ut τὸ ἐπὶ magis ad Abjatharem, quam Ahimelechum respicere cum Hammondo dicamus, præstat τῷ ἐπὶ communem suum significatum relinquere, ut tempus, quo Abjathar Pontifex fuit, intelligatur, sicut *Luc.* III. 2. dicitur: ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα. Confer *Elsnerum* l. c. & *Raphelium* in notis ad *Luc.* IV. 27. His præstructis, alii nomen *Abjatharis* & *Achimelechi* pro eodem habent, & contendunt, utrumque in Patre & filio designando promiscue fuisse adhibitum. Ita inter ceteros *Hillerus* p. 731. Onomastici Sacri. Sed id quidem cum *Grotio* fateor

fateor, me nondum satis probatum vidisse. Itaque restat, ut eodem tempore binos fuisse Pontifices, *Achimelechum* scilicet Patrem, & *Abjatharem* instar vicarii, & paulo post Successoris statuamus. Hunc autem ut ex historia sacra notiorem, ceu post Grotium *Clericus* observavit, præ Patre nominari credi-derim. Atque ita fere statuunt ex nostratibus B. *Calovius* in Bibl. Illustratis & *Heupelius* ad h. l. p. 35. ex Pontificiis *Possinus* in Spicilegio p. 5. & noviſſime *Harduinus* in Opp. Selectis p. 531. ex Anglis *Rich. Kidderus* in Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 188. sqq. Illustrat rem amplius *Gussetus* contra *Chissuck Emuna* p. 332. summum Abjatharis Pontificatum hic innui censens, sed Patre ejus adhuc superstite, qui panes sacros, e mensa aurea remotos, tractarit vel tanquam veteranus Pontifex, vel tanquam filii Collega. Binos enim ἀρχιερεῖς memorari in Scriptura, ut 2 *Sam.* VIII. 17. XV. 29. & 1 *Chronic.* XXIV. 2. 3. Abjatharem addit consecrari potuisse anno vitæ suæ saltem trigesimo, patris autem quinquagesimo peracto: atque eum vere consecratum fuisse, patere ex usu Urim & Tummim, 1 *Sam.* XIX. 9. sine interposita post hunc actum consecratione, legitime ac Deo probante susceptam. Denique, ita pergit, nec historia Samuelis illud fuisse Abjatharis tempus, nec Marcus datos ab Ahimelecho panes negat: nec hæc duo ἀσύτατα sunt, tempus fuisse illius, puta de ἀρχιερωσύνη intellectum, & hunc panes dedisse. Dignus quoque est, qui, in summa causæ consentiens nobiscum, conferatur *Surenhusius* in Βίβλῳ καταλλαγῆς p. 290. sqq. qui præterea illarum varietatum, quæ inter Matthæum & Marcum hic intercedunt, rationem reddit. *Guil. Whistonus* in singulari dissert. quam *Conatui in Apocalypsin* subjunxit, ostendere conatur, *Abjatharem* vere eo tempore, quo ista accidisse narrantur, Pontificatu functum esse. Sed illa quidem nunc ad manus non est.

ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι) opponit hic nonnulla ad Evangelistæ fidem dubiam reddendam auctor *Chissuck Emuna*, ipsum simul Davidem simulationis subleſtæ insimulans. Sed vide *Gussetum* l. c.

Vers. 27. τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον) i. e. *in hominis usum & commodum*: vide *Spencerum* de Legibus Hebr. ritualibus p. 119. ubi & loca Patrum nonnullorum huc pertinentia. Similia *Maimonidæ* & aliorum dicta affert *Danzius* in Disputat. de curatione Christi Sabbatica p. 31. sqq. ubi & varia ex Doctorum Judaicorum scriptis recitat, quæ Sabbato fieri permiserint. Quomodo ex hoc & sequenti commate *Altingius* efficere conetur, Sabbatum post lapsum demum institutum esse, apud ipsum legi velim, Tom. V. Opp. p. 9. ubi de Sabbato.

Vers. 28. ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου) Grotius υἱὸν ἀνθρώπου non de Christo, sed homine quocunque hic interpretatur: sed vide *Olearii* Observatt. ad Matthæum p. 375. qui nexum verborum Christi ita proponit: *præterea homo non conditus est Sabbati causa, sed usibus humanis conditum Sabbatum est. Domi-*

Dominus vero & judex tum sabbati tum hominis, filius est, cujus est & sabbati tueri honorem, & de hominis usu, recte vel secus se habente, auctoritate judicis decernere. Hominem quemcunque hic innui, statuit etiam *le Cene* in Projet p. 744. Conf. supra ad *Matth.* XII. 8.

CAP. III.

VErs. 1. De hoc paralyseos genere vide differentem *Wedelium* Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. I. Dec. VIII. Exerc. III. p. 25. sq.

Vers. 2. παρετήρουν) Verbum hoc generatim notat *servare* & *observare*, *Act.* IX. 24. speciatim vero *clam & insidiose observare, quid alter agat*, ex eoque nocendi tempus captare, ut h. l. & *Luc.* VI. 7. alibique frequenter. Hæc notio *Polybio* familiaris fuit. Vide *Raphelii* notas Polyb. p. 119.

Vers. 3. ἔγειραι εἰς τὸ μέσον) i. e. ἐγειράμενος ἐλθὲ εἰς τὸ μέσον, *surge & prodi.* Conf. *Heupelium* ad h. l.

Vers. 5. συλλυπούμενος) i. e. *dolens*, simplex enim ponitur hic pro composito. V. *Boisius* in Collat. p. 105.

πωρώσει) *Castalio* verterat per *torporem animi*, quo nomine reprehensus a *Beza*, deinde reddidit: *callum.* Vide *Castell.* Defensionem p. 437. De voce πώρωσις ex Patrum scriptis huc differit *Suicerus* Tom. I. p. 897. Adscribuntur hic Christo *tristitia* & *ira*, quod posterius notatu dignissimum censet *Vitringa*, quia nullus affectus ira vehementior est. Vide ejus Observ. Sacr. III. 11. p. 164.

ἀπεκατεστάθη) verbum hoc generatim significat *in pristinum statum restitui*, speciatim vero *sanitati*, & adhibetur de membris, pristinæ valetudini redditis. Conf. *Marc.* VIII. 25. Ita & profani scriptores. Vid. *Elsnerum* p. 137.

Vers. 8. πέραν τοῦ Ἰορδάνου) hic denotatur omnis regio trans Jordanem, non illa sola, quæ *Peræa* Josepho dicitur. Probat id ex hoc inprimis loco *Relandus* in Palæstina Sacra p. 198.

Vers. 9. προσκαρτερῇ) i. e. *semper & assidue adesset. Boisius* in Collat. p. 105.

Vers. 10. ὥστε ἐπιπίπτειν αὐτῷ) *Hammondus* ad h. l. τὸ ἐπιπίπτειν idem putat cum τῷ προσπίπτειν v. 11. quod tamen omnino diversum est. Prius enim dicitur de multitudine hominum certatim incurrentium & irruentium in aliquem, quem videre aut tangere gestiunt. Vide *Bos* Exercitatt. ad h. l. p. 15.

Vers. 11. προσέπιπτον αὐτῷ) προσπίπτειν est *accidere ad genua* aut *pedes*,

ſupplicum more, ut apud *Plutarchum* Ageſilao p. 597. & alios. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 137. Idem recte vult ſubintelligi πρὸς πόδας, ut *Marc.* VII. 25. aut τοῖς γόνασι, ut *Luc.* V. 8. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 120.

Verſ. 12. πολλὰ ἐπετίμα) πολλὰ Adverbialiter pro πολύ. Vide *Raphelium* l. c. p. 120.

Verſ. 13. ἓς ἤθελεν αὐτὸς) id de diſcipulis tantum accipiendum eſt: populus enim in planitie erat relictus.

Verſ. 14. ἐποίησε) *Boiſius* totum comma hoc, & ſequens, ita verti vult in Collat. p. 106. *& fecit, ut duodecim ſecum eſſent, & quos mitteret tum ad prædicandum, tum poteſtate inſtructos ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.* Malim ego, quod ipſe paulo poſt addit: *& conſtituit duodecim, qui ſecum eſſent &c.* Ita enim verbum ποιῶ frequenter uſurpatur in ſacris literis utriusque fœderis. Vide *Hackſpan.* Notas p. 195. Nec ignorant hunc vocis uſum profani Scriptores. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 138. & *Grævium* ad Heſiodi Ἔργα v. 602.

Verſ. 16. καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι) Codd. nonnulli, ſed perpauci, habent πρῶτον Σίμωνα, ſcilicet conſtituit, καὶ ἐπέθ. &c. Vide *Millium* & *Eraſmum*, qui id ex Matthæo deſumtum putant. Viciſſim *Beza* germanam hanc habuit lectionem, eamque in verſione expreſſit, repugnantibus recte *Jo. Boiſio* in Collatione p. 106. & R. *Simone* de Verſion. N. T. p. 301. ſq. & 422. ſq. ubi priore loco contra *Bezam*, poſteriore contra auctores verſionis Gallicæ Montenſis, qui ejus exemplum ſecuti ſunt, diſputat. Boiſio l. c. ſimpliciſſimum merito videtur, cum vetere Interprete optimorum exemplarium fidem ſequi, & numero majorum. Confer *Hackſpan.* ad h. l. p. 196. contra Pontificios quosdam, ex ſubleſta hac lectione primatum Petri defendentes. Idem recte *Stapletonum* confutat, Simonis nomen ex שמן i. e. *pinguedo* derivantem, quod *audientem* potius ab שמע infert. De *Petri* nomine diximus ad *Matth.* X.

Verſ. 17. Βοανεργὲς) Hieron. in Daniel. I. emendatius legi putat *Benereem*, quem ſecutus *Druſius* derivat ex בני & רעם i. e. *tonitru.* Et ſic quoque B. *Lutherus* exprimit per *Bnehargem.* Cum vero Βοανεργὲς in omnibus Codd. legatur, *Grotius* & cum eo *Pfeiferus* in Locis Ebraic. & Exotic. p. 482. Opp. Philolog. in eo acquieſcendum recte putant. Sed & de illius nominis origine eruditi diſputant. Alii enim רעש i. e. *commotio*, quæ vox eſt apud *Haggæum* cap. II. 7. cum *Grotio* & *Hammondo* ad h. l. derivant: alii ex רגש voce Chaldæo-Syriaca, quæ *fragorem* tonitru ſimilem denotat, & Græco ῥηγὲς proxime accedit, deducunt, quæ ſententia eſt *Pfeiferi* l. c. & *Vorſtii* Philolog. S. P. II. p. 50. ſq. qui fuſe de hoc nomine differit. Atque hæc quidem ſe probabit illi, qui meminerit, Chriſti ætate dialectum non pure Hebræam, ſed Chaldæo-Syriacam, vel ſimilem mixtam, obtinuiſſe. Nec mirum, τὸ בני per

Βοανὲ

Βοανὲ expreſſum, cum vaga admodum ſit & inconſtans τῆ ſcheva pronunciatio, ceu oſtendit *Montfauconius* in Diſſertatione, de veteri literarum & vocalium Hebraic. pronunciatione, quæ Tomo II. Hexapl. Origenis p. 394. ſqq. exſtat. Conf. Biblioth. meam Hebr. Tom. II. p. 653. ſq. Nonnulli liberam relinquunt optionem, utrum בני רעש an בני רגש dicti ſint. V. *Lamium* in Harmonia p. 121. & *Poſſinum* in Spicileg. p. 34. Nova eſt Anonymi ſub litera P. latentis ſententia, quo judice vox hæc, ex tribus Hebraicis, nempe בן *filius* הרג *occidere* & אש *ignis*, conflata credi debet, atque ita denique efferenda בני הרג אש i. e. *Bne harag eſch.* Atque hanc ſignificare vult *filios interficiens igne* i. e. *tonitru.* Conf. Nova Literar. Lipſienſ. an. 1720. p. 720. Sed merito eam etymologiam explodit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. tanquam talem, cujus compoſitio ſit inſolens, quæque præterea obſcuritatem potius quam lucem rei inferat. Quæ Judæi in iſta nominis *Βοανεργὲς* forma cavillantur, ea retundit *Oſtermannus* in Poſitionibus Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 12. oſtendens exemplis Rabbinicis, nomina peregrina, in alias linguas translata, mire ſolere immutari.

Quæritur denique, quid hoc nomine Chriſtus indicare voluerit? *Hammondus* ad h. l. innui putat, fratres hos fore præcipuos miniſtros Evangelii, quod *Hebr.* XII. 26. *φωνὴ τὴν γῆν σαλεύσασα* ex Hagg. II. 7. vocetur. Cum eo facit *Amelius* Tom. II. p. 788. Confer & *Allixii* Conſiderat. librorum Script. Sacræ Part. II. p. 257. Aliis vero rectius facultas quædam & efficacia ſingularis eloquentiæ, in utroque futura, indicari putatur, quam in rem digna eſt, quæ legatur ſingularis Rev. *Mart. Chladenii* de Cognomine *Βοανεργὲς* diſſertatio, *Witteberg.* 1712. Ibidem aliorum ſententias expoſitas videbis, quas & leges apud *Caveum* in Antiquitatibus Apoſtolicis in vita Jacobi, & *Crauſerum* in Phoſphoro N. T. Ex Patribus differentem lege *Suicerum* Tom. I. Theſ. p. 711. ſq. Confer & *Ruſſii* Diſſert. de Uſu Linguæ Syriac. in N. T. p. 63. Singularis eſt *Conr. Mel* obſervatio in Antiquario Sacro p. 36. propoſita. Is alludi putat ad duos Scribas, qui in ſynedrio ſedere conſueverint Sacerdoti Summo ad ſiniſtram & dextram, quorum alter ſuffragia abſolvendorum, alter damnandorum collegerit; quo ipſo ritus Synedrii juridicus applicetur regno Chriſti ſpirituali, ubi pii abſolvantur a maledictione Legis, impiis vero pœnæ divinæ annuncientur. Apud gentes *fulminis* nomen honoris titulum fuiſſe, oſtendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 639. & *Jovis Tonantis* epitheton ad hujus loci illuſtrationem exponit *Lacerda* id Adverſariis p. 227.

υἱοὶ βροντῆς) i. e. *βροντῶντες, tonantes*, non ſine Hebraiſmo: v. *Vorſtii* Philolog. S. Part. II. p. 50. Hebræi enim voce *υἱὸς* in ejusmodi phraſibus frequenter utuntur, id quod fuſe ibi oſtendit *Vorſtius.*

Verſ. 18. Vide quæ diximus ad *Matth.* X.

ſupplicum more, ut apud *Plutarchum* Ageſilao p. 597. & alios. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 137. Idem recte vult ſubintelligi πρὸς πόδας, ut *Marc.* VII. 25. aut τοῖς γόνασι, ut *Luc.* V. 8. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 120.

Verſ. 12. πολλὰ ἐπετίμα) πολλὰ Adverbialiter pro πολύ. Vide *Raphelium* l. c. p. 120.

Verſ. 13. ὃς ἤθελεν αὐτὸς) id de diſcipulis tantum accipiendum eſt: populus enim in planitie erat relictus.

Verſ. 14. ἐποίησε) *Boiſius* totum comma hoc, & ſequens, ita verti vult in Collat. p. 106. *& fecit, ut duodecim ſecum eſſent, & quos mitteret tum ad prædicandum, tum poteſtate inſtructos ſanandi morbos, & ejiciendi dæmonia.* Malim ego, quod ipſe paulo poſt addit: *& conſtituit duodecim, qui ſecum eſſent &c.* Ita enim verbum ποιῶ frequenter uſurpatur in ſacris literis utriusque fœderis. Vide *Hackſpan.* Notas p. 195. Nec ignorant hunc vocis uſum profani Scriptores. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 138. & *Grævium* ad Heſiodi Ἔργα v. 602.

Verſ. 16. καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι) Codd. nonnulli, ſed perpauci, habent πρῶτον Σίμωνα, ſcilicet conſtituit, καὶ ἐπέθ. &c. Vide *Millium* & *Eraſmum*, qui id ex Matthæo deſumtum putant. Viciſſim *Beza* germanam hanc habuit lectionem, eamque in verſione expreſſit, repugnantibus recte *Jo. Boiſio* in Collatione p. 106. & R. *Simone* de Verſion. N. T. p. 301. ſq. & 422. ſq. ubi priore loco contra *Bezam*, poſteriore contra auctores verſionis Gallicæ Montenſis, qui ejus exemplum ſecuti ſunt, diſputat. Boiſio l. c. ſimpliciſſimum merito videtur, cum vetere Interprete optimorum exemplarium fidem ſequi, & numero majorum. Confer *Hackſpan.* ad h. l. p. 196. contra Pontificios quosdam, ex ſubleſta hac lectione primatum Petri defendentes. Idem recte *Stapletonum* confutat, Simonis nomen ex שמן i. e. *pinguedo* derivantem, quod *audientem* potius ab שמע infert. De *Petri* nomine diximus ad *Matth.* X.

Verſ. 17. Βοανεργὲς) Hieron. in Daniel. I. emendatius legi putat *Beneream*, quem ſecutus *Druſius* derivat ex בני & רעם i. e. *tonitru*. Et ſic quoque B. *Lutherus* exprimit per *Bnehargem*. Cum vero Βοανεργὲς in omnibus Codd. legatur, *Grotius* & cum eo *Pfeiferus* in Locis Ebraic. & Exotic. p. 482. Opp. Philolog. in eo acquieſcendum recte putant. Sed & de illius nominis origine eruditi diſputant. Alii enim רעש i. e. *commotio*, quæ vox eſt apud *Haggæum* cap. II. 7. cum *Grotio* & *Hammondo* ad h. l. derivant: alii ex רגש voce Chaldæo-Syriaca, quæ *fragorem* tonitru ſimilem denotat, & Græco ῥήγες proxime accedit, deducunt, quæ ſententia eſt *Pfeiferi* l. c. & *Vorſtii* Philolog. S. P. II. p. 50. ſq. qui fuſe de hoc nomine differit. Atque hæc quidem ſe probabit illi, qui meminerit, Chriſti ætate dialectum non pure Hebræam, ſed Chaldæo-Syriacam, vel ſimilem mixtam, obtinuiſſe. Nec mirum, τὸ בני per

Βοανὲ

Βοανὲ expreſſum, cum vaga admodum ſit & inconſtans τῆ ſcheva pronunciatio, ceu oſtendit *Montfauconius* in Diſſertatione, de veteri literarum & vocalium Hebraic. pronunciatione, quæ Tomo II. Hexapl. Origenis p. 394. ſqq. exſtat. Conf. Biblioth. meam Hebr. Tom. II. p. 653. ſq. Nonnulli liberam relinquunt optionem, utrum בני רעש an בני רגש dicti ſint. V. *Lamium* in Harmonia p. 121. & *Poſſinum* in Spicileg. p. 34. Nova eſt Anonymi ſub litera P. latentis ſententia, quo judice vox hæc, ex tribus Hebraicis, nempe בן *filius* הרג *occidere* & אש *ignis*, conflata credi debet, atque ita denique efferenda בני הרג אש i. e. *Bne harag eſch.* Atque hanc ſignificare vult *filios interficiens igne* i. e. *tonitru.* Conf. Nova Literar. Lipſienſ. an. 1720. p. 720. Sed merito eam etymologiam explodit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. tanquam talem, cujus compoſitio ſit inſolens, quæque præterea obſcuritatem potius quam lucem rei inferat. Quæ Judæi in iſta nominis *Βοανεργὲς* forma cavillantur, ea retundit *Oſtermannus* in Poſitionibus Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 12. oſtendens exemplis Rabbinicis, nomina peregrina, in alias linguas translata, mire ſolere immutari.

Quæritur denique, quid hoc nomine Chriſtus indicare voluerit? *Hammondus* ad h. l. innui putat, fratres hos fore præcipuos miniſtros Evangelii, quod *Hebr.* XII. 26. *φωνὴ τὴν γῆν σαλεύσασα* ex Hagg. II. 7. vocetur. Cum eo facit *Amelius* Tom. II. p. 788. Confer & *Allixii* Conſiderat. librorum Script. Sacræ Part. II. p. 257. Aliis vero rectius facultas quædam & efficacia ſingularis eloquentiæ, in utroque futura, indicari putatur, quam in rem digna eſt, quæ legatur ſingularis Rev. *Mart. Chladenii* de Cognomine *Βοανεργὲς* diſſertatio, *Witteberg.* 1712. Ibidem aliorum ſententias expoſitas videbis, quas & leges apud *Cavcum* in Antiquitatibus Apoſtolicis in vita Jacobi, & *Crauſerum* in Phoſphoro N. T. Ex Patribus diſſerentem lege *Suicerum* Tom. I. Theſ. p. 711. ſq. Confer & *Ruſſii* Diſſert. de Uſu Linguæ Syriac. in N. T. p. 63. Singularis eſt *Conr. Mel* obſervatio in Antiquario Sacro p. 36. propoſita. Is alludi putat ad duos Scribas, qui in ſynedrio ſedere conſueverint Sacerdoti Summo ad ſiniſtram & dextram, quorum alter ſuffragia abſolvendorum, alter damnandorum collegerit; quo ipſo ritus Synedrii juridicus applicetur regno Chriſti ſpirituali, ubi pii abſolvantur a maledictione Legis, impiis vero pœnæ divinæ annuncientur. Apud gentes *fulminis* nomen honoris titulum fuiſſe, oſtendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 639. & *Jovis Tonantis* epitheton ad hujus loci illuſtrationem exponit *Lacerda* id Adverſariis p. 227.

υἱοὶ βροντῆς) i. e. *βροντῶντες, tonantes*, non ſine Hebraiſmo: v. *Vorſtii* Philolog. S. Part. II. p. 50. Hebræi enim voce *υἱὸς* in ejusmodi phraſibus frequenter utuntur, id quod ſuſe ibi oſtendit *Vorſtius.*

Verſ. 18. Vide quæ diximus ad *Matth.* X.

Vers. 19. sqq. Narrationem hanc Marci propriam esse ostendit B. *Sandhagenius* in Epist. Theolog. Dec. I. p. 15. sqq.

Vers. 21. οἱ παρ' αὐτοῦ λέγοντες· ὅτι ἐξέστη) Vulg. *sui*: alii *ipsius propinqui*, ut *Theophylactus* οἱ οἰκεῖοι. Cum Vulgato facit *Boisius* in Collatione p. 107. ubi & varia Polybii aliorumque loca affert, in quibus phraseos Græcæ eadem est notio. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 120. recte observat, dictionem illam complecti omnes, quocunque modo cum aliquo junctos, ipse vero de propinquis seu fratribus Jesu (de quibus *Johan.* VII. 5.) & matre, ceu *Marcus* V. 31. declarat, accipi vult. In alia omnia abit hic *Knatchbullus*, qui phrasin: καὶ ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ facta trajectione: οἱ ἀκούσαντες παρ' αὐτοῦ ἐξῆλθον, ita convertit: *& qui audiverunt, sive audientes, quod turba ita fureret, ab eo exiverunt, ut eam cohiberent.* Detorsionem hanc nec contextus nec Grammaticæ rationes patiuntur. Nec magis probandum putem, quod τὸς παρ' αὐτοῦ idem putat denotare *homines a Christo missos.* Quamvis enim *Homberg.* p. 87. eandem significationem huc advocet, & *Luciani* quodam loco adstruat, hic tamen a communiori vocis notione recedere nihil jubet, cum series sermonis evincat, fuisse aliquos apud Jesum, qui hunc laborem susciperé etiam sponte potuerint. Longius abit Interpres *Gothicus*, qui de inimicis Jesu seu Scribis accepit, ita vertens: *& audientes de*, vel *ab, illo Scribæ & alii*, cujus proinde judicio Scribæ de Christo dicebant: ὅτι ἐξέστη. Sed vide *Mareschallum* p. 421. qui ibidem observat, versum hunc, si quem Marci alium, diverse sentientium interpretationes passum esse. Eas diligenter collectas videbis a *Schneringio* in diss. singulari de Christo a cognatis ob ecstasin retento, præside B. *Fechtio*, Rostoch. 1709. habita. Nos ea hic strictim memorabimus, quæ recentiorum industriæ debentur. Præcipuum dissensionis caput vertitur in eo, ad quem verba ὅτι ἐξέστη referenda sint; utrum ad Christum, an ad populum? & si ad Christum, quo tandem sensu in eum hæc vox cadere sine offensione aliorum possit? Ad Christum pertinere putant *Hammondus* eo sensu, ut commotio seu vehementia animi, qualis est eorum, qui præ zelo loquentes aut agentes non consistunt intra modum; (in quam sententiam *Sebast. Schmidius* in Vers. Latina vertit: *Zelo abreptus est, ut se non curet;*) *Clericus* quoque, de perturbatione seu excessu mentis sermonem hic esse censens; ac denique *Casaubonus* in Exercitat. Anti-Baronianis p. 302. qui præeunte Interprete Arabe *deliquium animi*, ex pressura populi & inedia ortum, Christo tribui opinatur, quod & *Lamio* placet p. 238. Atque hanc interpretationem plerique amplectuntur, nominatim *Wedelius* in Exercitatt. Medico-Philolog. Cent. II. Dec. I. p. 25. sq. qui ἀτονίαν, ἀδυναμίαν & ἔκλειψιν hic inferri censet: *Kühnius* in Pentade V. p. 4. sqq. & *Schneringius* in dissertat. laudata. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 122. sq. fuse de verbo hoc commentatus, ex *Polybio* evincit, verbum hoc de ea animi mutatione dici, qua quis de statu mentis vel omnino dejicitur, vel certe eatenus

nus dimovetur, ut ſatis ſanus non videatur, & multa contra agat, quam homines mentis compotes & prudentes ſolent. Quo ſenſu & hic accipiendum putat, exiſtimantibus ſcilicet cognatis, Dominum non ſatis ſanum eſſe, mutatumque ab illo, qui ante fuerit.

Alii, nimis durum putantes, vel Chriſtum tale quidquam ſuſpicandi occaſionem dediſſe, vel cognatos aut diſcipulos ejus hæc de eo credidiſſe aut promulgaſſe, alia ratione rem aggreſſi ſunt. Inter hos *Carolus Molinæus* in notis ad ſuam Harmoniam Evangeliſtarum phraſin, ὅτι ἐξέστη, a cognatis Chriſti eo ſenſu profectam credit, ut monerent populum, Chriſtum *exceſſiſſe* ſeu evaſiſſe ex ædibus. Cum vero ille vocis ſignificatus omnino novus ſit, *Cloppenburgius* Tom. I. Opp. p. 343. eo rejecto, eandem phraſin pro voce populi habet, refragante ibidem *Ludov. de Dieu.*

Non paulo melius adhuc alii non de Chriſto, ſed de populo, in Chriſtum irruente, judicium illud accipiendum eſſe arbitrantur. *Si conjecturas quorundam haud ſane improbabiles*, inquit *Henr. Morus* p. 352. Opp. Theolog. *ſequi velimus*, ἐξέστη *referetur ad populum.* Hanc ſententiam inprimis ornare conati ſunt *Knatchbullus* p. 45. ſq. qui miratur, eam a quoquam rejici potuiſſe; *Hombergius* in Parergis p. 86. *Dan. Clericus* in Quæſtion. Sacris Qu. 13. p. 179. & *le Cene* in Projet p. 558. ſqq. Ex noſtratibus vero *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 111. & Anonymus Scriptor (*Trillerus*) in Unterſuchung etlicher Oerter des N. T. p. 8. cui ſe quidem opponit *Schönlandius* im Beweiß &c. p. 19. viciſſim vero *Jo. Ehrenfried Pfeiferus* in Obſervatis ſuis ad eundem libellum diſputantium more editis p. 8. ſententiam ipſam approbat, caſtigata tantum reprehenſionis, in B. Lutherum conjectæ, acerbitate. Adde *Dornmeierum* in Philologia Biblica p. 100. *Theophili Alethæi* Erläuterung Tom. II. p. 323. ſqq. Wolfburg. in Obſervatt. Sacr. p. 352. & nuperrime *Lyſium* in Narratione German. de rebus hominum quorundam, inſpirationem jactantium, p. 78. ſq.

Neque video ſane, quid obſtet, quo minus in has partes eamus, ut nempe τὸ ὅτι ἐξέστη ad populum, turbas moventem & extra ſe poſitum, referatur. Ita nulla vis verbo infertur, quod in proprio ſuo ſignificatu retineri poteſt. Conſulitur præterea contextui, ex quo omnino id colligas, Jeſum veniſſe cum diſcipulis ſuis, & forte aliis, vel cognatis, vel aſſeclis, domum, interea congregatam eſſe turbam hominum, vel Jeſum videre, vel miracula plura ſpectare cupientium, & non ſine tumultu, ceu res ipſa credere jubet, affectantium. Id audiebant, qui intra domum cum Chriſto erant: illi itaque a furore populum proxime abeſſe dicebant, atque eo conſilio egrediebantur, ut tumultuantes ad quietem componerent. Non minus ſic ſua ratio conſtabit parallelis *Matthæi* c. XII. 22. ſqq. & *Lucæ* XI. 14. locis. Uterque enim cum his, quæ a Marco referuntur, conjungit novum miraculum, quod Chriſtus eo tempore, ejecto dæmonio, perfecerit. Ex eo enim id colligi poſſe videtur, dæmoniacum iſtum in ædes, quæ

Christum capiebant, perductum, turbam autem, miraculi videndi desiderio ductam, impetum in easdem fecisse, ut rei essent propiores. Accedit, quod *Matthæus* eodem loco de populo dicat ὅτι ἐξίσαντο. Absit vero, ut propterea, quod ista cum narratione Marci conjungenda sunt, cum *Hombergio* l. c. dicamus, deesse hic quædam post v. 20. & inserenda illa, quæ ex Matthæo attulimus. Sufficit, copiam nobis & facultatem esse diversas Evangelistarum narrationes inter se comparandi, & ex singulis conjunctis plenum historiæ corpus construendi. Notetur tamen, ex B. *Sandhagenii* sententia hanc Marci narrationem ab illa *Matthæi* XII. & *Lucæ* XI. prorsus distinguendam esse. Vide ejus Epistol. Theolog. Dec. I. p. 73. sqq. Interim libenter *Hombergio* assentior, quando p. 87. ostendit, τὸ κρατεῖν idem esse, quod Latini dicunt *in officio aliquem continere*, sine vi adhibita.

Noviſſime M. *Jo. Elias Hederus* in Commentatione singulari ad h. l. *Eilenburgi* 1722. 4. edita, phrasin ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτὸν &c. nova prorsus ratione refert ad ægrotum hominem, qui furori proximus fuerit, & deinde a Christo sanatus sit. Quas ita sentiendi rationes habeat Auctor, exponere nunc quidem non licet mihi, scriptione illa destituto. Lege Unschuldige Nachrichten An. 1723. p. 72.

Vers. 22. Βεελζεβὰλ) Vide huc *Heupel.* p. 46. ad h. l.

Vers. 26. τέλος ἔχει) eadem phrasi *Xenophon* utitur, observante *Raphelio* in Notis Xenophont. p. 68.

Vers. 27. σκεύη τὰ ἰσχυρὰ) i. e. non arma tantum, sed utensilia quæcunque & apparatum (*meubles*) militis: vide *Martianæum* in Conatibus suis p. 192.

Vers. 28. υἱοῖς ἀνθρώπων) i. e. *hominibus*: v. *le Cene* Projet p. 744. Ab Hebraismo hanc phrasin liberare conatur *Pfochenius* §. LV. Sed vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 273. nec minus *Gatackerum*.

Vers. 29. ἐκ ἔχει) non habebit, ita ut Præsens ponatur pro Futuro. Vide *Knatchbull.* p. 48. Idem observat τὸ ἔνοχος non solum *periculum* inferre, quod Anglica versio innuit, sed revera denotare *æternæ damnationi obnoxium*, quemadmodum *Hesychius* ἔνοχος explicat per χρεώστης & ὑποκείμενος.

αἰωνίου κρίσεως) Quidam Codd. legunt ἁμαρτίας vel ἁμαρτήματος, probante *Grotio*, nec invito, ut videtur, *Millio*. Accedit Interpres *Gothicus*, vertens: *reus est æterni peccati*, cum Vulgato. Ad quem locum *Mareschallus* p. 421. ita: *Dicitur autem* ἁμαρτία αἰώνιος, *quoniam peccator* ἐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, *ut præcedentia verba declarant.* Κρίσις *aliquando usurpari pro* κατάκρισις, & חטא *peccatum quandoque pro pœna peccati poni, non est ignotum.* Communis illa lectio κρίσεως facile se vel eo tuetur, quod nusquam in N. T. legatur ἁμαρτία αἰώνιος. Confer *Whitby* in Examine V. L. p. 42.

Vers.

Vers. 31. Ἔρχονται οὖν) Epanalepsi hæc particula inservit. Quam enim historiam Marcus notare v. 21. cœperat, ad eam jam pertexendam expositis, quæ interea acciderant, revertitur, narrationis seriem ad eum ipsum, quo singula gesta sunt, ordinem accommodans. Nam dum Servatoris propinqui, domo jam egressi v. 21. ad ipsum contendebant, interea temporis sermonem illum habuit, qui a v. 22. ad 30. exponitur. Quo finito renunciatum ipsi est, matrem & fratres adesse. Ita *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 68. Quæ quidem in tantum bene se habent, modo observetur, matrem & fratres Christi ab illis distinguendos esse, qui v. 21. οἱ παρ' αὐτοῦ vocantur. Per eos enim, quod ante oftensum est, rectius intelligis discipulos ejus & alios, qui tum Servatori erant præsentes, & ad cohibendam turbam exibant. Inde vero tumultu composito, Christus Scribas ad se vocavit, & ad eos sermonem habuit: quo adhuc protracto adveniunt aliunde mater & fratres ejus, ipsum salutaturi. Similis matris & cognatorum adventus recensetur *Matth.* XII. qui tamen ab hoc distinguendus est. Lege B. *Sandhagenii* epistol. Theolog. Dec. I. p. 18. sq.

ἀπέστειλαν πρὸς αὐτὸν) Hæc maligne interpretatur auctor pestilentissimi libri *Chissuck Emuna*, ut inde evincat, matrem & fratres Jesu voluisse ipsum dehortari, ne simplicem popellum amplius perverteret. Sed vide *Gussetum* in Confutatione p. 389.

φωνοῦντες αὐτὸν) *miserunt ad eum, qui ipsum evocarent.* Ita cum *Erasmo* Boisius in Collat. p. 298.

Vers. 32. Καὶ ἐκάθητο ὄχλος περὶ αὐτὸν) Ea scilicet ætate discentes, qui olim stare solebant, sedere non minus, quam docens, solebant, hemicyclum quasi formantes. Vide huc *Wagenseilium* ad Sota p. 997. & quæ dicta sunt ad *Matth.* XXIII. 2.

Καὶ οἱ ἀδελφοί σου) Codd. quidam Græci, interque eos & meus, cujus Collationem inserui Tomo III. Anecdotorum, addunt, καὶ αἱ ἀδελφαί σου, quos secutus est Interpres *Gothicus*, de quo confer *Mareschallum* p. 421. Probat additionem hanc *Millius* in Prolegom. n. 1343. ut genuinam, quia scilicet Marcus plenius res enarrare soleat, quam Matthæus. At sic nec Marcus sibi ipsi constabit, quippe qui v. 31. fratres & matrem Christi sine sororibus memorat, ubi tamen magis conveniebat earum fieri mentionem, si quidem adfuissent. Suspicatur quidem *Millius*, verba ista a nonnullis sublata fuisse ideo, quod v. 31. non occurrant. Sed viciſſim conjici poterat, ex v. 35. ubi Christus τῆς ἀδελφῆς meminit, sciolo alicui subnatam esse occasionem, vocem τῆς ἀδελφῆς huic commati inserendi.

καὶ ἐκάθητο ὄχλος) Ex hoc inprimis loco *Vitringa* de Synagoga Vetere lib. I. p. 167. conficit ea ætate doctores docuisse discipulos sedentes, quemadmodum eidem ex universa Scriptura constare videtur, quod discipuli sede-

ſederint in ſubſelliis humilioribus, ſive in mattis procubuerint ad pedes Doctorum, in ſella altiore conſidentium.

Verſ. 34. κύκλῳ) *in orbem.* Ita etiam profani loquuntur: vide *Pfochenium* §. 96.

CAP. IV.

VErſ. 1. πάλιν ἤρξατο) i. e. *continuabat docere.*

ἐν τῇ θαλάσσῃ) Deleri hæc verba vult *Tanaqu. Faber* lib. II. Epiſtol. p. 54. ideo, quod non *in mari*, ſed *in navi* Jeſus ſediſſe dici debeat, quemadmodum & *Matthæus* in capite XIII. huic parallelo Chriſtum καθῆσθαι ſimpliciter dicat. Si minus hæc placeant, ſcribi vult ἐν τῇ πρύμνῃ, quod & alibi Chriſtus in puppi ſediſſe & dormiiſſe dicatur. Audacius hæc ita vel mutari vel tolli nemo non videt. Τὸ in mari ſedere præſtruere navim, quæ in mari erat, per ſe patet; hic vero per phraſin illam id quoque infertur, quod Chriſtus ſederit in navi a ripa aliquantulum diſſita. Vocem πρύμναν cum altera θάλασσα nemo temere permutarit, qui alteram cum altera non niſi quod ad unam literam α convenire, adeoque non facile confundi potuiſſe, meminerit. Confer *Clericum* ad Hammond. & Rev. *Jo. Kaur. Mosheimii* Cogitationes de eo, quod juſtum eſt circa ſacrarum literarum interpretationem ex profanis lib. I. Obſervatt. p. 86. ſqq.

ἐπὶ τῆς γῆς) *Gothicus* & alii vertunt: *in litore.* Vid. *Mareſchall.* p. 422.

Verſ. 2. ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ i. e. per Hebraiſmum, ἐν τῷ διδάσκειν, notante *Hackſpanio* in notis ad h. l. p. 197.

Verſ. 3. ſqq. Ἰδοὺ ἐξῆλθεν ὁ σπείρων) Comparandus hic eſt *Lucas* VIII. 4. eandem hanc parabolam ordine eodem recenſens: cum neutro tamen coincidit Matthæus eandem Chriſti parabolam, ſed alio tempore pronunciatam, enarrans cap. XIII. Vide B. *Sandhagenii* Epiſtolas Theologic. Dec. II. p. 63. ſqq.

Verſ. 4. πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ) Vocem poſteriorem omittunt Codd. quidam Gr. & verſiones variæ: vide *Mareſchall.* p. 422. Ex *Luca* VIII. 5. huc translatum cum *Millio* in Prolegom. putat *Pfaffius* de Var. Lect. N. T. p. 188. ſed recte tuetur *Whitby* ut genuinum p. 42. Nec video, cur non *Marcus* æque ac *Lucas* phraſin in V. & N. T. frequentiſſimam adhibere voluerit.

Verſ. 6. Ἡλίου ἀνατείλαντος) i. e. *Sole exoriente*, non *orto.* Aoriſtus enim in N. T. ſæpe pro Præſenti uſurpatur, ut rei continuationem denotet. Vide *Matth.* III. 17. & XXIII. 2. Confer *Hackſpan.* ad h. l. p. 199.

Verſ. 8. Vide ad v. 20.

Verſ. 10. οἱ περὶ αὐτὸν) i. e. diſcipuli ejus, præter τοὺς duodecim.

κατ'ι-

καταμόνας) Vide huc *Fesselii* Adversar. Sacr. IV. 2. p. 314.

Vers. 11. & 12. illustrantur in B. *Jo. Jac. Ferberi* Dissert. de excœcatione & induratione spirituali, *Argent.* 1716. 4.

Vers. 11. γνῶναι) in nonnullis MSS. & versionibus, nominatim *Coptica* deest, atque hinc ex *Matthæo* vel *Luca* desumtum putat *Millius* in Prolegom. Cur vero non & Marci esse credas in gratiam plurium MSS. qui in ejus narratione idem verbum exhibent?

Vers. 12. De sensu hujus loci dictum est nonnihil ad *Matth.* XIII. Eundem *Neubourius* in Biblioth. Bremensi Class. I. p. 244. illustrare conatur ex Plutarcho de Vita Homeri, qui Homerum ænigmatibus & fabulis ideo usum tradit, ut studiorum amatores, ingenii & animi quadam delectatione deliniti, veritatem facilius quærant & inveniant: idiotæ autem illa non contemnant, quæ intelligere nequeant. Duriora, quæ in commate hoc & præcedente nonnullis visa sunt, nova quadam versione emollire instituit Anonymus Tom. X. Observatt. Selectarum Halensium p. 35. sqq. ita interpretatus: Et dixit illis: *Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei, istis vero, qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, quoniam videntes vident, & non* (i. e. nondum) *cognoscunt, & audientes audiunt, & non* (nondum) *intelligunt, si forte convertant se & remittantur illis peccata.* Ubi palam est, τὸ ἵνα novo modo per *quia*, τὸ μήποτε vero per *si forte* converti, ut sensus sit, Christum populum per parabolas docuisse, non hoc fine, ne intelligant, sed quia nondum intelligunt, si forte convertantur aliquando. Institutum auctoris præclarum est; sed optandum erat, ut ostendisset, τὸ ἵνα in ejusmodi structura verborum, quæ hic est, imo etiam alias, denotare *causam impulsivam*, quæ agentem incitet, ut hoc vel illo modo agat, non autem *finalem.* Τὸ μήποτε quidem facile largior obtinere posse eum, quem auctor illi significatum tribuit, quia 2 *Tim.* II. 25. hac notione occurrit. Sed eo in loco cetera περικείμενα eam significationem vindicant, quæ hic frustra quærere mihi videor. Interim tamen ex veteribus *Isidorus* ep. 270. τὸ μήποτε hic itidem per ἴσως interpretatur, his usus verbis: τὸ γὰρ μήποτε ἐνταῦθα οὐκ αἱρέσιν ἀκοῆς, ἀλλ' ἐλπίδα ἐμφαίνει ὑπακοῆς. h. e. *particula* μήποτε *hic non defectum auditionis, sed spem ejus infert.* Conf. *Rich. Simonis* Hist. Critic. lib. III. p. 311. Præstat omnino acquiescere in communi horum verborum interpretatione, quam inter ceteros *Hackspanius* ad h. l. p. 202. luculente proponit. Intelliguntur hic non ænigmata, sed parabolæ etiam vulgo notæ, & quæ facile capi possunt, modo quis scrutari velit. Hoc faciebant nonnulli, Jesum audientes; alii negligebant de aliis rebus soliciti. Iis igitur Christus ait datum esse, nosse mysteria, his vero non item. Ubi per se quoque manifestum est, τὸ μήποτε & ἵνα *eventum* magis notare, ex rei natura consequentem, quam *causam.* Confer *le Cene* in Projet p. 487. sq. & 695. qui hunc Marci locum & ejus similes alios ita explicandos putat: *Jesus loquebatur ad Judæos per parabolas, ita quidem, ut videntes viderent*

quidem, sed non intelligerent, & audientes audirent, sed non assequerentur, veriti, ne se converterent. Ceterum locutionem hanc habere παροιμιώδες aliquid, & significare eos, qui, si recte uterentur facultatibus suis, ea animadverterent, quæ sine attentione transmittant ob stultitiam suam, monet *Clericus* ad Hammondum, & similes phrases ex profanis scriptoribus recitat.

De ratione allegandi, qua hic usus est Marcus, lege *Surenhusium* in Βίβλῳ Καταλλαγῆς p. 293. sq.

Vers. 15. ὅταν ἀκούσωσι) Gothicus vertit; *cum audierint securi*, aut *negligentes*, ut scilicet distinguantur ab illis, qui melius audiunt verbum Dei, v. 16. 18. & 20.

Vers. 19. μέριμναι τοῦ αἰῶνος) *Cantabrig.* habet βίου pro αἰῶνος, nec minus versio *Gothica*, quod apprime convenire Scripturæ parallelæ *Luc.* VIII. 14. observat Mareschallus p. 425. Ideo tamen nihil temere mutandum est.

Vers. 20. παραδέχονται) ut *Act.* XVI. 21. & XXII. 18. *Polybius* substantivo nomine de eadem re utitur. Vide *Raphel.* Notas Polybian. p. 124.

ἓν τριάκ. καὶ ἓν ἑξήκ.) Hic ut & v. 8. Codd. quidam legunt ἑν, quod *Erasmus* se in emendationibus libris inveniisse scribit, Bezam nactus ὁμόψηφον. Sed vide omnino *Stolbergium* in Exercitatt. Gr. L. p. 48. sq. pro vulgata lectione erudite pugnantem, & alia, quæ huc pertinent, afferentem. *Millius* cum Grotio statuit, multos exscriptores præpositionem ἐν τῷ ἓν prætulisse ad vitandum τὸ σολοικοφανές.

Vers. 21. ἔρχεται) Codd. quidam, sed ii perpauci, legunt καίεται vel ἅπτεται, nempe quod dura visa esset lectio λύχνος ἔρχεται. Sed præter rem, cum & *Aristophanes* Ἐκκλησ. v. 27. λύχνον προσιόντα memoret. Vid. *Elsnerum* ad h. l. Ad totum hoc comma lege Programma singulare, quod exstat in *Gabr. Terne* Sylloge I. Programmatum p. 449. sq.

Vers. 22. ita convertit *Boisius* in Collatione p. 109. *Non est enim quidquam occultum, quod non manifestabitur, neque clam factum est, sed ut in lucem veniat.* *Beza* vero ita p. 88. *Non est enim quidquam occultum, quod non sit manifestum futurum, neque quod abscondatur; sed oportet, ut in apertum proveniat.* Huic se opponens *Hombergius* in commate posteriori particulam τὸ ἀπὸ τοῦ κοινοῦ subintelligi vult, vetatque, jungi verba ista præcedentibus; ut proinde hic nascatur sensus: *nec quidquam factum est, ut abscondatur, sed ut in lucem protrahatur.* Apostolos enim ait in antapodosibus easdem phrases non semper servare, sed mutare eas sæpius, licet oratio & structura inde duriuscula evadat, atque id quidem plerumque facere addita particula ἵνα. Τὸ ἵνα vero in phrasi ἵνα ἔλθῃ futurum indicare putat, ut idem sit, quod ἐλεύσεται, ut *Luc.* XI. 50. ἵνα ἐκζητηθῇ ponitur pro ἐκζητηθήσεται, quod occurrit v. 51.

Vers.

Vers. 24. Βλέπετε, τί ἀκούετε) *Martianæus* in Conatibus suis p. 193. hæc non habet pro admonitione generali de recte audiendo verbo Dei, quæ plerisque Interpretibus videtur; sed referri vult speciatim ad ea verba, quæ statim sequuntur: ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε. Hæc enim præcipue animo tenenda suadere ipsi videtur Christus. Sed obstant verba *Lucæ* parallela VIII. 18. βλέπετε οὖν, πῶς ἀκούετε i. e. *videte igitur, quomodo audiatis:* ubi manifeste de ratione & modo audiendi, non autem de re, quæ auditur, sermo est.

τοῖς ἀκούουσι) omittunt nonnulli Codd. sed perpauci; horum vero auctoritate ductus *Millius* in Prolegom. credit, ex priore parte versiculi huc relatum esse. At eo omnino ad sensus complementum opus videtur, cum Christus hoc loco præclari aliquid polliceatur, non omnibus, sed illis, qui genuinos se & probos auditores præstent. Hinc & Gothicus Interpres reddidit per: *credentes.* Vide *Mareschallum* p. 421. *Hombergius* verti vult per: *obedientes.* Perperam itaque omisit *Simon* in versione sua Gall.

Vers. 25. ὃ ἔχει) i. e. ὃ δοκεῖ ἔχειν, ut *Luc.* VIII. 18. exponit.

Vers. 26. βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς) Vide huc *Gatackeri* notas ad Antonin. X. §. 26.

Vers. 27. καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται) i. e. *dormit, aut surgit, nocte aut die,* ut posterius καὶ pro *aut* accipiatur, ut *Aristides* τῷ καὶ utitur p. 617. observante *Elsnero* p. 139. *Hombergius* recte τὸ νύκτα refert ad καθεύδῃ, & ἡμέραν ad ἐγείρηται, ut sensus sit, *semine jacto, cum transigere securum, & dormire noctes integras, nec vanis curis lacerare animum, aut frangere somnum, nec excitari nisi die, cum sciat, Deum esse, qui hæc producat, & crescere faciat.* Non male; sic enim & loqui videtur *David* Ps. III. 6.

ὡς οὐκ οἶδεν αὐτὸς) Verti potest: *adeo, ut ipse nesciat,* ut ὡς idem sit, quod ὥστε, sicut *Luc.* IV. 25. Vel: *cum nihil* (horum) *sciat ille;* qua notione occurrit v. 36. Vide *Elsnerum* p. 139. Vel denique, quod præstare videtur: *cum ipse nesciat,* quo vide loca ab *Hombergio* adducta p. 90. Ad sententiam ipsam vide *Marc. Antoninum* X. 26. & ibi Gatackerum. Doctrinam v. 26 - 29. comprehensam latius diducit *Amelius* Part. I. p. 482. sqq.

Vers. 28. αὐτομάτη ἡ γῆ) Ita *Hesiodo* in Opp. & Dieb. v. 117. ἄρουρα αὐτομάτη, nec minus *Porphyrio* lib. IV. p. 343. περὶ ἀποχ. vocatur. Αὐτομάτης καρπὸς dixit *Diodor. Siculus* lib. I. p. 5. ἀκάματος γῆ exstat apud *Sophoclem* in Antigone v. 347. Hæc attulit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Ciceronis quendam locum, huic apprime similem, ex libro ejus de Senectute §. 15. affert *d'Outrein* in Specimine Observatt. Miscellan. p. 157.

πλήρη σῖτον) Beza vertit: *plenum frumentum* pro quo *Hombergius* mavult *frequens,* quia copia frumenti indicetur, quemadmodum *Euripides* Hecub.

ὄχλον πλήρη dicat. Sed intercedit *Elsnerus* p. 139. *plenum* aut *perfectum* frumentum indicari asseverans, & ad LXX. provocans, qui *Genes.* XLI. 7. πλήρεις στάχυας memorant. Atque hoc & ipse prætulerim. Hoc & voluisse videtur Interpres Gothicus, qui vertit per *plenitudinem grani* aut *frumenti*. Vide Mareschallum p. 425.

Vers. 29. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς) *cum se tradid. rit fructus*, scilicet maturus, quia segetes, ubi maturuerunt, tradunt se quasi falci & metenti. Itaque subintelligendum est ἑαυτὸν, quod alias frequenter fit. Vide *Bos* Exercitatt. p. 16. Idem jam antea observaverat ex nostratibus *Fessélius* Adversar. Sacr. I. 15. p. 77. sq. qui similes Græcorum & Latinorum phrases affert; tum vero *Boisius* in Collatione p. 110. ad *Euthymium* & *Maldonatum* simul provocans, & *Knatchbullus* p. 49. vertens: *cum autem se tradat fructus*. Adde *Clericum* ad Hammondum idem sentientem, & phrasin hanc cum Hebr. שלם i. e. *perfectum esse*, comparantem, quod οἱ LXX. *Jes.* XXXVIII. 13. vertunt per παραδίδωμι. Interim phrasis pure Græca est, quod & observavit *Hombergius*. Adde *Heupelium* p. 69.

ἀποστέλλει δρέπανον) *mittit falcem*: Vulg. Alii: *mittit messores*, ut sic falx pro messoribus ponatur metonymice. Acute & erudite, judice *Boisio* in Collat. p. 110. qui tamen retinendum suadet Vulgatum, quia *Joelis* III. 13. & *Apoc.* XIV. 15. similis phrasis occurrat.

Vers. 31. ὡς κόκκῳ σινάπεως) *simile est grano sinapis*; ita ut adverbium pro adjectivo ponatur. *Boisius* in Collat. p. 110. *Whitby* cum *Schmidio* τὸ ὡς idem esse putat, quod *nempe*, vel pro Dativi nota habendum. Certe non opus hic est mutatione ulla, quam Codd. quidam MSS. inferunt, pro κόκκῳ legentes κόκκον vel κόκκος.

Vers. 32. ἀναβαίνει) *surgere* & *ascendere* de plantis dicitur, quando e terra propullulantes sensim in altum levantur. Ita *Hippocrates* de Glandulis §. 3. & *Theophrastus* in Histor. Plantar. lib. IV. c. 19. *Virgilius* quoque Eclog. V. 39. *& spinis surgit paliurus acutis*. Similia exstant apud *Plinium* & *Columellam*. Debentur ista Cl. *Trillero* in Notis MSS. De re ipsa, quæ hic traditur, lege *Gatackerum* ad Antonin. X. 26.

τῶν λαχάνων μείζων) Comparativus ponitur pro Superlativo, ut paulo ante v. 31. μικρότερος pro μικρότατος. Similia ex Latinis affert *Sanctius* in Minerva p. 240. sq.

Vers. 33. καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν) Τὸ ἀκούειν hic nonnulli idem esse putant quod *intelligere*. Vide inter ceteros *le Cene* p. 485. *Raphelio* id autem idem h. l. videtur; quod βαστάζειν dicitur *Joh.* XVI. 12. ut non intelligendi, sed perferendi sermonis facultatem declaret. Scilicet ignorabant omnino harum parabolarum sensum, quod v. 12. dicitur, audire tamen eas æquo animo poterant, quod res illæ, quibus similitudines constabant, nihil

nihil haberent offensionis, sicut vicissim alias v. c. *Joh.* VI. 60. sermonem ejus ut intolerabilem aversabantur. Vide eum in Notis Polybianis p. 125. sq.

Vers. 34. ἐπέλυε) i. e. ἔλυε, *explicabat.* V. *Boisium* in Collat. p. 110.

Vers. 36. Παραλαμβάνουσιν αὐτὸν ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ) Minus recte hæc distingui ab omnibus Interpretibus ait *Elsnerus* p. 140. eo scilicet modo, ut sensus sit: *accipiunt, aut assumunt eum, ut erat, in navi* i. e. *in navem.* Id vero vel propterea ferendum non putat, quia sic dicendum fuisset εἰς τὸ πλοῖον, ut *Matth.* IV. 5. Itaque mavult sic distinguere, ut σιγμὴ τελεία ponatur post αὐτὸν, verba autem sequentia ὡς ἦν &c. ita vertit, ut novam ordiantur orationem: *cum esset in navi, & alia ibidem navigia cum eo. Tunc* &c. Sed non putem necesse, ut novæ huic interpunctioni locus detur, modo ita interpreteris verba παραλαμβάνουσιν αὐτὸν, ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ h. e. *assumunt eum ita, ut erat in navi.* Ita vero, ut alios taceam, convertit *Hammondus.* Sic enim voces ἐν τῷ πλοίῳ non referuntur ad παραλαμβάνουσιν, sed ad ὡς ἦν, indicaturque non navicula, in quam Jesum recipiebant, sed ea, in qua antea fuerat & docuerat. Ita exspirat difficultas, quæ hic movetur, Grammatica. Et commodum omnino sensum fundit phrasis ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ. *Elegans enim est dicendi genus,* observante *Raphelio* in Notis Xenophonteis ad h. l. p. 69. *quod de personis usurpari solet, quas significare volumus in eodem habitu, quo tum forte erant, perseverasse, nihilque præterea requirentes, celeriter rem aggressos. Ita hic discipuli nihil morati festinanter abiisse cum Jesu dicuntur, quod, cum jam vespera esset, liberari a turba cuperent.* Hoc modo & profanos loqui, idoneis exemplis idem evincit. Fortasse per ὡς ἦν id quoque speciatim innuitur, Christum solum sine turba illa, quæ ipsum cingebat, assumtum esse, quod vult *Hammondus.*

Vers. 37. Καὶ) i. e. *tunc*, ut infra X. 7. & alibi, etiam apud τὸς ἔξω. Vide *Elsnerum* p. 141.

λαῖλαψ) i. e. interprete *Hesychio*: ἀνέμου συρροφὴ μεθ' ὑετοῦ, *venti & imbris procella.*

τὰ δὲ κύματα ἐπέβαλλεν) Verbum ἐπιβάλλειν hic aliis intransitive capitur, ut sensus sit, fluctus *irruisse* in navim, quemadmodum ἐισβάλλειν neutrum est apud *Polybium,* monente *Raphelio* in Notis Polyb. p. 127. Aliis videtur Activum, ut referatur ad λαῖλαψ eo sensu, quod procella fluctus in navem injecerit. Ita accepit Vulg. & cum eo noviſſime *Hombergius* p. 92. & *Elsnerus* p. 141. qui etiam recte observant, τὸ δὲ idem hic esse quod καὶ, ut *Luc.* IV. 25. 39. & alias. Atque de eo vix puto dubitandum. Nam ubicunque τὸ ἐπιβάλλειν vel similia verba neutraliter usurpari videntur, subintelligendus est Accusativus vel rei, vel personæ, vel pronominis. Cum vero hic Accusativus adsit, non est, ut eum deseramus.

Verſ. 38. διεγείρουσιν) emphaſin hic ſtatuit *Eraſmus Schmidius* iſtam: *diverſimode excitant*, alius nempe ab alia parte vellicando. Sed adverſatur *Raphelius* in Notis Polybianis p. 127. loca proferens, in quibus illa emphaſis non occurrit.

Verſ. 39. Comma hoc integrum illuſtrat *Outhovius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. I. Faſcic. II. p. 61. ſqq. inprimis eo fine, ut divinitas ſeu potentia Chriſti mirabilis, ex miraculoſa maris & ventorum ſedatione demonſtretur: quam in rem varia affert ex literis profanis, quæ tum ad ſingularum vocum explicationem, tum ad operis ipſius lucem, pertinent. Idem τὸ διεγερθὲις non vult verti per *experrectus*, ſed *exſurgens*. Qua in re quod ad ſenſum nihil admodum intereſſe patet. Interim malim perſiſtere in communiori illa, quæ *excitationem* ex ſomno v. 38. memoratam ſimul reſpicit. Et ſane, quotiescunque idem verbum compoſitum in Novo Fœdere exſtat, actio aliqua ab altero recepta ſimul infertur. Lege v. c. *Matth.* I. 24. *Luc.* VIII. 24. *Joh.* VI. 18. ubi de mari per ventum turbato & elato ſermo eſt. Quid ſi igitur cum *Elsnero* p. 142. utramque notionem conjungamus? vertentes, *ſurrexit a ſomno* expergefactus.

σιώπα, πεφίμωσο) retulit hoc inter Adagialia N. Teſt. *Andr. Schottus* pag. 65.

Gentiles cohibitionem ventorum pro divino opere habuiſſe, præter *Outhovium* l. c. oſtendit *Elsnerus* ad h. l. Addam his *Libanii* locum de Vita ſua p. 65. Τετὶ δὲ ἔργον, inquit is, ἀνθρώπε μὲν ἀδενὸς, Θεᾶ δέ τινος καὶ τύχης, ἀφ ὧν καὶ θαλάττης μανία κοιμίζεται.

Verſ. 40. Τί δειλοί ἐστε οὕτω; πῶς) Duas poſtremas voces omittit *Simon* in verſione Gallica, quia neutra eſt in *Cantabrig.* & antiquiſſimis Stephani Codd. vertitque: *pourquoi etes vous timides? vous n'avèz point encore de foy?* Sed præſtat omnino inhærere tot Codicum aliorum verſionumque, ſi unam Vulgatam exceperis, conſenſui.

Verſ. 41. ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν) Non eſt hic Hebraiſmus, quem nonnulli ſibi perſuadent, ſed eſt potius ex elegantiſſimis Linguæ Græcæ phraſibus & vix frequentior ulla occurrit apud *Platonem* in Apologia Socratis, Critonis, Phædonis &c. v. c. φλυαρεῖν φλυαρίαν, πάσχειν πάθος. Vide *Hombergium* p. 93.

CAP. V.

Verſ. 1. Γαδαρηνῶν) Alii Codd. & verſiones, inter quas & Coptica, (de qua *Wilkinſius* in Prolegom. ad N. T. Copticum p. 17.) legunt Γεργεσηνῶν aut Γερασηνῶν, quod propterea nonnulli alteri iſti prætulerunt. Millius hic ſibi non conſtat, qui in notis ad h. l. communiorem lectionem appro-

approbat, in Prolegomenis vero rejicit. Conf. *Whitbius* p. 92. Placent omnino, quæ *Adrianus Relandus* in Palæstina Sacra p. 774. observavit. *In tabulis Novi Testamenti*, inquit, *memoratur* Γαδαρήνων γῆ, *adsita mari Tiberiadis*, *Marc. V. 1. diciturque esse e regione Galilææ Luc. VIII. 26. plane uti Josephum mox loquentem audivimus* Γαδαρίδα *i. e. regionem Gadarenorum terminare Galilæam ad ortum: quo magis miror*, *Viros doctos credere potuisse*, *partem aliquam Galilææ ad ortum Jordanis aut lacus Tiberiadis esse collocandam. Matthæi VIII. 28. Gergesenorum regio illa dicitur*, *quæ a Luca Gadarenorum: verum & in Matthæo olim* Γαδαρηνῶν *lectum fuisse in Codd. quibusdam notavit Epiphanius lib. II. ad Hær. p. 650. quamvis non repugnet*, *eandem regionem & ab urbe præcipua Gadaris*, *& a loco minus noto Gergesi nomen ferre.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 128. & *Lamium* p. 163. qui observat, duas fuisse urbes vicinas in opposita ripa Galilææ, *Gergesa* & *Gadara:* & rem, quæ hic narratur, factam esse videri in utriusque regionis finibus. Consule quoque *Torchilli Er. Grænovii* Controversias exstantiores circa Gadarenos, *Hafn.* 1699. & *Raithii* Vindicias Vers. German. p. 368.

Vers. 2. ἐξελθόντι αὐτῷ ἀπήντησεν αὐτῷ) Per Pleonasmum hic pronomen αὐτῷ repetitur, at fine Hebraismo, cum hujus phraseos frequentia etiam apud profanos exempla exstent. Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 108. sq. Forte tamen Dativus hic loco Genitivi absolute ponitur: *egresso eo, occurrit ei;* quod mavult, & veterum locis fulcit *Heupelius* ad h. l. p. 79. Conf. *Schefferi* Indic. ad Ælian. voce καινὸς & *Erasm. Schmidium* ad N. T. p. 159.

ἄνθρωπος) *Matthæus* c. VIII. parallelo duos memorat dæmoniacos, sine pugna cum nostro & Luca, qui forsan unum nominant, quia sævior vel nobilior altero fuit, aut, quia unum memorare satis habuerunt, monente *Lamio* p. 163. Matthæus, dum ait duos fuisse, verum dicit, noster, dum unum nominat, nec negat plures fuisse, itidem necessario verum dicit. Vide *Hammondum.*

Vers. 3. Ὃς τὴν κατοίκησιν εἶχεν ἐν τοῖς μνημείοις) Scriptores gentium passim memorant dæmones & dæmoniace affectos, imo & mortuorum animos nondum purgatos, in sepulchris habitare. Eos *Synesius* τυμβονόμους δαίμονας vocat. Adde *Dougtæi* Analecta Sacra N. T. Exc. XIX. *Theocritus* Idyll. II. v. 12. 13. Hecaten, appellat ἐρχομέναν νεκύων ἀνὰ τ' ἠρία καὶ μέλαν αἷμα h. e. *incedentem per mortuorum sepulchra & atrum sanguinem.* Thessala Erichto eodem fere modo describitur a *Lucano* in Pharsalic. lib. VI. 511. Habet hæc Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

ἁλύσεσιν) Interpres Gothicus vertit *catenis ferreis*, quod & repetit v. 4. Rationem vide apud *Mareschallum* p. 426.

οὐδεὶς ἠδύνατο αὐτὸν δῆσαι) *nemo poterat eum ligare.* Et nihilominus tamen

v. 4.

v. 4. dicitur ligatus ſæpe fuiſſe. Scilicet Marci verba id ſibi volunt: *nemo ipſum ligatum in vinculis detinere potuit.* Sæpe enim poni ſolet antecedens pro conſequente. Conf. *Hackſpanium* in Notis p. 204.

Verſ. 4. πέδαις δεδέσθαι) eadem phraſi utitur *Xenophon* Cyropæd. IV. p. 254.

Verſ. 5. ἐν τοῖς ὄρεσι καὶ ἐν τοῖς μνήμασιν) Nonnulli Codd. habent ἐν τοῖς μνήμασι καὶ ἐν τ. ὀ. quem ordinem ſequuntur inprimis verſiones Orientales & Gothica quoque. Lege *Mareſchallum* p. 427.

κατακόπλαν ἑαυτὸν λίθοις) V. *Raphel.* in Notis Polybian. p. 128.

Verſ. 7. βασανίσῃς) Verbum hoc, quando explorationem per tormenta infert, Atticum eſſe, contra *Suidam* evincit *Elsnerus* p. 143. Orat vero hic dæmon, ne in carcerem mittatur catenis ſuis vinciendus, (ep. *Jud.* v. 6.) quemadmodum & Lucas, hiſtoriam hanc VIII. 31. referens, dæmonia ait rogaſſe Jeſum, ne imperaret ſibi, ut in abyſſum irent, i. e. in inferos, locum pœnæ illorum. De verbo βασανίζειν lege ad h. l. *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 663. ubi inter cetera obſervat, Magos quoque olim creditos eſſe, dæmonia torqueri poſſe.

Verſ. 9. Λεγεὼν ὄνομά μοι, ὅτι πολλοί ἐσμεν) Chriſtus hic de nomine Dæmoniaci quærit, non quod ignoraret, quam fortis ac numeroſus eſſet hic Dæmonum exercitus, ſed, ut major ipſi gloria, eique, qui eum miſerat, inde redundaret, numeroſitatem ſuam eos cogit profiteri. Erat etiam magis conſentaneum, ut poteſtas Chriſti demonſtraretur, ipſiusque perſonæ divinitas, integrum fugando dæmonum exercitum, qui ad unum dæmoniacum ſpectaret, quam ut tot eſſent dæmoniaci, quot hic recenſentur dæmones, in quos poteſtatem ſuam oſtenderet: Hæc *Henr. Morus* in hoc comma obſervat in Opp. Theologic. p. 134. qui inde a p. 131. rationes exponit, cur tot eſſent dæmoniaci tempore Chriſti, quarum alias aliis præſtare intelliget, qui diligenter ſingulas excuſſerit. In illam vero inprimis inquirendum eſt, quod δαιμονιζομενοι non ſemper appellentur ſenſu ſtrictiſſimo, quandoquidem *furioſi, Lunatici, epileptici, omnesque omnino homines extraordinaria aliqua melancholiæ intemperie laborantes cenſebantur a Judæis, & vocabantur Dæmoniaci, populo æque prono exiſtente ad adſcribendum naturales morbos Diabolo, quam Medici ſunt ad adſcribendum intemperies vexationesque Diabolicas Naturæ.* Ibi bene quidem agit *Morus*, quod dæmoniacos ſtricte ſic dictos, h. e. tales, in quos Satanas ἀμέσως operatur, concedit, nec, quod recentiorum permulti faciunt, ejusmodi phænomena de morbis aliisve caſibus, a natura, aut aliis περικειμένοις audacter interpretatur; interim tamen verendum eſt, ne, ſi δαιμονιζόμενοι quidam tam late accipiendi in Evangelica hiſtoria dicantur, κριτήρια tandem dubia nobis reddantur, ex quibus de δαιμονιζομένοις ſtricte dictis

dictis certi penitus reddamur. Præstiterit igitur in omnibus illis, qui hoc nomine veniunt Evangelistis, aliquam Satanæ operationem immediatam vi ipsius vocis admittere, quæ scilicet in aliis magis & luculentius, in aliis minus & latenter se exseruit. De voce λεγεὼν lege quæ hic affert plura *Heupelius* p. 84. & *Lipsius* de Militia Romana p. 60. sq.

Vers. 13. καὶ ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως) Mirum nonnullis visum est, quod Christus dæmonibus, porcos invadere cupientibus, potestatem hanc fecerit, & tale, quod cum noxa hominum conjunctum esset, adeoque benignitate Optimi Salvatoris parum dignum. Sed variæ possunt hujus consilii rationes reddi, quas collectas vide a *Moro* l. c. p. 135. Scilicet hinc inprimis colligi poterat copia dæmoniorum, cum porcorum illorum duo circiter millia essent. Præterea vero turpitudo malignaque dæmoniorum virulentia planius demonstrata: misericordia Christi in dæmoniacum illustrata, & ex porcorum jactura indoles quoque Gadarenorum detecta; porcina hominum natura ænigmatice perstricta, divinaque Christi, tot infernalium Spirituum cohortibus superioris, potestas manifestata est. Itaque causa non est, cur hoc facto justæ cuidam criminationi ansam datam esse credamus, aut rem ipsam cum nonnullis negemus, contra quos lege inprimis *Marckium* in Exercitat. Textuali XXIX. p. 286. sqq.

Vers. 14. ἰδεῖν, τί ἐστιν τὸ γεγονός;) ita fere *Palæphatus* Incredibil. c. 32. ἐθαύμαζον, τί ἂν εἴη τὸ γεγονός.

Vers. 15. in nonnullis exemplaribus deest, unde & omisit *R. Simon* in Vers. sua Gallica, temere omnino & præter rationem. Credibilius enim est, quod *Grotius* hic recte affirmat, deletum esse ab iis, qui supervacuum putabant, quam ab aliis additum.

σωφρονοῦντα) τὸ σωφρονεῖν h. l. opponitur τῷ μαίνεσθαι, atque significat *resipiscere post insanitam, ac ad sanam mentem redire*, ut 2 *Cor.* V. 13. & apud externos quoque Scriptores. Vide *Elsnerum* p. 144.

τὴν λεγεῶνα) Interpres Copticus vertit *dæmonas*.

Vers. 20. ἐν τῇ Δεκαπόλει) Eam ex *Josepho*, & veteribus aliis descriptam vide a *Relando* in Palæstina S. p. 203. sq. *R. Simon* ad h. l. monet, de decem illarum urbium, quæ hoc nomine insigniuntur, nec locis nec nominibus satis constare, & *Bochartum* in eo hic errare, quod omnes ad Galilæam referat.

Vers. 21. ἐν τῷ πλοίῳ) phrasin hanc pure Græcam esse, recte ostendit *Pfochenius* de Puritate Gr. L. N. T. §. 47.

Vers. 22. ἀρχισυναγώγων) de nomine hoc & officio, quod exprimit, vide fuse commentantem *Vitringam* de Synagoga Vetere lib. II. c. 10. & lib. III. P. I.

p. 610. sq. item eundem de decem Otiosis p. 240. quæ comparanda sunt cum iis, quæ de eodem argumento nonnunquam in adversam sententiam attulit *Rhenferdius* in Archisynagogo Otioso Αὐτοκατακρίτῳ, Specimine Animadversionum in Decemviros Otiosos, & Investigatione Præfectorum Synagogæ. Ea accuratius hic excutere non vacat, nec huc admodum pertinent. Ex utroque vero horum examinari possunt ea, quæ ad h. l. de Archisynagogo monuit *Hammondus*.

Vers. 23. παρεκάλει πολλά) *multum ac vehementer orabat*, ut supra v. 10. & infra v. 38. ac 43. qua ratione & profani loquuntur, ceu probavit *Elsnerus* p. 145.

ἐσχάτως ἔχει) i. e. *animam agit, in extremum vitæ periculum adducta*. Phrasin hanc alii Hebraismi, alii Barbarismi, cum *Salmasio* p. 109. de Lingua Hellenist. postulant. Pure Græcam idoneis veterum locis ostenderunt *Majus* Observatt. Sacrar. lib. IV. p. 111. sqq. *Elsnerus* ad h. l. p. 145. *Schwarzius* ad Olear. de Stylo N. T. p. 289. Confer etiam *Hombergium* p. 93. Quomodo vero *Marcus*, de extremo vitæ periculo loquens, cum Matthæo, eam jam obiisse tradente, conciliari possit, ad *Matthæi* IX. 18. sqq. docuimus.

ἐπιθῇς αὐτῇ τὰς χεῖρας) i. e. *tangas eam manu*, ut verti vult *Martianæus* in Conatibus suis p. 197.

Vers. 26. πολλὰ παθοῦσα) communiter vertitur: *multa perpessa erat*. Cur vero a Medicis passa dici non possit, nisi forte quis dicat, eam secatam fuisse vel ustam &c. quod hic probabile non est: τὸ πάσχω vero ex eorum numero sit, quæ in utramque partem flecti possunt: *Hombergius* præstare putat, si dicamus, eam a Medicis multis beneficiis affectam, vel saltem varia circa ipsam a Medicis fuisse facta. Non negaverim, esse omnino eam phraseos hujus notionem, quam Vir doctus ibidem ad *Gal.* III. 4. adstruit pluribus: at hic locum tueri posse non crediderim. Marcus eadem phrasi utitur VIII. 31. & IX. 12. de Christo multa perpessuro, *Lucas* item IX. 22. & XVII. 25. quemadmodum *Petrus* I ep. V. 10. Christianos ὀλίγον παθόντας memorat. Quæ certe loca omnia calamitatum & ærumnarum perpessionem omnino inferunt, quemadmodum & ipse Pauli locus ad *Gal.* III. 4. aliter accipi non posse videtur. Idem vero significatus probe ad h. l. quadrat, cum non constet, quibus inprimis medicaminibus tot diversi Medici usi sint, & veri fiat simile, quod hic observat *Lamius* p. 176. nonnullos eorum adhibuisse medicamenta, sæpius ipso morbo atrociora. Imo sufficit ad calamitatem, eam omni facultatum suarum profusione nihil lucratam, nisi ut deterius haberet. Similem in modum *Celsus* in præfat. ad lib. VII. de Medicina homines *diu a Medicis vexatos* appellat, observante ad h. l. Cl. *Trillero*.

Vers. 27. ἥψατο τοῦ ἱματίου αὐτοῦ) Ex h. l. nonnulli, interque eos *Grotius* fidem

fidem feminæ dubiam reddunt, vel minus genuinam fuisse colligunt, quippe quæ cogitarit, se Christo sanationem furtim quasi surripere posse, esseque emanationem verborum ἀλεξιτήριον naturalem magis, quam arbitrii Christi. Sed vide *Amelium* Part. I. p. 323. sqq. & *Olearium* ad Matth. p. 272. sq.

Vers. 29. πηγὴ τοῦ αἵματος) Pro phrasi Hebraica habet *Lud. Cappellus* in Notis, provocans ad *Levit.* XII. 7. & XX. 18. Confer *Hammondum* ad h. l.

ἔγνω τῷ σώματι) Vide *Homberg.* p. 93.

Vers. 30. τίς μου ἥψατο τῶν ἱματίων;) Christus ita per οἰκονομίαν interrogavit. Vide huc *Suicerum* ex Patribus Tom. II. p. 463.

ἐπιγνοὺς ἐν ἑαυτῷ τὴν ἐξ αὐτοῦ δύναμιν ἐξελθοῦσαν) Hæc verba a nonnullis de *sensu* aliquo & virtute ὑφισαμένη accepta sunt, quasi virtus sanandi diffusa per totum corpus Christi fuerit, ut totus sit nihil aliud, quam, ut loquitur *Simon Episcopius*, *salutare pharmacum*. Sed recte aliis observatum est, vocem γινώσκειν non ad corporis, sed ad animi sensum atque adeo scientiam referri debere, quemadmodum τὸ ἐξέρχεσθαι per Hebraismum quendam ἐνέργειαν & efficacem aliquam operationem denotet. Hebraicum enim יצא, quod tunc LXX. per ἐξέρχεσθαι reddunt, eam notionem habet *Jerem.* XXX. 22. & *Ruth.* I. 13. Itaque vertenda potius hæc verba fuerint ita: *Jesus vero cognoscens, divinum opus a se patratum.* Δύναμιν enim miraculum significare, vel ex *Marc.* VI. 5. patet. Confer *Olearium* ad Matthæum p. 276. Quæ *Erasmo* in hoc commate, ab eo conversо, objecta a *Leo* sunt, vix digna sunt, quæ recitentur. Vide tamen, si placet, responsionem ejus Tom. IX. Opp. p. 142. D.

Vers. 33. εἶπεν αὐτῷ πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν) i. e. *dixit ei totam veritatem.* Πᾶς enim & ὅλος promiscue in hac causa usurpantur. Vide *Hackspan.* in Notis p. 204.

Vers. 34. εἰς εἰρήνην) i. e. ἐν εἰρήνῃ. Nam præpositiones εἰς & ἐν inter se permutantur. Vide *Pfochenium* §. 71. quod nonnulli non recogitantes temere in Codd. MSS. mutationem hic ingressi sunt, scribentes ἐν εἰρήνῃ. Conf. *Heupelium* ad h. l. p. 92.

σέσωκέ σε) i. e. *te sanavit.* Vide *Clericum* ad Hammondum.

Vers. 35. τί ἔτι σκύλλεις;) *quid amplius vexas?* Vulg. recte, judice *Boisio* in Collat. p. 111. Conferatur idem ad Tom. VII. Chrysostomi p. 107. & p. 160. ut & *Henr. Stephanus* in præfat. ad Herodianum suum, qui *fatigationem* ex longitudine itineris, sive de molestia, a turba comprimente exspectanda, verbum hoc interpretatur. Adde *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 981.

Verſ. 38. ἀλαλάζοντας) *Beza* mavult ὀλολύζοντας, cum prius illud *jubilandi*, hoc vero *ejulandi* habeat notionem. Sed vide *Boiſſium* in Collat. p. 112. qui oſtendit, τὲς LXX. paſſim Hebræum ילל, quod ejulatum infert, per ἀλαλάζειν reddere. Conf. *Hackſpan.* ad h. l. p. 205. Apud profanos quoque eundem ſignificatum huic voci ſubjici, evicit poſt *Spanhem.* ad Juliani Oratt. p. 234. *Elsnerus* ad h. l. p. 146. Vide & J. C. *Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 76.

Verſ. 41. ταλιθὰ κοῦμι) De formula hac Chaldæo-Syriaca vide *Pfeifferum* de Locis Hebr. & Exotic. in Opp. Philolog. p. 482. *Cheitomæum* item de Vocibus barbaris, & *Rus* de uſu Linguæ Syr. p. 59. A voce ταλιθὰ Græcorum τάλις i. e. *puella nubilis*, derivandum cenſet *Bochartus* Hierozoic. p. 425.

τὸ κοράσιον (σοὶ λέγω) ἔγειραι) Formulam, σοὶ λέγω, Marcus de ſuo addidit, ut Servatoris noſtri juſſum ſignificantius faceret, hac in re τὲς LXX. imitatus. Vide *Colomeſ.* Obſſ. SS. p. 24.

Verſ. 34. καὶ διεστείλατο) *ſevere monuit.* Vide *Keuchenium* ad h. l.

πολλὰ) *vehementer etiam atque etiam. Raphel.* in Notis Polybian. p. 128.

ἵνα μηδεὶς γνῷ) non tam rem ipſam, quam rei modum taceri voluit Chriſtus, & quidem ad tempus. Vide *Witſium* in Meletemat. p. 352.

εἶπε δοθῆναι) i. e. *juſſit dari.* Hinc *Lucas* VIII. 55. explicat per διέταξε. Ita vero & profani loquuntur Scriptores. Vide *Gataker.* de Stylo N. T. c. XXVIII. & *Elsnerum* p. 147. item *Heupelium* p. 98. ad h. l.

CAP. VI.

VErſus ſex priores hujus capitis illuſtrat *Jo. Mich. Langius* in Diſſert. ſingulari de Chriſto Propheta, in patria contemto, quæ recuſa exſtat in Decade I. Diſſertatt. ejus Theologic. n. VI. & conferri poteſt cum B. *Rechenbergii* de eodem argumento Diſſert. *Lipſ.* 1671. 4. Ad totum caput obſervationes quasdam habes in *Lacerdæ* Adverſariis c. LXXIX. p. 109. ſqq. quæ tamen potiſſimum ad lucem Vulgatæ afferendam ſpectant. Conf. B. *Sandhagenii* Epiſt. Theolog. Dec. I. p. 20. ſqq. ubi oſtendere conatur, narrationem hanc ab illa *Matthæi* XIII. 54. diſtinctam eſſe.

Verſ. 2. ἐξεπλήσσοντο) Nonnulli, ſed perpauci, Codd. addunt ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, quod & R. *Simon* in Verſ. ſua Gall. expreſſit. Sed procul dubio a ſciolo quodam addita ſunt hæc verba ex *Marc.* I. 22. vel aliis locis, ubi illa phraſis occurrit.

ὅτι καὶ δυνάμεις) τὸ ὅτι deeſt in nonnullis Codd. a *Millio* laudatis, & in duobus quoque illis, quorum ipſe Collationem inſerui Tomo III. Anecdoto-

dotorum Græcorum. Et videtur id Millio intrusum a scriba quodam aut studioso, claritatis causa. Sed non cogitavit Vir doctus, hiulcam sic fore orationem, si legamus: καὶ τίς ἡ σοφία ἡ δοθεῖσα αὐτῷ, καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται. Sic enim triplex statuenda hic foret interrogatio, & tertia inciperet a verbis: καὶ δυνάμεις &c. quæ vero necessario πῶς vel aliam aliquam particulam requireret. Sic & *Clericus* ad Hammond. monet, τὸ ὅτι idem hic esse, quod πῶς ad imitationem Hebraici כי, quod hac notione usurpatur Jes. XXIX. 16.

διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ) per Hebraismum pro δι' αὐτοῦ. Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 297.

Vers. 3. ὁ τέκτων) Nonnulli Codd. legunt ὁ τοῦ τέκτονος, qui præsidium invenire poterant in verbis Origenis lib. VI. contra Celsum, p. 299. quibus negat, Christum unquam in Evangeliis fabrum appellari. Sed facile patet, memoria labi Origenem potuisse, & forte cogitasse tantum de loco Matth. XIII. 55. ubi vocatur ὁ τοῦ τέκτονος, ubi vide, quæ scripta sunt. Atque hic quoque locus effecisse videtur, ut nonnulli istum Marci locum mutarent, artem fabrilem Dominum non decere opinantes. Aratra & juga aliaque ἔργα τεκτονικὰ a Christo elaborata *Justinus* Martyr refert in Dialogo cum Tryphone p. 316. Conf. *Fabric.* ad Codic. Apocr. N. T. p. 200. & T. II. p. 437. sq. ubi in *Hilscheri* Dissert. de Studiis Christi ἄτερ γραφῆς de eodem argumento disseritur. Sive exercuit Christus hanc artem juvenis, sive minus; talis erat, quæ neminem Regia majestate & Pontificatus honore indignum redderet, observante *Braunio* Select. Sacr. lib. III. p. 329. ex Josepho. De variis Græcæ vocis τέκτων significatibus exstat *Georg. Frid. Heupelii* Philologema præside B. *Schurzfleischio*, Witteb. 1688. propositum, quem & ad h. l. commentantem lege p. 101. Annotatt. ad Marcum.

ἀδελφοὶ δὲ) fratres Jesu hic appellantur, qui erant ejus consobrini, quos & Latini fratres vocabant. Vid. *Cappelli* notas ad h. l. p. 37. Confer Patrum sententias apud *Suicerum* Tom. I. Thesaur. p. 1430. Ἰωσῆς hic unus fratrum appellatur non Ἰωσήφ: sed utrumque idem est nomen, quod ad h. l. *Drusius* in Præteritis monuit.

αἱ ἀδελφαί) Veteres nonnulli quatuor Josepho filios & duas filias tribuunt, quas *Estherem* & *Thamar* sive *Martham* vocant. *Sophronius* apud Lambec. Tom. III. Bibl. Vindobon. addit tertiam, *Salomen*, matri cognominem. Confer *Fabric.* l. c. p. 32. & 104.

Vers. 5. οὐκ ἠδύνατο) i. e. *noluit*, ut idem sit, quod οὐκ ἤθελε, ut monet *Stephanus* de Dialectis p. 50. qui tamen hunc solum Marci locum affert, approbante *Boisso* in Collatione. Alii accipiunt ita, ut idem sit, quod, *non licuit ipsi*, scilicet per leges, quas sibi ipse dixerat. Miracula enim non edere solebat, nisi rogatus, &, ubi credebatur, posse id ab ipso fieri.

Confer *Witsii* Meletemata p. 342. Idem vero hoc esset, ac: *noluit*; quæ etiam sententia est *Clerici* ad h. l. & *le Cene* in Projet p. 506. Atque idem visum est quoque *Grotio* ad h. l. & *Episcopio* in Lectionibus Sacris ad Apocal. II. 2. 3. qui idonea quoque veterum loca ad hunc significatum probandum proferunt. Ex nostratibus accedunt *Saubertus* in Opp. Posthumis p. 72. *Hackspan.* in Notis ad h. l. p. 206. sq. & *Deylingius* Observatt. Sacr. Part. I. p. 118. qui conferri inprimis vult *Act.* IV. 20. *Joh.* VII. 7. & 2 *Corinth.* XIII. 8. & noviſſime *Carol. Frider. Krumbholzius* in Miscell. Lipſ. Tom. XII. p. 391. sqq. Intercedit vero *Olearius* ad Matthæum p. 422. sqq. qui nec legem ullam, miraculis ibi faciendis oppositam, Christum sibi dixisse, nec animo ab iis edendis abhorruisse, contendit, persuasus potius, causam, cur Christus οὐκ ἠδύνατο δύναμιν ποιεῖν, hanc fuisse, quod homines præjudiciis occupati, atque ἄπιστοι, faciendorum miraculorum occasionem ei vel nullam, vel raram, implorato ejus, ut alibi factum, ad medelam afferendam auxilio, offerrent; quibus proinde neque obtrudere gratiam par erat, deficienteque adeo occasione omisisse Christum, ad quod neque potentia alias, neque animus defuisse videatur. *Witsium* ita fere statuisse, ex allato ejus loco patet, nec credo, eos quoque negaturos, huic inprimis respiciendum esse, qui per *noluit* interpretantur. *Theod. Hornius* in Apospasmatiis Philologicis §. 5. contendit, τὸ, οὐκ ἠδύνατο ποιῆσαι, idem hic esse, quod οὐκ ἐποίησε. Provocat is ad *Matth.* XIII. 58. qui hac phrasi posteriori simpliciter utitur. Conf. alios idem sentientes apud *Petavium* Tom. III. Dogmat. Theolog. p. 243. Sed inde tamen non puto confici, quod *Marcus* nihil amplius hic innuere voluerit, nisi probetur, τὸ δύνασθαι pleonastice alias usurpari solere, quemadmodum τὸ ἄρχεσθαι, θέλειν & similia. Interim *Arabicus* quoque Interpres ita h. l. vertit, ut phrasi Matthæi respondeat. Confer *Kidderi* Demonstrat. Messiæ Part. II. p. 151. qui occurrit Judaicæ cuidam objectioni ex h. l. petitæ, & τὸ, οὐκ ἠδύνατο per: *non par erat*, interpretatur: quo etiam potissimum tendit *Lamius* p. 259. Patrum sententias attulit *Suicerus* Thesaur. Tom. I. p. 963. & 970. & Tom. II. p. 457.

Vers. 6. Καὶ ἐθαύμαζε) Hinc *Hackspan.* in Notis p. 209. colligit, Christum quædam ignorasse in statu exinanitionis, secundum humanam naturam, quia omnis admiratio præsupponat ignorantiam. Malim cum *Sauberto* in Opp. Posth. p. 95. dicere, quod hic tantum vultus gravis & severus inferatur, quo, meditanti & miranti similis, Judæos respexerit. Ita enim Hebræorum שעה i. e. *respexit*, per θαυμάζειν vertitur a LXX. *Jes.* XLI. 23.

Vers. 6. διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν) Quidam hæc referri volunt ad v. 5. observante R. *Simonio* in Notis. Ceterum θαυμάζειν cum διὰ hoc uno Johannis loco jungi existimat *Erasm. Schmidius* in Notis ad Joh. VII. 21. Sed similiter occurrit tum hic, tum Apocal. XVII. 7. & apud profanos quoque Scriptores, ut

ut *Ælian.* XII. 6. & XIV. 36. itemque alios, quos affert *Heupelius* in Notis ad h. l. p. 107.

Verſ. 7. ἀποστέλλειν δύο δύο) per Hebraiſmum pro: ἀνὰ δύο, quod habet *Luc.* X. 1. vid. *Vorſtii* Philolog. P. I. p. 256.

Verſ. 8. Quomodo hoc comma cum *Matth.* X. 9. conciliari poſſit, ibi vidimus.

Verſ. 9. ἀλλ' ὑποδεδεμένους σανδάλια) Pugnare & hæc videntur cum *Matth.* X. 9. ubi ὑποδήματα geſtare prohibentur Apoſtoli, quæ cum σανδαλίοις tamen eadem nonnullis videntur. Itaque alii diſcrimen τῶν σανδαλίων & ὑποδημάτων ratione pretii & ornatus urgent. Ita ex noſtratibus *Sagittarius* in Diſſert. de Nudipedalibus veterum c. I. §. 19. ὑποδήματα, inquit, *generale alias vocabulum calceos hic ſignificare videntur lautiorum, multis cum obſtragulis, multamque ac ſolicitam operam in calceando requirentes, ac, uti nonnulli addunt, molliori corii. Sanctiſſimus Salvator, qui promtos ac expeditos volebat ſuos, iisdem rejectis ſandalia commendavit, viliora ſcilicet calceamenta & pauperiorum ac ex duriori corio, ad uſum familiarem accommodata magis.* Atque hæc ſententia quoque eſt *Salmaſii*, quem vide de *ſandaliis* agentem ad Trebell. Pollion. T. II. Scriptorum Hiſtor. Auguſtæ p. 233. & inprimis ad *Tertullian.* de Pallio p. 70. ſq. Adſtipulatur *Balduinus* de Calceo p. 99. & *Nigronius* de Caliga veterum p. 53. ex edit. *Nilantii*, qui utrumque in notis ad examen vocat, & aliam conciliandi rationem ingreditur, quod & antea fecerat *Bynæus* lib. I. cap. 6. §. 9. & 10. de calceo Hebræorum. Neque certe habent illi, quo ſe ſatis tueantur, cum diſcrimen illud inter ὑποδήματα & σανδάλια exemplo veterum probari nequeat, nec præterea veri ſit ſimile, Apoſtolos, homines depreſſioris conditionis, calceis lautiorum uti voluiſſe aut potuiſſe. Conf. *Adami* in Obſervatt. Theolog. Philolog. p. 137. Alii ad aliam utriusque tegumenti differentiam ſe recipiunt, obſervantes, σανδάλια fuiſſe ſoleas, quæ plantam pedum tantum ſubtexerint, ὑποδήματα autem totum pedem texiſſe. Ita inter ceteros *Picinellus* in Lumin. Reflexis p. 640. Alii Chriſtum prohibere putant duo calceorum paria: inter quos eſt *Grotius.* Hic enim obſervat, veteres, eo quod ſoleæ iter facientibus attritæ fuerint, & baculi frangi conſueverint, alias ſoleas & baculos in ſarcinulis ſuis ponere conſueviſſe. Hunc morem itaque apud Matthæum improbaſſe Salvatorem, ſuosque uno calceorum pari, una tunica & baculo uno contentos eſſe juſſiſſe. Accedit illi *le Cene* in Projet p. 10. & *Adami* l. c. p. 137. Cum vero cogitata hæc partim ipſarum vocum natura, partim accurata Evangeliſtarum comparatio refugiat, Marcus vero inprimis vocem δύο ad χιτῶνας tantum, non item ad calceos & baculum referat, quod ſcite obſervavit *Nilantius* in notis ad Balduinum p. 99. ſqq. nec hoc ſufficere poterit penitus rem æſtimantibus. Supereſt itaque, ut dicamus, Chriſtum id tantum

tum hic voluisse, ut legationem eodem habitu, quo tunc erant instructi, inchoarent & perficerent, nec ampliorem commeatum assumerent. Vide *Nilantium* l. c. p. 103. sq. & *Herman. Witsium* in Miscellan. Tom. II. p. 534. Nisi forte cum *Lamio* p. 184. statuas, eam esse Christi mentem apud Matthæum inprimis: *etiamsi omnia hæc non suppeterent, non ideo minus vos itineri carpendo accingite cum plena fiducia.*

Vers. 11. ἐκπορευόμενοι ἐκεῖθεν) Vide huc *Raphel.* Not. Polybian. p. 136.

ἀμὴν λέγω ὑμῖν) Hæc verba & sequentia usque ad finem versus 11. quoniam in Codd. nonnullis desunt, ex *Matthæo* huc translata putat *Millius*, sicut & in versione Gall. omisit *R. Simon.* Cum vero plerique & antiquissimi habeant, quibus & versiones adstipulantur, non video, cur ea non æque *Marci* quam *Matthæi* esse statuamus.

Vers. 13. ἤλειφον ἐλαίῳ) Vide huc B. *Calovii* Disput. de extrema unctione, Wittenb. 1674. & *Jo. Andr. Schmidii* Dissert. de curatione morborum per oleum sanctum, quæ recusa est in ejus Decade Dissertatt. Historico-Theolog. n. III. ubi inprimis ex Historia Eccles. ostendit, agi hic de oleo ad sanitatem restituendam accommodato, minime omnium vero de extrema unctione. Confer in eandem sententiam *J. Bapt. Casalium* de Christian. ritibus c. 32. *Bartholin.* de Morbis Biblic. c. 27. & *Seldenum* de Synedriis Hebræorum p. 756. ubi etiam de voce ἄῤῥωστος, quæ hic occurrit, differens ostendit, eam perquam imbecilles & viribus quasi omnimodis carentes significare. Adde *Pet. Zornii* Opusc. Sacr. T. I. p. 338. & *Suiceri* Thesaur. Tom. I. p. 986. *Mich. Servetus* in lib. de restitutione Christianismi p. 562. statuit, ritum hunc unctionis fuisse Judaicum, ab Apostolis eo tempore libere retentum, eo quod Judæi ad ornatum & ad salutem ungere se oleo consueverint, sicut & Ægyptiorum olim unus & communis fuerit olei usus ad morbos omnes sanandos. Conf. Biblioth. Bremens. Class. I. p. 755. Sed & apud profanos hic olei apud ægrotos usus memoratur, v. c. apud *Pindarum* Od. IV. p. 168. *Timæum Locrum* de mundi anima p. 544. Collectionis Galeanæ, *Æschylum* in Prometheo Vincto v. 470. *Theocritum* Idyll. XI. 2. & *Hippocrat.* libb. de Diæta. Hæc Cl. *Trillerus* in Not. MSS.

Vers. 14. ὁ βασιλεὺς Ἡρῴδης) Hic *Luc.* III. 19. vocatur tantum Tetrarcha. Scilicet *Lucas* more Romano, *Marcus* autem Judæorum stilo utitur, qui Regis filios & quosvis imperantes Regum nomine appellare solebant. Vide *Deylingii* Obss. Sacr. III. p. 203.

Vers. 15. Ὅτι προφήτης ἐστὶν, ἢ ὡς εἷς τῶν προφητῶν) Nonnulli Codd. & versiones τὸ ἢ hic omittunt, approbante *Grotio*, &, ut videtur *Mareschallo* p. 427. ac *Lamio* p. 280. quemadmodum & *Ri. Simon*, Vulgatam scilicet secutus, in Vers. sua Gallica omisit, simpliciter vertens: *Propheta est, similis*

Pro-

Prophetæ. Enimvero non ſolicitanda eſt lectio communior. Duo enim hic innui judicia Judæorum de Chriſto videntur, quod nempe alii eum ſimpliciter habuerint pro propheta aliquo, a Deo miſſo; confer *Joh.* IV. 19. & *Luc.* VII. 16. alii autem, quod ſpeciatim ſit unus ex veteribus Prophetis, in vitam ſcilicet revocatus, quod *Luc.* IX. 8. dicunt; εἷς τῶν ἀρχαίων Προφητῶν ἀνέστη, quemadmodum & nonnulli de *Jeremia* cogitabant, *Matth.* XVI. 14. Conf. *Whitby* ad h. l. Itaque τὸ ὡς h. l. non tam ſimilitudinem, quam veritatem rei infert, ut *Matth.* XX. 26. vel etiam redundat, quæ ſententia eſt *Hombergii.* Non contemnendum quoque penitus eſt, quod *Heinſius* Exerc. Sacr. p. 109. obſervat, vocem Προφήτης hic poſitam videri pro ὁ Προφήτης, ut intelligatur Propheta ille, de quo *Deut.* XVIII. 15. Adde *Heupelium* ad h. l. p. 120.

Verſ. 16. ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστι) Structura hæc inſolentior viſa eſt nonnullis, atque ita potius conformanda: οὗτός ἐστιν Ἰωάννης, ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα. Sed talis tamen eſt, quæ multis exemplis, e nobiliſſimis tam Græcis quam Latinis Scriptoribus petitis, facillime defendatur. Vide talia apud *Boiſium* in Collatione p. 114. & *Elsnerum* ad *Luc.* I. 73. p. 181.

Verſ. 17. Ad hoc comma *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 640. commentatur ex veteribus de veritate odium pariente. De ceteris hic notandis lege ad *Matth.* XIV. 3.

Verſ. 18. Quo jure Herodes increpari potuerit, oſtendit *Schickardus* de Jure Regio Hebræorum p. 141.

Verſ. 19. ἐνεῖχεν αὐτῷ) Vulg. *inſidiabatur ei.* Sed *Boiſius* in Collat. p. 114. mavult: *infenſa erat ei.* & ante eum *Camerar.* in utriusque Linguæ Commentariis p. 326, *infeſta erat ei.* Hammondus: *irata erat ei.* Hanc autem verbi notionem eſſe apud LXX. Intt. & profanos Scriptores, ſinguli illi idoneis locis oſtendunt. Itaque Marcus fontem oſtendit, ſeu cauſam inſidiarum, Johanni ſtructarum, verbo maxime oppoſito. Sic *Heſychius* ἐνεῖχον explicat per ἐχόλων (rectius ἐχολῶντο, vide Boiſium & Hammond. ll. cc.) ὠργίζοντο.

De carnificina, in convivio facta, differit ad hunc verſum *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 640.

Verſ. 20. συνετήρει αὐτὸν) Vulg. *cuſtodiebat eum,* eo ſcilicet ſenſu, Interprete *Boiſio* in Collat. p. 115. quod fuerit ipſi pro cuſtode, nec paſſus ſit, ut a quoquam læderetur. Accedit huic *Hammondus* & *Clericus* allatis etiam *Philoxeni* Gloſſis, quæ ita habent: συντηρῶ *conſervo*, συντηρεῖ *conſervat*, *tuetur.* Atque id non puto perperam dici. *Whitbius* tamen in notis ad h. l. mavult referre ad exiſtimationem illam, in qua Johannes apud Herodem fuerit ante, quam rephrehenſione ejus irritaretur. Et ſic accepit quoque *Lamius* p. 282.

qui vertit: *observabat, verebatur illum.* Sed vereor equidem, ut istam verbi notionem ex Græcæ Linguæ usu adstruere satis possit. Alii de conjectione in custodiam vel accurata observatione interpretantur, interque eos *le Cene* in Projet p. 571. Interim vel hinc patet, virtutem honorari etiam a vitiosis; quod ad hunc locum ostendit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 640.

ἄνδρα δίκαιον καὶ ἅγιον) Vide *Suiceri* Thesaur. Tom. I. p. 908.

Vers. 21. ἡμέρας εὐκαίρου) i. e. non tam *die opportuno*, quam *die festo* seu *feriali*, quo a labore propter festivitatem abstinebatur. V. *Hammond.*

γενεσίοις αὐτοῦ δεῖπνον ἐποίει) De conviviis natalitiis, veteribus celebratis, agunt ad h. l. *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. p. 32. *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 640. *Montacutius* in Originibus Part. II. p. 141. sq. In universum vero de iisdem exponit *Mart. de Roa* libro singulari de die natali sacro & profano, Lugd. 1640. 8. Omitto alios, quos laudat *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 591. Utrum per γενέσια hic dies nativitatis an inaugurationis regni intelligatur, ad *Matthæi* XIV. disputatum est. Conf. *Heupel.* ad h. l. qui de nativitatis die accipit, secus ac *Reland.* Diss. Misc. VIII. p. 257.

δεῖπνον ἐποίει) ita etiam *Polyb.* de convivio Regio p. 1310.

τοῖς μεγιστᾶσιν αὐτοῦ) De voce μεγιστᾶνες, quam Macedonicam putant, lege *Salmas.* Comment. de Lingu. Hellenist. p. 110. & *Olear.* de Stylo N. T. p. 367. item *Brisson.* de regno Persar. p. 134.

Vers. 22. καὶ εἰσελθούσης) De Herode meretrici serviente vide *Picinelli* Lumina Reflexa p. 641.

Vers. 25. ἐξ αὐτῆς) Alii malunt conjunctis his vocibus scribere ἐξαυτῆς. Atque ita primum scriptum fuisse cum *Millio* statuit *Pfaffius* de Var. Lect. N. T. p. 243. Sed nihil interest, utro modo scribas, tantum abest, ut mutatione opus sit. Revera enim duæ hic agnoscendæ sunt voces, & subintelligenda tertia, nempe ὥρας. Hinc & primum in scriptione separatas fuisse credere par est, quemadmodum adhuc scribimus ἐκ μιᾶς sc. φωνῆς vel γνώμης, κατ' ἰδίαν &c. Consentit nobiscum *Raphelius* in Annotatt. Xenophonteis p. 70. & ante eum *Ostermannus* in Positionibus Philolog. Disput. I. §. 26. Conf. etiam *Heupelium* p. 128.

Vers. 26. καὶ περίλυπος γενόμενος ὁ βασιλεύς) Hic *Schætgenius* ad *Bosium* de Ellipsi p. 365. subintelligi vult ἀλλά. At id quidem structura sermonis non videtur admittere, cum sic nihil sit, cum quo participium γενόμενος conjungatur. De voce περίλυπος lege *Erasm. Schmidium* ad N. T. p. 128.

ἐκ ἠθέλησεν αὐτὴν ἀθετῆσαι) i. e. *noluit ei negare*, vertente *Schurzfleischio*, in Actis

Actis Literar. p. 25. De verbo ἀθετῆσαι lege *Gusseti* Lexic. p. 498. b. & *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 51.

Vers. 27. σπεκουλάτωρα) Nonnulli τὸ ε in ι mutant in versione Latina cum Vulg. & Beza. Sed mutatione non est opus, cum speculator in hac notione notum satis Latinis vocabulum sit, observante *Boisio* in Collat. p. 115. qui jubet videri *Lipsium* & *Meursium*. Adde tu *Turnebum* in Adversariis, lib. XXVII. c. 20. p. 589. & *du Fresne* in Glossario utroque, suis locis. Speculatores illi ex viliori militum genere erant, qui etiam interdum agebant carnifices. Vide *Ezech. Spanhemium* de Præstantia & usu Numismatum Tom. II. p. 234. & 236. Ita *Suetonius* in Caligula c. 32. *Miles, decollandi artifex, quibuscunque e custodia capita amputabat.* Conf. *Dilherr.* de usu lectionis Scriptorum Secular. plag. M. & noviss. *Laur. Lundii* Diss. singularem de Speculatore, *Hafn.* 1703. item *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 993. *Dougtæus* in Analectis Sacris N. T. p. 34. comparat hoc hominum genus cum δορυφόροις, πελεκυφόροις & ὁπλοφόροις. De *milite Prætoriano* accipit *Hammondus*.

Vers. 31. ἔρημον τόπον) Locum hunc non squalidam ac desertam solitudinem, sed amœnissima pascua, veluti quædam tempe fuisse, ex totius orationis serie constat. Propinquus enim erat Bethsaidæ i. e. domui venationis, quæ a regione, ferarum venationi apta, adeoque nemoribus sylvisque umbrosa, appellata videtur. Vernanti præterea gramine constabat, vi v. 39. & deliberato consilio Christus eum locum elegisse videtur, ut, invitante verno tempore, aliquid otii & oblectamenti sibi & discipulis suis procuraret. Conf. Biblioth. Bremens. Tom. I. p. 125. De quiete post laborem ad h. v. differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 641.

Vers. 33. πεζῇ) *pedestri itinere*, subintellecta voce ὁδῷ. Vide *Heupel.* ad h. l.

καὶ προῆλθον αὐτούς) *Millius* & cum eo *Pfaffius* de Var. Lect. versum hunc putat interpolatum, quia τὸ, καὶ προῆλθον αὐτούς in nonnullis Codd. deest. Hæc itaque verba putat esse scholion: sed vide *Whitbium* in Examine p. 43. qui ita: *Lectio hæc non est obscura, sed facilem explicatum habet: Christus & discipuli ejus ascendentes in navim abierunt in desertum locum seorsim, sed multi viderunt eos abeuntes, & cognoverunt, quo cursum tendebat navis: itaque pedestres prævenerunt eos, & accesserunt ad Christum. Clara hic & perspicua omnia, neque quidquam mutandi causa levissima est.*

Vers. 34. πρόβατα μὴ ἔχοντα ποιμένα) Vide *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 65.

Vers. 35. ὥρας πολλῆς γενομένης) i. e. ὀψίας ἤδη ἔσης τῆς ὥρας, ut infra XI. 11. i. e. *multo die.* Ita etiam profani Scriptores. Vide *Elsnerum* p. 147. & *Raphelium*

phelium in Notis Polybian. p. 129. qui oſtendit, phraſin ὥρα πολλὴ *longum diei ſpatium* inferre, quod præteriiſſe ne an reliquum eſſe intelligendum ſit, ex loci cujusque ſententia dijudicari debeat. Confutat ibidem *Eraſm. Schmidium*, hujus locutionis eam rationem reddentem, quod in ordine horarum καιρικῶν minores numeri 1. 2. 3. 4. 5. 6. ante meridiem cadant, majores vero 7. 8. 9. 10. 11. 12. poſt meridiem: hinc pomeridianum tempus vocari ὥραν πολλήν.

Verſ. 36. ἀπόλυσον) *dimitte*: verbum hoc de dimiſſione in patriam atque adeo & proprias ædes uſurpatur. Vide *Elsnerum* p. 148.

εἰς τὰς κύκλῳ ἀγροὺς) i. e. *in circumjacentes undiquaque & finitimos agros ac vicos*. Ita & profani. Vide *Raphel.* Notas Xenophonteas p. 70. *Elsnerum* p. 148. & *Boiſium* in Collat. p. 115.

ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς ἄρτους· τί γὰρ φ. ε.) *Millius* in Prolegom. n. 402. auctoritate paucorum Codicum ductus, mavult legere ἀγοράσωσιν ἑαυτοῖς τί φάγωσιν, atque explicatiora, quæ hodie in textu exſtant, irrepſiſſe putat ex *Marci* VIII. 2. At cur non potius ſtatuamus, Marcum hoc loco æque ac in altero illo phraſi iſta uſum fuiſſe? Interim & R. *Simon* lectionem iſtam, Millio probatam, in verſione ſua Gallica expreſſit. Τὸ τί poſitum hic eſt pro ὅτι, ut *Matth.* XV. 32. & *Luc.* XVII. 8. Sic *Stobæus* Serm. XLIII. ὁ δὲ πένης ἐκ ἔχων τί πεάττη.

Verſ. 37. ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν) ironice hæc a diſcipulis dici, exigua veri ſpecie contendit R. *Simon* in Notis.

δότε αὐτοῖς φαγεῖν) Sic *Lucian.* in Paraſito Tom. II. p. 248. δότε αὐτῷ φαγεῖν, nec minus Latini: vide *Vorſt.* de Latinit. falſo ſuſpecta p. 245.

Verſ. 39. συμπόσια, συμπόσια) i. e. *ordine convivali*, vel *per convivia*, ut Beza hic & Vulg. *Luc.* IX. 14. ita *Boiſius* in Collat. p. 116. Hebraiſmum hic non immerito ſtatuit *Hammondus*. Cum enim Hebræi careant phraſi, qua diſtributionem indicent, voce repetita uti conſueverunt. Vide etiam *Druſii* Miſcellan. Cent. II. cap. 46. & inprimis *Vorſtium* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 248. ſq.

ἐπὶ χλωρῷ χόρτῳ) fœnum eſt χόρτος, at χλοερὸς χόρτος non eſt fœnum. Helleniſtarum idioma eſt, χόρτος pro herba vel gramine, χλόη vel πόα: propterea Marcus addit vocem χλωρός. Ita *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 305.

Verſ. 40. ἀνέπεσον) ἀναπίπτειν pro *accumbere cibi capiendi cauſa* rarum quidem eſſe, ſed exemplis tamen profanorum Scriptorum non deſtitui, probat *Elsnerus* p. 148. Confer *Schwarzium* ad *Jo. Olearium* de Stylo N. T. p. 286.

πρασιαὶ, πρασιαὶ) Hebraiſmus, ut אישׁ אישׁ. Conf. ad v. 39. & *Vorſt.* Phi-

Philolog. Sacr. P. I. p. 249. item *Heupelium* ad h. l. p. 134. B. *Lutherus* reddidit nach Schichten, de qua voce Germanica vide *Stadenii* Explicationem vocum Germanic. difficiliorum in Verſione Lutheri exſtantium p. 540. edit. ſecundæ.

Verſ. 43. καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων) i. e. τι, ut *Matth.* XXVII. 9. ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ, i. e. τινὲς τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 195.

Verſ. 44. τὲς ἄρτες) deeſt in Codd. nonnullis, atque in eorum gratiam omitti etiam vult *Millius*, quemadmodum & ſequens ὡσεὶ, quod nec *Simon* in Verſione ſua Gall. exprimit. Sed utrumque ut genuinum recte tuetur *Whitby* in Examine p. 43.

Verſ. 45. προάγειν εἰς τὸ πέραν πρὸς Βηθσαϊδάν) ut præcederent eum *trans fretum ad Bethſaidam.* Interpretum permulti hæc verba ita acceperunt, ut Bethſaidam navigationis finem ſeu terminum facerent, quod cum Johannis relatio non patiatur, qui VI. 17. eos Capernaumum veniſſe tradit, non parum difficultatis ſibi hic invenire viſi ſunt. *Boiſius* quidem in Collatione p. 116. ex Adrichomii tabulis ita rem definire inſtituit. In iis deſertum Bethſaidæ ita ponitur, ut inter illud & Bethſaidam mare Galilææ, quam latum eſt, intercedat. *Cum igitur* (ait Boiſius) *diſcipuli, ſicut conſtat ex Evangeliſtis, e deſerto ſolverint, probabile eſt, Capernaum, ut locum viciniorem, eos primum petiiſſe, & deinde, Capernaum relicta, veniſſe Bethſaidam. Johannes igitur meminit Capernaum tantum, ut civitatis propinquioris ; Marcus Bethſaidæ tantum, ut loci ejus, quo præcipue iter dirigerent.* At rectius conciliandi utrumque Evangeliſtam opera defungi videtur *Lamius* in Harmonia p. 290. Is enim, cum intelligeret ex claris Joſephi teſtimoniis, Bethſaidam ſitam eſſe in ulteriori ripa lacus Tiberiadis, *Bethſaidam* initium navigationis facit, atque narrationem Marci ita ſupplet: *ut præcederent eum trans fretum*, & ideo deſcenderent ad mare, *ad Bethſaidam*, unde ſoluturi eſſent, *dum ipſe dimitteret populum.* Addit idem ex Matthæo & Marco, appuliſſe primum ad terram *Geneſareth*, ſed terram illam non multum remotam eſſe ab urbe Capernaum, quo proinde cito venire potuerint. *Bethſaidam* & *Capernaum* ad idem littus collocat *Noldius* in notis ad Concordant. Particul. n. 1704. Sic *Epiphanius* lib. II. adv. Hæreſes p. 437. Bethſaida & Capernaum ſcribit loca fuiſſe vicina, ὲ μακρὰν ὄντων τῶν τόπων τέτων τῷ διαςήματι. Conf. *Relandi* Palæſtin. Sacr. p. 654.

Verſ. 46. ἀγρὲς) i. e. *regiones*, quæ ſunt circa urbem. Vide *Clericum* ad Hammond.

Verſ. 51. καὶ ἐθαύμαζον) Pro gloſſemate habet *Millius* in Prolegom. auctoritate Codicis unius & alterius, itemque Interpretis Coptici. At cum hic verba Græca ἐξίσαντο ἐν ἑαυτοῖς καὶ ἐθαύμαζον verterit: *& mirabantur valde in ſemetipſis*; (vide N. T. Coptic. Wilkinſianum) videtur is τὸ ἐθαύμαζον legiſſe

& eo particula *valde* respexisse. Quicquid hujus erit, retinenda hæc vox est, præeuntibus tot Codd. & versionibus Orientis omnibus. Conf. *Whitby* p. 43.

Vers. 52. ἡ καρδία πεπωρωμένη) Vide *Schotti* Adag. N. T. p. 66.

Vers. 53. καὶ διαπεράσαντες) διαπεραν est trajicere maria aut flumina, apud profanos quoque Scriptores. Vide *Elsnerum* p. 149.

Γεννησαρὲτ) De varia nominis hujus scriptione vide *Marcschalli* Notas ad Version. Anglo-Saxonic. p. 501. De lacu ipso confer Cl. *Daniel. Wilh. Trilleri* Notas ad H. Grotii Christum Patientem p. 294.

προσωρμίσθησαν) προσορμίζειν & προσορμίζεσθαι Græcis est *nave appellere*. Vide *Elsnerum* ad h. l. p. 149. & *Heupelium* p. 141.

Vers. 56. εἰς κώμας, ἢ πόλεις, ἢ ἀγρὸὺς) De triplici hac locorum distinctione lege *Vitringam* de X. Otiosis p. 230.

ἐν ταῖς ἀγοραῖς ἐτίθεν) Ita olim Ægyptios cum ægrotis suis egisse testis est *Herodotus* lib. I. cap. 197. τὸὺς κάμνοντας, inquiens, εἰς τὴν ἀγορὴν ἐκφορέεσι &c. idemque de Iberis tradit *Strabo* lib. III. τὸὺς ἀῤῥώστους ὥσπερ οἱ Αἰγύπτιοι τὸ παλαιὸν, προσιθέασιν εἰς τὰς ὁδὸὺς τοῖς πεπειραμένοις τῶν πόνων, τῆς ὑποθήκης χάριν. Atque id quidem illi faciebant, ut plurium oculis expositi eorum, qui similia perpessi essent, consilium perciperent. Conf. *Dougtæi* Analecta N. T. p. 35.

CAP. VII.

VErs. 1. Ad hunc & sequentes nonnullos hujus capitis versus lege *Nicol. Serarium* lib. II. Trihæresii cap. III. ubi de variis Pharisæorum institutis hic memoratis exponit. Conferendi vero simul sunt ejusdem in hoc argumento adversarii, *Scaliger* & *Drusius*, suis quique locis.

Vers. 2. κοιναῖς χερσὶ) eleganter hic manus illotæ communes appellantur. Hebræis enim, quicquid turpe, sordidum atque impurum erat, id commune dicebatur ea ratione, quod, quæ publica & communia sunt, sordescere videantur. Vide *Jac. Durantum Castellium* in Thesauro Critico Gruteriano T. III. p. 211. & *Fessellium* Adversar. Sacr. Tom. I. p. 376. Pro Hebraismo itaque habet, quemadmodum & *Drusius* ad h. l. Sed eadem voce in eodem significatu usus est *Lucianus* de morte Peregrini initio, his verbis: καταφρονῶσιν ἁπάντων ἐξίσης, καὶ κοινὰ ἡγῶνται. Conf. *Pfochen.* §. 65.

τῶτ' ἔστιν ἀνίπτοις) Scholion hæc redolere, & ex margine in textum irrepsisse, quemlibet naris paulo emunctioris facile sentire, opinatur *Kusterus* in præfat. ad N. T. Millianum, ejus opera recusum. Sed recte contrariatur *Jac. Hasæus* in Biblioth. Bremensi Tom. I. p. 696. Scriptores enim Sacri sæpe obscuriora quædam aliis notioribus explicant, additis vocibus τῶ τ' ἔστιν,

nunc,

nunc, quando *Hebræa* vocabula Græcis reddunt, ut *Act.* I. 19. nunc, cum obscura Græca aliis notioribus ejusdem linguæ exprimunt, *Rom.* VII. 18. X. 6. 7. & *Philem.* 12. Itaque vel ista loca omnia glossematum arguenda sunt, vel hic etiam non temere in hanc suspicionem vocandus. Nec nihili putandus est universalis Codicum omnium, qui hic obtinet, consensus.

ἐμέμψαντο) Vocem hanc importune quempiam in textum injecisse, ad absolvendam sententiam, quæ prius satis erat perfecta, præceps affirmat *Millius* in Prolegom. eo quod in uno Cod. Alexandrin. & versionibus perpaucis desideratur. Tuetur *Whitby* in Examine p. 43. qui tamen nescio, quomodo affirmet, in uno Æthiopico tantum deesse.

Vers. 3. Οἱ γὰρ Φαρισαῖοι καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι) De variis Judæorum lotionibus, quarum hic mentio fit, & superstitiosis circa eas moribus, lege singularem Tract. Mischnicum, qui inscribitur *Massecheth* ידים & nova versione Latina notisque eruditis & luculentis illustratus prodiit cura *Mart. Jac. Owmanni*, Hamburg. 1706. 8. Adde *Pocockium* in Notis ad Portam Mosis cap. IX. p. 338. sq. *Jul. Bartolaccium* in Biblioth. Rabbin. Tom. I. p. 295. & inprimis Tom. III. p. 507. sqq. *Buxtorfium* in Diatriba de ritu lotionis manuum ante & post cœnam Vindiciis Hist. Institut. Cœnæ Domin. additam, (v. Dissert. ejus Philolog. Theolog. p. 375. sq. & 412. sqq.) item in Synagoga Judaica c. XI. *Geierum* de Luctu Hebr. c. 21. §. 5. *Schickardum* de Jure Regio Hebr. p. 396. cum notis Carpzovii, *Hottingerum* de Usu Scriptorum Hebr. in N. T. §. 3. not. in Syntagmate Rhenferdiano p. 401. Scriptores de Trihæresio, *Serarium* puta p. 33. & in Minervali p. 89. *Drusium* p. 258. & de Proverbiis Hebr. p. 339. itemque *Scaligerum* p. 390. & in Scaligeranis p. 284. *Guil. Gaulminum* in notis ad lib. II. de vita & morte Mosis p. 321. *Montacut.* p. 252. Apparat. *Wagenseilium* ad Sota p. 91. *Huetium* in Quæst. Alnetan. II. 20. p. 268. & *Dougtæum* in Analectis V. T. Exc. 138. Spectant quoque huc singulares Virorum doctorum dissertationes v. c. *Gustavi Peringeri*, Upsal. 1688. 8. *Jo. Christoph. Wichmanshausenii*, Witteb. 1716. & *Andr. Frohlundii* de χειρο-καὶ ποδονιψίᾳ Sacerdotum Hebræorum Exercitat. quinque, *Hafn.* 1695.

ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται) Quam varie Interpretes hanc phrasin acceperint, intelliges potissimum ex *Jo. Marckii* Exercit. Textual. XXX. p. 324. sq. *Stollbergio* in Posit. Philolog. Disp. II. §. 3. sqq. *Owmanno* ad Codic. Mischnic. de Lotione Manuum p. 64. *Heupelio* ad hunc Marci locum p. 145. & *Amelio* Part. II. p. 85. sqq. Primus horum recte monet, alios vocem πυγμῇ de frequentia lotionis, alios de summo studio in lotione, alios de mensura manuum lotarum, alios denique de forma manuum, cum lavarentur, accipere. Ipse vero in ultima harum sententiarum acquiescit, ideo quod vox ipsa proprie manum inflexam notet, hanc vero formam manus optime dati-

dativus adverbiascens exprimat, Judæique dudum in formam pugni inflecti voluerint in illa ante esum χειρόρσια. *Vulgatus* olim vertit: *nisi crebro laverint manus*, atque hanc interpretationem prorsus rejicere iniquum esse, censet *Boivius* in Collat. p. 118. cum πυγμῇ idem valeat, quod πυκνῶς & ἐπὶ πολύ. Provocat idem ad Scaligerum in Elencho Trihæres. c. 7. tanquam ad consentientem. Sed si locum inspexeris & cum Scaligeranis p. 284. contuleris, intelliges, Scaligerum diligentem & accuratam lotionem hic non excludere, sed ita tamen, ut inprimis indicari existimet *elevationem manuum in pugni formam compositarum*. Vulgatum tuetur præterea *Jac. Hasæus* in Biblioth. Brem. Class. IV. p. 346. cui videtur τὸ πυγμῇ hic adverbialiter sumi, quippe quæ vox a *crebra* pugni jactatione in pugna in hanc quoque notionem descenderit: quo sensu etiam acceperit *Epiphanius* hær. XV. Idem confutat *Bezam*, Vulgatum pro πυγμῇ legisse πυκνῇ cum Erasmo opinantem.

Nihilominus tamen Scaligeri interpretatio se pluribus probavit, interque eos *Grotio*, & ex nostratibus *Calovio* ad h. l. itemque *Noldio* in Notis ad Concord. Particul. Hebr. p. 1080. ita scribenti: *Nam qui accurate lavant se, non modo manum manui affricare solent, sed & pugnum inserere palmæ, & abstergere. Vide Scaliger. Elench. Trihæres. Quare* πυγμῇ *pro* ἐν πυγμῇ *pugno: quatenus manum in pugnum compositam altera lavabant manu, & defricabant. Hoc est* **sedulo & accurate**: ceu Casaubonus explicat, *Aricemontanus* pugillatim. *Solent enim hi ablativi interdum adverbiascere, ut* κύκλῳ παῤῥησίᾳ, *& similia. Judæi ante cibum tam diligenter abluebant se, ne salis Sotomitici quid hæreret manui, quod observat Leusden. Philolog. p. 408. Quæ hic alii convehunt de crebra pugnorum jactantia in pugilibus, vel de lotione a digitis ad cubitum usque, quam partem corporis volunt dici* πυγμὴν *&c. aliena sunt.* Hæc ille, cum quo consentit Cl. *Schætgenius* in notis ad Lamb. Bos de Ellipsi Gr. L. p. 325. Atque hanc sententiam & mihi præ ceteris arridere non diffiteor.

Sunt tamen, qui cum *Lightfooto* vocem πυγμὴν Hebraico פרק, quo in hoc argumento Judæi crebro utuntur, respondere putant, eamque de *carpo* seu junctura manus cum brachio interpretantur, ut sensus sit, Judæos usque ad carpum manus lavare consueviſse. Hos sequuntur *Lamius* in Comment. ad Harmon. Evangel. Cl. *Owmannus* l. c. *Heupelius* ad h. l. p. 145 & *Amelius* Part. II. p. 88. Sed hos deseri vult *Peringerus* in Dissert. citata p. 9.

Vers. 4. καὶ ἀπὸ ἀγορᾶς) Non opus est, cum paucis quibusdam Codd. post ἀγορᾶς in textum recipere ὅταν ἔλθωσιν, quod ab elegantis Græcismi ignaris additum. Nam eodem modo loqui solent Græci. Theophrast. Character. c. XXIV. p. 100. ἀπὸ δείπνου ἐντεύξεσθαι φάσκειν *dicere se a cœna conventurum.* Conf. c. 16. p. 74. & *Pythag.* apud Jamblich. Vit. Pythag. p. 41. Ita recte Cl. *Elsnerus* p. 150. Quod ipsum aliis veterum, v. c. *Arriani* Dissert. lib.

lib. III. c. 29. &c. locis confirmat *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 130. ſqq. Subaudiri vero in hac locutione idem *Elsnerus* vult vocem γενόμενοι, (quæ ſupplenda quoque viſa eſt J. C. *Dieterico* in Antiquitat. N. T. p. 33.) quam addit *Herodotus* lib. II. c. 78. ἐπεὰν ἀπὸ δείπνε γένωνται, vel ὄντες, ut idem *Herod.* lib. I. c. 126. ἀπὸ δείπνε ἦσαν. *Lamb. Bos* autem de Ellipſi p. 256. & *Schætgenius* in Notis ad eum libellum p. 70. ſubintelligi malunt ἐλθόντες vel ἐρχόμενοι. Per ἀγορᾶν hic non tam forum ipſum, quam negotia forenſia indicari videntur *Camerario;* vel etiam *res emtæ*, tanquam quæ lavari debuerint. Sed contra hoc poſterius excipit *Marckius* l. c. p. 330.

καὶ κλινῶν) i. e. lectorum, non cubiculariorum & dormitoriorum, ſed triclinarium & diſcubitoriorum, judice *Nigronio* de Caliga p. 57. Α κλίνη enim eſt τρικλίνιον.

ξεςῶν) *Sextariorum*, quod eſt nomen menſuræ liquidorum. Vox eſt corrupta Latina ex ſextario, quod ex *Galeno* Beza obſervat. Legitur eadem vox apud *Arrianum* Diſſ. lib. II. c. 16. p. 197. Tranſiit vero etiam in Orientem, ceu oſtendit *Pocockius* ad Portam Moſis p. 404. Videtur vero hic non tam vas certæ menſuræ, quam vas quodcunque, quotidianis uſibus deſtinatum, inferre cujuscunque capacitatis. Vide *Heupelium* ad h. l. p. 149.

Verſ. 5. De triplici Hebraiſmo, qui in hoc commate latere videtur, lege *Hackſpanii* notas p. 210.

Verſ. 9. ἀθετεῖτε) Vox apud *Polybium* frequentiſſima, ut *Caſaub.* monuit, & variis exemplis probavit *Raphelius* in Notis Polyb. p. 133.

Verſ. 11. Κορβᾶν, ὅ ἐςι δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς) Ad horum verborum intelligentiam refer, quæ ad *Matth.* XV. 4. a nobis dicta ſunt. Iſtis autem ſupplementi loco hæc adde. Κορβᾶν קרבן, ſpeciem peculiaris voti in V. T. fuiſſe, qua liberi ſe obligarint, ſe nihil de bonis ſuis Parentibus ceſſuros, exiſtimat *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 211. quam in rem conferri idem vult ſingularem *Ludov. Cappelli* tractatum de hujusmodi votis, Myrothecio Cameronis additum. *Joh. Bapt. Hanſenius* de Jurejurando veterum cap. 27. Tom. V. Antt. Roman. p. 858. Judæos putat per *corban* juraſſe, eo ſenſu: *juro per munus, ſi quacunque re a me, ſive quod ad me attinet, juveris.* Ex *Claud. Salmaſii* ſententia p. 225. de Fœnore Trapezitico hæc jurandi formula Hebraice ita a Judæis concepta eſt: כל מה שאני עושה לפי אבא בקונם h. e. *quodcunque ego paro, erit reſpectu Patris mei velut oblatio ſacra.* Atque hoc modo Judæum ſe putat obligaſſe, ut Patrem non juvaret, aut, ſi juvaret, illud omne, quo illi benefacere cogitaret, ſacrum eſſet. Idem p. 223. confutat *Heinſium*, horum verborum ſenſum ita repræſentantem, ac ſi Judæus diceret: quo te juvare poſſem, id omne jam Deo dedi, tanquam qui opes ſuas jam in gazophylacium miſiſſet. *Lacerda* p. 448. b. Adverſariorum Hieronymum ſequitur ita interpretantem: *ſi non templo, ſed tibi dedero, in tuum vertetur refrigerium*

i. e. *quod altari tribuo, tibi etiam proderit.* *Possinus* in Spicileg. Evangelico p. 107. cum plerisque ita explicat, quod *Corban* significet donum religiosum, aris admotum, quod jam amplius nefas sit profanis usibus addicere. Sensum itaque phraseos hunc elicit: *Donum est, quodcunque ex me tibi proderit.* Atque eum, quod ad Matthæum monuimus, ex scriptis Talmudicis, frequentique in illis phrasi: קונם שאני נהנה לך confirmavit multis *Lightfootus*, contra quem nescio, quid solidi limatique afferre potuerit *Jo. Pastritius*, quem hanc interpretationem tractatu singulari MS. oppugnasse testis est *Imbonatus* in Biblioth. Latino-Hebr. p. 126. Explicationem *Lud. de Dieu* amplecti se scribit *Coccejus* in epist. ad ipsum data, quæ legitur in Opp. hujus Posthumis Tom. II. p. 626. b. hæc addens: *Sic igitur censeo, esse in ea formula consecrationem indefinitam & conditionatam ejus rei, quam pater facturus fruendi causa, vel filius, oblitus voti, fortassis patri traditurus esset, ita ut voventi quidem nihil esset sacrum in specie, sed utenti omnia indefinite, cujus nomine designabatur.*

Lege præterea de his verbis *Pocockium* ad Portam Mosis p. 338. sq. *Stolbergium* in Exercitatt. de Solœcismis &c. p. 382. *Seldenum* de Jure Nat. & Gent. p. 834. sq. *le Cene* in Projet p. 518. *Odhelium* in Synagoga Bifronte p. 13. *Heupelium* ad h. l. p. 156. & *Nic. Heebo* Vindicias genuini sensus τῶ Κορβᾶν, *Hafn.* 1707. Nostram quidem sententiam ad Matthæum edisserimus.

Vers. 15. Οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν &c.) Quæ contra hæc excipit Auctor libri *Chissuck Emuna*, ea diluit *Gussetus* in Confutatione ejus Part. I. c. XV. §. 16.

ἐκεῖνά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον) *Vulg.* habet: *quæ communicant.* Sed *Boisius* in Collat. ad h. l. legi mavult: *quæ coinquinant.* B. *Lutherus* vertit gemein machen, quem tuetur *Raithius* in Vindiciis contra Emserum p. 370. Significatus scilicet hic verbi κοινοῦν est Hellenisticus, quem hic Lutherus voce Germanica, ad eandem notionem accommodata, exprimere voluit, non ignarus alioquin, idem esse, quod *inquinare.*

Vers. 16. Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω) *Millius* pro adscititiis habet: sed vide *Whitbii* Examen p. 43. Ad marginem Codicis MS. Coptici a manu recente adscripta hæc legi testis est Cl. *Wilkinsius* in Proleg. ad N. T. Coptic. p. 18.

Vers. 17. περὶ τῆς παραβολῆς) i. e. *de dicto illo obscuro.* Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 568.

Vers. 18. τὸ ἔξωθεν εἰσπορευόμενον) Similiter *Xenophon.* Cyropæd. lib. I. p. 24. ἐκπονῶ τὰ εἰσιόντα h. e. *in ventrem immissa laborando digero.*

Vers. 22. πλεονεξίαι) i. e. *injustæ rei augendæ artes.* Vide *Boisii* Collationem p. 119.

ἀσέλγεια) De *Lascivia* seu *impudicitia* vocem accipiunt Interpretes, quæ

quæ tamen h. l. generatim *injuriam* infert, recte obſervante in Notis Polyb. *Raphelio* p. 133. Si enim obſcœnitatem vel in dictis vel in factis intelligi Salvator voluiſſet, eam vocem vitiis cognatis μοιχείαις, πορνείαις, de quibus v. 21. addidiſſet, uti fit 2 *Cor.* XII. 21. *Rom.* XIII. 13. & *Gal.* V. 19. At hic ἀσελγεια *dolo* jungitur, & Græci voce hac utuntur ad denotandam *injuriam inſigniorem* & *enormem*. Lege *Polybium* lib. I. c. 6. p. 8. V. 28. p. 523. & p. 506. Germani per Muthwillen exprimunt. Confer de hujus vocis notione *Arnaldum* in Defenſione Verſ. Gall. Montenſis p. 211. ſqq.

ὀφθαλμὸς πονηρὸς) i. e. *invidia* per Hebraiſmum. Hebræis enim עין טוב *beneficum* ſeu *benevolum*, עין רע *malevolum* & *invidum* denotat. Vide *Prov.* XXII. 9. XXIII. 6. & XXVIII. 22. Adde *Hackſpan.* Notas p. 211. ſq. & *Suicerum* in Theſaur. Tom. II. p. 534. *Polybius* lib. I. c. 7. & lib. II. c. 17. p. 147. verbo ὀφθαλμιᾶν ſimilem fere notionem tribuit, obſervante Rev. *Raphelio* in Notis Polybian. p. 135.

ὑπερηφανία) Vide de hac voce *Caſaubon.* ad Theophraſti Characteres pag. 419.

ἀφροσύνη) *amentia* non ad cor, ex qua hic egredi dicitur, ſed ad intellectum potius videri poterat referenda. Enimvero *cor* Hebræis ponitur pro omnibus facultatibus, ſive mentis ſint, ſive voluntatis.

Verſ. 24. εἰς τὰ μεθόρια) Vide huc Mareſchalli Notas ad verſ. Gothic. p. 428.

Verſ. 25. ἣς εἶχε τὸ δυγάτριον αὐτῆς) De Hebraiſmo hic obvio lege *Vorſtii* Philolog. S. Part. II. p. 103.

Verſ. 26 Ἦν δὲ ἡ γυνὴ Ἑλληνὶς) Femina hæc Ἑλληνὶς appellatur a religione, quod gentilis erat & idololatriæ addicta, quæ ſententia eſt *Salmaſii* de Funere Linguæ Helleniſt. p. 124. & in Commentar. L. Helleniſt. p. 218. Viciſſim *Dan. Heinſius* & *Jo. Crojus* in Obſervatt. Sacris p. 236. non a ſuperſtitione Ethnica ita vocatam ſtatuunt, ſed quod, quæ gente Judæa non eſſet, ad Judæorum ſacra acceſſiſſet. *Salmaſium* hic ſequuntur plures, inprimis ex noſtratibus v. c. *Hackſpanius* in Notis p. 213. *Raithius* p. 370. Vindiciarum verſionis Germanicæ, ubi eadem opera pro Luthero pugnat, per Griechiſch, reſpectu ad vocem Græcam penitius habito, interpretante, itemque *Glaſſius* in Philolog. Sac. p. 967. Atque his partibus ſine dubio accedet, qui meminerit, in tota orationis ſerie eam Judæis, ut filiis regni, opponi. Contraria tamen Heinſii ſententia placuit *Joſ. Arndio* in Miſcellan. Sacr. p. 7. ideo inprimis, quod Chriſtum appellat Dominum & filium David, idque non ex tenui fide, neque parva, quam Chriſtus ipſe μεγάλην πίστιν nominat. Deinde vero, quod notabili facto Spiritus S. tanquam diſtincta ponat Ἑλληνὶς priore loco, & deinde Συροφοίνισσα, addito τῷ γένει, ut ſciatur,

qualis gente fuerit: ut proinde Ἑλληνὶς necessario ad religionem referri debeat. Sed est, quod contra hæc excipi possit. Fidem illam in Christum haurire potuit femina ex frequentibus nunciis de Christi potentia & humilitate, per miracula huc tum comprobata, ab aliis acceptis, per quos etiam in notitiam nominis, *filii David*, pervenit. Hanc inquam cognitionem, adeoque & fidem, æque facile de Christo nanciſci poterat, etiamſi Judæorum ſacra nondum profeſſa eſſet, & forte facilius, præjudiciis quippe & maleſanis Phariſæorum calumniis non occupata. Ne dicam, Deum in Judæorum confuſionem ſingulare quid in hac femina, in fidei tramite conſtituta, operatum videri. Deinde largior non invitus, Ἑλληνίδα religionem inferre. Sed id probandum adhuc fuerit Viro docto, voces Ἕλλην & Ἑλληνὶς ſemper *proſelytum* aut *proſelytam* ſignificare.

Συροφοίνισσα) Lectio hæc plurium Codicum auctoritate confirmatur, atque adeo reliquis v. c. Συροφοινίκισσα, Σύρα Φοινίκισσα, vel Σύρα Φοίνισσα recte præfertur. De nomine ipſo placet *Relandi* ſententia in Palæſtina Sacra propoſita p. 50. *Regio* Συρία *latiori nomine dicitur, cujus pars erat Phœnice, quæ & ipſa Syria Phœnice vocabatur. Syria Phœnice etiam pars hujus regionis appellatur, unde* Συροφοίνισσα *mulier Marc. VII. 26. vel* Σύρα Φοίνισσα, *quæ alias Matth. XV. 22.* Καναναία, *quia* Φοινίκη & *Canaan aliquando* ἰσοδυναμοῦντα *cenſentur, de quibus ſupra p. 7. Ita apud Juvenalem* Satyr. VIII. *una voce legitur* Syrophœnix.

\- - - - *Idumæa Syrophœnix incola portæ.*

Confer ſimilia in Hiſtor. Critica Reip. Literar. Tom. VII. p. 366. ſq. ubi apud veteres *Syrophœnix* vel *Phœnico Syrus* occurrere oſtenditur eodem Juvenalis loco, & altero præterea *Diodori Siculi* lib. XIX. c. 103.

Verſ. 27. καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις) Vide huc *Suicceri* Theſaurum Tom. II. p. 198. ubi ex Patribus oſtendit, qua de cauſa Gentiles canum nomine appellentur.

Verſ. 28. ἀπὸ τῶν ψιχίων) *B. Lutherus* vertit per: Broſamen, de qua voce lege B. *Stadenii* Expoſitionem vocum Germanic. difficiliorum p. 146. ed. noviſſimæ.

Verſ 31. ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου καὶ Σιδῶνος) Voces καὶ Σιδῶνος verſiones quædam ut Vulg. ita referunt, ac ſi legeretur διὰ Σιδῶνος, quod & mavult cum Codd. quibusdam MSS. *Millius*, contra quem recte diſputat *Whitby* in Examine p. 43. *Vulgatam* hic deſerere non dubitarunt *Maldonatus* & *Rich. Simon* in Verſ. Gall.

Verſ. 32. μογιλάλον) Per *attubum* vertit *Scaliger* in ep. ad G. Seguinum. *Eſt* γλωττόδεσμος, inquit, *linguæ vinculum* (vel forte *vitium*) *quo qui laborant, in Evangelio* μογιλάλοι *dicuntur, a veteribus Latinis* attubi. Adſtruit idem *Boiſius* in Collat. p. 120. B. *Lutherus* interpretatur ſtumm, pro quo pugnat *Feſſelius* Tom. I. p. 434.

p. 434. sq. Adverſ. Sacr. Certe οἱ LXX. voce hac eo ſenſu utuntur, qui etiam obtinere h. l. debet, ſi κωφὸς de naturaliter *ſurdo* interpreteris, ut non dicam ἄλαλον v. 37. eidem explicationi præſidium afferre.

Verſ. 33. καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου) *poſtquam ſeduxerat eum a turba ſeorſim.* Verbum ἀπολάβεσθαι eodem ſenſu adhibet *Appian. Alexandr.* de Bello Civ. lib. V. p. 1105. & *Philoſtr.* Vit. Apollon. lib. VII. c. 18. ἀπολαβών με ἰδίᾳ, item *M. Antonin.* lib. IV. §. 3. ubi lege *Gatackerum.* Adde *Elsnerum* p. 150. qui recte monet, hinc confici, pro ἀπολαβόμενος non deberi cum nonnullis legi ἐπιλαβόμενος.

Verſ. 34. ἐξέναξε) *ingemuit*, quæ propria eſt hujus verbi notio, a qua præter rem cum *Heinſio* recedit *le Cene* in *Projet* p. 573. *clamorem* hic innui cenſens, quam οἱ LXX. eadem voce exprimere ſoleant. Enimvero & totius rei geſtæ circumſtantiæ, & habitus Chriſti, oculos in cœlum tollentis, jubent nos de gemitu & ſuſpiriis Chriſti, vel ad Patrem miſſis, vel miſerationem humanæ ſortis inferentibus, cogitare.

Ἐφφαθά) De forma verbi hujus vel Syriaca, vel Hebraica lege *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 227. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 307. item *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris. Pia magis quam ſolida ſunt *Poſſini* in Spicileg. Evangel. p. 75. cogitata, exiſtimantis, Evangeliſtam hic retinuiſſe vocem Hebraicam, ut indicaret, Hebræam linguam primam aperuiſſe hominum aures ad fidem, prolatis per eam primum Dei verbis.

Verſ. 35. διηνοίχθησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί) De phraſi hac lege *Vorſt.* Philolog. S. Part. II. p. 229. & *Hackſpan.* in Not. p. 213.

καὶ ἐλάλει ὀρθῶς) Ita dicitur ἀνέβλεψε ὀρθὸς apud *Fleetwodum* in Inſcription. p. 38.

Verſ. 36. ἵνα μηδενὶ ε�ίπωσιν) Ideo forte taceri hoc voluit Salvator, quia ſanatio hæc privatim facta erat: vide *Witſii* Meletemata Leidenſia p. 351. aut quia indignos judicavit Chriſtus illius vici incolas, ut nova miracula viderent, aut facta eſſe audirent. Legatur idem l. c.

ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλετο, μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον) Editiones nonnullæ τὸ μᾶλλον, ſublata interpunctione, quam plures hic habent, ad περισσότερον referunt, atque id præſtare cenſet *Gatackerus* de Stylo N. Teſt. p. 221. qui optimos quosque Græciæ Scriptores τὸ μᾶλλον comparativis addidiſſe variis exemplis commonſtrat. Ejusmodi affert quoque *Heupelius* ad h. l. p. 175. ex Latinis vero Scriptoribus talia promit *Vechnerus* in Hellenolexia p. 76. & *Taubmannus* ad Virgilii Culic. v. 78. Quod ad ſenſum nihil intereſt, utram ſententiam hic eligas. Mihi tamen illi placent, qui τὸ μᾶλλον ad διεστέλλετο proxime pertinere putant, quæ ad ſenſum τοῦ ὅσον ne-

ceſſaria videtur, quamque in hac ſtructura alias ſubintelligi ſolere obſervat *Heupelius* de Dialector. Græc. proprietatibus Can. 132. & 246.

Verſ. 37. Καλῶς πάντα πεποίηκεν) Ita *M. Antoninus* I. 15. de Maximo: περὶ ὧν πράττει, ἃ καλῶς πράττει.

καὶ τοὺς ἀλάλους λαλεῖν) Vide huc *J. C. Dieterici* Antiquitates N. T. Tom. I. p. 76. ubi de variis vocis ἄλαλος ſignificatibus. Ipſe in medio relinquit, utrum hic de penitus *muto* an de homine impeditæ linguæ accipienda ſit.

CAP. VIII.

AD v. 1. & 2. de providentia Dei in neceſſitate extrema diſſerit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 641.

Verſ. 1. παμπόλλου ὄχλου) Nonnulli Codd. inter quos & meus eſt, cujus Collationem dedi Tom. III. Anecdotorum, & verſiones legerunt πάλιν πολλοῦ. Vide *Millium* & *Mareſchallum* p. 428. Videtur illud πάλιν natum eſſe ex prima ſyllaba vocis παμπόλλου.

Verſ. 2. σπλαγχνίζομαι) De emphaſi hujus verbi ad h. l. diſſertatione ſingulari commentatus eſt Cl. *Chriſtianus Schœtgenius*, Lipſ. 1712. Vide & alios, quos citat B. *Jo. Jac. Schudt* in Deliciis Hebræo-Philolog. p. 245. inprimis autem *Vorſtium* in Philolog. Sacr. Part. I. c. II. p. 36. qui nominatim confutat *Salmaſium*, de Lingua Helleniſt. p. 120. tradentem, τοὺς LXX. vocem hanc nove confinxiſſe. Recte enim monet, illud in verſione eorum non inveniri. Videtur tamen *Salmaſius* cogitaſſe de voce σπλάγχνα, qua illi paſſim utuntur.

Verſ. 3. ἐκλυθήσονται) *deficient*; vide de hoc verbo *Crauſeri* Phoſphorum N. T. p. 901.

μακρόθεν) i. e. *longe*: v. *Scaliger* in Actis Literariis a *Schurtzfleiſchio* editis p. 25.

Verſ. 4. Πόθεν) eodem ſenſu, quo hic adhibetur, etiam apud *Arrianum* occurrere obſervavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 136.

Verſ. 7. εὐλογήσας) Codd. nonnulli Græci addunt αὐτοὺς, probante *Ameloto* in Verſ. Gall. contra quem lege *Rich. Simonem* de Verſion. N. T.

ἰχθύδια) Vid. *Suicer.* Tom. II. Theſauri p. 539.

Verſ. 8. ἦραν) Hoc alii cum η ſine jota ſubſcripto, atque hi rectius exprimunt. Vide huc *Heupelium* ad h. l. p. 180.

Verſ. 10. μέρη Δαλμανθᾶ) Alii ſed pauci Codd. pro μέρη legunt ὅρια

ſine

ſine ſenſus diſcrimine. Pro Δαλμανεθὰ apud *Matth.* XV. habes Μαγδαλὰ, quod & unus alterque Codex in hoc Marci loco exhibuit. Hinc Interpretes ſoliciti fuerunt de ratione utrumque Evangeliſtam conciliandi. Alii enim eundem locum utroque hoc nomine indicari cenſent, poſt Hieronymum, quæ & *Mareſchalli* eſt ſententia in Obſervatt. ad Verſ. Gothic. p. 430. Alii *Dalmanutham* pro regione, *Magdalam* vero pro urbe habent. Alii vicinas ſibi invicem urbes eſſe contendunt. Vide in hanc ſententiam *Lightfooti* Decadem Chorographicam Marco præmiſſam c. V. §. 2. cum quo facere videtur ad eum provocans *Relandus* in Palæſtina Sacra p. 133. Accedit & *R. Simon* in notis ad Verſionem Gall. Atque id quidem præ ceteris fidem meretur, & ſic ſibi optime conſtant Evangeliſtæ, quorum uterque ὅρια commemorat, quæ ſcilicet *Magdalam* & *Dalmanutham* conjunxerunt. Conf. ad Matth. XV. 39.

Verſ. 11. ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ) intelligi videtur ejusmodi miraculum, quale conſpectum eſt a Johanne Baptiſta, cum Chriſtum baptiſaret, judice *Clerico* ad Hammond.

Verſ. 12. τῷ πνεύματι αὐτοῦ) ita gemitus vehementia ſignificatur, ut *Act.* XVII. 16. Τὸ πνεῦμα enim non ſolum animum ſignificat, ſed etiam animum affectu quopiam perculſum. V. *Clericum* ad Hammond.

Τί ἐπιζητεῖ) i. e. διὰ τί, id quod variis ſacrorum & profanorum Scriptorum locis evincit *Heupelius* ad h. l. p. 183. Sic Latini *quid* pro *cur* adhibent frequenter. Lege *Turſellinum* de particulis p. 269. & *Pareum* de particulis L. Lat. p. 105. ſq.

εἰ δοθήσεται) Codd. nonnulli legunt ἐὰν δοθήσεται quod natum eſt ex explicatione marginali. Τὸ εἰ enim idem h. l. eſt, quod ἐὰν.

Verſ. 14. Καὶ ἐπελάθοντο) Codd. quidam addunt οἱ μαθηταὶ, & quidem ex interpretamento, quod poſt Lucam Brugenſ. recte monet *Millius*.

Verſ. 15. καὶ τῆς ζύμης Ἡρῴδου) Matth. XVI. 6. pro Ἡρῴδου legitur Σαδδουκαίων, unde eruditorum nonnulli conficiunt, Herodianos in nonnullis ſaltem capitibus cum Sadducæis conveniſſe. Conf. *Relandus* in Antiquitatt. Hebraic. p. 263.

Verſ. 16. πρὸς ἀλλήλους) i. e. ἐν ἑαυτοῖς *Matth.* XVI. 7. vel πρὸς ἑαυτοὺς, ut *Luc.* XXII. 23.

ὅτι ἄρτους οὐκ ἔχομεν) τὸ ὅτι hic videtur πλεονάζειν, & alias ſæpe apud noſtrum, ut V. 35. VI. 4. 15. 16. 18. &c. Vid. *Homberg.* ad h. l. Hinc & factum eſt, ut Codd. nonnulli illud prorſus, ſed temere, omiſerint. Id puto rectius, quam quod *Heupelius* ad h. l. exiſtimat, ante ὅτι ſubintelligendum eſſe: *dixit.*

Verſ.

Verſ. 18. καὶ οὐ μνημονεύετε) Hæc verba *Hombergius* ad h. l. p. 94. omnino pertinere putat ad v. 19. ut ita fluant: *an non recordamini, cum quinque illos panes fregi, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuleritis?* Pro argumento affert, quod primum reſponſio diſcipulorum id exigat, deinde quod *Matthæus* XVI. 9. ita omnino loquatur, ac denique verbum μνημονεύω nunquam ſignificet *memorem eſſe* in genere, ſed potius *recordari, meminiſſe rei alicujus:* unde & ſemper cum caſu objecti vel rei, de qua ſermo eſt, legatur. Ego nihil hic mutandum putem. Nam reſponſio diſcipulorum tantum reſpicit interrogationem Chriſti: quot fragmentorum corbes reliquas habuerint? Reſpondent enim: duodecim. Quod neſcio quomodo τὸ μνημονεύειν reliquis tam arcte jungendum ſuadeat. Matthæus quidem habet οὐδὲ μνημονεύετε τοὺς πέντε ἄρτους, ſed id nihil aliud probat, quam Marcum eodem modo loqui potuiſſe. Verbum μνημονεύειν ſimpliciter uſurpari pro *memorem eſſe*, Henr. Stephanus probat, adducto Demoſthenis loco: μνημονεύω ὅτι, & *Plutarchi:* ἀνεγνωκὼς ἔφη μνημονεύειν. Et ſane, hoc ipſo in loco, & ſi id cum ὅτι &c. conjungamus, non alium tueri ſignificatum poteſt. Taceo, Dominum noſtrum duo hic miracula commemorare, quæ memoria recipere debebant, neque tamen repetere in altero τὸ μνημονεύειν.

Verſ. 22. εἰς Βηθσαϊδάν) Unus Codex *Cantabrig.* (non plures, quod tradit Relandus loco mox citando) & cum eo verſio Gothica legit Βηθανίαν. *Cum autem,* inquit Mareſchallus p. 431. ad verſ. Goth. *rationem ignorem, quare pro Bethſaida hoc loco ponatur Bethania, atque difficultates inſuperabiles videam in chorographia terræ Canaaniticæ, ambiguitatemque in ipſius Bethſaidæ ſitu; ab ulteriori diſquiſitione deſiſtendum duxi. Forſan error natus ſit ex nominum Bethſaidæ & Bethaniæ ſimilitudine, ut alibi pro Bethesda legimus Bethſaida in Vulg. Lat. Joh. V. 2. Relandus* in Palæſtina Sacra p. 654. lectionem illam Βηθανίαν recte improbat, quod antecedentia & conſequentia Chriſtum potius in Galilæa cœcum hunc ſanaſſe doceant, quam prope Hieroſolymas.

φέρουσιν αὐτῷ) ſc. φέροντες. *Hackſpanius* ad h. l. p. 215.

Verſ. 23. ἔξω τῆς κώμης) Alias Bethſaida vocatur πόλις, ut Joh. I. 45. Luc. IX. 10. & alias: hic vero κώμη ſeu vicus. Sed κώμη & πόλις de iisdem locis dici ſolet, ut *Bethlehem* Luc. II. 4. urbs Joh. VII. 42. vicus vocatur. Julianus quoque Bethſaida κώμην appellat. Vide *Relandum* l. c.

πτύσας εἰς τὰ ὄμματα αὐτοῦ) Simile de Veſpaſiano narrat *Tacitus* IV. cap. 81. *Ex plebe Alexandrina,* inquiens, *quidam oculorum tabe notus, genua ejus advolvitur, remedium cœcitatis expoſcens gemitu, precabaturque Principem, ut genas & oculorum orbes dignaretur reſpergere oris excremento. Igitur Veſpaſianus cuncta fortunæ ſuæ patere ratus, nec quicquam ultra incredibile, læto ipſe vultu, erecta, quæ aſtabat, multitudine, juſſa exſequitur: ſtatim cœco reluxit dies.* Lege eadem conciſius apud Suetonium in Vita ejusdem cap. VII. De Hadriano idem

idem refert Spartianus cap. XXV. Atque hic Diabolum in hoc Vespasiani facto Christi quasi mimum egisse contendunt *Casaubonus* ad Suetonium, *Urbanus Chevræus* in Oper. Miscellan. p. 646. sq. & *Jo. Lomeierus* de Lustrat. p. 317. Vicissim Grotius lib. IV. de veritate R. C. Deum putat ostento hoc, per Vespasianum patrato, indicare voluisse, se Vespasianum ad imperatoriam dignitatem proxime evecturum. Atque huic quidem assentitur Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. Sed vide, quæ Grotio pridem recte opposuit *Bæclerus* in Notis ad Suetonii l. c. & *Morhofius* in Dissert. de Medico Principe p. 156. Dissertt. Academic. Sunt, qui rem omnem fictam, fucumque inspectantibus factum esse contendunt. Inter hos video esse *Hottingerum* Hist. Eccles. Sæc. II. p. 54. *Huetium* in Demonstrat. Evangel. Propos. IX. c. 39. §. 6. & *Thom. Bartholinum* de Morbis Biblic. c. XX. p. 89. Alii denique rem quidem ipsam vere actam arbitrantur, sed ita, ut fraus tum Vespasiani ipsius, tum Sacerdotum Ægyptiorum, intercederet, atque adeo totum portentum impostura absolveretur. In hanc sententiam, quam non dubii amplectimur, docte disputat Cl. *Heumannus* in Dissert. singulari de Miraculis Vespasiani Imp. *Jen.* 1707. 4. Fuerunt, qui naturalem salivæ vim ophthalmicam huc advocarent. Quæ utut negari illi ex parte non possit, fidem facientibus exemplis nonnullis in Miscell. Medico-Physic. Anni III. Obs. XCII. & ab *Anton. Nuck* in Anatomia salivæ memoratis, absit tamen, ut vel hoc Christi miraculum inde repetamus, vel impostura Vespasiani palliemus.

Vers. 24. Βλέπω τὰς ἀνθρώπους ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ περιπατοῦντας) Alii ita: βλέπω τὰς ἀνθρώπους ὡς δένδρα περιπατοῦντας, quod in MSS. æque ac editis nonnullis occurrit. *Dura tamen*, inquit Clericus, *est constructio*, ὡς δένδρα περιπατοῦντας, *nec scio, an olim lectum sit* περιπατοῦντα, ut arbores, quæ ambulant: *adeo ut velit cæcus, se videre duo genera rerum sibi objectarum, quarum aliæ eodem loco hærerent, nempe arbores; aliæ vero, arboribus alioquin non dissimiles, ambularent, seu essent instar ambulantium arborum.* Sed non est causa, cur a vulgarissima lectione, quam primo loco posuimus, recedamus, aut quidquam mutemus. Si enim ita interpungas: βλέπω τὰς ἀνθρώπους, ὅτι ὡς δένδρα ὁρῶ, περιπατοῦντας, hic prodibit sensus: *video homines, video tamen ut arbores, obambulantes:* i. e. minus distincte eos video, ut, nisi obambularent, arbores esse putarem. Ceterum homines cum arboribus comparari a profanis Scriptoribus, ostendit *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 66. Confer huc, quæ de simili luscitioso affert *Hippocrates* de Diebus Judicator. §. III. observante Cl. *Trillero.* Afferemus adhuc *Adr. Cocquii* verba ex Phytologia ejus Sacra p. 48. Ita vero ille ad h. l. *Quæ est elegans*, inquit Heinsius, *curatæ cæcitatis, quæ τῆς ἀληθείας (ut Plato loquitur,) σημεῖα παραλλάττει, descriptio aut hypotyposis. Hæc autem ostendunt, cæcum istum potuisse motum hominum percipere, non autem formam ipsam distinguere, quasi diceret:* Video homines incedentes, sed proceros

ut arbores. *Vel, ut explicat Tremellius:* Video, homines esse, quia ambulant, & similes esse arboribus, quia erecta sunt statura. Idem ibidem ostendit, Apoc. VII. 1. VIII. 7. & IX. 4. homines cum arboribus comparari. Conf. præterea *Voglerum* de rebus natural. p. 423. sq.

Vers. 25. τηλαυγῶς) *clare:* v. *Boisii* Collationem p. 122.

Vers. 31. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων) ἀπὸ idem quod ὑπὸ, quæ præpositiones frequenter inter se permutantur. V. *Matth.* XI. 19. & XVI. 24. Profani quoque Scriptores idem non refugiunt. V. *Pfochenium* §. 115.

μετὰ τρεῖς ἡμέρας) i. e. *tertio die*, de quo locutio hæc inclusive accipienda est. Vide Biblioth. Bremens. Class. I. p. 32. Malim vertere: *intra triduum.* Vide *Hackspanium* ad h. l. p. 216. *Glassium* in Philolog. Sacra lib. III. Tract. VI. Can. II. qui & profanos particulam μετὰ sic adhibere ostendit, & *Saubertum* in Palæstra p. 216. *Boisius* in Collatione p. 122. eo, quem diximus, modo hic necessario exponenda esse ait, etiamsi tota Grammaticorum manus contra veniat, nec verba etiam hanc interpretationem repudiare. Τὸς LXX. præpositione ista sæpe uti, quando Hebræi aliquid in aliquo tempore, sive intra aliquod tempus, factum dicunt, ostendit *Keuchenius* ad h. l. Adde *Jo. Wandalini* Dissertat. contra Wilh. Langium c. IV. in Syntagmate Græviano p. 292. sq. & B. *Wegneri* Diss. Histor. Theol. de triduo mortis Christi p. 319.

Vers. 33. Ὕπαγε ὀπίσω μὲ Σατανᾶ) Vide huc *Suiceri* Thesaur. Tom. II. p. 941.

ὲ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ) i. e. *non stas a partibus Dei.* Ita etiam profani Scriptores loquuntur. Vide *Raphelium* in Annotatt. Philolog. semicentur. p. 5.

Vers. 35. τὴν ψυχὴν) i. e. *vitam* ex Hebræo נפש. Vid. *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 216. & *Martianæum* in Conatibus p. 198.

Vers. 37. Huic commati parallelum esse *Ps.* XLIX. 9. primum se monuisse existimat *Martianæus* l. c. cum tamen, ut ceteros taceam, idem observarit *Curcellæus* in sua N. T. editione.

Vers. 38. ὃς γὰρ ἂν ἐπαισχυνθῇ) stolidum hujusmodi pudorem reprehendit etiam *Socrates* apud Xenophontem. V. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 71.

ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ) γενεὰν hic non *generationem*, sed *ætatem* significare, notat *Hombergius* ad h. l. p. 95.

CAP.

CAP. IX.

VErſ. 2. & ſqq. illuſtratos vide a B. *Chriſtoph. Sonntagio* in Obſerv. Miſcell. ad Hiſtor. de transfiguratione in monte, *Altorf.* 1695.

μεθ' ἡμέρας ἓξ) i.e. *poſt ſex dies*, non autem, *ſexto die inchoato*, ceu interpretatus eſt *Columbus* ad Lactantium, refutatus recte a *Nic. Toinardo* in notis ad ejusdem lib. de Mortibus Perſecutorum c. 2. Lucas enim in loco parallelo IX. 28. habet: ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτώ. Neque hic pugna eſt inter utrumque. Matthæus enim & Marcus, ut notarent factam transfigurationem in ſabbato, dixerunt, Dominum poſt dies ſex aſſumſiſſe diſcipulos, h. e. transacta hebdomade, ſive poſt ſpatium illud, quod dicebatur dies ſex. Sex dies enim erant ex lege, ſecundum *Lucam* XIII. 14. in quibus licebat operari: hos excipiebat ſeptimus, qui erat ſabbatum: qui tamen etiam dicebatur octavus dies ab altero ſabbato, ſimul computato. Atque hinc patet, quomodo Lucas octo dierum fecerit mentionem. Judæos vero dies octo appellaſſe id temporis, quod ab uno ſabbato efflueret ad alterum, vel *Joſephi* exemplo Antiquitt. VII. 11. conſtat. Is enim, cum dixiſſet, Sacerdotum vices in templo fuiſſe per octo dies, ἐπὶ ἡμέρας ὀκτὼ addit, a ſabbato ad ſabbatum, ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον. Ita *Lamius* recte & obvie, ſaltem ſpecioſe, Evangeliſtas conciliat, quamvis nonnulla oppoſuerit *Olearius* in Obſervatt. Sacr. p. 474. Id tamen amplecti malim, quam cum *Whitbio* in Notis ad N. T. dicere, *Matthæum* & *Marcum* eos tantum dies computaſſe, qui inter ſermones Chriſti & aſcenſum in montem interceſſerint, *Lucam* autem ſimul comprehendere dies, qui ſermonibus a Chriſto habitis & aſcenſione in montem confecti ſint. Confer ad hoc & ſequentia nonnulla commata *Relandi* Paläſtin. Sacr. p. 335.

Verſ. 3. λευκὰ λίαν) De colore albo, divinitati conveniente, lege ad h. l. *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 642.

ὡς χιών) hac comparatione profani quoque Scriptores utuntur. Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 66. Matthæus habet τὸ φῶς XVII. 1. ad quem locum vide, quæ notata ſunt.

ὅια γναφεὺς) De fullonum uſu apud Romanos lege *Dilherrum* de uſu lectionis Scriptorum Secularium plag. M. *Conſtant. Lempereur* ad *Bava Kamma* p. 301. fullonis hic ait fieri mentionem, non quod fullo quivis veſtes alterius coloris albas reddat, quippe quod proprie inſectorum ſit; ſed quia fullo veſtibus, cujuscunque ſint coloris, ſi conſpurcatæ ſint, nativum & nitidum colorem reſtituere allaborat: ſi vero candidæ fuerint, ſuum ipſis candorem reſtituit.

Verſ. 5. καλόν ἐστιν) *Hombergio* judice ita vertenda hæc ſunt, *opportunum eſt nos hic eſſe*, ut Petri ſententia ſit: *opportune hic adſuimus*, ut ſcilicet tibi

possimus tabernacula facere. Itaque reprehendit quoque idem B. *Lutherum*, qui τὸ καλὸν per *bonum* verterit. Non negaverim quidem, τὸ καλὸν habere posse hanc significationem, sed miror tamen, eam non alio, quam isto Euripidis loco probatam, εἰ πῶς φανείην γ' ὥστε σοι καλῶς ἔχειν. Cur vero eam h. l. obtinere credat Vir doctus, prorsus non intelligo, cum manifestum sit, Petrum de felicitate quadam, sibi præter spem oblata, sermonem facere.

Vers. 8. ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν) ἀλλὰ hic idem est, quod εἰ μὴ, i. e. *nisi*. Hinc & in nonnullis Codd. legitur εἰ μὴ, quæ lectio procul dubio ex interpretatione marginali nata est. Scriptores profanos eadem notione hanc particulam usurpare, statuit *Pfochenius* §. LXXIV. *Herodiani* quodam loco nixus. Sed vide, quæ opponit *Gatackerus* de Stylo N. T. c. 22. p. 203.

Vers. 10. τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι) Quia Cod. *Cantabr.* & versio *Syr.* τί ἔστιν, ὅταν ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ; legunt, *Millius* in Prolegom. §. 405. adduci se passus est, ut eam lectionem genuinam haberet. *Neque enim*, inquit, *tum hærebant hic discipuli ad notionem resurrectionis in genere, quam ad resurrectionem Christi: nunquam enim interiturum, sed æternum, præeunte Elia, in terris sedem imperialem fixurum Messiam, constans erat apud ipsos opinio.* Facile largimur Millio, hæsisse discipulos ad resurrectionem Christi: at non eo sensu, ut laborarent de eo, quid, ea facta, eventurum sit, sed quod eam eventuram prorsus non crederent, quippe qui nec mortem ejus, ut nec doctrinam de passione in universum, admitterent. Hoc vero communis illa lectio rectius exprimit, quam altera illa, unius Codicis auctoritate infeliciter adserta.

Vers. 11. Ὅτι λέγουσιν) ὅτι idem hic esse quod Latinorum *sed*, vel *cur*, monuit & ostendit *Keuchenius* ad h. l. *Pfochenius* quoque §. LXXII. eadem notione Homerum ea particula usum docuerat, refragante tamen, quod ad illum locum, *Mosc Solano* in diss. de Stylo N. T. §. 46. in Syntagmate Rhenferdiano p. 300. ubi tamen alia affert veterum loca, propius ad idem probandum pertinentia. *Boisius* in Collat. p. 124. elliptice dici putat pro τί ὅτι vel τί ἔν, quod exstat *Marc.* IX. 11. Atque hinc facile apparet, cur Codd. nonnulli τὸ ὅτι prorsus, sed temere, omiserint, quemadmodum & pleonasticum ex frequenti Marci usu videri poterat, nisi interrogatio eam requireret. Patet quoque, cur alii habeant πῶς, nempe ex interpretamento marginali.

Vers. 12. Ἠλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα, καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ, καὶ ἐξουδενωθῇ) Hic locus est in difficillimis *Marci*, cum alii mutata interpunctione, alii per ellipsin, varie suppletam, consulendum esse censuerunt. *Heinsius* in Comm. ad h. l. ita distinguit & vertit: *Et quomodo scriptum est de filio hominis? fore, ut multa patiatur* &c. Præivit ei ex parte

Gro-

Grotius (quem ſequitur *Clericus* ad Hammondum) exiſtimans, Chriſtum hæc inſtar objectionis, per interrogationem propoſitæ, obvertere diſcipulis, vulgato Judæorum de Elia proverbio innixis : quomodo igitur conſtabit fides aliis vaticiniis, quæ oſtendunt, fore, ut Meſſias multa patiatur? At illi quidem in hanc interpretationem diverterunt ideo, quod putarent, τὸ πῶς non niſi interrogative capi poſſe: quod aliter habere paulo poſt patebit. Itaque alii, interrogandi nota recte relicta, parentheſin hic locum habere cenſuerunt, eo ſenſu : *Elias quidem veniens primum reſtituet omnia &, (quemadmodum de Filio hominis ſcriptum eſt) futurum, ut ipſe* (Elias ſcilicet) *multa patiatur.* Ita *Hombergius* p. 97. Sic preſſius quidem & contextui, & ſignificatui vocum inhæretur. Nec difficulter probari poteſt, τὸ πῶς etiam ſine interrogandi vi uſurpari. Lege noſtrum V. 16. καὶ διηγήσαντο, πῶς ἐγένετο τῷ δαιμονιζομένῳ. Conf. XI. 18. & XIV. 1. 11. Neque id quoque præter morem fit, quod τὸ καὶ, interjecta integra ſententia, a verbis reliquis ſeparetur. Vide *Luc.* V. 35. & *Marcum* X. 1. Sed illud nove prorſus hic dicitur, quod verba : ἵνα πολλὰ πάθῃ, καὶ ἐξουδενωθῇ ad Eliam pertineant, & referenda ſint. Id ut credamus, non permittit loquendi ratio, qua Chriſtus toties utitur alias, quoties de paſſione ſua differit. Vide *Matth.* XVI. 21. *Marc.* VIII. 31. ὅτι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν &c. *Luc.* IX. 21. & XVII. 25. Non patitur præterea ſcopus ſermonis Chriſti, qui eo tendebat, ut appareret diſcipulis, prædictum illum Eliæ adventum non prohibere, quo minus ipſe (Chriſtus) ex mortuis reſurgeret. Id enim non capiebant diſcipuli. Itaque illis inculcat, Eliam i. e. *Johannem*, jam ſuo officio functum, & prædixiſſe etiam, fore, ut filius hominis multa patiatur, imo moriatur. Atque hinc facile ab iis intelligi poſſe, quomodo reſurrectio ſua conſequi poſſit. Non obſtat, quod Vir doctus inprimis urget, *de Elia hic quæſtionem eſſe, non de Chriſto, id quod ex verſu antecedente & conſequente pateat.* Eſt ſane de Elia, ſeu Johanne ſermo, ſed ita, ut reſpectum habeat Chriſtus ad ſe ipſum, & oſtendat, eum & prædixiſſe ſecundum Scripturas perpeſſionem ſuam, dicendo ſcilicet : *hic eſt agnus Dei, portans peccata mundi*, Joh. I. 29. & ipſum hujus paſſionis ſuæ typum fuiſſe, de quo v. 13. Atque poſterius hoc adhuc diſertius exprimit *Matth.* XVII. 12. Itaque ſic puto, omnium optime tota hæc oratio vertetur: *Elias quidem veniens primum conſtituet omnia, etiam, quomodo ſcriptum eſt de filio hominis, quod multa patietur.* i. e. inter cetera hoc etiam reſtituet, quomodo de paſſionibus Chriſti ſcriptum ſit ; id palam clare & recte docebit. Τὸ ἵνα pro *quod* uſurpari, patet ex *Joh.* XV. 8. & *Apocal.* XIII. 13. Ita olim *Lud. de Dieu* in notis ad h. l. quem omnino vide, & adde B. *Calovium* noſtrum in Bibliis Illuſtratis illi adſtipulantem. Sic non opus erit ulla ellipſi, qualem etiam *Beza* ſtatuit, ſubintelligens δεῖ ante ἵνα, vel *Boiſius*, qui inſerit : *audiviſtis*, ante πῶς in Collatione p. 124. ita vertens: *Elias quidem primum veniens omnia reſtituet, ſicut ſcriptum eſt, & audiviſtis etiam, quomodo ſcriptum ſit, futurum, ut filius hominis multa patiatur, & pro nihilo habea-*

habeatur. Id denique ad h. l. adhuc notandum est, *Lamium* in Harmonia p. 367. verba Christi de Elia adhuc venturo, sub secundum Christi adventum, interpretari, atque huc etiam Malachiæ verba trahere. Tum enim, ait, fore, ut Elias omnia restituens doceat incredulos Judæos verum sensum vaticiniorum, in quibus scriptum erat, oportere Christum pati. Sed id quidem admitti non potest, per scopum orationis Christi & nexum ejus, de quo satis diximus. Crediderim, Virum doctum in eam sententiam inductum fuisse ex eo, quod in futuro tempore dicitur a Matthæo ἀποκαταστήσει vel hic ἀποκαθιστᾷ. At facilis est responsio: Christum hic repetere dictum Judæorum admodum frequentatum, Ἠλίας ἐλεύσεται, vel ἀποκαταστήσει πάντα, quemadmodum iidem hodienum solutionem difficiliorum quæstionum ab eo aliquando exspectandam tradunt. Deinde vero satis innuit, eam restitutionem, qualis quidem a *Johanne*, seu *Elia*, in Spiritu exspectari, vi officii ejus, in prædicanda pœnitentia & annunciando Messia occupati, poterat, jam factam esse. Hinc & Arabs non inconvenienter in præterito vertit: *Tunc dixit eis, quod Elias jam venit primum, & rectificavit omnia, & quod scriptum fuit de filio hominis, quod patietur multa & reprobabitur.* Atque hæc faciunt quoque contra *Jos. Medum*, qui in operibus suis p. 98. sq. itidem hanc sententiam de Elia aliquo, secundum Christi adventum præcessuro, ornare conatur.

Vers. 13. ἀλλὰ λέγω ὑμῖν) *imo dico vobis*, vertente *Boisio* in Collat. p. 125. h. e. non solum concedo, verum esse, quod Elias prius venturus sit, sed hoc amplius addo, Eliam jam venisse, ne frustra illum expectare pergatis.

καθὼς γέγραπται ἐπ' αὐτὸν) Cum hæc verba de Johanne, altero illo Elia, omnino accipienda sint, de ejus vero passione in Sacris literis V. T. ad quas hic provocari videtur, nihil traditum occurrat; recte monuerunt post *Rob. Stephanum* eruditi plures, verba illa media, καὶ ἐποίησαν αὐτῷ ὅσα ἠθέλησαν, parenthesi includenda esse, ut ultima verba, *sicut de eo scriptum est*: ad adventum Eliæ, ὅτι καὶ Ἠλίας ἐλήλυθε, tantum referantur. Vide hanc in rem *Heinsium*, *Walæum*, *Clericum* ad Hammondum, *le Cene* in Projet p. 553. & *Hombergium* in Parergis p. 97.

Vers. 16. τί συζητεῖτε πρὸς αὐτούς;) Nonnulli Codices hic legunt πρὸς αὐτούς, quod alii malunt, interque eos *Boisius* in Collat. p. 125. ut referatur ad discipulos, quasi Jesus ex Scribis quæreret: *quid disputatis adversus illos?* Jesus enim invenerat Scribas disputantes cum discipulis suis, v. 14. Id etiam placuit *Hammondo*. Cum tamen pauciissimi Codd. habeant πρὸς αὐτούς, ceteri vero vulgatam illam, quam hic expressimus, lectionem tueantur, nonnulli etiam eodem sensu legant πρὸς ἑαυτούς, inter quos & meus est, præstat in ea acquiescere. Et sensus inde commodissimus oritur, ut interrogatio Jesu vel ad Scribas, vel ad Scribas & Discipulos junctim spectet, hoc sensu:

ſenſu : *quid inter vos invicem diſputatis? Lamius* in Harmonia p. 370. ita etiam hæc verba intelligi poſſe cenſet : *cui loco Scripturæ exponendo vacatis?* Neque id ſine veri ſpecie, ſive eam in verbo דרש, quo ſortaſſe tum Chriſtus uſus eſt, quodque de ſcrutinio Scripturæ a Judæis uſurpari ſolet, cum Lamio quæras, ſive ad γραμματέων ſeu Scribarum morem & officium reſpicias, quos ſtudio Scripturæ præ ceteris ductos fuiſſe N. T. teſtatur. Rectius tamen diſputandi argumentum credetur eo pertinuiſſe, ut oſtenderent Scribæ, veram eſſe ſuſpicionem ſuam de Spiritibus malis a Chriſto, non propria vi, ſed ope Dæmonis ejici ſolitis, cum præſenti exemplo pateat, diſcipulos nomine Magiſtri ſui expellere dæmonem non poſſe. Confer *Olearii* Obſervatt. Sacr. p. 520.

Verſ. 18. Καὶ ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ) Καταλαμβάνεσθαι a veteribus Medicis Græcis dicuntur, qui a morbo comitiali invaduntur. Sic *Hippocrates* in lib. de ſacro morbo : ὅταν δὲ πλεονάκις καταλήπτοι γίνωνται. *Cœlius Aurelianus* lib. I. c. 4. de morbis Chronic. p. 293. *quibus tarda fuerit correptio.* Dicuntur & ἐπιλαμβάνεσθαι & morbus ipſe ἐπιληψία. Conf. *Alexandr. Trallianum* lib. I. c. 15. Hæc Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

ῥήσσει αὐτὸν) Vulg. vertit : *allidit illum.* Atque hinc *Boiſius* in Collat. p. 125. colligit, eum legiſſe ῥάσσει, & hanc lectionem meliorem, atque aliis quoque in locis reſtituendam cenſet. Sed nihil hac emendatione opus eſt. Nam & ῥάσσω & ῥήσσω eandem habet notionem *allidendi* & *dejiciendi*, quod poſt *Henr. Stephanum* in Theſauro, *Hammondus* ad h. l. & *Caſaubonus* ad Inſcription. Herodis n. 19. & in *Caſaubonian.* p. 76. evicerunt, qui poſterior ſpeciatim obſervat, verbum hoc de athletis & antagoniſtis, adverſarium vehementiore nitu in terram affligentibus, adhiberi ſolere. At idem quoque verbum ῥήσσειν tum apud LXX. Interpretes v. c. *Jeſ.* LIV. 1. tum alias ſignificat *clamare, rumpere vocem.* Hinc *Heſychius* ἐκρῆξαι φωνὴν explicat per ῥάσσαι λόγον, qui & τὸ ῥῆξάτω per κραξάτω reddit. Hunc itaque ſignificatum etiam h. l. obtinere exiſtimat *Gotiſr. Olearius* ad Matthæum p. 521. parallelo Lucæ loco inprimis uſus, qui verba Marci, ὅπου ἂν αὐτὸν καταλάβῃ, ῥήσσει αὐτὸν, ita IX. 39. exprimit : ἰδοὺ πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει, quemadmodum verſa vice paulo poſt, ubi Chriſtus ad Deum precando & comminando Spiritum expellere narratur, verba Lucæ, ἔρρηξεν αὐτὸν καὶ συνεσπάραξεν, Marcus exponit, κράξαν καὶ πολλὰ σπαράξαν. Ubi inſuper notari vult, τὸ ῥήσσειν ibi tranſitive accipi, ut idem ſit, quod *facere clamare.* Quam quidem verbi vim vel adductus *Heſychii* locus comprobat.

καὶ ξηραίνεται) Vide *Olearium* l. c. p. 524. qui cum *Grotio* & *Heinſio* vertit per : *tabeſcit.* LXX. enim Interpretes ea Hebraicam vocem יבש exprimere conſueverunt, v. c. in ἐξηράνθη ἡ καρδία μου. *Le Cene* in Projet p. 571. mavult

mavult idem esse, quod *discedit, abit*, provocans ad eosdem LXX. Gen. XXXV. 5. & *Exod.* XIV. 19. Sed præstat omnino prius.

Vers. 20. καὶ ἰδὼν αὐτὸν) Participium Nominativi ἰδὼν hic in consequentia ponitur, monente *Erasmo Schmidio* ad h. l. quem etiam lege ad Matth. X. 14. Confer *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 137.

ἐσπάραξεν) Pauci quidam Codd. legunt ἐτάραξεν. Sed recte, eam vocem ex interpretamento natam esse, monet *Millius*. De verbo σπαράσσειν vide ad *Marc.* I. 26.

Vers. 21. παιδιόθεν) Vide *Gatackerum* ad Antonin. l. 7. p. 7.

Vers. 22. ἀλλ' εἴ τι δύνασαι) Τὸ ἀλλὰ precationibus frequenter præfigi solet. Vide *Raphel.* Annotatt. Polybian. p. 138. & *Elsnerum* ad h. l. p. 151. Inprimis egregie huc quadrant Homeri verba Iliad. α. v. 393.

Ἀλλὰ σύ, εἰ δύνασαί γε, περίσχεο παιδὸς ἑῆος.

Formulam εἴ τι δύνασαι non esse dubitantis, neque h. l. argumentum incredulitatis præbere, statuit *Hombergius* ad h. l. p. 97. quia τὸ εἰ non ubique conditionem aut rem incertam inferat: sed potius formulam Græcorum, maxime adhiberi solitam in precibus, ad eos directis, quos & potentissimos esse, & sibi quam optime cupere, certo sciebant. Adducit postea inter ceteros laudatum Homeri locum. Valet ergo εἰ δύνασαι, eodem judice, idem, quod εἰ δυνατόν ἐστι, non respectu ejus, qui rogatur, sed ejus, qui rogat. Vel erit hic εἴτι δύνασαι idem, ac δύνασαι γάρ, pro potentia, & facultate tua, vel qua polles potentia, auxiliare. Recte quidem ista in genere dicuntur, sed vel ideo ad hunc locum accommodari vix posse videntur, quod Christus ipse versu sequente animum hominis fluctuantem eo prodit, quod hominem ad plenam fiduciam, in ipso ponendam, cohortatur. Confer *Raphel.* Annotatt. Xenophonteas p. 72.

Vers. 23. Τὸ εἰ δύνασαι πιστεῦσαι) In diversa hic abeunt Interpretes. Nonnulli articulum τὸ in MSS. nonnullis, sed perpaucis, omissum videntes, eum eliminandum censent, tanquam ex posteriore syllaba vocis antecedentis τοῦτο, quæ *Clerici* est ad Hammondum sententia, natum. Sed ita nodus secatur, non solvitur. Alii relinquunt in textu, sed redundare censent cum *Grotio* & *Boisio* in Collatione p. 126. qui provocant ad similia loca *Luca* XXII. 2. 4. 37. IX. 46. & *Actor.* IV. 21. Sed ibi aliam esse orationis structuram eruditi monuerunt, & res ipsa ostendit. Alii in τί mutant cum *Heinsio*, repugnantibus omnibus & Codd. & versionibus. Rectius igitur nonnulli articulum τὸ idem hic putant esse, quod τοῦτο, quale quid usu quoque venit *Luc.* XIX. 48. & XXII. 24. quemadmodum & profanis Scriptoribus in soluta æque ac ligata numeris oratione idem usu receptum esse, ostendit *Hombergius* p. 100. Adde *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas p. 72. & *Heupelium*,

lium ad h. l. p. 231. Noviſſime Cl. *Jo. Henr. Majus* in Obſerv. Sacr. III. p. 93. ſcite mihi annotaſſe videtur, quod articulus, in neutro genere poſitus, reſponſionibus præmitti eleganter ſoleat. Affert is hanc in rem *Polyæni* locum III. 9. 11. ubi hæc legis: Θαυμασάντων τῶν παρόντων καὶ ἐρωμένων, τί καταλαμβάνεις; Ἰφικράτης ὑπολαβὼν ἔφη· Τὸ, τίς ἂν ἤλπισε τοῦτο ἔσεσθαι. h. e. *Mirantibus, qui aderant, & interrogantibus: ecquid occupas? reſpondens Iphicrates inquit, quis hoc futurum ſperaſſet?* Non invitus id h. l. admiſero. Sed reſtant alia. Nam ſequentia εἰ δύνασαι πίστευσαι varie itidem accipiuntur. Et *Knatchbullus* quidem, more ſuo, p. 50. ſqq. mutata interpunctione, ita legi vult: τό· εἰ δύνασαι; πίστευσαι, hoc ſenſu: *quid ais? ſi potes: crede tu;* ut ſic reſpectus habeatur ad præcedentem hominis ſermonem. Præivit ei hac in parte *Camerarius*, & quodammodo *Lud. Cappellus*, qui cum Arabico legi poſſe putat τίς εἰ δύνασαι, πίστευσαι i. e. *quid tibi vis, cum dixiſti, εἰ δύνασαι, crede tu tantum.* Sequitur *Knachtbullum Saubertus* in Opp. Poſthumis p. 73. non repugnante *Franckio* in Continuat. Obſervatt. Biblic. p. 428. Sed vide, quæ obvertit *Kühnius* Pentade V. p. 10. qui inter cetera obſervat, τὸ πίστευσαι non poſſe eſſe, quod *Knatchbullus* voluit, aoriſtum primum Imperativi mediæ vocis, ſed ſic ſcribendum eſſe: πίστευσαι. Atque id videtur ipſi quoque Knatchbullo ſuboluiſſe, qui l. c. addit, haberi etiam poſſe pro infinitivo Aoriſti primi activi, modo ſubintelligatur θέλε vel μέμνησο. Sed non magis quisquam inſolentiorem hanc ellipſin facile admiſerit. Neque omnibus his ambagibus opus eſt. *Majus* l. c. Knatchbullum alioquin deſerens, interpunctionem ita conſtituit: εἰ δύνασαι πίστευσαι; *numquid credere potes?* aut rectius: *credis ne?* ut proinde particula εἰ interrogandi vi polleat, quam & alias tuetur, τὸ δύναμαι vero abundet, ſicut & *Marc.* VI. 5. *Luc.* XVI. 2. &c. A qua ſententia non multum recedit *Hombergius*, quamvis alia via procedat. Vertit enim: *potes credere*, vel: *crede*, ut per circumſcriptionem quandam τὸ, εἰ δύνασαι πίστευσαι idem ſit, quod πίστευσον. Enimvero, cum *Hombergius* interpretationem ſuam illi inprimis fundamento ſuperſtruat, quod nulla hic apud Patrem fuerit incredulitas vel fluctuatio, illud autem, ceu ex ſuperioribus patet, tam firmum non ſit, quam quidem is ſibi perſuadet; fluctuatione hac ſuppoſita ſuus verbis Chriſti ſenſus conſtabit, ſi ad literam vertentur: *ſi credere potes, omnia* (tibi) *credenti poſſibilia erunt.* Quo ipſo auxilium Chriſti eidem ſimul promittitur obtinendum, modo, dubitatione ex animo ejecta, voluntati & potentiæ Chriſti ſe non opponat.

πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι) Verba hæc quidam de Chriſto accipiunt, poſt *Grotium: facere poſſum omnia in gratiam credentium.* V. *Rich. Simonem* in Verſ. Gall. Accedit *Seb. Schmidius: quia ſi poſſis credere: omnia enim poſſibilia* (mihi ſunt, ut faciam,) *credenti.* Cum vero ſæpe alias in ejusmodi caſibus patrationem miraculi alicujus a petentis fide Salvator ſuſpendere ſoleat, ſicut & *Matthæus* XIII. 58. derogationem miraculorum incredulitati hominum acceptam fert, rectius ad Patrem petentem hæc referentur. Atque ita

etiam intellexisse videtur Pater, qui fidei tantum tribui hic persuasus, statim respondet πιστεύω.

Vers. 26. ex *Graeco* potius quam ex *Vulg.* recte expressit B. Lutherus, quem contra Emserum tuetur *Rambach* in Vindiciis p. 371.

Vers. 27. κρατήσας αὐτὸν τῆς χειρὸς) Ubi pars significatur, genitivo uti solent Graeci. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. p. 313. & imprimis *Hoogeveen* ad h. l. p. 233.

Vers. 28. ὅτι ἐμοῦ) Codd. alii legunt διὰ τί ἀλλ' οὐ ὅτι, quam lectionem amplexus est *Vigerius* de Idiotismis Gr. Linguae p. 432. Sed utrumque ex marginali explicatione natum est. Nam ὅτι, veteribus διὰ τί pro τί i. e. cur, ut Luc. V. 41. usurpari solet. Vide *Marc.* IX. 11. quod & apud externos Scriptores obtinet. Vide *Raphelium* ad h. l. in Annotatt. Polybian. p. 138.

Vers. 29. ἐν οὐδενὶ) Hebraismum hic statuit *Beza*, refragante *Hoogeveen* p. 101. De ceteris, quae hic dici poterant, vide ad *Matth.* XVII. 19.

Vers. 34. διελέχθησαν) τὸ διαλέγεσθαι idem hic est, quod διαπορεῖσθαι, ceu patet ex collato v. 33. i. e. disputare. Conf. *Vitringa* de vetere Synagoga p. 136.

Vers. 34. ἐν τῇ ὁδῷ) Unus alterque Codex ἐν ἀλλήλοις. Hinc *Millius* in Prolegom. ait: nemo non videt, haec ex versu praecedente repetita esse. Sed eodem jure *Wetstenius* in Examine p. 43. inquit: nemo non videt, illa repeti debuisse.

Vers. 35. Ὅς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι) Ψυχὴν hic B. Lutherus vertit per Leben, reprehensus ideo ab *Emsero*, contra quem lege *Rambach* Vindicias p. 372.

Vers. 36. ἐναγκαλισάμενος) ἐν ἀγκάλαις ποιησάμενος, aut: amplexus, ἐφ' ἑαυτοῦ. Ita etiam profani Scriptores. V. *Elsnerum* ad h. l.

Vers. 37. οὐκ ἐμὲ δέχεται) i. e. non me sc. solum recipit. Vide *Hackspan.* in Notis ad h. l. p. 219. Conf. 1 *Sam.* VIII. 7. *Ezech.* XXXII. 28. &c. Similia profanorum Scriptorum loca affert *Henr. Stephanus* de Dial. Attic. p. 104.

Vers. 38. ex Graeco rectissime expressit B. Lutherus, quem contra Emserum tuetur idem *Rambach* p. 372. sq.

Vers. 40. Ὃς γὰρ οὐκ ἔστι καθ' ἡμῶν) Locutio est proverbialis, Romanis etiam nota. Vide *Lud. Capp.* ad h. l. & *Seiler* Adagialia N. T. p. 67.

Vers.

Vers. 43. ἀπελθεῖν εἰς τὴν γέενναν, εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον.) Pro ἀπελθεῖν pauci quidam Codd. legunt βληθῆναι ex Matthæi XVIII 8. Voces εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον omittit Syrus, quæ profecto Beza videntur fuisse explicatio, quæ ex alio libri in ipsum contextum irrepserit. Judicium & eruditionem Bezæ hic desiderat Jac. Hasæus in Biblioth. Bremensi Class. I. p. 710. In hac enim causa Syrus in partes vocari non potest, qui, ut interpres, neutiquam solet ubique vocum phrases eandem significationis punctam exprimere singulas. Quid inquies? contra omnium Codd. Græcorum unanimem in contrarium auctoritatem? Ceterum ex hoc ipso primis commutate ignem inferni realem esse, censuit Anonymus Anglus in dissertat. singulari, quam inscripsit: *Enquiry into the Hell* p. 33. sq. in eo tamen deterendus, quod solem eadem ejus esse opinetur.

Vers. 44. ἵνα ὁ σκώληξ αὐτῶν ὁ τελευτᾷ.) Vide *Elnerum* p. 151. qui *imprimis* hominis ipsum dorsi, in horrendum serpentem post mortem converti credidum etiam profanis, probat ex Anan. I. 51. Hist. Animal. Ceterum de mitiore damnatorum conditione, qui mortem frustra & irriti votis expetent, ex loco hoc Isaiæ citato ad h. l. differit Gataker. ad Antonin. VIII. 58. p. 319. similesque profanorum scriptorum dicta affert.

Vers. 49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται.) Lectionem hic solicitat Scaliger, legendum esse contendens: πᾶσα γὰρ θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, ut πυρὶ sit idem, quod Levit. II. מלח. Vide eum verbosiorem de hac emendatione, tanquam certissima, gloriantem in epist. ad Jo. de Last, quæ in Epistolis ejus editis legitur p. 307. & in alia ad Servinum gallice scripta, quam in Calaboniensis ipse arcu p. 89. Recte vero ab omnibus, quos scio, Interpretibus deseritur. Vide post Grotium ac n. l. Spanhemium in Dubiis Evangelic. Part III p. 449. sq. Ludov. de Dieu ad h. l. Th. Gataker. in Adversaria c. 43. Jo. Clericum Art. Critic. Part. III. Sect. 1. c. 17. §. 14. Joh. Mill. in Notis, Christoph. Matth. Pfaffium in Dissert. de Var. Lect. N. T. p. 209 & Lamb. Bos in Exercitat. p. 16. Uni Ludov. Cappello in Spicileg. Notar. probabilis videtur, neque tamen ita ab exceptione libera, ut non ipse in recepta lectione acquiescere malit. Atque pro ea nervose pugnat Jo. Boylus in Collat. p. 126. his verbis: *Certe si πυρὶ in hac significatione legeretur apud LXX. vel apud aliquem e primaria nota Græcos scriptores, non ita agre adduceremur, ut Scaligero assentiremur: sed cum omni antiquitati ignota, opinor, fuerit hæc vox, salsum posita pro Hebraica hac* מלח, *ignosce mihi Scaliger, si quæque facere Scaligeri, si omnes homines simplicitatem istiusmodi in scriptorum receptissimam lectionem anteponerem.*

Quomodo vero recepta & omnino sana lectio ad commodum & germanum sensum tractari possit, ante positi exponuntur. Diversa eruditorum judicia recensita, si placet, videbis in singulari hac Dissertat. B. Jo. Pet. Crameri de salitura ad ignem æternum, *Rostoch.* 1702. & Nic. Kremeri de salitura ignis, *Kemnic.* 1699. Nobis potiora hic commemorasse sufficerit.

Laudatus *Grünenbergius*, non contemnendi vir acuminis, ſalem hic intelligit de verbo prædicato, quod impios dicitur condemnaturum in die judicii *Joh.* I. 48. Conf. *Col.* IV. 6. & *Matth.* V. 13. Quo præſtructo verborum hanc putat eſſe ſententiam: *Unusquisque* (eorum, quorum vermis non moritur) *ad ignem ſalietur*, (nimirum in judicio iræ) *& omnis victima* (ad Gehennam damnata) *ſalietur ſale*, (ſcilicet verbo correctionis & emendationis olim ſpreto, nunc ſentiendo cum æterno dolore. *Kürsnero* l. c. id innuere hic Servator voluiſſe videtur, quod doctrina ſua ea hominibus præcipiat, quæ carni moleſta ſint, & eam urant ac mordeant, ſed neceſſe tamen eſſe, ut ea ſuſtineantur ab iis, qui Deo probari cupiant.

Grotio τὸ ἁλίζεσθαι ad exemplum Hebr. vocis נמלח idem hic eſſe videtur, quod *conſumi*, eo ſenſu, quod, qui pravis affectibus indulgent, inſtar holocautomatum V. T. igne conſumendi ſint toti; ſale vero inſtar minchæ condiendi, qui ſe Deo offerant in ſpirituale ſacrificium, ut, quicquid eſt putredinis vel pravorum affectuum, exedatur diligenti cura & meditatione, quomodo ſal exedere ſoleat putredinem. Eum ſequitur fere *Clericus* in notis ad verſ. Gall. N. T. Confer & *Pet. Zornium* de Philoſophiſmis Gr. N. T. p. 19. qui & ipſe notionem vocis ἁλίζεσθαι hebraizantem approbat.

Cl. *Hermannus Hardtius* per Salem non ad culinarem illum hodie receptum, ſed ad *bitumen Sodomiticum*, cujus olim uſus fuerit in ſacrificiis V. T. adolendis, & ad comburendum rectius parandis, reſpici vult. Quo præſtructo hunc quidem prodire ſenſum putat: *Omnis* talis homo, qui diſſidia inter Chriſtianos non caverit, *igne condietur*: ſic igne infernali torquebitur, *ſicut omnis victima*, igne in ara conſumenda, *bitumine* Sodomitico *conditur*, ut alantur flammæ. Idem vero ſenſum commatis 50. cum his ita cohærere putat, ut Chriſtus a minis ad monita converſus pacis ſtudium commendet in hanc ſententiam: *Egregia res eſt bitumen*, quo res arcte compingi & combinari poſſunt. *Quod ſi vero bitumen redditum fuerit ineptum* ad conglutinandum, *quid quæſo erit, quo amiſſa vis conſtringendi reddi poſſit? Tenete inter vos bitumen tenax, & pacem inter vos ſervate.* Interpretationem hanc amplexus eſt, & ornandam cenſuit *Amelius* in præfat. ad Tom. II. Annotationum ſuarum in loca difficiliora N. T.

Alii *ignem* & *ſalem* de *cruce* accipi volunt, cui nonnulli ſalem doctrinæ ac verbi jungunt. In horum partes concedit B. *Calovius* in Bibl. Illuſtratis, qui & alios affert ſibi ὁμοψήφους. Iſtis adde *Lamb. Bos* in Exercitatt. Philolog. p. 16. *Quivis veſtrum*, (inquit is) *qui me vult ſequi, debet igne aliquo tentationum quaſi ſale quodam ſaliri, ſubjectus eſt probationibus, tentationibus v. c. abdicandi omnia, quæ habet, pretioſiſſima quæque relinquendi, iis, quæ ſibi ſunt cariſſima, valedicendi, atque ita per illa probari, purgari, atque Deo ſacrari tanquam ſacrificium ipſi gratum. Sumta metaphora in ἁλίζεσθαι non a cibis vel carnibus, quæ ſale condiuntur, ut volunt Interpretes, quos vidi; ſed a victimis, quibus mola ſalſa imponebatur.*

Alii & connexionem horum verborum cum antecedentibus, & ſenſum ita optime elici poſſe exiſtimant, ſi occupatio quaſi quædam hic locum

locum habere & causa a Christo reddi existimetur, cur corpora, igni æterno tradenda, consumi non possint? Causam vero in eo positam esse, quod ignis vim & usum salis sit habiturus, qui, quod tangat, fervet. Ita *Possinus* in Spicileg. Evangel. p. 93. & *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 55. qui posterior ita vertit: *omnis enim* (illorum) *igni salietur*, h. e. servabitur a corruptione, quod est proprium salis. Addit præterea ista: *Hic sale saliri debet omne sacrificium, quod qui non fecerit, in æternum igni salietur. Nam sali non salienti, sed infatuato, non aliud, quam ignis illius condimentum exspectandum est.*

Non alienus ab his admodum est Cl. *Wolfburgius* in Obss. Sacr. p. 524. qui & ipse verba hæc ad *damnatos* refert, ita tamen, ut non conferantur cum θυσίαις seu sacrificiis V. T. sale condiendis, sed cum ejusmodi θυσίαις, de quibus Ps. XLIX. 15. *jacebunt in inferno ut oves mactatæ, & mors rodet eos.* Atque hoc consilio pro πυρὶ mavult legere πυρᾷ, quæ vox non sit insolens, & rogum infernalem hic indicare queat. Sed facile apparet, hanc quoque lectionis mutationem, ut cetera taceam, universali Codicum consensui non minus ac Scaligeranam illam repugnare, nec temere recipiendam esse. Video nunc, Curcellæum de eadem hac lectione, tanquam nonnullis placente, monuisse.

Patrum de h. l. cogitata affert *Suicerus* in Thesaur. Eccl. T. I. p. 182.

Mihi quidem in loco hoc vexatissimo illi placent præ ceteris, qui de tentationibus sive ex cruce, sive ex doctrina, carni minus arridente, Dominum nostrum loqui arbitrantur, quam in rem confer Cl. *Starckii* Notas Select. ad Loca Dubia N. T. p. 79.

De sale, in cultu Deorum apud Gentiles recepto, ad h. l. differit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 642. & *Schottus* in Adag. N. T. p. 67.

Vers. 50. ἐὰν δὲ τὸ ἅλας ἄναλον γένηται) Vocem ἄναλος B. *Lutherus* vertit per thumm, de cujus notione commentatur B. *Stadenius* in Commentatione vernacula de vocibus difficilioribus p. 634. sq. edit. secundæ. Ad sententiam totius hujus commatis perspiciendam facit *Wedelius* in Centuria I. Exercitat. Dec. IV. Exerc. IV. ubi ostendit, respici hic ad salis saporem, consistentiam, condiendique aptitudinem, nec minus commonstrat, quomodo sal insulsus fiat, qua de re quoque differit *Voglerus* de rebus naturalibus & Medicis p. 97.

ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 68. Quid per ἅλας hic Patres intelligant, apparet ex iis, quæ *Suicerus* attulit T. I. p. 182.

CAP. X.

VErs. 1. συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι πρὸς αὐτόν) Verba hæc ita acceperunt nonnulli, ac si non singuli per se ad Christum accesserint, sed prius in unum congregati catervatim confluxerint. Inter hos est *Henr. Stephanus* in Thesauro Gr. L. verbum συμπορεύεσθαι id scilicet inferre autumans.

Sed illo tamen *Polybius* inprimis utitur etiam de uno, qui ad alterum accedit. Lege eum p. 967. 1042. & alias. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 139.

Verſ. 2. καὶ προσελθόντες) Deeſt in *Cantabrig.* atque hinc *Millius* in Prolegom. p. 133. credit eſſe *Matthæi.* Neque tamen vel Codicem præter iſtum ullum vel verſionem affert, in qua deſideretur. Itaque recte quærit *Whitbius* in Examine v. 43. cur non & Marci eſſe credendum ſit? Addiderim ego, frequentem hujus phraſeos uſum, qui apud Marcum occurrit, jubere, ut ab ipſo profectum credamus. Vide I. 31. VI. 35. XII. 28. XIV. 45. Omitto, quod apud Matthæum in loco parallelo XIX. 3. ſtructura ſermonis ita habeat: καὶ προσῆλθον αὐτῷ Φαρισαῖοι πειράζοντες αὐτὸν &c.

Verſ. 3. ἐνετείλατο) De permiſſione hoc eſt capiendum ratione rei, quæ Deo in ſe diſplicebat: de præceptione vero, ratione circumſtantiarum. Confer *le Cene* in Projet p. 439.

Verſ. 5. πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν) Τὸ πρὸς idem h. l. eſt, quod διὰ, quarum præpoſitionum permutatio etiam apud profanos obtinet. Vide *Horatii Vitringæ* Animadverſiones ad Vorſtium c. II.

Verſ. 6. ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως) Vox κτίσεως deeſt in uno Cod. Cantabrig. & duabus verſionibus *Syriac.* & *Perſic.* Atque hinc pro gloſſemate habuit *Jo. Clericus* Part. III. Artis Critic. p. 84. ut ſcilicet lux accederet voci ἀρχῆς. Sed eadem phraſi utitur Marcus alibi v. c. XIII. 19. tum Johannes *Apoc.* III. 14. Nec objici poteſt, Matthæum in loco parallelo XIX. 4. ſimpliciter habere ἀπ' ἀρχῆς. Hoc enim ſufficit quidem, non autem probat, vocem τῆς κτίσεως ab aliena manu eſſe profectam; ſed id potius ſuſpicari jubet, quod phraſis Marci ſit plenior, & vox τῆς κτίσεως eodem modo ſubintelligi debeat, quo alias id fieri conſuevit in Græcis phraſibus permultis, quæ ab aliis per ellipſin, ab aliis plene uſurpantur. Interpretes illi bini, qui vocem κτίσεως omittunt, ſufficere arbitrati ſunt, ſi ſenſum exprimerent. Itaque ex omiſſione nuda temere collegeris, in Codicibus eorum non exſtitiſſe. Conſer Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 698.

Verſ. 7. προσκολληθήσεται πρὸς τὴν γυναῖκα αὐτοῦ) In *Gothico* hæc deſiderari, cum tamen in aliis omnibus inveniantur, miratur merito *Mareſchallus* in Notis p. 433.

Verſ. 9. ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξεν) i. e. *quod igitur Deus matrimonio conjunxit:* Hoc enim ſpeciali ſenſu verbum Græcum paſſim a profanis adhibetur v. c. *Herodiano* lib. III. c. 10. de Antonino, ὃ πάνυ τι ἡδόμενος τῷ γάμῳ, ἀνάγκῃ μᾶλλον ἢ προαιρέσει συνεζευγμένος. Conf. *Elsnerum* p. 153.

Verſ. 11. μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν) i. e. reſpectu feminæ, quam repudiavit, judice *Rich. Simone* in Notis ad h. l. τὸ ἐπὶ idem hic eſt, quod *adverſus.*

Verſ.

Vers. 12. Καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς) Non fuisse unquam uxoribus potestatem inter Judæos, maritos suos dimittendi, sed id tantum hic innui, quod uxor non minus, si contingat, ut, dimisso viro, alii nubat, pro adultera habenda sit, quam maritus pro adultero, qui tale quid in uxorem faciat, plerique Interpretes recte contendunt, inter quos vide inprimis *Hammondum* & *Clericum*. Nec Christi ætate consuetudinem hanc apud feminas obtinuisse, vel ex Josepho patet, qui *Salomen*, Herodis sororem, primam a Costabaro, marito suo, divertisse testatur in Antiquitat. Judaic. p. 225. Eam secuta est *Herodias*, de qua idem p. 266 Inter Græcos & Romanos non deesse exempla uxorum, quæ a maritis secesserint, patebit ex iis, quæ Cl. *Fabricius* annotavit in Bibliographia Antiquaria p. 583. Vide & *Vesperas Groninganas* p. 322. ubi observatur, Christum hic animadvertisse in illos gentium mores, &, ut a Judæis caverentur, voluisse. Confer huc *Seldenum* de Uxore Hebr. lib. III. c. 19.

Vers. 13. ἵνα ἅψηται αὐτῶν) ἅπτεσθαι hoc loco non esse *tangere* simpliciter, sed ἐναγκαλίζεσθαι vel ἐυλογεῖν per impositionem manuum, ut pateat ex v. 16. statuit *Hombergius* p. 101. Sed id minus probabile videtur *Elsnero* p. 152. qui non absurde statui posse putat, Parentes hos ideo Christo liberos suos obtulisse, ut aut eos, morbo forte laborantes, liberaret, aut, ne facile ægrotarent, efficeret. Nam ita ægrotos *tangere* solebat Christus. Vide c. I. 41. & *Luc.* IV. 40. Quare id solum rogare solebant, ut tangeret ægrotos *Marc.* VIII. 22. & *Matth.* IX. 18. Enimvero videtur Hombergius causam habuisse, cur amplius aliquid a Parentibus, liberos ad Christum afferentibus, intentum & quæsitum fuisse existimaret. Si enim ægrotassent, cur discipuli eos repulissent, qui videntur ad hoc faciendum compulsi, quod non viderent causam, cur liberos afferrent? Et Christus ipse consilium Parentum non obscure indicasse videtur, quando illis, in ulnas receptis, benedixit, quod patet ex v. 16. Scilicet vulgus Judæorum, quod ex variis Historiæ Evangelicæ locis patet, Christum pro divino Propheta agnoscebat, adeoque pro tali habebat, cujus tactus omne genus felicitatis ipsis conciliare posset, quemadmodum ἡ αἱμορῤῥοοῦσα de vestibus Sanctissimi Servatoris, si vel a se contactæ fuissent, multum sibi promittebat.

Vers. 14. Ἄφετε τὰ παιδία ἔρχεσθαι πρός με) Ex his verbis pædo-baptismum egregie adstruxit B. *Jo. Wincklerus* im gründlichen Beweis von der Kinder-Tause, *Hamb.* 1692. 12. & demonstrationem suam ab exceptionibus vindicavit alio libello an. 1696.

Vers. 16. καὶ ἐναγκαλισάμενος) Vide ad IX. 36.

ἠυλόγει αὐτά) faciebat super eos preces, quæ vocantur ברכות i. e. benedictiones, notante *R. Simone* ad h. l.

Vers. 17. διδάσκαλε ἀγαθέ) vide supra ad *Matth.* XIX. 16. Hunc titulum

lum nemini antea tributum legi, obſervat *Jo. Andr. Danzius* in Diſp. de Curatione Chriſti Sabbatica p. 17. ubi vide & alia ad h. l.

Verſ. 18. Τί με λέγεις ἀγαθόν;) Vide ad *Matth.* XIX. 17. & adde *Petavium* de Incarnat. II. 10. §. 5. Tom. V. Dogmatum p. 87.

Verſ. 19. Τὰς ἐντολὰς οἶδας) *Amram* Judæus in libro MS. *Porta Veritatis* dicam hic ſcribere auſus eſt Sanctiſſimo Salvatori, qui aliqua tantum præcepta Dei, præſtantioribus omiſſis, recitat. Sed lege *Kidderi* Demonſtrat. Meſſiæ Part. III. p. 84. ſqq. qui recte regerit, eodem modo egiſſe Prophetas in V. T. ut *Micham* VI. 8. *Davidem* Pſ. XV. 1. ſq. *Jeremiam* XXII. 15. 16.

μὴ ἀποστερήσῃς) *Photiniani* hinc efficere conantur, in N. T. perfectiora tradi præcepta quam in Veteri exſtent, cum in ſecunda tabula hujus non exſtet apud Moſen mentio. Sed reſpondet *Hackſpanius* ad h. l. in Notis p. 221. Τὸ ἀποστερεῖν reſpondere Hebræo עשק, quod ſignificet, vel *vi*, vel *fraude*, vel *calumniis*, vel *conviciis* alicui nocere. Itaque hic non eſſe præceptum novum, ſed quendam quaſi totius tabulæ ſecundæ conceptum. *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 267. vertit τὸ ἀποστερεῖν per *defraudare* aut *circumſcribere* aliquem, atque hoc verbum ait proprie dici de eo, qui debitum inficietur, depoſitum neget, & commodatum non reddat. Hæc omnia vero pertinere ad præceptum *octavum*. Conferatur idem de Mutuo p. 166. Alii malunt verbum hoc referre ad *decimum* præceptum, quippe quo prohibeantur fallaciæ occultæ, quibus leges & jura prætexantur, & quæ hic illicitæ pronuncientur, ſive effectum ſortiantur, ſive minus. Vide in hanc ſententiam *Clericum* ad h. l.

Verſ. 20. ταῦτα πάντα ἐφυλαξάμην) *Hæc omnia ſervavi*: quam vocis ſignificationem Hebraicam eſſe contra *Pfochenium* contendit *Gatackerus* Sect. XVII. Sed vide *Vorſtium* Philolog. S. P. I. p. 153.

Verſ. 21. ἠγάπησεν αὐτὸν) Nonnulli exiſtimant, verbum ἀγαπᾶν hic reſpondere Hebræo רחם i. e. *miſertus eſt*, ac ſi diceretur Chriſtus miſertus eſſe hominis hujus, de re, quæ nulla in ipſo eſſet, miſere gloriantis. Sed id quidem cum contextu conciliari non poſſe videtur. Itaque *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 224. mavult interpretari per *blandiri*, qua notione uſurpatur a τοῖς LXX. Pſalmo LXXVIII. 36. ut ſenſus ſit, Servatorem verbis blandis hominem hunc allocutum eſſe, ſecus ac cum Phariſæis agere ſolebat, quibus os potius obturare conſueverat. Atque in eadem ſententia eſt *Dan. Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. lib. X. c. 1. p. 438. qui ita παραφράζει: *Jeſus amico vultu ſignum approbationis illi dedit, humanisque & blandis verbis eum laudavit, ac ſtudium, quod legi ſervandæ impenderat; amicisque ſuper hac re verbis compellavit.* Compara *Crauſeri* Phoſphorum §. 666. & noviſſime Cl. *Henr. Bened. Starckii* Notas ſelectas in loca dubia N. T. p. 80. Conferantur *Caſauboni* notæ in h. l. & *Boiſius* in Collat. qui ita vim vocis exprimit: *leniter cum illo egit, non aſpere, non vehe-*

vehementer. Atque horum ſententiam & ego amplector. Ceterum τὸ ἀγαπᾷν, ubi de rebus dicitur, ſæpe idem apud Græcos eſt, quod *in re acquieſcere*, & contentum eſſe. Vide *Gatackerum* ad Antonin. p. 253. Sed id quidem hic locum non tuetur, cum de homine ſermo ſit, quem non omni ex parte probabat Servator. Fuit non ita pridem *Jo. Mart. Schamelius*, qui Chriſtum *ſubridentem* hoc verbo deſcribi exiſtimaret, in Miſcellaneis Lipſienſ. Part. X. p. 279. ſq. Provocat is ad *G. F. Heupelii* Notas in Marcum p. 273. qui probatum dederit, Græcum verbum ἀγαπᾷν a profanis non tantum de affectu amici, ſed & geſtu oris atque corporis adhiberi ſolere. Equidem ut non puto negari poſſe, Chriſtum blandi vultus ſerenitate amorem ſuum hic demonſtraſſe; ita vi vocis hujus rem confici poſſe non exiſtimo, inprimis contra eos, qui Servatorem unquam riſiſſe inficiantur. His præivit commentitia *Lentuli* ad Senatum Romanum epiſtola de Chriſto, Domino noſtro, ſcripta, & in Cl. *Fabricii* Apocryphis N. T. p. 302. recuſa. *Gratia*, inquit is, *miranda vultus, cum gravitate. Vel ſemel eum ridentem nemo vidit, ſed flentem imo.* Contraria tamen eſt ſententia *Juvenci* in Hiſtor. Evangel. lib. III. v. 270.

Tunc Chriſtus cunctis arridens pectore blando. Ad quæ verba *Königius* affirmare non audet, Chriſtum ἀγέλαστον fuiſſe. Imo non fuiſſe talem, D. *Conr. Mel* in concionibus ſuis ſuper Eccleſiaſt. Salomonis p. 86. evincere anniſus eſt. Sed de hoc forte plus quam ſatis eſt.

De variis verbi ἀγαπᾷν ſignificatibus legendus præter *Heupelium* ad h. l. eſt *Eraſm. Schmidius* in Annotatt. ad N. T. p. 765.

Ἕν σοι ὑστερεῖ) Τὸ ἓν hic idem eſſe quod ὅλον arbitratur *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 173. *Illud enim*, inquit, *unicum opponitur univerſalibus: ταῦτα πάντα, quibus uſus erat juvenis v. 20. Neque enim Chriſtus ipſi dixit: ἓν μόνον σοι ὑστερεῖ, quaſi quid ſuperaddi poſſit perfectæ juſtitiæ legali, quam ſe habere falſo ſibi imaginabatur: Sed vere hoc ἓν fuit ὅλον τῷ νόμῳ, perfecta charitas erga proximum, dando omnia pauperibus: ac erga Deum; abnegando ſe ipſum plentiſſime; & in omnibus; eundo poſt Chriſtum.* Hæc ille. Quæ quidem in ſe ut præclara ſunt, ita vereor, ut mentem Chriſti aut vim vocis ἓν exprimant. Virtutis ſtudium, quam quidem in homine ejusmodi eſſe poterat, ſincerum in eo agnoviſſe Chriſtum non dubito: alioquin enim, quod in Phariſæis facere ſolebat, hypocriſin ejus caſtigaſſet. Nunc vero, ab opinione meriti & perfectionis eundem avocaturus, monet, in omnibus illis vitam æternam ipſum non inventurum, quamdiu *uno* careret, nempe agnitione & profeſſione Chriſti, quæ cum abdicatione bonorum ſæcularium conjuncta eſſe debebat.

Verſ. 22. συγνάσας ἐπὶ τῷ λόγῳ) i. e. percepto hoc verbo obſtupuit. Vide *Keuchenium* ad h. l.

Verſ. 26. καὶ τίς δύναται σωθῆναι) Τὸ καὶ ex Hebraiſmo repetit *Grotius*.

Verum & Græcis & Latinis copulam eleganter poni ante interrogativam, oſtendit *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad h. l. p. 17. & 84. & inprimis *Elsnerus* p. 154. Conf. *Gifanium* in Indice Lucretiano voce ὅ, & *Raphelium* in Notis Polybian. p. 140. Hoc loco idem eſt, quod ἄρα, *igitur*, quo hic utitur Matthæus XIX. 25.

Verſ. 29. ἢ γυναῖκα) deeſt in Cod. *Cantabrig.* & paucis quibusdam aliis, ut & in verſionibus nonnullis, a *Millio* citatis, unde *Eraſmus* ex Matthæo aut Luca huc relatum putat a librario, quemadmodum & *Rich. Simon* in verſione ſua Gallica omiſit. Confer & *Millium* in Prolegom. §. 398. Sed tutius in communi & ab antiquiſſimis plurimisque Codd. ac verſionibus firmata lectione acquieſcimus. Sunt & aliæ in hoc commate varietates, inprimis apud Interpretem Gothicum, de quibus videatur *Mareſchallus* p. 434. Sed illæ quidem librariis facile offerri potuerunt eo in loco, in quo membra aut momenta varia memorantur, per particulam ἢ tantum a ſe invicem diſtincta.

Verſ. 30. μετὰ διωγμῶν) i. e. *cum perſecutionibus*, vel, *inter perſecutiones*: quod nonnullis eo in loco dici alienum viſum eſt, quo de compenſatione jacturæ & retributione mercedis ſermo eſt. Itaque legi voluerunt μετὰ διωγμὸν i. e. *poſt vexationem*. Ita ſtatuit *Heinſius* ad h. l. nec non *Clericus*, quamvis dubius, ex noſtratibus vero *Wolfburgius* in Obſſ. Sacr. p. 131. Sed obſtat omnino univerſalis Codicum, ſi unum *Jo. Mori*, a Millio, (cujus & Prolegomena confer §. 1305.) citatum excipias, & verſionum omnium conſenſus, cui omnino refragari nolim: inprimis cum ſenſui alia ratione optime conſuli poſſit, ſi dicamus, Chriſtum hic præmia ejusmodi exſpectare jubere *inter medias vexationes*, quæ ſcilicet Deum non ſint impedituræ, quo minus ita jactatis alibi, etiam in hac vita, ea offerri faciat, quæ alibi amiſerint. Confer in hanc ſententiam *Feſſelium* Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 485. *Raphelium* in Notis Polybianis p. 142. & *le Cene* in Projet p. 573. qui verti vult *ſupra vexationes*, niſi malueris *poſt*. *Raphelius* l. c. præterea obſervat, τὸ μετὰ, etiam cum gignendi caſu adhibitum, interdum apud profanos Scriptores idem eſſe, quod Latini per *poſt* efferunt. Atque id quidem duobus locis, ex uno Polybio allatis, confirmat. Viciſſim μετὰ, accuſativo junctum, non ſemper denotet *poſt*, quod patet ex phraſi μεθ' ἡμέραν, quæ idem eſt, ac ſi dicas: *interdiu*. Confer *Kuhnii* notas ad Diogen. Laert. II. 5. Adde nobiſcum facientem Cl. *Hem. Bened. Starckium* Notis Select. in loca dubia N. T. p. 80.

Verſ. 32. ἀναβαίνοντες εἰς Ἱεροσόλυμα) ex locis ſcilicet humilioribus ad altiora. Viam hanc notam & tritam olim fuiſſe, patet ex *Epiphan.* lib. I. Tom. III. hær. XLII. Conf. *Relandi* Palæſtin. p. 407.

ἐθαμβοῦντο) quia ſcilicet timebant, ne Chriſtus Hieroſolymis male acciperetur.

Verſ.

Verſ. 33. Ὅτι ἰδὲ) *Boiſius* in Collatione p. 129. ante has voces ſubintelligi vult ἔλεγεν ἄν, aut tale quid, ſicut apud *Euſtathium* & Græcos ſæpiſſime intelligitur σημείωσαι. Sed rectius τὸ ὅτι per pleonaſmum hic poſitum credideris, quem etiam profanis Auctoribus non infrequentem eſſe, alibi obſervavimus. Conf. *Bos* de Ellipſi & *Devarius* de Particulis.

κατακρινῶσιν αὐτὸν θανάτῳ) *Polybius* eadem phraſi utitur, ſed ita, ut pro *dativo* nominis genitivus occurrat. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 143.

Verſ. 35. θέλομεν, ἵνα) *Velimus*, rectius verti, quam, *volumus*, contendit *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 240. ubi & contra *Pfochenium* diſputat, qui §. 99. recte negat, phraſin hanc cum *Beza* ex Hebraiſmo repetendam, cum & Latini & Græci eandem ipſi notionem tribuerint.

Verſ. 37. δὸς ἡμῖν) formula eſt precantium inter Græcos admodum frequens: ut *Heſiod.* Theogon. v. 342. δὸς δέ μοι ἀντὶ κακῶν παθεῖν τι ἀγαθόν. Adde omnino *Raphelium* ad h. l. p. 73. & ad *Matth.* XIII. 1. item *Eraſm. Schmidium* ad h. l.

Verſ. 38. βαπτισθῆναι) De iſta verbi hujus notione, qua adflictionem infert, confer *Saubertum* in Palæſtra p. 198.

Verſ. 42. οἱ δοκοῦντες ἄρχειν) Verbum δοκοῦντες nonnullis hic videtur πλεονάζειν, ut idem ſit, quod ἄρχοντες, qua ratione ſæpe in N. T. occurrere idoneis exemplis demonſtravit *Gatackerus* in Cinno lib. I. c. 3. Ita ad h. l. ſtatuunt *Hombergius* p. 102. *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. p. 5. *Rich. Simon* in Notis ad verſ. Gallic. tum vero *Boiſius* in Collatione p. 129. qui tamen addit, non prorſus otioſam eſſe hanc periphraſin, quia regna terrena ſpecie & δοκήσει ſunt regna. Pleonaſmi hujus exempla habes ex profanis apud *Caſaubonum* in Notis ad Gregorii Nyſſeni epiſt. p. 99. Intercedit tamen *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacr. p. 135. exiſtimans, nec unquam alibi, nec hoc loco τὸ δοκεῖν ſuperfluum eſſe, ſed tales hic denotari, qui dominatione ſe dignos æſtiment, probe norint ſe dominos eſſe, atque in illo ſtatu ſe efferant, glorientur, eodemque abutantur. Provocat Vir doctus, dum in hoc eſt, ad verba κατακυριεύσι & κατεξουσιάζουσι, eaque violentum imperium inferre contendit. Sed aliter de his judicandum eſſe monuimus ad locum Matthæi parallelum XX. 25. ubi & pro δοκοῦντες ἄρχειν ſimplex ἄρχοντες occurrit. Neque putandus hic eſt Marcus ſupplere Matthæum, quando linguæ ipſius ratio & Scriptorum uſus veram phraſeos notionem aperte monſtrat.

Verſ. 44. ὃς ἐὰν θέλῃ γενέσθαι) Τὸ θέλειν videtur hic abundare. Lege *Gatacker.* ad Antonin. X. 8. p. 357.

Vers. 45. δῶναι τὴν ψυχὴν αὐτῆ) ita prorsus *Euripides* Heraclid. v. 551.

\- - - τὴν ἐμὴν ψυχὴν ἐγὼ
Δίδωμ' ἑκοῦσα τοῖς φίλοις.

Similiter Phœniss. v. 1004. Conf. *Elsnerum* p. 155.

ἀντὶ πολλῶν) i. e. *pro omnibus*, ut *Deuter.* XXXIII. 4. & *Act.* IV. 32. Conf. *Martianai* Conatus p. 203.

Vers. 46. Narrationem hanc Marci propriam esse atque ab illa *Lucæ* XVIII. distinguendam, ostendit *Sandhagenius* in Epistol. Theolog. Dec. I. p. 26. sq. & Dec. II. p. 117. sq.

Vers. 47. ἤρξατο κράζειν) Verbum ἤρξατο cum multis aliis hic abundare censet Cl. *Majus* in Observ. Sacr. Part. I. ad *Luc.* III. 23. nec, puto, inconvenienter, aut præter Scriptorum Sacrorum & profanorum usum. Sed repugnat Rev. *Wolfburgius* l. c. p. 137. arbitratus, Bartimæum jam antea ad viam tacitum consedisse, aut submissa voce, qui inter Hebræos pauperibus mos erat, usum, tunc vero, ubi audivisset, Jesum præterire, vocem altius intendere cœpisse. Non nego, circumstantias has phrasi isti hanc notionem isto in loco cum aliqua veri specie vindicare, sed quæ tamen ex ipsa phrasi non colligitur. Nam τὸ ἤρξατο certissime frequenter abundat in sacris & profanis Scriptoribus. Vide, quæ diximus ad *Marc.* II. 13. & adde *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 17.

Vers. 50. Ὁ δὲ ἀποβαλὼν τὸ ἱμάτιον αὐτῆ) Cl. *Sam. Battierius* in Biblioth. Bremens. Class. VI. p. 88. mavult legere ἀπολαβὼν, has habens sententiæ suæ rationes. Cœcum scilicet videri vestimento suo insedisse in morem mendicantium, quod proinde abiturus ad Christum recepisse potius videatur, quam projecisse, præcipue cum illud in tam brevi via ipsi impedimento esse non potuerit. Non infrequentem quoque esse verborum βαλεῖν & λαβεῖν in membranis permutationem. Ut ab ultimo initium faciamus dicendi, permutatio illa passim quidem obvia est, quod & ipse alias ostendi in notis ad Anecdota Græca Tom. I. p. 227. & 231. Sed propterea tamen non temere aut cupide nimis statuenda, nisi structura sermonis manifeste requirat, quod quidem hic fieri non video. Neque enim probatum est a Viro docto, cœcum illum vestem juxta se positam habuisse. Et magis in promtu est suspicari, eum habitu impediti indutum fuisse; vel conditionis suæ causa, tanquam omnia sua secum portantem, vel ad amoliendam tempestatis injuriam, & quæ alia hic occurrere potuerunt. Gaudio itaque exultans veste superiore (duplici enim uti solebant Hebræi, conf. Interpretes ad *Matth.* V. 40.) se sponte sua liberavit, tanquam qua non admodum indigeret. Atque de hoc vestimento exteriore τὸ ἱμάτιον hic interpretatur post alios *Hammondus* & *Heupelius* ad h. l. p. 296. qui & plura de

de voce ἱμάτιον affert. In his equidem perſiſtere malim, quam lectionem novam invehere, quæ nullius Codicis, verſionis aut veteris Doctoris auctoritate firmatur.

ἀναςὰς) Codd. nonnulli legunt ἀναπηδήσας, ex ſcioli emendatione, quam verſiones nonnullæ ſequuntur a *Millio* citatæ, quibus adde *Copticam*, de qua *Wilkinſius* in Prolegomenis ad Verſionem iſtam p. 19.

Verſ. 51. Τί θέλεις ποιήσω σοι) i. e. ἵνα ποιήσω σοι. Frequens enim eſt hujus particulæ ellipſis, ut *Matth.* VIII. 4. & apud profanos. Vide *Vigerium* de idiotiſmis Gr. L. p. 132.

CAP. XI.

Verſ. 1. εἰς Βηθφαγὴ) i. e. ea parte, qua Bethphage eſt & Bethania. Indicatur enim, qua via, ſive ex qua parte civitatem verſus pergerent. Ita *Boiſius* in Collatione p. 131. Quoniam deeſt in *Cantabrig.* Cod. Millius in Prolegomenis ex margine huc putat irrepſiſſe. Sed vide *Whitbium* in Exam. p. 43. Non expreſſit in verſione ſua Gallica *Rich. Simon*, Codicem *Cantab.* ſecutus.

Verſ. 2. ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε) Animantes, humanis uſibus plane exemtas, ad ſacros uſus adhiberi conſueviſſe, ex Auctoribus hic probat *Grotius*. Iis addi vult Cl. *Trillerus* in Notis MSS. *Homerum* Iliad. VI. 94. 275. 309. X. 292. & Odyſſ. III. 382. ſqq. Confer *Lacerdam* ad Virgil. Georgic. IV. v. 540. *Bochartum* Hierozoic. Part. I. lib. II. cap. 33. & *Grotium* ad Deuter. XXI.

Verſ. 3. ἀποςελεῖ ὧδε) *dimittet huc.* Iſtam τῇ ὧδε ſignificationem poëticam eſſe, ſtatuit *Æmilius Portus* in Lexico Dorico, pro quo communiter uſurpatur δεῦρο. Sed ſæpiſſime tamen in N. T. eodem ſenſu uſurpatur, ut *Matth.* VIII. 29. XIV. 18. &c. & apud *Arrianum* Epictet. lib. I. c. 27. Confer *Heupelii* notas ad h. l.

Verſ. 4. ἐπὶ τῇ ἀμφόδῳ) ἄμφοδον interpretantur *angiporti* nomine, ut intelligi poſſit via, qua acceſſus aliquo ſeu δίοδος patet, ceu obſervat ad h. l. *Camerarius*, Xenophontis auctoritate id fieri profeſſus, quam in rem confer *Raphelium* in Notis Xenophont. p. 74. & *Heupelium* p. 303.

Verſ. 7. ἤγαγον τὸν πῶλον) De hac Chriſti profectione confer, quæ habet *Jo. d' Outrein* appendice ad Parabolas Luc. XV & XVI. Idem in Specimine Obſervationum Miſcellan. p. 159. monet, Chriſtum in hac ſolemnitate imitatum fuiſſe Regum Iſraelitarum exemplum, qui ubi inaugurandi eſſent, *mula* vehi ſolebant: quam in rem legendus quoque eſt *Fortunatus*

Scacchus Myrothec. S. III. c. 28. & 29. & *Bochartus* in Hierozoico Part. I. lib. II. c. 13. §. 2.

Verſ. 8. πολλοὶ δὲ ἱμάτια αὐτῶν ἔστρωσαν) Comparat hæc cum ritibus gentium, in receptione Ducum & Principum adhibitis, *Dougtæus* in Analectis Sacris p. 38. ſq.

Verſ. 10. ἡ ἐρχομένη βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίου, τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβὶδ) Voces ἐν ὀνόματι Κυρίου deſunt in Cod. *Cantabr.* & paucis aliis, ut & verſionibus nonnullis. Atque hinc loco moveri eas volunt, tanquam ex ſuperiori verſu huc, præter rem & ſine ſenſu, relatas, poſt Lucam Brugenſem & alios *Rich. Simon* in Notis ad verſ. Gall. *Millius* in Prolegomenis §. 1246. & ex noſtratibus Rev. *Pfaffius* in diſſ. de variant. Lect. N. T. p. 189. & 224. Fraudi illis, credo, fuit, quod non viderent, quid ſibi vellet phraſis: ἡ βασιλεία ἐν ὀνόματι Κυρίου. Sed illa quidem ἐν ὀνόματι Κυρίου referenda erant vel ad vocem ἐρχομένη, quod B. *Lutherus* fecit, vel ad vocem εὐλογημένη, quod vult *Hombergius* in Parergis p. 103. ut ſenſus ſit: regnum *veniens* vel *benedictum in nomine Dei.* Hujusmodi vero trajectionis non rara ſunt in N. Teſt. aliisve ſcriptis exempla, quorum unum ex nonnullorum ſententia, de qua diximus ad *Matth.* XXI. 9. in commate proxime antecedenti nono exſtat, quibus ſcilicet τὸ ἐν ὀνόματι Κυρίου pertinere videtur ad εὐλογημένος.

Verſ. 10. ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις) *Origenes* hic pro ὡσαννὰ legit εἰρήνη, quod *Millius* alibi memoriæ lapſui tribuit, alibi ex probo Codice derivatum putat. Vide *Whithium* in Exam. p. 92.

Verſ. 11. ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας) i. e. *tempore veſpertino.* Vox ὥρα enim partem diei ſeu tempus in univerſum denotat. Vide *Grævium* ad Luciani Tom. II. p. 878. & *Jo. Clericum* ad Æſchinis Dialogos p. 80. Confer de hac phraſi hic plene & ſine ellipſi, quæ alias frequens eſt, poſita *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. p. 27.

Verſ. 12 τῇ ἐπαύριον (ſc. ἡμέρᾳ ut *Rom.* XI. 8. τῆς σήμερον ἡμέρας. Conf. *Bos* l. c. p. 44. ſq. & *Schwarz.* ad Olearium de Stylo N. T. p. 94.

Verſ. 13. ἦλθεν, εἰ ἄρα εὑρήσει τι ἐν αὐτῇ) Vulg. *venit, ſi quid forte inveniret in ea*, ſcilicet, *viſurus, ſi quid* &c. Quam ellipſin utriusque Linguæ Scriptoribus receptam eſſe, idoneis exemplis commonſtrat *Jo. Boiſius* in Collat. p. 132.

οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων) Multum hic laborant Interpretes, quorum ſententias relatas & examinatas vide in ſingularibus Diſputationibus *Jo. Chriſtoph. Goesgenii* de Ficu maledicta, *Lipſ.* 1697. *Frid. Rolof* de ficus imprecatione, *Jen.* 1704. & *Joh. Simonis* de ficu juſſu Salvatoris exareſcente, *Francof. ad Oder.* 1689. itemque in *J. H. Heideggeri* Diſſert. ad Theol. Dogmatic. Tom. III. p. 681.

p. 681. & noviſſime in Rev. *Salom. Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. III. p. 215. Adde præterea ex noſtratibus B. *Seb. Schmidii* Faſcicul. Diſſert. Theologico Philolog. p. 774. ſqq. ex ceteris autem *Witſium* in Meletematibus Leidenſibus Exerc. X. & *Simon. Epiſcopium* Tom. I. Opp. Part. II. p. 7. ſqq.

In recepta lectione perſiſti non poſſe ideo nonnulli putarunt, quod indignum Domino videatur, ficus quærere eo tempore, quo exſpectari non poterant. Itaque τὸ δ᾽ transmutarunt in δ᾽ hoc ſenſu: *ubi enim erat, tempus erat ficuum.* Ita ſtatuit *Heinſius*, *Knatchbullus*, *Gatackerus*, quamvis dubius, in notis ad *Antonin.* IX. 10. p. 331. *le Cene* in Projet p. 491. ut & *Paul. Colomeſius* in Obſſ. Sacr. p. 15. qui & Interpretem *Anglo-Saxon.* huc refert, ita interpretantem: *erat enim tempus ficuum.* Quam in rem digna eſt, quæ hic afferatur *Th. Mareſchalli* obſervatio: *Neſcio*, ſcribentis, *an Scriba pro* ΝΣ, non erat, *oſcitanter exaraverit* ΡΣ, erat; *an vero Interpres temere rejecerit negativum* ΝΟΝ, *quod ipſi forſan iniquum, aut ſaltem indecorum videretur, ficum eſſe maledictionis ictu ſideratam propter infæcunditatem ſive* κακοφυΐαν, *etiam tunc, cum non aderat tempus ficuum.* Heinſiana conjectura non parum placet quoque *Alex. Moro* in Cauſa Dei p. 66. & forte *Jo. Sauberto* in Palæſtra p. 308. Sed recte illa quidem diſplicuit aliis, tanquam adverſa Codd. MSS. & verſionibus omnibus Interpretibusque antiquiſſimis, tum vero Græcæ linguæ genio, ac præterea rei ipſi, quia ficus maturæ, teſtibus Judæorum ſcriptis, non ad fructus vernales atque adeo Paſchali, quod tunc erat, tempore colligendos, ſed ad æſtivos pertinent. Vide hanc in rem omnino *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 961. ſqq. *Deyling.* l. c. *Millium* in Prolegom. ad N. T. §. 1305. & alios.

Alii verba hæc cum interrogandi nota legenda cenſuerunt: ὃ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων; h. e. *nonne enim tempus erat ficuum?* Hoc, ſed dubie, ſuſpicatum video *Frid. Rolof.* in Diſput. citata p. 6. plus vero illi conjecturæ tribuit Cl. *Majus* Obſſ. Sacr. Part. I. p. 7. qui præterea verba hæc parentheſi includi cupit. Sed id quidem violentum nimis & contextui contrarium viſum eſt Auctoribus *Relationum Innoxiarum* an. 1713. p. 663. Nec putem ego iſtam loquendi rationem, ſi vel maxime interpunctionem hanc, nullo vel Codice vel Interprete præeunte, admitti poſſe ſtatuas, cum dictione Sacrorum Scriptorum, alias recepta, ſatis convenire, quemadmodum nec Vir doctus ullum ex iis exemplum attulit.

Rectius itaque alii, in recepta lectione acquieſcentes, verba ipſa commodo ſenſu induere anniſi ſunt. Inter hos nonnulli duo ajunt fuiſſe ficuum genera in Judæa, quorum illud verno quoque tempore, hoc non niſi æſtivo fructus exhibuerit. Chriſtum itaque ficum, ad quam accedebat, prioris generis eſſe ſuſpicatum. Ita *Hammondus* & *Jo. Clericus* in notis ad eundem & ad Verſ. Gall. (qui etiam vocem καιρὸν ſpeciali ſenſu, de quo deinceps, induit) & *Herm. Witſius* in Meletematibus l. c. p. 411. Idem adſtruxit *Thom. Brown* in *Miſcellany Tracts*, Lond. 1684. 8. editis, cujus cogitata

in

in ſummam retulit Auctor *Memoriarum Literar. Magnæ Britanniæ* Tom. VIII. p. 470. Obſervat is, eſſe ficus præcoces & mature fructus edentes, eſſe item, quæ æſtate tantum, imo &, quæ ſerius ferant. Dari vero & alias, quæ ter per annum, alias, quæ ſemel tantum, idque convenienti tempore, fertiles ſe præſtent. Eſſe denique, quæ ficus habeant per integrum anni ambitum: id quod in regionibus calidioribus uſu veniat, ubi ficus æſtivas aliæ ſequantur, quæ ante tempus vernum decidant, aut flacceſcant. Ex his idem auctor conficit, Chriſtum, tempore etiam minus opportuno, ficus in ficu etiam communi ſperare potuiſſe, quippe quæ fructus per hyemem ſartos tectosque conſervare, vel præcoces quoque exhibere potuerit. Hanc in rem provocat idem ad *Jer.* XXII. 2. ubi dicitur: *calathus unus habebat ficus bonas nimis, ſicut ſolent eſſe ficus primi temporis.* Quod ſi, quæ affert auctor, experiundo didicit, apparet, non contemnendam eſſe illam inter ficus *præcoces* & *ſerotinas* diſtinctionem, quam nonnulli ex ſilentio Judæorum, qui ficus ad fructus æſtivos referre conſueverint, averſati ſunt. Dici vero inſuper poterat, Hebræos, ita ſtatuentes, de eo tantum locutos, quod communiſſimum ſit, neque propterea inficiari id, quod rarius, ſed tamen aliquando, quamvis forte in paucis hujusmodi arboribus, uſu veniat.

Alii, vocibus καιρὸς σύκων preſſius inſiſtentes, καιρὸν de tempore, *colligendis* & *decerpendis* ex arbore ficubus accommodato, acceperunt, hoc ſenſu: Jeſum acceſſiſſe ad arborem, fructus decerpturum, quippe quos una cum foliis hoc magis ſperare poterat, quod tempus ficus decerpendi nondum advenisſet. Iidem vero obſervant, verba hæc: *nondum erat tempus ficuum;* non ad proxime præcedentia, *nihil invenit præter folia;* ſed ad remotiora: *numquid forte ſit inventurus?* referenda eſſe. Atque eo quidem ſenſu vocem καιρὸς occurrere iidem probant ex *Matth.* XXI. 34. ubi καιρὸς καρπῶν i. e. tempus colligendis frugibus opportunum vocatur, quod *Marcus* XII. 2. ſimpliciter per ἐν καιρῷ exprimit. Conf. *Luc.* XX. 10. Trajectionis vero ejusmodi, quæ hic obtinere creditur, exemplum luculentum exſtat *Marc.* XVI. 3. 4. ubi verba: *erat enim* (lapis) *valde magnus*, non ad proximum, ſed ad remotius orationis membrum pertinent. Atque hoc modo optime loco huic conſultum putat *Rich. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 100. ſq. Conſentit ex parte *Jac. Guſſetus* in Confutat. libri *Chiſſuck Emuna* Part. II. p. 393. his uſus verbis: *Non eo tendit hoc monitum* (*nondum erat tempus ficuum*) *ut indicet, cur arbor caruerit fructibus; contra enim ficus folia habens fructus habere potuit: ſed ut ſignificet, cur Jeſus ficum iſtam remotiorem adierit tot aliis adſtantibus; nempe quia aliæ ſatis ſuam penuriam oſtendebant, abſentia foliorum, utpote tempeſtate non feraci ficuum: at illa ficus ſeſe diſtinguebat foliis fructum latentem ſpondentibus.*

Alii καιρὸν idem hic eſſe volunt, quod καιρὸν εὔφορον h. e. *annum ferendis copioſe ficubus opportunum*, ſeu *feracem.* Hanc interpretationem adoptavit

ptavit post *Hammondum* & *Clericum*, *Hombergius* in Parergis p. 104. sq. & a *Knatchbulli* exceptionibus liberare conatus est. Eadem placuit *Jo. d' Outrein* in Specimine Observ. Miscellan. p. 163. *In libro*, inquit, *modo citato ostendi, vocem* עת *καιρὸς aliquando sumi pro tempore, opportuno non tantum, verum etiam felici & prospero. Locis in hanc rem citatis adde Job. XI. 17. ubi vox* חלד *eadem significatione sumitur.* Amplexus eandem est *Gœrgenius* in Disput. citata §. 44. ad Act. XIV. 17. provocans. Sed recte Rev. *Deylingius* l. c. p. 218. requisivit exemplum, quo ista notio voci *καιρὸς* vindicari possit. Quæ enim attulit *Hombergius*, parum huc spectant; minime vero omnium illud, quo in *Act.* XIV. 17. *καιροὶ καρποφόροι* memorantur. Cum enim *καιροὶ* per *καρποφόροι* explicentur, ut pateat, quid per illos *καιροὺς* indicetur, apparet, vocem ipsam ad *fertilitatem* vel *fœcunditatem* inferendam per se non aptam esse. Hinc & Cl. *Clericus* in notis ad Vers. Gall. hujus phraseos exemplum apud profanos Scriptores non exstare fatetur, quod contra Hammondum recte urget *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad N. T. p. 18. Neque tamen felicius hic versatum esse credo eundem *Bosium* l. c. quando existimat, phrasin D. Marci id inferre, quod aliis verbis dixeris: *ἦν παρ' ὥραν σύκων* h. e. *tempus ficuum præterierat.* Quo posito totam orationem ita exprimit: *Christus aspiciens e longinquo vidit ficum foliis multis ornatam, ad eam abiit, sperans, fore, ut forte aliquid adhuc in ea inveniret fructuum, quibus famem sedaret. Sed cum accessisset ad eam, nihil invenit præter folia: nam tempus ficuum jam præterierat: ficus jam erant ex arboribus collectæ, præcoces scilicet.* Athenæi locus, fateor, quem idem huc adfert, luculentus est. Is enim Dipnosophist. II. 24. ita: *ἁλίσκονται δ' οὗται τῷ τῶν σύκων καιρῷ* h. e. *capiuntur autem hæ tempore ficuum* i. e. cum tempestiva est ficus, vel cum maturæ sunt ficus. Sed, si vel maxime hæc ad præsentem locum applicentur, non tollitur difficultas, quæ solicitos hic reddidit Interpretes, quod recte monuit *Clericus* contra *Bosium* in Biblioth. Selecta Tom. XV. p. 350.

Aliis Dominus noster specie tantum adiisse videtur arborem illam, tanquam fructus inde collecturus, non ignarus alioquin, nihil in ea repertum iri, ut occasionem sic nancisceretur vim fidei discipulis suis declarandi. Ita statuit *Millius* in Prolegom. ad N. T. §. 1305. *In animo Servatoris nostri, jam erat ostendere discipulis suis mirificam ac vere divinam potentiam fidei. Hinc esuriens, cum vidisset procul ficum arborem, foliis florentem, adiit eam, quasi fructum ex ipsa petiturus; specie, inquam, fructum quærentis (neque enim jam tum exspectabat, aut poterat exspectare: nondum enim erat tempus ficuum. Quid quod norit jam ante, novit siquidem omnia, nihil in arbore illa fructus fuisse) sed revera, ut discipulis ad oculum demonstraret, quid & quantum valeret vera fides in Deum. Jam enim ex fide maledixit arbori huic, eaque illico arefacta periit.* Sed quo minus simulationem ejusmodi hic admittamus, obstat esuritio, quæ ut causa aditus ad arborem hic commemoratur. Quam vere enim esuriit Christus, tam vere, etiam, nec specie tenus, ad arborem accessit, famem inde sedaturus. Nihil præterea in tota illa narratione exstat, ex quo vel levissima conjectura capi possit,

Chriſtum vim & poteſtatem fidei tum demonſtrare diſcipulis voluiſſe. Imo vero, ſi is ipſi animus fuiſſet, non tam arbori imprecaturus perpetuam ſterilitatem, quam ficubus ipſam ornaturus, & hinc præſenti fami conſulturus fuiſſe videtur.

Propius omnino ad ſcopum & conſilium Chriſti hic accedunt, qui omnem hanc rem myſtice conſiderandam, maledictionemque illam ficus ad Synagogam Judaicam, tanquam exitio proximam, Deoque, poſt denegatos pœnitentiæ fideique fructus, inviſam, referendam eſſe contendunt. Ita ex Patribus æque ac recentioribus Interpretibus permulti, quorum teſtimonia cumulate attulit Goesgenius in Diſſert. laudata. Has partes quoque amplexus eſt *Frider. Rolof* in Diſp. citata p. 6. verba hæc ita vertens: es war da keine Zeit zum Feigen, es war da alles verlohren, und alle angewandte Mühe umſonſt, i. e. *omne tempus, omnemque operam perdidi.* Confer in eandem ſententiam *Bochartum* Tom. II. Opp. p. 963. & ex noſtratibus inprimis Rev. *Deylingium* Obſ. Sacr. Part. III. p. 220. Hic Chriſtum putat non ignoraſſe, arborem, quam eminus videbat, eſſe infrugiferam, ſed vel ſic tamen ad eam divertiſſe, & exſecrationis formulam pronunciaſſe, ut oſtenderet, ſe non ſolum jus habere arbitriumque in omnes res creatas, ſed velle etiam eadem ratione hypocritas, ac Judæos ſigillatim, tanquam arbores inutiles aliquando exſcindere atque delere.

Atque hæc quidem, quæ ad conſilium Salvatoris noſtri attinent, ut recte monentur, & omnino in hac cauſa attendenda ſunt, ita, quæ occaſionem huic exſecrationi dederunt, nonnihil aliter conſideranda eſſe putem. Exiſtimo itaque, Dominum noſtrum vere exſpectaſſe ex arbore iſta fructus. Eſuriens enim ad eam accedebat v. 14. Poterat etiam ita augurari ex foliis, non repugnante tempore, eo quod uſu venire ſolebat, ut, ceu ante monitum eſt, ficus quacunque anni tempeſtate ex arboribus nonnullis penderent. Perſuaſio autem illa fruſtrata fraudi non eſt omniſcientiæ Chriſti, alias luculentis exemplis probatæ: ſed indicio potius eſt, Dominum eo tempore uſu ejus ſe abdicaſſe, quod non minus facere poterat, quam idem permiſit, ut fame afficeretur. Accedit, Dominum noſtrum, tunc quidem paſſioni & morti proximum, data opera, ſtatus exinanitionis ſuæ exemplum hoc ipſo edere voluiſſe. Neque obſtant Marci verba, *quod tunc non fuerit tempus ficuum.* Ea enim de illa anni tempeſtate accipienda putem, qua meſſis quaſi ficuum inſtitui ſolebat. Talis vero, ut æſtiva alioquin eſt, ita tunc quidem adhuc erat exſpectanda. Si hæc admittamus, myſtico illi inſtituto, quod ad Judæos reprehendendos & de imminente excidio monendos, recte refertur, lux major accenditur. Nam & ab illis Dominus exſpectare poterat & exſpectaverat fructus pœnitentia dignos, ad quos ipſe hactenus per triennium & amplius ſermonibus ſuis & miraculis excitaverat, & vel ſic tamen ſpes omnis decollaverat. Conf.

Seb.

Seb. Schmidii Faſciculum Diſſert. Theolog. Philolog. p. 778. ſqq. Unſchuld. Nachrichten an. 1713. p. 663. & *Voſſium* Tom. VI. Opp. p. 117.

Quæ hic aliæ a Judæis moventur difficultates, v. c. quomodo Chriſtus arbori innocenti maledicere potuerit &c. ad eas a *Kiddero* in Demonſtrat. Meſſiæ & *Guſſeto* ll. cc. reſponſum eſt. Conf. etiam Rev. *Deylingium* p. 220.

Nonnulla alia, ad argumentum hoc pertinentia, leges, ſi placet, in *Cocquii* Phytologia Sacra p. 103. *Wolfburgii* Obſerv. Sacris p. 552. *Speneri* Conſiliis Theologicis Germanic. Tom. I. p. 13. ſq. *Zeibichii* Paßions-Stunden p. 69.

Verſ. 15. Καὶ ἔρχονται εἰς Ἱεροσόλυμα) Narrationem hanc ab illa, quam Matthæus habet XXI. 12. diſtinctam eſſe, oſtendit B. *Sandhagenius* in Epiſtolis Theolog. Dec. I. p. 28. ſq. Hanc enim rem ait contigiſſe poſtero die, ex quo Hieroſolymam, applaudente populo, ingreſſus erat.

ἤρξατο ἐκβάλλειν) Cl. *Jo. Henr. Majus* T. I. Obſerv. Sacrar. ad *Luc.* III. verbum ἤρξατο per pleonaſinum hic poſitum eſſe cum aliis, ac ſpeciatim *Heupelio* ad h. l. cenſet, vertitque ſimpliciter *ejecit*, recte, meo judicio. Ita enim & Matthæus in loco parallelo XXI. 12. ἐξέβαλε πάντας &c. Sed contradicit *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacr. p. 137. exiſtimans, Marcum id ſibi velle, quod Chriſtus tunc primum, inſigni novitate, inceperit templi repurgationem, qua etiam perculſi Antiſtites tunc primum ipſum interrogare cœperint, qua auctoritate id ageret. Enimvero non recordatus eſt Vir doctus, Dominum noſtrum ejusmodi templi & ſacrorum emendationem jam alias ſuſcepiſſe, de qua exponit Johannes cap. II. ubi confer Interpretes.

τὰς τραπέζας τῶν κολλυβιστῶν &c.) Advocat ad comma hoc illuſtrandum *Saubertus* de Sacrificiis p. 738. quindecim inſigniores in templo præfecturas, quas ordine recenſent Talmudici Codice de Siclis c. V. Inter ceteros ſcilicet præfectos erat *præfectus turturum*, qui pro certo pretio, quod ipſe ſtatuebat, vendebat in templo turtures, & *præfectus teſſerarum*, qui pecuniam accipiebat pro vino ſacro, oleo & ſimila ab iis, qui vel libamina vel ſacrificia offerre ex lege tenebantur. Accepto vero pretio dabat iis teſſeras, quibus apud Præfectum libaminis oſtenſis potiebantur pro neceſſitate ſua vel vino ad libationem, vel ſimila & oleo ad minchas. Horum duorum Præfectorum munia tempore Chriſti in fœdiſſimum quæſtum traducta fuiſſe, idem monet ex h. l. & *menſam argentariorum* ad Præfectum teſſerarum & ejus miniſtros, & *ſellas vendentium columbos* ad Præfectum turturum & ſervos ejus refert. Confer tamen, quæ ſcripſimus ſupra ad locum Matthæi parallelum.

Verſ. 16. καὶ οὐκ ἤφιεν) *Neque permiſit*, h. e. prohibuit. Hujus λιτότητος exempla vide apud B. *Glaſſium* in Philolog. Sacra p. 583.

ἵνα τὶς διενέγκῃ σκεῦος) i. e. ne quis per templum iret, vaſis ullis inſtrumentisve aut impedimentis onuſtus. Ita cum *Cunæo* explicat *Lomeierus* de Luſtrationibus p. 431. Scilicet doctorum ſimile inſtitutum exſtat in *Berachoth* cap. IX. Miſchna ultima: *nullus intrabit montem templi cum baculo, aut calceo, aut marſupiis, aut pulvere ſuper pedes ſuos*, &c. Vide *Braunium* de veſtitu Sacerdotum Hebr. p. 47. qui & p. 53. ſuſpicatur, Chriſtum ad hanc majorum traditionem diſerte tunc, cum iſta ageret, provocaſſe, eosque coarguiſſe, qui longe majori licentia uterentur in templo, quam illa erat, cui hic limites figebantur.

διὰ τοῦ ἱεροῦ) per ἱερὸν hic indicari הר הבית i. e. *montem ædis*, i. e. in quo templum exſtructum erat, opinatur *Braunius* l. c. p. 851. ſed eo uſus argumento, quod ſententiæ probandæ vix ſuffecerit. Malim ego cum Surenhuſio in libro Καταλλαγῆς p. 299. hic intelligere non ipſum Templi ædificium היכל dictum, ſed ſpatium quadratum 500. ulnarum מקדש alias appellatum, intra quod templum cum quatuor atriis ædificatum erat, quorum tria interiora in uſum Iſraëlitarum, exterius vero in uſum gentium conſtructum erat, verſus portam orientalem. Atque illud gentium atrium adhibere Judæi eo tempore tanquam locum profanum conſueverant ad mercimonia inſtituenda; ex quo fiebat, ut proſelyti ex gentibus in idem cum animalibus ad ſacrificia deſtinatis relegarentur. Vide huc *Schekalim* c. I. col. 3. Itaque Servator oſtenſurus, & illud gentium atrium pari ſanctitatis loco habendum, ad Jeſaiæ oraculum provocat, ubi domus Dei dicitur domus precum *pro omnibus populis* לכל העמים i. e. ut *Marcus* reddit v. 17. πᾶσι τοῖς ἔθνεσι. Vide huc *Surenhuſium* l. c. & ante ipſum *Joſ. Medum* in eandem ſententiam diſſerentem p. 44. ſqq. Operum, qui præterea recte obſervat, verba κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσι non vertenda eſſe per: *vocabitur ab omnibus gentibus*; ſed idem ſibi velle, quod latine dixeris *domus mea domus precum erit pro omnibus gentibus* h. e. in uſum gentium omnium. Hoc enim requirere ſcopum ſermonis Chriſti, qui oſtenſurus erat, atrium illud, quippe precibus deſtinatum, non magis profanandum eſſe, quam atria reliqua. Ceterum τὸ καλεῖσθαι ſeu *vocari* idem ſignificare, quod *eſſe*, alias a nobis ad Matthæum oſtenſum eſt. Confer interim ad h. l. *Hackſpanii* Notas p. 225. & *Heupelium* p. 312.

Verſ. 22. πίστιν Θεοῦ) i. e. *fidem in Deum*. Genitivus hic objectum infert, & idem eſt, ac ſi dicatur: πρὸς τὸν Θεὸν, quod Paulus ait 1 Theſſ. I. 18. Ita *fides Chriſti* dicitur Rom. III. 22. & 26. *Gal.* II. 26. &c. Ita vero & *Polybius* utitur Genitivo, quam in rem vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 143. Abſit itaque, ut cum *Martianæo* in Conatibus p. 207. ſtatuamus, *fidem Dei* hic dici, ut alias *montes Dei, ſomnus Dei* i. e. montes alti, aut ſomnus profundus dicuntur.

Verſ.

Verſ. 23. ἄρθητι καὶ βλήθητι &c.) Significatur, nullam rem nimis gravem aut inſuperabilem fore credenti. Conf. ſupra IX. 23. & 1 Cor. XIII. 2. Adde *Elsnerum* p. 156. qui ſimiles loquendi formas ex profanis affert.

καὶ μὴ διακριθῇ) Fuſe de hac voce ad h. l. differit *Heupelius* monetque p. 322. hic habere ſignificationem dubitandi, in quodam quaſi diſcrimine cogitationum.

Verſ. 24. καὶ ἔσαι ὑμῖν) i. e. *dabitur vobis, impetrabitis.* Ita profani Scriptores ſæpe, quorum loca habes apud *Elsnerum* p. 157. & *Raphelium* in Notis Polybian. p. 144.

Verſ. 25. ὅταν στήκητε προσευχόμενοι) Orantes ſcilicet plerumque ſtabant: hinc Hebr. מעמדות i. e. *ſtationes* de precibus earumque ordine uſurpant. Similiter Chriſtiani *ſtationis* voce in eadem cauſa uſi ſunt. Vide, quæ ex *Onuphrio* de Stationibus urbis Romæ hic affert *Boiſius* in Collatione p. 133. & adde citatos a Cl. *Fabricio* in Bibliograph. Antiquar. p. 362.

Verſ. 26. Εἰ δὲ ὑμεῖς οὐκ ἀφίετε &c.) Totum comma hoc deeſt in Codd. perpaucis, incuria ſcilicet Scribarum, qui fere labi ſolent, quoties eadem phraſis vel dictio diverſas claudit ſententias. Sic enim comma 25 definit in vocibus παραπτώματα ὑμῶν, quibus finitur & noſtrum. Deeſt quoque in verſione una Coptica, cujus tamen exemplaria quædam MSS. illud in margine exhibent, teſte *Dav. Wilkinſio* in Prolegom. ad Verſ. Coptic. p. 19. Hinc & editiones nonnullæ, ut *Aldina* & *Frobeniana*, non agnoſcunt: unde factum eſt, ut in verſione Lutheri deſideraretur, donec poſt an. 1662. a Theologis Wittebergenſibus ſuo loco vindicaretur. Vide Cl. *Boyſenii* Diſſert. de Codice Græco N. T. &c. p. 19. & *Balth. Raithii* Vindicias verſionis German. p. 374. ſq. Conf. de hoc loco *Morini* Exercitatt. Biblic. Exercit. II. lib. I. p. 39.

Verſ. 29. ἐπερωτήσω) De verbo hoc fuſe ad h. l. *Heupelium.*

λόγον ἕνα) *verbum unum* i. e. rem aliquam: vide *Feſſelii* Adverſar. Sacr. Tom. II. p. 513.

Verſ. 32. ἐξ ἀνθρώπων· ἐφοβοῦντο τὸν λαὸν) Deeſt membrum poſterius poſt verba: ἐξ ἀνθρώπων, ſcilicet, vel: κακῶς ἔξει, vel τί γενήσεται ἡμῖν; vel ſimile, niſi malis cum Beza hic ſtatuere tranſitum orationis rectæ in obliquam. Ita *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 394. Malim ego cum Beza hic facere, ut poſitum dicatur τὸ ἐφοβοῦντο τὸν λαόν, ab Evangeliſta, qui mentem Judæorum ita expreſſit. Atque ſic etiam B. *Lutherus* noſter verſionem ſuam conformavit.

CAP. XII.

Vers. 1. ἀμπελῶνα) Quam frequens vox est in N. T. & LXX. tam rara alias, ut dubitet *Heupelius* ad h. l. an apud profanum Scriptorem inveniatur. Sed exstat illa in *Plutarchi* Opusc. de Nobilitate, quod in Tomo IV. Anecdotorum exhibui.

ὤρυξεν ὑπολήνιον) *Martianæus* in Conatibus p. 211. vertit: *il creusa la fosse de la cuve pour recevoir le vin de pressoir.* Notatur locus in torculari ad excipiendum vinum, ex uvis expressum, qui olim terræ infodi consuevit, observante *Heupelio* ad h. l. p. 328. qui & paulo post de verbo ἀποδημεῖν ex profanis Scriptoribus commentatur.

Vers. 3. αὐτὸν ἔδειραν) *Camerarius* hic legi malebat ἔδηραν, ut repeti posset a δαίρω. Hoc enim verbum *cædere* & *verberare* proprie infert, quemadmodum δέρω, a quo ἔδειραν, *excoriare* notat, aut *pellem detrahere.* Sed non opus esse hac mutatione patet, quia frequenter verbum δέρω percutiendi sensu in N. T. occurrit, ut 1 Cor. IX. 26. quod proverbium profanis quoque receptum fuit. Confer *Pfochenium* de Stylo N. T. in Addendis §. 1. *Erasm. Schmidium* in notis ad h. l. *Suicerum* in Thesauro Eccles. T. I. p. 841. & *Heupelium* ad h. l. p. 331.

Vers. 4. κἀκεῖνον λιθοβολήσαντες) posteriorem vocem omittit *Rich. Simon* in Vers. Gall. quia deest in Cod. Cantabrig. & Stephanianis. Sed genuinam esse ex Matthæi loco parallelo patet XXI. 35.

ἐκεφαλαίωσαν) Singularis hujus verbi notio est, quæ *capitis vulnus* infert, præter Auctorum profanorum morem, quibus idem est, quod *rem in compendio narrare.* Vide huc *Heupelium* p. 333. & *Boisium* in Collatione p. 134. *Heinsius* p. 118. Exercit. Sacr. capitis mulctam indicari censet; qui non cogitavit, multatum capite non potuisse adhuc injuria affici, & sic remitti, quod textus diserte memorat. Confer *Wolfburgii* Observatt. Sacr. p. 330. Adde de hac voce *Mareschallum* ad vers. Gothic. p. 434. qui observat, Interpretem illum in verbo hoc interpretando ea voce usum esse, quam alibi non invenerit.

ἠτιμωμένον) i. e. non tantum contemtui & ludibrio expositum, sed etiam bonis spoliatum. Vide huc *Keuchenium.*

Vers. 6. ἕνα ἔχων υἱὸν ἀγαπητόν) Ἀγαπητόν, ubi de filio Dei usurpatur, nonnulli idem esse voluerunt, quod alias dixeris *unigenitum.* Sed eam non esse perpetuam hujus vocis notionem, *Hackspanius* Not. ad h. l. ex hoc commate efficit, in quo εἷς & ἀγαπητὸς conjunguntur. Conf. ad h. l. *Fesselium* Tom. II. Adversar. Sacr. p. 519.

ἐντραπήσονται) In voce hac enarranda multus est *Heupelius* p. 336. sq.

Vers.

Vers. 10. Λίθον ὃν) pro λίθος, ὃν consueta loquendi ratione, cujus exempla ex Sacris & profanis utriusque linguæ Scriptoribus habes apud *Heupelium* in Notis ad Marc. VI. 16. Per ellipsin phrasin hanc explicari vult Cl. *Jo. Christian. Herzog* in Disp. de certitudine Hermeneuticæ in lingua Fœderis Nov. §. 11. Davidem scilicet exultantem hæc cum affectu dicere voluisse autumat: *Lapidem, quem spreverunt structores*, (scilicet *video*) *is est in caput anguli.* Addit idem: *qui, sepositâ versione Græca, ex fonte textum solvere aggredietur, dubium evitare non poterit, anne ultima syllaba ON bis ab imperito librario lecta difficultates pepererit.* Absit vero, ut lapsum librariorum, si quis in LXX. Intt. versionem irrepserit, ab Evangelista retentum & probatum dicamus.

Vers. 12. ἐζήτων αὐτὸν ἀγρεῦσαι) i. e. *studiose quæsiverunt prehendere eum.* Hunc verbi significatum ex Hebræo בקש derivatum statuerat *Beza*, intercedente recte *Pfochenio*, idoneisque veterum locis eandem notionem voci Græcæ vindicante. Conf. *Gatackerum* p. 202.

Vers. 13. καὶ ἀποστέλλουσι πρὸς αὐτόν τινας τῶν Φαρισαίων) *Gothicus* Interpres ita hæc vertit, ac si legerit τινὲς, ut proinde Pharisæi & Herodiani non missi sint ab aliis, sed ipsi alios miserint insidiatores. Conferri jubet Matth. XXII. 15. 16. Sed salva res est, nec quidquam jubet receptam ubique lectionem in gratiam unius illius Interpretis missam facere. Primo enim utrumque idem dicitur. Qui enim a Pharisæis secundum Matthæum mittebantur ex suis discipuli, erant Pharisæi & ipsi, Herodianis, quos Matthæus itidem appellat, juncti. Tum vero repugnat structura sermonis apud Marcum. Si enim ibi legamus τινὲς, nihil erit, quo referatur verbum ἀποστέλλουσι, nec habebit verbum sequens ἀγρεύσωσι Nominativum, a quo pendeat.

Vers. 14. ἐπ' ἀληθείας) idem est, quod ἀληθῶς i. e. vere, ut v. 32. *Hombergius* p. 107.

δῶμεν ἢ μὴ δῶμεν;) *dabimus, an non dabimus?* Ita *Vulg.* quem defendit *Boissius* in Collatione. Verba illa temere omittit *Rich. Simon*, quia non sint in Codice Cantabrig. & versionibus quibusdam, nec quidquam faciant ad sensum. Atque idem omnino statuisse librarii videntur, qui verba hæc primi omiserunt. Sufficit autem ad ea vindicanda universalis, si unum istum exceperis, Codicum consensus. Et insidiatores illi quæstionem hanc duplici modo formasse ideo videntur, ut eam acuerent, & affectum suum demonstrarent. Pro κῆνσον *Cantabr.* legit ἐπικεφάλαιον i. e. *capitatio*, quale quid apud Syrum occurrit. Sed id quidem interpretamenti loco haberi debet.

Vers. 19. Μωσῆς ἔγραψεν ἡμῖν) γράφειν proprie a Græcis dicitur Legislator, quando legem fert. *Plutarchus* in Numa p. 86. γράφειν νόμον &c.

v. *Elsne-*

v. *Elsnerum* p. 157. Quæ circa legem hanc difficultates a nonnullis moventur, eas expedit *Hackspanius* in Notis p. 227.

Vers. 21. ἔλαβεν αὐτήν) Eadem phrasi utitur Polybius: v. *Raphelium* p. 144.

Vers. 26. ἐπὶ τῆς βάτου) Communiter hæc vertunt: *super rubum*, vel *in rubo*. At Celeb. *Dan. Ern. Jablonsky* hic scite agnoscit formulam citandi locum Scripturæ ea ætate receptam, ut sensus sit: nonne legistis in libro Mosis, eo in loco, quo historia rubi ardentis describitur, quomodo Deus dixerit. Vide ejus præfat. ad Biblia Hebr. Berolinens. an. 1699. ubi & similia ex Talmudicis citationum exempla affert.

Vers. 29. Ἄκουε Ἰσραήλ &c.) Ad hæc verba inprimis hic provocat Dominus noster, quia vetus Ecclesia Judaica ea quasi pro fidei suæ symbolo habuit, & in publicis cœtibus fidelium recitata voluit, sicut posteriores Judæi, crescente superstitione, illa in precationem converterunt singulis diebus matutino & vespertino tempore repetendam, & a prima voce שמע, *Schema* appellatam. Vide huc *Campeg. Vitringæ* Archisynagogum p. 127. qui in sequentibus iisdem verbis lucem affundit, & inter reliqua p. 130. ex accentuum serie evincit, sententiam hanc in duas esse distinguendam, ut sensus sit: *Jehova est Deus noster: Jehova est unus*. Nomen vero *Jehova* non pro appellativo, sed proprio haberi debere.

Singularis est *Gussetii* sententia, novæ interpunctioni superstructa, quæ profertur in Lexico Hebr. p. 26. b. Is ita interpungit: ἄκουε Ἰσραήλ, κύριος, ὁ θεὸς ἡμῶν, κύριος, εἷς ἐστι. *Ibi*, ita pergit, *quia* κύριος *respondet Nomini proprio* יהוה *non debet sumi tanquam elogium & cum adjuncto* εἷς *attributum constituens, sed ut nomen ipsum proprium, stans a parte subjecti, sic:* Dominus, Deus noster, Dominus inquam; *tum* εἷς *est attributum, quod ita sumendum est, ut significetur, illam, quæ in Deo esse, passim indicatur, pluralitatem apud eum coalescere in unitatem perfectam.* Ista quidem in se recte dicuntur, sed non ita, ut cum accentuum Hebraicorum structura constent, cujus rationem Vitringam rectius habuisse, inspicienti patebit.

Vers. 30. ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου) Ita & Græci Auctores, quod animo candido & sincero atque singulari studio fit, iisdem phrasibus exprimunt, ut *Antonin.* II. 3. & III. 4. aliique, quorum loca habes apud *Elsnerum* p. 158. sq. & *Raphelium* in Notis Polybian. p. 145. & Xenophonteis p. 74. item *Vorstium* in Philolog. Sac. Part. II. p. 115. qui tamen hic Hebraismum statuit, ex eo, quod pronomen σου præter morem profanorum Scriptorum additum reperitur.

ἐξ ὅλης διανοίας) ita *Arrianus* II. 2. p. 137.

Vers. 31. καὶ δευτέρα ὁμοία, αὕτη) i. e. *& secundum* (est) *simile*, (nempe) *hoc:* ita *Boissius* in Collatione p. 136.

Vers.

Vers. 32. ἐπ' ἀληθείας ἔπας) *Martianæus* in Conatibus p. 45. existimat, Scribam istum miratum esse & approbasse Christi responsionem, quod ex ea intelligeret, Christum nosse omnia Legis mysteria, speciatimque illud, quod magnum illud præceptum scriptum sit *Deut.* VI. 4. ea quidem ratione, ut prima & ultima vox duas literas capitales, vocem יי efficientes, habeat.

εἷς ἐστι Θεὸς) Vocem Θεὸς, tanquam in MSS. nonnullis desideratam, abesse mavult *Millius* in Prolegomenis: sed vide *Whitby* in Examine p. 44.

Vers. 34. νουνεχῶς) Vox hæc semel tantum in N. T. sed apud Polybium frequentius occurrit, cujus loca diligenter adfert *Raphelius* in Notis Polybian. p. 145.

ἐ μακρὰν εἶ) plene dixeris κατὰ μακρὰν ὁδὸν, vide *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 339. & *Heupelium* ad h. l. p. 355. sq.

Vers. 36. ἐν τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ) Hinc patet, apud Matthæum phrasin ἐν πνεύματι non idem esse, quod πνευματικῶς i. e. *spiritualiter*, ac si Psalmus CX. ad quem hic provocat Dominus noster, *literaliter* de Davide, *mystice* autem de Messia interpretandus sit. Nam diserte hic *Spiritus Sanctus* appellatur. Confer *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 231. sq. Idem eodem in loco divinitatem Messiæ ex hoc commate adstruit contra exceptionem *Enjedini*. Versio *Gothica* hic omisit præpositionem ἐν, qua neglecta sensus foret, Davidem dixisse Spiritui Sancto, quod cum toti seriei sermonis adversetur, per se corruit. Confer *Mareschalli* notas p. 436.

Vers. 37. ὁ πολὺς ὄχλος) i. e. *plebs, vulgus*. Ita *Diod. Siculus* lib. XIV. p. 281. *Plutarchus* in Romulo p. 34. & alii apud *Elsnerum* p. 159. & *Hombergium* p. 107. qui tamen id inprimis ex præmisso articulo ὁ apparere minus recte opinatur, cum profani in hac phrasi articulum nunc adhibeant, nunc omittant.

Vers. 38. ἐν στολαῖς) στολὴ vestis est ad talos usque demissa, qua uti consueverunt Scribæ ad captandam plebis venerationem. Hoc habitus genus profani quoque Scriptores eadem voce exprimunt, quod ex *Xenophonte* Cyropæd. lib. VIII. p. 162. & *Æliano* Var. Hist. lib. XXII. ostendit *Raphelius* p. 75.

Vers. 40. Οἱ κατεσθίοντες) Solœcismum hic agnosci *Beza* cum aliis voluit, cum Nominativus hic prorsus non respondeat antecedenti Γελόντων. Sed eadem omnino structura etiam profanos Scriptores uti, ostenderunt *Stolbergius* in Exercitatt. Gr. L. p. 46. sq. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 76. *Hombergius* item p. 107. & *Heupelius* ad h. l. p. 359. *Saubertus* in Opp. Posthumis pag. 197. Bezæ respondet, subintelligendam hic esse vocem εἰσὶ ad participium κατεσθίοντες. Ita vero τὸ οἱ non pro articulo præpositivo, qui hic est, sed pro postpositivo οἵ habendum foret. *Grotius* mavult novam hic periodum incipere, ut prorsus non referatur ad γραμματέων, sed sensus sit: *Qui vero speciatim domos viduarum devorant &c.* illi graviori pœ-

næ erunt ſubjecti. In eandem ſententiam pronunciat *Jo. Chriſtianus Herzog* in Diſputat. de certitudine Hermeneuticæ in lingua N. T. §. 4. Neque id mihi præ ceteris placere diffiteor.

Verſ. 41. *κατέναντι τῦ γαζοφυλακίε*) Gazophylacium hoc in aliquo latere atrii mulierum collocandum ſtatuit *Relandus* in Antiquitat. Hebr. p. 91. Marcus innuit לשכת בית האוצר aut, ut alii vocant, לשבת אוצרות הקדשים judice *Wagenſeilio* ad Sota p. 99. *Jo. Wulferus* ad Cod. *Schekalim* p. 52. *γαζοφυλάκιον* id eſſe credit, quod Talmudici שופרות appellant ob figuram Tubis non diſſimilem, ne immiſſa ſemel pecunia iterum eximi poſſet. Provocat idem ad *Joſephi* V. 14. de Bello Judaico, additque, arcas tales tredecim numero, & quidem in atrio mulierum exſtitiſſe. Confer dicenda ad *Joh.* VIII. 20.

Verſ. 42. *ἔβαλε λεπτὰ δύο*) Non duo accurate minuta, ſed aliquot duntaxat, ſive tria, ſive quatuor, ſemper tamen minimum pecuniæ, hac phraſi innui exiſtimat *J. H. Majus* Obſervatt. Sacr. lib. IV. p. 134. Plura de his vocibus & ſequente *κοδράντης* lege apud *Gronovium* de Pecunia vetere p. 437. ſq. *Franciſc. Francum* i. e. *Salmaſium* in Confutatione Animadverſionum Anton. Cercœtii p 99. & ad Hiſtor. Aug. Scriptores, nominatim Vopiscum p. 442. tum vero in Refutatione utriusque Elenchi Cerco-Petaviani p. 29. 33. ſq. & 51. nec non *Conſtant. Lempereur* ad *Bava Kama* p. 216. & *Wedelium* in Exercitatt. Cent. II. Dec. I. num. VII. De verbo *ἔβαλε* legatur idem *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 564. ubi idem hoc eſſe ait, quod Latine dicas: *Ponere æs in gazophylacio*, quod Attice dixeris *θεῖναι*, ſicut alibi dicatur *ἐκβάλλειν* pro *promere*. Conf. *Jo. Ern. Segers* Diſp. de vidua *δύο λεπτὰ* in gazophylac. inferente *Regiom.* 1702.

Verſ. 43. *πλεῖον πάντων βέβληκε*) Similes ſententias Gentilium collectas vide apud *Raphelium* in Notis Xenophont. p. 76. *Heupelium* ad h. l. p. 362. *Elsnerum* p. 160. & *Picinellum* in Luminibus Reflexis.

Verſ. 44. *ὅλον τὸν βίον*) Vocem *βίος* h. l. non tam *victum* ſignificare, quam *opes*, *facultates*, *ſupellectilem*, recte exiſtimat, & idoneis veterum locis oſtendit *Elsnerus* p. 161. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 146. De aliis vocis hujus ſignificatibus lege *Heupelium* ad h. l. p. 363. ſq. *Leopardum* Emendat. lib. XI. c. 4. & *Ægid. Menagium* ad Laertium p. 439. b.

CAP. XIII.

VErſ. 1. *ποταποὶ λίθοι*) Loquuntur de porticu Orientali verſus montem oliveti, quæ ex lapidibus vaſtæ magnitudinis, plumbo & ferro conjunctis, conſtans, ſola ex omnibus ædificiis templi, a Salomone con-

conſtructi, manſit poſt captivitatem Babylonicam. Vide *Joſephum* de Antiquit. Judaic. XV. 14. unde dicitur porticus Salomonis *Joh.* X. 25. & alibi. Ita *Medus* in Fragmentis Sacris, quæ exſtant Faſcic. X. Opuſculorum ad Hiſtoriam & Philolog. Sacram ſpectantium p. 261.

Verſ. 2. ὃ μὴ ἀφεθῇ λίθος) i. e. ὃ μὴ ἀφεθήσεται, *non relinquetur*: quod per ἄφεσιν καταλυθήσεται h. e. *funditus deſtructur*; exponit *Theodoretus* Serm. II. de curandis Græc. affection. p. 163. Hujus locum affert *Boiſius* in Collatione p. 137. tanquam talem, quo teſtetur, ſe oculis ſuis ſtupendum illud urbis excidium, prædictioni Domini noſtri ex aſſe reſpondens, uſurpaſſe. Vide præterea *Schotti* Adagial. N. T. p. 69.

Verſ. 4. καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ) *Boiſius* l. c. p. 137. ita hæc convertit: *quod ſignum horum omnium conſummationem ſit anteceſſurum?*

Verſ. 6. ὅτι ἐγώ εἰμι) Hebraiſmum hic nonnulli agnoverunt; expreſſum ad exemplum phraſeos אני הוא, quem tamen ſimilibus externorum Scriptorum phraſibus amoliri conatur *Pfochenius* §. 76.

Verſ. 8. καὶ τραχαί) omittit R. *Simon* in verſione Gall. in gratiam Codicis Cantabrig.

Verſ. 9. ἀρχαὶ ὠδίνων) Per ὠδῖνας indicantur perturbationes animi, metus, inprimis vero cruciatus & dolores graviſſimi, quod monet *Keuchenius* ad h. l. In vocis hujus ſignificatibus volvendis multus hic eſt *Heupelius* p. 369. ad h. l.

δαρήσεσθε) Vide *Pfochenium* de Stylo N. T. Addit. I.

εἰς συνέδρια) De Synedriis hic memoratis lege *Seldenum* de Synedr. Hebr. p. 943.

Verſ. 11. ὅταν δὲ ἀγάγωσιν ὑμᾶς παραδιδόντες) phraſin hanc per hypallagen & pleonaſinum poſitam ita convertit *Boiſius* in Collatione p. 138. *cum autem ducentes vos tradiderint.* Voces hujus commatis potiores, alias a nobis explicatas, expoſitas vide ab *Amelio* Part. I. p. 143. ſq.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) i. e. in accuſationem & redargutionem eorum, ut Patres nonnulli hic, & ſimilibus aliis locis, explicant. Vide *Suicer.* T. I. p. 318.

Verſ. 14. τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου) omittit iſta R. *Simon* in Verſ. Gall. eo quod in Codd. quibusdam deſiderantur, qui & *Millium* permoverunt, ut eadem ex Matthæo mutuo ſumta crederet. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 44. Expreſſit recte B. *Lutherus*, quem contra Emſerum vindicat B. *Raithius* p. 376.

ἕως ὅπου δεῖ) Diximus abunde de his verbis ad Matthæi XXIV. 15.

nec ſupereſt quidquam, niſi ut M. *Oederi* ſententiam in Miſcellan. Lipſienſibus Tom. XII. p. 115. ſqq. propoſitam referamus. Is p. 119 recte adſtruit, genuinam eſſe lectionem ἕως, nec permutandam cum altera Codicum & editionum nonnullarum ἕως. Deinde verſum 15. Matthæi XXIV. ita latine reddit: cum videritis *igitur abominabilem rem deſolantemque, de qua dictum eſt a Daniele Propheta (qui in loco ſancto ſtat, lector animadvertat!) tunc, qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes* &c. Parentheſin igitur, qualem editiones tantum non omnes hic agnoſcunt, a voce ἕως incipi vult, ut ſenſus ſit, lectores, qui Prophetas ſingulis Sabbatis in Synagoga, tanquam loco Sancto, ſtantes prælegunt, & ad vaticinium hoc Danielis attendere, & audientes de imminente gentis & reipublicæ Judaicæ παντολεθρίᾳ admonere debere. Cum vero idem perſpiceret, Marcum h. l. voces ἐν τόπῳ ἁγίῳ permutare cum iſtis ὅπου οὐ δεῖ, quas Interpretes tantum non omnes, ſicut & nos ad Matthæum, ita acceperunt, ut inferrent, rem illam abominandam in loco, *quo non decebat*, per ſanctitatem ſcilicet ipſi propriam, conſpectum iri, ex quo ſequeretur, de lectore in loco ſancto conſiſtente ſermonem hic non eſſe; phraſin hanc ita ſtatuit interpretandam, quod caſtigentur hic lectores populi Judaici, tanquam ignari, ſtupidi, perverſi, cœci, qui occuparint locum, quem multo ſatius fuiſſet vacare, quam ab ejusmodi nebulonibus calcari. Non unum video eſſe, quod huic interpretationi poſſit obverti. Probandum adhuc eſt Viro docto, quod prælectio Prophetarum ſtata & continua, in Synagogis publice facienda, æque recepta fuerit ac Pentateuchi. Aliter vero rem habuiſſe illi oſtenderunt, qui de hac lectione ex antiquitate Judaica commentati ſunt. Vide inprimis *Campeg. Vitringam* de Vetere Synagoga lib. III. Part. II. cap. II. & quos in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 43. de *Parajchis* & *Haphtharis* agentes laudavi. Ex his patebit, libros Moſis ſingulis Sabbatis & feſtis diebus per ſectiones ſeu Paraſchas continua ſerie prælegi conſueviſſe, ex Prophetis autem hinc inde certas quasdam ſectiones fuiſſe ſelectas, quas Haphtharas vocant, quæ ſuo ſingulæ tempore publice prælegerentur. Itaque dubium omnino eſt, num illa Danielis particula, ad quam hic provocat Dominus noſter, unquam publice in Synagoga fuerit prælecta. Sane, ſi ex Haphtharis, ſeu Lectionibus Propheticis, hodie inter Judæos receptis, rem æſtimes, inter eas fruſtra hoc Danielis vaticinium quæſiveris. Quod ſi vero negaveris, ſectionem hanc recitari publice conſueviſſe, non erat omnino, cur Lectores Synagogicos ad attentionem in iis prælegendis excitaret. Præterea ipſorum verborum ſtructura explicationi huic adverſatur. Si enim id ſibi Chriſtus, quod Vir doctus adſerit, voluiſſet, ita, puto, explicaſſet ſententiam: ὁ ἀναγινώσκων, ἕως ὅπου οὐ δεῖ, νοείτω, pro quo hodie legitur ἕως ὅπου οὐ δεῖ ὁ ἀναγινώσκων νοείτο. Non crediderim, ſimilis trajectionis, quæ omnino hic ſtatuenda foret, exemplum ex libris ſacris afferri unquam poſſe. Omitto alia huc pertinentia, quæ ex iis peti poſſunt, quorum ad Matthæum

facta

facta est mentio. Non dicam de *Hombergio*, qui p. 108. verti vult τὸ ὅπῃ ἐ δεῖ per: *ubi non expedit.* Vide quæ in eum disputavit *Oederus* l. c. p. 126.

Vers. 16. καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὢν) Attice pro ἐν τῷ ἀγρῷ, quod habet Matthæus in loco parallelo. Similia externorum Auctorum loca vide apud *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 71. & in notis *Heupelii* ad Marc. I. 9.

Vers. 17. totum, quod ad voces potiores, diligenter illustrat *Heupelius.*

Vers. 19. ἔσονται γὰρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλῖψις) Abstractum hic pro concreto per Hebraismum positum esse, *Beza* affirmat, contra quem vide *Hombergium* p. 105. Sic *Herodotus* p. 8 πᾶς ἐστι ἀνθρωπος συμφορή.

ἕως τῆ νῦν) scilicet ὄντος χρόνε, quæ ellipsis frequentissima est.

καὶ ἐ μὴ γένηται) pro γενήσεται, ut supra v. 2. ἐ μὴ ἀφεθῇ.

Vers. 20. καὶ εἰ μὴ Κύριος ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας) per dies hic *belli tempus* intelligendum esse, plerique Interpretes jam pridem evicerunt. Confer dicta ad Matthæum. De verbo κολοβόω ex Patribus huc commentatur *Suicerus* Tom. II. p. 136.

Vers. 25. αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς) De cœli firmamento hæc accipit R. *Simon*, ita παραφράζων in Notis ad N. T. *les cieux tout fermes, qu'ils sont, seront ebranlés.*

Vers. 27. ἀπ' ἄκρε γῆς ἕως ἄκρε οὐρανέ) Recte hæc expressisse B. Lutherum ostendit contra Emserum *Raithius* in Vindic. p. 376.

Vers. 29. ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις) *præ foribus est*, vel imminet. Confer *Schotti* Adagialia N. T. p. 69.

Vers. 31 - 36. commentando persecutus est B. *Christophor. Sonntagius* in Dissert. de eo, quod ignoratio finis seculi sit confutatio Chiliasmi, *Altorf.* 1698.

Vers. 32. οὐδὲ ὁ υἱὸς) Verba hæc, quibus Filio Dei negatur scientia diei certi & temporis, adeo dura visa sunt nonnullis, ut ab Arianis inserta esse existimarent. Inter hos ex veteribus est *Ambrosius* de Fide lib. III. c. 3. *Veteres Græci Codices*, inquiens, *non habent*, quod nec Filius scit. *Sed non mirum, si & hoc falsarunt, qui Scripturas interpolavere divinas.* Fuerunt vero etiam ex nostratibus, qui in has partes concederent, nominatim *Hutterus* in Locis Theolog. f. 173. sq. & *Thummius* in ταπεινωσιγραφία p. 595. sq. Sed non necesse est, ut nodum scindamus, qui solvi potest. *Præterquam enim*, (verba *Millii* sunt ex Prolegom. in N. T. §. 826.) *quod verba ista exhibuerint, etiam Ambrosio fatente, libri Latini adeoque versio Italica, ad textum Græcum Apostolicorum ferme temporum expressa; certe nulli sunt, nec, ut opinor, usquam fuerunt libri Græci, a quibus aberat* οὐδὲ ὁ υἱός. *Quodsi inserta fuissent ab istis Hæreticis, ne*

quidem fieri poteſt, quin hoc notaſſent Patres Poſt-Nicæni, quibus continuæ erant cum Arianis concertationes. Non minus fortiter γνησιότητα verborum adſtruit *Alex. Morus* in Cauſa Dei p. 110. & ex noſtratibus *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 237. Merito itaque quæritur, qua ratione ignoratio hæc ſit capienda? Non commemorabo nunc diverſas veterum Doctorum ſententias, quas, qui velit, enarratas videbit a *Suicero* in Theſauro Eccleſiaſtico Tom. II p. 163. ſq. & 268. *Garnerio* ad Mercatorem Tom. I. p. 118. ſq. *Sandio* Interpret. Paradox. p. 86. & *Petavio* in Dogmat. Theolog. de Incarnat. lib. XI. cap. I. & II. Tom. VI. Dogmatum p. 34. ſqq. aut recentiorum illas, de quibus conſulendus fuerit *Jo. Marckius* in Exercitationibus Scripturariis n. VII. Multi eorum Chriſtum tempus hoc neſcire ſe profeſſum putant, eo ſenſu, quod id aliis revelare & ſignificare nolit. Huc tendunt ex Anglis poſt *Georg. Bullum* in Defenſione Fidei Nicænæ p. 137. *Guil. Wottonus* in Diſſertat. ſingulari, Lond. an. 1720. 8. Anglice edita, (qui & præterea cum aliis nonnullis diem illum de tempore excidii Hieroſolymitani accipit) ex Pontificiis *Petavius* l. c. *Poſſinus* in Spicileg. Evangelico p. 143. & *Renatus Maſſuetus* Diſſertat. III. Præliminari in Irenæum: ex noſtratibus vero *Amelius* Part. II. p. 52. Quæ quidem interpretatio ut cum candore Chriſti, phraſes ejusmodi æquivocas non admittente, conciliari non poteſt, ita nec cum ſerie ſermonis convenit, qui per ſe prodit, eodem ſenſu, quo hominibus & Angelis ſcientia hæc abjudicatur, quorum certe nullus ita tantum neſciebat, ut aliis non revelaret, etiam de Chriſto ipſo negari. Conf. *Hackſpan.* Not. ad h. l. p. 239. Hinc ab aliis ea ſententia confutata eſt, v. c. a *Marckio* l. c. *Jac. Bernardo* in Novis Reipubl. Literar. an. 1707. Tom. I. p. 137. & an. 1704. T. I. p. 138. item *Jo. Clerico* in Biblioth. Selecta Tom. XXV. Part. II. p. 300. Itaque alii ignorationem iſtam ad humanam Chriſti naturam retulerunt, tanquam quæ illa ſponte ſe abdicarit, quam alioquin ex plenitudine divinæ naturæ haurire potuerit. Ita multi Patrum, quam in rem vide R. *Simonis* Hiſt. Crit. N. T. lib. III. p. 272 In hanc ſententiam lege diſſerentes noſtrates tantum non omnes, ex Anglis *Jo. Edwardum* in Exercitatt. ad loca N. T. num. III. *Dan. Whitby* in Tractatu de vera Chriſti Deitate adverſus Arii & Socini hæreſes Sect. IV. *Rich. Kidderum* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. p. 153. ſqq. & *Samuel. Gardinerum* in Hypotypoſi p. 186. & Reſponſ. Valedictoria p. 546. ſq. ex Reformatis vero præter *Marckium* l. c. *Alex. Morum* in Cauſa Dei p. 110. & *Jac. Guſſetum* in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* p. 68. & 392. qui omnes præterea oſtendunt, ignorationem iſtam fraudi nequaquam eſſe divinitati Chriſti, in quam alias ex h. l. Ariani tela torquere auſi ſunt. Et apparet omnino, non magis offendiculo eam eſſe cuiquam poſſe, quam id, quod a Luca dicitur Chriſtus *creviſſe* (ſc. reſpectu humanæ naturæ) *ſapientia & ætate.* Confer *Hackſpanium* l. c. Obſervatu hic digna ſunt, quæ affert *Kidderus* p. 156. l. c. Marcum nempe hic non dicere, ignorare diem hunc filium Dei, aut λόγον, ſed ſimpliciter *filium* dicere,

dicere, i. e. filium hominis, in quantum homo est, & incrementum scientiæ, atque adeo & defectum ejus admittit. Addam his, quæ *Lud. Maraccius* contra Muhamedanum quendam, loco hoc in fraudem Divinitatis Christi abutentem, in Prodromo Alcorani n. III. f. 45. attulit. Is opinatur, solum Patrem scire diem judicii, quatenus Pater est fons scientiæ divinæ, cum Christus, etiam ut Deus, nullam habeat scientiam, nisi scientiam Patris. Quemadmodum Christus alibi dixerit, *doctrinam suam non esse suam, sed ejus, qui se miserit.* Non dissimili ratione ab alio, cujus nomen non succurrit, admonitum est, notitiam temporis hujus eodem modo Patri hic tantum tribui, quamvis Filius eandem possideat, quo Jesus Christus alias quædam sibi tanquam propria adjudicet, quæ tamen & in Patre sint: v. c. *Matth.* XX. 23. *Joh.* V. 21. & *Apoc.* III. 21. Alii duas sententias conjungunt, & Christum quidem primum ut *hominem* ab illa notitia se abstinuisse, deinde vero ut *legatum*, a Patre missum, hic profiteri, se ignorare diem illum judicii, hoc sensu, quod non habeat in mandatis eum aliis revelare. Vide in hanc sententiam *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 335. sq. Idem p. 334. ostendit, τὸ εἰ μὴ hic idem esse, quod ἀλλὰ i. e. *sed*, sicut & Latini Scriptores particulæ huic eandem notionem tribuant. Dici hic poterat de iis, qui, insuper habita hac Christi declaratione, annum Judicii extremi definire ausi sunt. Vide de his B. *Joh. Frid. Mayeri* Eclogam ad Evangel. Dominic. II. Adventus Qu. I. *Matthæi Hofmanni*, qui illorum numerum auxit, audaciam compescit *Marckius* l. c.

Vers. 33. καὶ προσεύχεσθε) Desunt hæc in MS. *Cantabrig.* quo nomine ea *Millius* in Prolegom. §. 1279. παρεμβλήσεως valde suspecta habet, ideo inprimis, quod, si genuina essent, tam insignia librarius vix prætermissurus fuisset. Putat itaque a studioso quodam ad marginem scripta, quod vigiliæ & preces comites fere sint in sacris literis, & in pericope huic parallela apud Lucam legatur: ἀγρυπνεῖτε ἓν ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι. Mireris hæc in mentem venire potuisse Viro docto, qui alibi graviores librarii, a quo Codex ille Cantabrig. profectus est, lapsus annotarit, nec ignorare potuerit, facilius esse, ut unus librarius præ negligentia vocem, etiam insignem, omittat, quam ut vox spuria in omnes omnino Codices intrudatur. Ponamus etiam, verba, καὶ προσεύχεσθε, non esse genuina, certe priora duo verba βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε, per particulam καὶ conjungenda fuissent, quam tamen nullus omnino Codex, nec ipse Cantabrig. exhibet. Ita *Act.* II. 33. legitur: βλέπετε καὶ ἀκούετε. De vigiliis in precibus ad h. l. ex Patribus commentatur *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 69.

οὐκ οἴδατε γὰρ) quæ de hora mortis incerta ad h. v. ex profanis commentatur *Picinellus* in Luminibus Reflexis, p. 642. apud ipsum legantur.

Vers. 34. καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο) Hic particulam καὶ ex ratione Græ-

cæ

cæ conſtructionis abundare, atque adeo delendam eſſe cenſuit *Beza*, contra quem lege ſimiles *Polybii* locos a *Raphelio* allatos in Notis Polybianis p. 146.

δὲς - τὸ ἔργον αὐτῆ) ita *Xenophon.* p. 660. ἔργα παλάσια θεραπαίνας διδόναι.

Verſ. 35. ὁ κύριος τῆς οἰκίας) Græce ita patrem familias vocari poſſe, contra *Pfochenium* negat *Gatackerus* de Stylo N. T. c. XXIX. p. 228. ſed vide in contrariam ſententiam *Elsnerum* p. 162.

ὀψὲ, ἢ μεσονυκτίε &c.) quatuor vigiliæ hic memorantur, non quidem ex uſu Romanorum tantum, ceu nonnullis perſuaſum fuit, ſed & Judæorum, quibus, Servatoris ætate, iſtam temporis diviſionem receptam fuiſſe, oſtendit *Edzardus* ad *Berachoth* cap. I. p. 155. Ceterum τὸ ὀψὲ notare omne tempus, quod ad veſperum quodammodo referri poſſit, oſtendit ad h. l. *Keuchenius.*

ἢ ἀλεκτοροφωνίας) Vide huc *Jo. Steenbuchii* Diſſert. Phyſico-Hiſtor. de ἀλεκτοροφωνίᾳ Æliano conformata & verbis Chriſti fundata, *Hafn.* 1684.

Verſ. 37. Ἃ δὲ ὑμῖν λέγω &c.) Vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 70.

CAP. XIV.

VErſ. 3. Καὶ ὄντος αὐτῆ ἐν Βηθανίᾳ &c.) De unctura hac Chriſti ſepulchrali lege *Chriſt. Faſelii* Diſput. ad h. l. in Theſauro Diſputatt. Tom. II. p. 273. ſq. recuſam, *Jo. Fabricii* Spicilegium p. 23. ſq. & quos ad *Matth.* XXVI. 1. citavi. Quam in hac hiſtoria pugnam inter Matthæum & Marcum fingit auctor *Chiſſuck Emuna*, eam nullam eſſe oſtendit *Guſſetus* in Confutat. ejus p. 383.

νάρδε πιςικῆς) Phraſis hæc Interpretes admodum ſolicitos habuit. Lege inprimis *Balthaſ. Ottonis* Diſſertat. ſingularem recuſam Tom. II. Theſauri Diſputatt. p. 262. ſqq. & *Godofr. Eckhardi* aliam ibidem exſtantem p. 270. tum vero *Gerh. Jo. Voſſium* in Harmonia Evangel. Tom. VI. Opp. p. 110. *Joh. Marckium* in Exercitatt. Textualibus num. XXVII. p. 234. ſq. *Suicerum* in Theſauro Eccleſ. Part. II. pag. 390. *Leigh* in Critica Sacra pag. 482. ex noſtratibus vero *Eraſm. Schmidium* in Annotatt. ad h. l. *Wolfburgium* in Obſſ. Sacr. p. 480. & B. *Pfeiferum* in Opp. Critic. p. 484. Deſerendi illi hic omnino ſunt, qui aliquid in ſcriptione vocis mutatum volunt. Huc pertinet *Hartungius* in Decuriis Locorum Memorabilium Tom. II. Theſauri Critici p. 718. qui legi vult ὀπικῆς & de unguento Babylonico pretioſiſſimo interpretatur, quod nomen acceperit ab *Opis*, vico Babyloni propinquo. In hanc (cui ὁμοψήφες ſe Scultetus ac Paſor præbent) animadverterunt *Voſſius* & *Otho* ll. cc. Alii ſubſtitui voluerunt πιτικῆς ex verbo πίνω, ut nardus potabilis inferatur.

Contra

Contra hos lege *Wedelium* in Centur. I. Dec. IV. Exercit. I. *Possinus* in Spicilegio p. 123. *psitacicam* a Psitace, urbe ad Tigrim sita, dictam putat nardum, quæ vox deinde in *Pistícam* deformata sit.

Plerique Philologi & Interpretes πιστικὴν dici credunt pro πιστὴν, ut inferat nardum *genuinam, veram* & *non adulteratam.* Ita *Isaacus Casaubonus*, in cujus collectaneis MSS. quæ Bodlejana asservat, legere me memini: Πιστικὸς pro πιστὸς apud *Cedrenum* & πιστικώτατος p. 545. 577. 596. 600. & 606. Ex quo intelligitur, eum sententiam suam mutasse, cum olim ad *Bezæ* exemplum πιστικὴν de *potabili* nardo dici crederet. De nardo *pura* interpretatur & *Salmasius* ad Solinum p. 750. tam secure, ut nec dubitandum censeat. Confer & *Jo. Boissium* in Collatione p. 141. cujus nonnulla, ex libro quipperarius obvio, huc referam. *Certe*, inquit is, *si ad Græcam originem referre libet, multo malim a πείθω quam a πίνω deducere: primum, quia deductio illa a πίνω durior videtur, nec facile probati alicujus Scriptoris auctoritate defendenda: deinde quia πιστὸς a πίνω non significat ὑγρὸς in genere; sed πότιμος. Sunt quidem omnia πότιμα ὑγρὰ, sed non vice versa. Quæ igitur πιστὸν sive πιστικὸν liquidum interpretantur, quia omnia potabilia sunt liquida, perinde mihi facere videntur, ac si quis βασίλισσαν mulierem redderet, quia omnes reginæ sunt mulieres, aut σεφὸν venerandum, quia omnes sapientes sunt διδέσιμοι & venerandi. Postremo τὸ πιστικὸς, ad Græcam originem relatum, a πείθω quam a πίνω libentius arcesso, quia hoc idem D. Hieronymo, & aliis quibusdam summi judicii Viris placuisse video.* Hæc ille. *Scaliger* quoque in Scaligeranis p. 313. vertit per *fidelis*, *point brouillée & sophistique.* Consentiunt *Lacerda* in Adversariis p. 315. *Clericus* ad Hammondum, *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 391. qui & diversas Patrum sententias recenset, *Marckius* (qui tamen fere mavult ἐπέχειν) *Otho* & *Eckhartus* in Disputatt. citatis, & *Wedelius* l. c. qui etiam commemorat ea, quæ ad nardum puram requirantur. Eorum partibus nuperrime accessit Cl. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis ad Loca dubia N. T. p. 81

Ab horum argumentis & partibus discedunt, qui πιστικὴν dici putant a *Pista*, urbe Indica, in qua optima nardus detur. Ita statuit inprimis *Lud. de Dieu*, & cum eo *le Cene* in Projet p. 640. Idem vero eodem in loco in versionem Vulgatam animadvertit, ubi πιστικὸν vertitur per *spicata*, approbante *Camerario* & *Fulvio Ursino* in Append. ad Ciacconium de Triclinio p. 262. itemque *Huetio* in Collectione Dissertatt. variarum Tilladetiana T. II. p. 201. sqq. Mihi majori veri specie se commendat illa, & etymologia, & significatio, quæ *puritatem* & *integritatem* nardi hic indicari prodit.

συντρίψασα) non tam confractionem alabastri, quam concussionem & conquassationem, ut particulæ eo magis miscerentur, factam hic indicari statuit, post *Knatchbullum*, *Hammondus*, *le Cene* in Projet p. 636. ex nostratibus vero *Theophilus Alethæus* Tom. I. p. 76. sq. Repugnant *Clericus* ad Hammondum, *Cornelius Adami* p. 171. Observatt. & *Hombergius* in Parergis p. 109. *Knatchbullus* provocat ad Glossarium Græcum, in quo τὸ συντρίβειν exponi-

tur per συνθλᾶν. At hoc ipsum verbum *Matth.* XXI. 44. & *Luc.* XX. 18. idem est, quod *confringere*. Alethæus hanc notionem voci fortius vindicaturus provocat ad *Matth.* XII. 20. ubi κάλαμος συντετριμμένος & *Luc.* IX. 39. ubi dæmonium συντρίβον memoratur. At utrinque significatio hæc defendi potest, cum altero quidem in loco arundo leviter fracta & quasi pendula & nutans, in altero vero conatus Satanæ hominem hunc comminuendi indicetur. Taceo *Apocalyps.* II. 27. ubi σκεύη κεραμικὰ συντρίβεσθαι dicuntur. Nec obverti potest, unguentum, alabastro fracto, effundi non potuisse. Fortasse enim unguentum illud compactioris fuit structuræ, nec ad fluxum admodum accommodatæ, ut ipsa vitri fractio ad effusionem & unctionem Christi eo facilius perficiendam profuerit. Ita persistimus merito in B. Lutheri & Interpretum ceterorum versione, quam adstructam quoque videbis a B. *Franzio* de Interpretat. Scripturæ S. p. 862. *Syrus* tamen, ne quid dissimulem, emollivit itidem verbi Græci vim, eo verbo exprimens, quod Latini *aperire* dicunt. Atque eum quidem novissime secutus est Cl. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Select. ad loca dubia N. T. p. 81. qui τὸ συντρίβειν idem hic esse censet, quod *fracto orificio angustiori aperire*, sicut οἱ LXX. *Jer.* II. 13. λάκκον συντετριμμένον dicunt.

κατέχεεν αὐτῦ κατὰ τῆς κεφαλῆς) Eadem syntaxis verbi apud *Arrian.* II. 20. p. 230. vide *Raphelium* p. 150. Notar. Polyb. conf. huc. *Heupel.*

Vers. 4. εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη) alii hic cum *Vulg. perditionem* vertunt, alii *profusionem*. Posterius mavult *Boisius* in Collat. p. 143.

Vers. 5. καὶ ἐνεβριμῶντο αὐτῇ) De verbi hujus notione lege *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum p. 363. & *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 1099. conf. *Heupel.* ad Marc. I. 43.

Vers. 6. καλὸν ἔργον εἰργάσατο) eadem phrasi utitur *Polybius* p. 5.

Vers. 8. ὃ εἶχεν αὕτη, ἐποίησε) *quod habebat, mihi impendit.* Ita *Keuchenius* ad h. l.

προέλαβε μυρίσαι) i. e. *prævenit, occupavit, anticipavit.* Ita quoque *Xenophon.* Cyrop. p. 10. Ita Petale ad Simalionem in epistolis Alciphronis f. 323. Collect. Aldinæ: σεφάνιά μοι καὶ ῥόδα ὥσπερ ἀώρῳ τάφῳ πέμπει. Similia sunt apud Anacreont. & in Antholog. Græc. Monet de his Cl. *Trillerus.*

Vers. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων) Dominum nostrum eodem cum Judæis die Paschà celebrasse, cum aliis plerisque affirmavimus ad Matth. XXVII. ibique nonnulla *Relandi* huc allaturos esse nos promisimus. Is scilicet in Antiquit. Judaic. eandem sententiam p. 433. adstruit, his inprimis argumentis: *Status fuit dies 14. mensis Nisan, præter quem Pascha immolari nec debuit, nec potuit. Quid quod in Atrio Templi, non alibi, agnum Paschalem mactari po-*

tuisse

tuisse Judæi Rabbanitæ omnes uno ore tradant, & Karæi hoc ipsum confirment. Sic ut omnino Christus Paschatis tempus non anticipaverit, sed Pascha suum ultimum eodem die cum Judæis comederit i. e. die ineunte 15. & eodem crucifixus sit, qui erat simul προσάββατον, cum dies 16. Nisan Sabbatum fuerit, quem diem Christus in sepulchro transegit. Quod si Christus contra communem morem Judæorum agnum suum aut mactasset, aut comedisset illo tempore, quo reliqui Judæi Pascha non celebrabant, quis dubitat, quin Judæi hoc ipsi vitio vertissent, & inter alia tanquam præcipuum hoc objecissent, quod ea ipsa nocte contra Legem Mosis, (quam utique se sequi credebant) Pascha cum discipulis suis celebrasset. Addit idem p. 435. *Heic pars diei azymorum appellatur primus dies azymorum, quia in sacris comedendis, ut ante monuimus, dies præcedit noctem, quum alias a nocte diem 14. sequente proprie dies primus azymorum incipiat. Vel πρώτη dicitur veluti προτέρα.*

ὅτι τὸ Πάσχα ἔθυον) i. e. *cum Pascha mactare solent:* sicut infra XV. 6. κατὰ δὲ ἑορτὴν ἀπέλυεν, *eo festo autem dimittere solebat.* Ita vero etiam profani Scriptores loquuntur, quos afferunt *Elsnerus* ad h. l. p. 162. *Casaub.* ad Laertium I. 71. & *Grævius* ad Hesiod. Opp. & dies v. 185. Hoc malim, quam cum *Heupelio* ad h. l. ad discipulos referre. Τὰ λύκαια θύειν similiter dixere profani, de quibus vide *Raphelium* in Notis Xenophont. p. 78.

Vers. 13. ἄνθρωπος) i. e. τὶς quidam, sicut alias ἀνὴρ eodem sensu dicitur, non tam per Hebraismum, quam ad exemplum externorum Auctorum. Vide huc *Pfochenium* §. 62.

κεράμιον ὕδατος) vox κεράμιον de vasis omnis generis alias, hic vero de vasculo minori adhibetur. Vid. *Raphelii* Notas Polybian. p. 151. & inprimis *Heupelium* ad h. l. ubi ostendit, κεράμιον proprie esse *vas figulinum*, & nunc certam mensuram, nunc generatim vas cujuscunque magnitudinis inferre. Pertinet huc ὑδριαφόρος *Aristophanis* in Concionatric. p. 746. & *Menandri* ἀμφορεαφόρος, citante Suida, hac voce. Hæc Cl. *Trillerus.*

Vers. 14. πῦ ἐστι τὸ κατάλυμα;) Vox ista non solum diversorium publicum, quod alias πανδοχεῖον vocatur proprie, sed & domicilium privatum, in quod aliquis, ut familiaris, cum suis divertit, denotare solet, quod ad h. l. post alios ostendit idem *Heupelius* p. 423. qui posteriorem significatum hic obtinere existimat. Sed malim ego tenere priorem. Si enim privati hominis hæc domus fuisset, in quam ut amicus divertere constituerat Dominus, procul dubio hospes discipulis fuisset cognitus, & alia ratione iis a Christo designatus. Tum vero non veri est simile, in ædibus privatis cœnaculum tot convivis excipiendis jam paratum fuisse, quod verba Christi hic diserte inferunt.

Vers. 15. ἀνώγεον) De voce hac erudite commentatur *Campeg. Vitringa* de vetere Synagoga p. 148. ubi eam derivat ab ἄνω & γαῖα sive γῆ, eo quod

cubiculum significet terra altius. *Cœnaculum* addit dici a Romanis Scriptoribus, atque hic interpretandum statuit de loco aliquo, in quem cives Hierosolymitani, quod eorum officium erat, hospitio receperint peregrinos. Lege ibi plura.

ἐστρωμένον) stratum scilicet lectis, ceu interpretatur *Buxtorfius* in Diss. Philolog. Theolog. p. 308.

ἕτοιμον) Deest in Vulg. & Codd. quibusdam, v. c. *Alexandr.* & aliquot aliis. Atque hinc ex glossemate, margini adscripto, & ad explicationem vocis ἐστρωμένον pertinente, natum putat *Millius* in Prolegom. §. 1078. post Grotium, qui ex illo Matthæi ἑτοιμάσατε profectum credidit. Cum vero & plures iique antiquissimi Codices, & Interpres quoque Syrus, eam vocem exhibeant, nec præterea superflua sit, quocunque tandem modo τὸ ἐστρωμένον, sive de lectis stratis, sive de pavimento, interpreteris, cum omnino etiam alia ad solemnia paschatis celebranda requirantur, præstat, communem lectionem tueri.

Vers. 19. εἷς καθ' εἷς) Referam huc *Grævii* notam ad *Luciani* Solœcistam II. Opp. p. 756. ubi Scriptor non minus elegans, quam dicax, phrasin hanc καθ' εἷς Solœcismi postulaverat. *Solœcismus*, inquit Grævius, *versatur in* καθ' εἷς. *Attice enim dicendum fuisset* καθ' ἕνα. *Mycillus hic putavit* καθεὶς *esse participium, fecitque locum suspectum de mendo, cum nihil sit scrupuli. Occurrit vero ista locutio, quam hic reprehendit Lucianus, sæpe in sacris Scriptoribus, ad Rom. c.* XII. *Maccab. lib.* III. *Marc.* XIV. *& Joh.* VIII. *ubi Beza* καθ' εἷς *positum putat pro* καὶ ἕτα εἷς. *Inde & in quibusdam editionibus scribitur* κἄθ εἷς, *in nonnullis* καθ' εἷς, *in aliis* καθεὶς *perperam.* Καθ' εἷς *enim per Hebraicam enallagen dicitur pro* καθ' ἕνα, *quo Attici Scriptores utuntur.* Philostratus *in Heroicis:* καὶ καθ' ἕνα τὰς ἥρως. *Thomas Magister:* ἃ καθ' εἷς, ἀλλὰ καθ' ἕκαστος δεῖ λέγειν. *Sed nec* καθ' ἕκαστος *recte dicitur; sed pro eo dicendum* καθ' ἕκαστον. Ex his patet, Atticam quidem elegantiam in hac phrasi non esse quærendam, sed eam tamen non prorsus fuisse insuetam inter Græcos, quippe inter quos eam observaverit Lucianus, nisi hunc speciatim ad Scriptores Sacros, ceu alias facere solet, respexisse existimes. Conf. de hac voce *Fesselii* Adversar. Sacr. Tom. II. p. 530. Nolim itaque pro mero Hebraismo habere, aut ad exemplum *Scaligeri* in Actis Literariis, a Schurzfleischio editis, p. 25. comparare cum phrasi Hebraica: איש לרעהו. Neque enim hic *alter ad alterum*, quod voces istæ Hebraicæ inferunt, sed alter post alterum Christo dixit: μήτι ἐγώ; Interpres *Saxo* quidem discipulos sermones ejusmodi inter se miscuisse ibidem existimavit, pro verbis Græcis Marci: καὶ ἄλλος· μήτι ἐγώ; scribens: *& inter se dicebant, tunc scis, an ego sim?* teste D. *Wilkinsio* in Prolegom. ad vers. Copticam p. 20. Sed quomodo cum hac sententia conciliabuntur diserta Marci verba: οἱ δὲ ἤρξαντο λυπεῖσθαι καὶ λέγειν αὐτῷ sc. *Christo?*

Vers.

Vers. 22. φάγετε) Non exstat in Codd. Alexandr. & Cantabrig. atque ideo *Rich. Simon* in versione Gallica omisit, repugnantibus tot aliis & Codd. & versionibus.

τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου) *corpus* hic pro *carne* dici, in quantum contradistinguatur *sanguini*, notaverat *Casaubonus* Exerc. XVI. adversus Baronium Sect. 34. Ad hæc observat *Hackspanius* in Notis p. 242. phrasin hanc esse Syriacam, in qua corpus pro carne ponatur, quod probat ex Syriaca versione loci 2 Cor. I. 12. Dominum autem lingua Syriaca usum esse.

Vers. 24. καὶ εἶπεν αὐτοῖς) Quæ hinc exsculpere conatur *Smalzius*, ea diluit *Hackspanius* p. 243.

Vers. 25. ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν) *novum* vinum hic non vinum proprie dictum, sed *præstantissimum* adeoque alterius generis denotare, ex phrasi Hebræa ostendit idem l. c. p. 245.

ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης) De hac & aliis constructionibus, in particula ἕως obviis, lege copiose differentem *Heupelium* ad h. l. p. 434. sq.

Vers. 27. ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ) Ex Matthæo huc relata putat *Millius*: sed vide *Whitbium* in Examine p. 44.

Vers. 36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ) De voce Ἀββᾶ lege *Pfeifferum* in Opp. Philolog. p. 485. sq. *Cheitomæum* de Vocibus barbaris N. T. *Dietericum* in Antiquitatibus N. T. p. 9. sq. *Fesselium* Tom. II. *Adversar.* p. 355. & *Heupelium* ad h. l. Adde *Drusium* in Vocibus Hebr. p. 3-5 & 224. item *Theoph. Raynaudum* Tom. XI. Opp. p. 177. Iidem vero simul de ipsa formula *Abba Pater* commentantur, cui *Possinus* speciatim inesse credit *characterem differentiæ, qua filii a servis discernebantur: & illa proferenda Christum Patri supplicantem usurpare ac significare fiduciam, quam traxerit ex originis conscientia, allegareque naturalem necessitudinem, qua ipsi admotus intime longe supra servilem conditionem emineret.*

παρένεγκε τὸ ποτήριον τοῦτο) *calix* varia denotat, de quo ad Matth. dictum est. *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 246. *mortem* speciatim intelligi vult, quod & visum est *Rich. Simoni* in notis ad Vers. Gall.

Vers. 40. βεβαρημένοι) Alii Codd. legunt καταβαρυνόμενοι, fortasse ideo, quod vererentur, lectionem alteram non satis Græcam esse, quemadmodum & *Thucydidis* Scholiastes ad lib. II. p. 111. observat, non dicendum esse βαρῶμαι, sed βαρύνομαι. Sed salva res est. Utraque enim verbi forma præstantissimis Græciæ Scriptoribus recepta est. Exempla habes apud *Heupelium* p. 455.

Vers. 41. ἀπέχει) Verbum hoc, ut pure Græcum, vindicarunt post *Stephanum* de idiomate Dialect. Attic. p. 199. & in Dissert. de Stylo N. T. alii.

De notione vero ejus & emphasi in h. l. vide *Gatackerum* ad Antoninum IV. §. 49. & *Bynæum* de Morte Christi p. 143. atque ex his *Amelium* Part. I. p. 468. Mihi quidem ita hic accipiendum videtur, ut Christus dicat, sufficere ea, quæ hactenus perpessus sit, nec supereſſe quidquam, quam ut perpessionem imminentem adhuc sustineat.

ἦλθεν ἡ ὥρα) eadem phrasi utitur *Arrianus* lib. I. c. 1. Differt.

Καθεύδετε τὸ λοιπὸν) cum interrogandi nota hæc quosdam interpretari supra ad *Matth.* XXVI. 45. monuimus. In ea sententia est quoque B. *Gerhardus* noster in Harmonia Evangel. p. 1764. Sed *Heupelius* p. 456. ad h. l. mavult hic agnoscere antiphrasin, qua Christus Apostolis socordiam exprobret. Quod ad sensum res certe eodem recedit, modo non de permissione somni a Christo facta hic cogitemus, quam non admittunt verba sequentia: ἐγείρεσθε, ἄγωμεν.

παραδίδοται) *tradetur*, Vulg. quem contra *Bezam* recte tuetur *Hombergius* p. 109. allatis etiam Auctorum exemplis, a quibus præsens pro futuro usurpatur.

Vers. 42. ὁ παραδιδούς με) i. e. *proditor*, judice *Hombergio* p. 110.

Vers. 44. σύσσημον) Afferam huc *Jo. Pearsoni* Annotat. ad Epistolas Ignatii p. 12. *Hesychius & Suidas* σύσσημον (exponunt) σημεῖον. *Nihil igitur hoc in loco* σύσσημον *aliud, quam* σημεῖον. *Sed somniavit aliquid latere* Vulgatus *Interpres in conjunctione* σὺν, *ut* Erasmus & Beza *ad* Marc. XIV. 44. *ubi tamen* σύσσημον *nihil aliud est, quam S. Matthæi* σημεῖον XXVI. *Nude* (lege *unde*) *etiam in quibusdam MSS. legitur* σημεῖον *apud S. Marcum.* Recte hæc, cum quibus & consentit *Jo. Boisius* in Collat. p. 145. ubi Vulgatum defendit, qui *signum* hic simpliciter vertit, contra *Bezam*, qui *commune signum* interpretatur. Itaque nec video, cur *Vulg.* a *Pearsono* in eandem cum illis classem referatur. *Salmasius* cum *Phrynicho* vocem non satis Græcam putat p. 102. de lingua Hellenist. Ea tamen usi sunt *Strabo* lib. VI. p. 428. & *Diodorus Siculus* lib. II. p. 18. & lib. XIV. p. 298. pro *tessera* & *symbolo*: quod observavit *Elsnerus* ad h. l. p. 163.

ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς) Interpretes hactenus omnes τὸ ἀσφαλῶς de *cura, diligentia* & *attentione* in Christo, ut captivo retinendo, acceperunt, quod in alium sensum deflectit *Elsnerus* p. 163. ut idem sit, quod: *abducite sine periculo*: quasi Judas significaret, nihil esse, quod in abducendo Christo periculum verentur, ab iis forte, qui Christum liberatum venirent, dummodo hanc tesseram observarent, nihil a quoquam periculi fore, ac nullo impediente invadenteque eum abducturos. Ita enim Imperatorem exercitum ἀπαγαγεῖν ἀσφαλῶς dici ab Auctoribus, quando illum ita abducat, ut hostes etiam maxime in id intenti nihil nocere queant. Non negaverim, locos a Viro docto huc allatos significatum illum

illum apprime præstare. Sed nec idem negaverit, alterum, hic communiter approbatum, ex vi & usu verbi locum tueri posse. Scriptores Sacri, apud quos præter hunc locum bis occurrit, non aliam ei notionem tribuerunt. Ita Petrus Act. II. 36. ἀσφαλῶς ἔν γινωσκέτω i. e. *certo & indubie norit domus Israel.* Ita *Act.* XVI. 23. custos carceris jubetur ἀσφαλῶς τηρεῖν i. e. *diligenter observare* captivos. Eodem significatu usurpatur ibidem v. 24. verbum ἀσφαλίζεσθαι de captivis probe continendis. Adde *Matth.* XXVII. 64. 65. 66. Atque hinc quo minus abeamus, sermonis series efficit. Nihil certe erat, a quo sibi, si homines spectes, timeret tanta hominum copia. Et si fuisset timendi causa, num Judas, tessera data quacunque, securos eos præstare poterat? Præterea signum, cohorti illi datum, non pertinebat ad ea, quæ abductionem sequerentur, sed eo tantum referebatur, ut Jesum, non autem quendam ex discipulis ipsius, sibi vindicarent. Eo enim spectabat osculum, quod Christo se daturum promiserat. Hoc osculum vero erat τὸ σύσσημον, quod quomodo securitati captivantium consulere potuerit, non video. Ita igitur statuendum putem, Judam, hac data admonitione de Jesu probe observando, suis rebus magis quam ipsis prospicere voluisse. Persuasum, credo, ipsi erat, Dominum, quod alias fecerat, manibus hostium facile elapsurum. Ne igitur accepto præmio excideret, culpam omnem ipsorum fore monet, si non tenerent, quem comprehendi ab ipsis curaverat.

Vers. 45. Ῥαββὶ, ῥαββὶ) De voce hac vide quæ dicta sunt ad *Matth.* XXIII. 7. Conf. *Heupelium* ad *Marc.* IX. 5. Quam varie Interpretes expresserint, ostendit *Mareschallus* ad Vers. Gothic. p. 563.

κατεφίλησεν αὐτὸν) non obiter aut defunctorie osculatus, sed quasi perofficiose & peramanter exosculatus est, diutius nempe atque arctius osculo ipsius & amplexui inhærens, quo minus fallax esset proditionis signum. Ita *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 79. ubi vim verbi hujus edisserit, & plus valere τὸ καταφιλεῖν quam simplex φιλεῖν ostendit.

Vers. 47. εἷς τις) ita & profani Scriptores: v. *Raphelii* Notas Polybian. p. 151. Conf. ad v. 51.

ἀφεῖλεν αὐτῷ τὸ ὠτίον) Ita non solum οἱ LXX. 2 *Sam.* XVI. 9. quos huc attulit *Mareschallus* p. 437. sed & externi. Loca vide apud *Heupel.* p. 463. v. c. *Arrian.* I. 2. Epictet. Dissert.

Vers. 49. Καθ' ἡμέραν) i. e. *quotidie.* Plene diceres καθ' ἑκάστην ἡμέραν, ut *Polybius* lib. I. p. 26. vel κατὰ πᾶσαν ἡμέραν, ut *Actor.* XVII. 17.

ἀλλ' ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ) Verbo πληροῦσθαι de prædictione vel oraculo, eventu confirmato, utuntur profani. Vide *Elsnerum* p. 164. Lege *Polyænum* Stratagematum I. 18.

Vers.

Vers. 51. εἴς τις) pro τὶς, *quidam*. Vid. *Pricæum* ad Matth. VIII. 19. *Vorst.* Philolog. Sacr. Part. I. c. II. & *Suicerum* Tom. I. p. 1037. Vid. ad v. 47.

σινδόνα) Vide ad *Matth.* XXVII. 59. ubi *Bayfii* a Sidone, urbe Phœniciæ, vocis originem repetentis, conjecturam retulimus. Sed ea quidem displicet *Casaubono* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 524. qui recte observat, nomen hoc magis referre Hebræum סדין, quod exstat *Proverb.* XXXI. 24. (adde *Judic.* XIV. 12. 13. & *Jes.* III. 23.) quam צידון, quod *Sidonis* urbis nomen est. *Adrian. Relandus* ab Indis repetit Diss. Miscell. Part. I. p. 213. *Lineis vestibus, inquiens, potissimum Indi utebantur; unde & nomen Sidonis: nam* Sind *regio Indiæ est, hodieque ita dicta.* Plura de voce Hebræa æque ac Græca ex utraque antiquitate lege apud *Braunium* de Vestitu Sacerdotum Hebr. p. 145. sqq. ubi inter cetera observat, σινδόνα frequentissime de *indumento* dici, interdum vero etiam de *materia*, ex qua vestes fiant.

ἐπὶ γυμνῷ) scilicet σώματος. Confer *Bosium* de Ellipsi p. 186. & *Boisium* in Collatione ad h. l. p. 146. item *Heupelium* ad *Marc.* VI. 55. *Jacobum Minorem* per hunc juvenem veteres quosdam intellexisse, patet ex *Epiphanio* LXXVIII. 13. & *Theophylacto* ad Marcum. Hunc quoque non laneo indumento, sed tantum sindone, usum, tradit auctor Historiæ Apostol. lib. VI. §. 5. Sed vide *Casaubonum* loco citando, *Montacutium* Origg. Ecclesiast. II. p. 382. & *Fabricium* ad Codic. Apocr. N. T. p. 600.

οἱ νεανίσκοι) Per hos *milites* nonnulli intelligunt, inter quos est *Casaubon.* adversus Baron. Exerc. I. Sect. 34. & XVI. Sect. 65. *Grotius* item, *Jo. Boisius* in Collatione p. 146. (qui præterea ex *Lipsio* Quæst. Epist. lib. I. ep. 1. observat, Latinos quoque eadem notione *juvenum* vocem adhibuisse) *Erasm. Schmidius* in notis ad h. l. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 151. & Auctor Historiæ Criticæ Reipubl. Literar. Tom II. p. 57. At *Jo. Andr. Bosius* in Exercit. Philolog. ad 2 Tim. II. 22. p. 16. cum B. Gerhardo in Harmonia Evangel. p. 1792. de adolescentulis mavult interpretari, qui militum cohortem promiscue ex urbe sectati sint. Cum hoc facit *Heupelius* ad h. l. p. 470. Mihi prius placet, inprimis ideo, quod videam, sanctos Evangelistas in narratione Passionis Christi etiam alias vocibus Græcis usos esse v. c. σπεῖρα, λεγεών &c. Romanis & Græcis eo tempore sigillatim receptis. Ceterum *Rich. Simon* in Vers. Gall. vocem hanc prorsus omittit in gratiam *Vulg.* & *Syri* Interpretum & paucorum Codd. MSS. in quibus desideratur.

διερμαινόμενος πρὸς τὸ φῶς) *Erasmus* per trajectionem voces πρὸς τὸ φῶς a verbo συγκαθέμενος avulsas illique restituendas putavit, non improbante *Hombergio*, tanquam rem, quæ aliis dura & insolens visa est, interim tamen nec pro necessaria habente. Et vere ea non opus est, cum τὸ φῶς *ignem* denotet, non per Hebraismum, ceu visum est *Hammondo*, *Gatackero* p. 241. de Stylo N. Test. & aliis, sed ex usu Græcorum profanorum quorum loca habes apud *Pfochenium* §. 100. *Raphelium* Annotatt. Polyb. p. 151. & *Fesse-*

& *Feſſelium* Adverſar. Sacrorum Tom. II. p. 128. *Keuchenius* loca ex LXX. Intt. huc pertinentia recitat. De foco lucente, qui Hebræis אור dicatur, accipit *Grotius*, & cum eo Cl. *Trillerus*, qui huc refert *Homerum* Iliad. VIII. 559. ἕιατο πεντήκοντα σέλας πυρὸς αἰθομένοιο. Idem Iliad. IX. 206. πυρὸς αὐγήν dixit.

Verſ. 56. ἐψευδομαρτύρει κατ' αὐτοῦ) Profani in hac ſyntaxi magis uti amant verbo decompoſito καταψευδομαρτυρέω, quo vide *Heupelium* ad h.l.

ἴσαι αἱ μαρτυρίαι ἐκ ἦσαν) In reddenda voce ἴσαι diſſentiunt Interpretes. Alii enim innui volunt, criminationum capita non fuiſſe *idonea*, aut ſatis *gravia*, quæ efficerent, ut Chriſtus dignus extremo ſupplicio haberetur. Ita ſtatuit *Budæus* in Lexico voce ἴσος, & poſt eum *Grotius* in Notis, cui adſtipulatur *Heupelius* ad h.l. Alii vero negari hic contendunt, teſtimonia hominum ſubornatorum *inter ſe conveniſſe*. Atque ita Interpretes plerique omnes, & *Vulg.* quoque, qui vertit per *convenientia*. Atque ſic Stephanus Tom. I. Theſauri, qui reddit: *non paria* aut non cohærentia. Recte, meo judicio, cum nullum allatum ſit ab iſtis, quos pro oppoſita ſententia allegavimus, exemplum Scriptoris Græci, apud quem ſignificatio hæc vocis obtineat. Neque injuſti Chriſti judices admodum ſpectaſſe videntur, quam graviter criminarentur Jeſum ψευδομάρτυρες, ſed potius, ut haberent ſpeciem, qua inſtitutum ſuum ornarent. Hæc vero aderat, modo teſtes inter ſe convenirent. Obvertitur quidem, non commemorari illam, quæ inter teſtes fuerit, diſſenſionem. At ex ſilentio Evangeliſtæ in enarranda fuſius hac cauſæ circumſtantia res ipſa, quam in univerſum tradit, negari ſatis tuto non poteſt. Et arduum ſatis videbatur hoc crimen, Chriſto impactum, Sacerdoti ſummo. Hinc enim ad cauſam dicendam excitat Dominum. Hujus vero ſilentium efficiebat, ut ad aliud caput ſe converteret Sacerdotum Præſes, quo tandem reſponſionem ipſi extorqueret.

Verſ. 61. ὁ υἱὸς τοῦ εὐλογητοῦ) i. e. *Dei*. Hebræi enim Deum frequentiſſime appellant הקדוש ברוך הוא i. e. *Sanctum benedictum*. Confer *Bullum* in Defenſione Fidei Nicænæ p. 54. *Pearſonum* ad Symbol. Apoſtolic. p. 235. & *Amelium* Part. I. p. 23.

Verſ. 62. ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως) *Lucas* XXII. 69. habet ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ Θεοῦ. Phraſis videtur Hebraica. Hebræi enim vocem גבורה κατ' ἐξοχὴν de potentia Dei & Deo ipſo uſurpant. Vide *Buxtorfii* Lexic. Talmud. p. 385. Adde *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 38. & *Druſium* ad Luc. XXII. 69.

Verſ. 64. κατέκριναν αὐτὸν) i. e. *judicarunt*, eum reum eſſe mortis. Verbum κατακρίνω pro ſimplici κρίνω poſitum, arbitratur *Boiſius* in Collat.

p. 47. Sed videtur conciſa eſſe loquendi ratio, hoc ſenſu, *condemnarunt eum & mortis pœna dignum pronunciarunt.*

Verſ. 65. ἐμπτύειν αὐτῷ) Ad ſummum contumeliæ genus id quidem pertinebat. Vide *Arndii* Miſcellan. Sacra p. 141. Sputa in reos jaci conſueviſſe, additis colaphis, oſtendit ex profana antiquitate *Picinellus* in Luminibus Reflexis ad h. l.

Verſ. 66. μία τῶν παιδισκῶν) παιδίσκην non de *ancilla*, ſed *adoleſcentula* tantum dici, *Phrynichus* in Ecloga dictionum Atticarum affirmat. Sed vide contra eum *Henr. Stephanum* de idiom. Dial. Attic. p. 229. & *Menagium* ad Diogenem Laertium V. 54. qui utramque notionem idoneis Scriptoribus frequentatam fuiſſe oſtendunt.

Verſ. 70. καὶ ἡ λαλιά σε ὁμοιάζει) omittunt hæc Codices *Cantabrig.* & *Barberinus* unus, ideoque pro interpretamento habent *Eraſmus* & *Zegerus*, contra quos recte tuetur ea *Pfaffius* in Diſſert. de Variant. Lect. N. T. p. 206. Omittit temere *R. Simon.*

ὁμοιάζει) *ſimilis eſt* ſcilicet *eorum locutioni*, quod cum Arabe illuſtrandi cauſa ſubintelligi vult *Bochart.* T. II. Opp. p. 701.

Verſ. 71. ἀναθεματίζειν) Vid. de hoc verbo *Tob. Eckhardi* Technica Sacra p. 132. & *Georg. Grauſerus* in Phoſphoro p. 673. ſq. Ea videtur uſus formula aut ſimili, qua Paulus *Rom.* IX. 3. Conf. *le Cene* in Projet p. 457.

Verſ. 72. Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαυε) Varie hæc phraſis convertitur, quam in rem vide *Jo. Marckii* Exercitat. Exegetic. XXXI. p. 572. ſqq. *Boiſium* in Collat. p. 148. *Jo. Vorſtium* in Diſſertatt. Sacr. lib. III. c. 6. p. 106. & *Suicerum* Tom. I. p. 1160. ſq. Alii reddunt: *cum ſe proripuiſſet, flevit.* Ita poſt *Bezam* alii, quibus poſt *Eraſmum Schmidium* noviſſime ſe junxit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 152. prolatis variis *Polybii* locis, quibus hunc ſignificatum firmari ſtatuit. Sed aliter de iſtorum locorum explicatione ſentit *Elsnerus* p. 165. *Bezæ* ſe hic oppoſuit jam *Boiſius* in Collatione p. 149. & *Hombergius* p. 110. negantes, Græcum ἐπιβάλλειν unquam idem eſſe, quod *proripere ſe.* Aliis idem hæc phraſis eſt, quod: *addens flevit*, ut Luc. XIX. 11. & XX. 11. i. e. *perrexit flere*, ſeu *repetitis vicibus flevit.* Ita *Grotius*, cui adſtipulatur *Clericus* ad Hammondum. Faciunt huc ex parte ea, quæ ad Theophraſti Characteres c. VIII. p. 38. annotavit *Caſaubonus.* Conſentit *Rich. Simon* in Diſſ. de MSS. N. T. quæ exſtat in calce lib. III. Hiſt. Crit. N. T. p. 57. In has partes concedit etiam *Petavius* lib. II. c. X. Diſſert. Eccleſ. p. 352. *Hombergius* p. 112. totum comma ita vertit: *& recordatus eſt Petrus verbi, quod ipſi dixerat Chriſtus & mox addidit fletum. Addidi* mox (ita pergit idem) *nam ſignificatio verbi* ἐπιβάλλω *id exigit: ſignificat enim* ***e veſtigio addere, vel ſequi aliquem.***

Quod

Quod etiam ἐπιβαλὼν ἔκλαιε more Attico positum sit pro ἐπέβαλε κλαίειν, non opus forte est, ut moneatur. Calculum his ex nostratibus adjicit *Heupelius* ad h. l. p. 489. Ab istis proximi absunt, qui interpretantur: *cœpit flere.* Atque ita post *Vulg.* & *Syrum*, antiquissimos Interpretes, recentiorum non unus, interque eos *Rich. Simon.* Atque hæc significatio adeo plana nonnullis visa est, ut in textum temere reciperent. Nam Codex *Cantabrig.* legit hic ἤρξατο κλαίειν. In horum numero est *Heinsius*, qui vertit: *vehementer flere incepit.* Huic vide quæ opponit *Salmasius* de Fœnore Trapezitico p. 273. Longius discedunt vertentes: *capite obvoluto flevit*, ut ἐπιβαλὼν sit *injecta capiti veste.* Ita *Theophylactus*, verbum ἐπιβαλὼν sic παραφράζων· ἐπικαλυψάμενος τὴν κεφαλήν i. e. *capite operto.* Hanc sententiam adstruere conatus est *Salmasius* lib. II. de Fœnore Trapezitico p. 272. item de Virorum cæsarie & mulierum coma p. 657. conferens ritum Judæorum *Jerem.* XLVI. 3. & aliarum gentium, atque illud Isocratis: ἐγκαλυψάμενος ἔκλαιε, quem secuti sunt *Guil. Saldenus* in Otiis p. 93. *Jac. Duportus* ad Theophrasti Characteres p. 232. *Suicerus* in Thesauro Eccles. Tom. I. p. 162. *Paul. Colomesius* Obss. p. 84. *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 21. & de Ellipsi p. 88. *Jo. Vorstius* in Dissertat. Sacris lib. III. c. 6. *Keuchenius* in Annotat. ad h. l. qui speciatim demonstrat, τὸς LXX. sæpe verbum ἐπιβάλλειν & περιβάλλειν adhibere pro *tegere se* & *vestire*, & novissime *Elsnerus* p. 165. Ex nostratibus vero *Christoph. Arnoldus* ad Wagenseilii Sota Append. p. 1231. & *Josua Arndius* in Miscellan. Sacris p. 105. qui inter cetera, productis profanorum locis, de more caput in luctu & lacrymis operiendi, confert Matthæi illud πικρῶς ἔκλαιε, quia, qui caput obvolvat, acerbe flere intelligatur. Addit idem, non ultra quærendam esse loci hujus expositionem. Opponunt se his *Lydius* in Florum Sparsione ad Passionem Christi p. 108. & *Heupelius* l. c. Alii denique, τὸ ἐπιβαλὼν per ἐννοήσας vel καταναήσας interpretantes, ita efferunt: *ubi rem altius secum reputasset, ubi mentem intendisset, ubi animo in rem incubuisset, flevit.* Id præfert *Boisius* in Collat. ad h. l. p. 148. & *Lydius* in Florum Sparsione p. 108. Inter binas has postremas sententias fluctuat *Is. Casaubonus*, nihilque definit. *Hammondi*, de oculis Petri, in Christum conjectis, verbum accipientis, sententia non nacta est, quem quidem sciam, ullum approbatorem. Mihi se illi probant, qui de *injecta capiti veste* cogitant, quam in rem afferam adhuc verba *Lamb. Bos* ex p. 21. Exercitatt. *Ellipsis est*, inquit is, *satis familiaris. Ut enim vox κεφαλὴ vel πρόσωπον eleganter omittitur post verba, quæ tegere & velare significant: sic ἱμάτιον vel κάλυμμα omittitur post verba, quæ injicere & similia designant. Exemplum unum ex Isocratis Trapezitico adduxit Salmasius* ἐγκαλυψάμενος ἔκλαιε. *Adde aliud ex Plutarch. Timoleonte* p. 235. καὶ συγκαλυψάμενος ἐισήκει δακρύων. *In illis deest κεφαλὴ vel πρόσωπον. Sed in verbo ἐπιβάλλειν deest ἱμάτιον vel κάλυμμα, ut in phrasi κατὰ κεφαλῆς ἔχειν* 1 Cor. XI. 4. *deest κάλυμμα vel ἱμάτιον: quemadmodum plene dixit Plutarchus κατὰ κεφαλῆς ἔχειν ἱμάτιον, in Apophth.* p. 200. *Quod autem hic desit talis vox, exemplo aliquo illustrabo Euripid. Electra* v. 1221. ἐγὼ

μὲν ἐπιβαλὼν φάρη κορυθὸς ἐμοῖσι, *equidem pallium injiciens oculis meis*: *ubi nota, idem verbum simili in re adhibere Euripidem, quod hic Marcus.*

CAP. XV.

Vers. 1. καὶ παρέδωκαν) Interpretes *Gothus* & *Arabs* omittunt. Sed lectio communis stabilitur loco Matthæi parallelo XXVII. 2. Confer *Mareschalli* Observatt. in vers. Gothic. p. 437.

Vers. 3. οἱ ἀρχιερεῖς πολλά) Post hæc codices complures & versiones, item editiones aliquot, exhibent ista: αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο. Sed communior lectio plurium suffragiis nititur, & additamento huic locus Matthæi parallelus occasionem fecisse recte videtur Millio.

Vers. 6. ἀπέλυε) i. e. *dimittere solebat*, ut *Matth.* XXVII. 15. εἰώθει ἀπολύειν. Similes profanorum locos attulerunt Interpretes, & speciatim *Casaubonus* ad Diogenis Laertii lib. I. p. 23. & *Henr. Stephanus* de dialecto Attica p. 144. Conf. supra ad c. XIV. 12.

Vers. 7. φόνον πεποιήκεισαν) Eadem phrasi utitur *Polybius* p. 1000. lin. ult. quod observavit *Raphelius*.

Vers. 8. ἀναβοήσας) Ἀναβὰς legunt Codd. *Cantabr.* Bezæ, Barber. *l.* Codex Vaticanus unus, quos sequuntur versiones *Vulg. Copt.* & *Goth.* & nostra quoque B. Lutheri vernacula. *Æthiops* utramque exprimit lectionem, vertens: *& ascenderunt populus & clamaverunt*, quam in rem confer Cl. *Wilkinsii* Prolegom. ad Vers. Copticam p. 20. Communissimam lectionem ἀναβοήσας genuinam esse non dubitandum est, cum ex comparatione *Matthæi* XXVII. 17. & *Joh.* XVIII. 38. pateat, Pilatum ad Judæos exiisse, & optionis libertatem inter Christum & Barabam iis fecisse, qua ita usi sint, ut uno omnes ore, a Pharisæis scilicet subornati, Barabam expetierint. Hic nihil occurrit, quod accessum, ad Pilatum a populo factum, quem vox ἀναβὰς infert, credere jubeat. Itaque *Grotius* exemplaria Græca ad versionis Vulgatæ exemplum reficta esse contendit. Sed rectius alii, nominatim *Mareschallus* ad versionem *Gothicam* p. 438. & *Millius* ad h. l. varietatem hanc ex voce affini ἀναβὰς vel ἀναβήσας, librariorum oscitantia, ortam esse arbitrantur, quibus & nos adstipulamur. Confer & *Heupelium* ad h. l. Verbum ἀναβοήσας confirmatur præterea voce ἔκραξαν, in eadem hac causa repetita v. 13. & 14. Confer de hac lectionis varietate *Rich. Simonis* Histor. Critic. de Versionibus N. T. p. 222.

Vers. 15 ἱκανὸν ποιῆσαι) eadem phrasi utitur *Polybius* Excerpt. Legat. p. 1325. observante *Raphelio* p. 153.

Vers.

Verſ. 16. ἔσω τῆς αὐλῆς, ὅ ἐστι πραιτώριον) *Millius* in Prolegom. §. 410. legi mavult ἕως τῆς αὐλῆς τῦ πραιτωρίε, ideo, quod ita quoque *Goth. Copt. Arabs* & *Perſ.* exprimant. Addit idem: *cum Matthæus & Marcus diſerte aſſerunt, Jeſum ductum fuiſſe a militibus in prætorium, ne quid ab his diſcrepare videtur Marcus, aliquis* αὐλὴν τῦ πραιτωρίε *interpretatus eſt ad marginem*, αὐλὴν, ὅ ἐστι, πραιτώριον· *haud recte, licet mox tranſierit in textum.* Αὐλὴ *enim* πραιτωρίε *eſt exterius atrium Prætorii, non ipſum Prætorium.* Enimvero mireris, Virum doctum de gloſſematibus tam frequenter cogitare potuiſſe, ac ſibi præterea perſuadere, quod tam facili opera in tot numero Codices irrepſerint. Lectio communiſſima omnino genuina eſt. Reſpondet enim ſtylo S. Marci, qui voces obſcuriores eadem ratione alias interpretatur v. c. v. 22. ἐπὶ Γολγοθᾶ τόπον, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, κρανίε τόπος. Atque hic opus erat interpretatione vocis αὐλῆς, quippe qua idem *Marcus* c. XIV. 54. & 66. uſus erat de conclavi confeſſus Sacerdotum. Jam vero Romani conclave ejusmodi cauſis cognoſcendis deſtinatum *Prætorii* nomine appellare ſolebant, qua de re diximus ad Matthæum. Ut itaque hoc rectius intelligeret Lector, quid ſibi vellet per αὐλὴν, explicationis gratia Marcus ipſe addidit ὅ ἐστι πραιτώριον i. e. *quod alias vocatur prætorium.* Quod ſi divus Evangeliſta non de aula ſeu Prætorio ipſo, ſed de atrio aulæ ſive Prætorii, ut *Millius* opinatus eſt, loqui voluiſſet, non αὐλὴν, ſed προαύλιον dixiſſet; qua voce utitur XIV. 68.

Verſ. 17. περφύραν) Purpurea veſte Chriſtum induendum cenſuerant, qui alias alba uteretur, ex more Judæorum pervulgato; quæ conjectura eſt *Jac. Haſæi* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. III. p. 306. Quomodo cum ἐῶθῆ τι λαμπρᾷ conciliari poſſit, de qua *Lucas* in loco parallelo XXIII. 11. meminit, ad Lucæ l. c. dicemus.

περιτιθέασιν αὐτῷ σέφανον) eadem phraſis eſt apud Polybium II. 2. fine.

Verſ. 19. ἐνέπτυον αὐτῷ) Odium teſtaturi veteres in aliquem, conſpuere eum ſolebant. Loca veterum in hanc rem lege apud *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 40. ſqq.

Verſ. 21. ἀγγαρεύσι) Vide de hoc verbo, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* V. 41. Adde ibi citatis *Mareſchallum* ad Verſionem Gothic. p. 439.

Verſ. 23. ἐσμυρνισμένον ὄινον) Vide, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XXVII. 33. Ea ſcilicet fuit Salvatoris eo tempore conditio, ut ex longiori itinere & acceptis plagis contumeliisque in æternam ſyncopen videretur caſurus, niſi aliquo vini hauſtu ſublevatus fuiſſet. Illud autem ex præcepto *Galeni* non meracum eſſe conveniebat, ſed aliis permixtum, unde myrrham addiderunt, vel fel. Ita *Bartholinus* de Cruce Hypomnemat. II. p. 134. ſq. ubi plura vide ad

conciliationem cum Matthæo ſpectantia. Vinum guſtu amarum fuiſſe ob admixtionem myrrhæ, & inde vim obſtupefaciendi habens, non autem myrrhinam, Plauto laudatam, deliciarum cauſa, potionem, recte huc monet *Poſſinus* in Spicilegio Evangelico p. 110. Quæ de *vaſis myrrhinis* Romanorum, a quibus οἶνος ἐσμυρνισμένος h. l. dicatur, attulit *Baronius* in Annalibus ad A. C. XXXIV. n. 115. ea confutata vide a *Caſaubono* in Exercitationibus p. 549. ſqq. cujus hæc eo in loco eſt ſententia, quod poculum hoc vini myrrhati Servatori, ex Hebræorum more, de quo eadem opera differit, exhibitum ſit ab honeſtis & piis, quæ aderant, feminis. Has vero, ait, ad Dominum accedere honeſtate (vel timore potius) prohibitas, vinum illud Domino porrigendum militibus tradidiſſe, quorum ſcelere factum ſit, ut fel admiſceretur. Atque ſic Marcus, οἶνον ἐσμυρνισμένον commemorans, ipſiſſimam poculi hujus conſuetudinem, & factum mulierum ob oculos poneret, Matthæus vero, vinum felle mixtum appellans, ſcelus militum deteſtabile recitaret. A piis feminis potionem hanc forte paratam fuiſſe, eo conſilio, ut ſenſibus alienatis mortem crucis horribilem ſine dolore ſentiret Salvator, exiſtimat *de Prado* in Pentecontarcho p. 55. Viciſſim dubitat *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 42. utrum per myrrhatam hanc potionem quædam tam ſalubriter efficax, an potius omnis alia, quippe de qua in V. T. querela inſtituatur, intelligenda veniat. Affirmat vero prius illud *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 644. contendens, myrrhatum vinum valde fragrans, aromaticum & pretioſum fuiſſe, ad confortandos reos, ut tormenta cum vigore ſuperare poſſent, adhibitum. Sententia Caſauboniana reliquis hic præferenda videtur, quæ ſe quoque ex noſtratibus probavit *Walthero* in Harmonia Biblica p. 877. *Calovio* in Bibliis Illuſtratis ad Matth. XXVII. 33. *Heupelio* ad Marcum & aliis.

Verſ. 24. διεμέριζον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ) De ſola tunica Chriſti exteriore, quamvis de pluribus loquatur Marcus per κοινότητα ſeu ſyllepſin, verba hæc intelligi vult *Caſaubonus* Exercitatt. Anti-Baronianis p. 561. diſſentientibus aliis, qui de utraque veſte hic ſermonem eſſe diſputant, id quod ex phraſi τίς τί ἄρῃ liquido conſtare videtur. Confer dicenda ad Joh. XIX. 23.

Verſ. 25. ἦν δὲ ὥρα ὡσεὶ τρίτη) Quomodo hæc cum Johanne conciliandа ſint, ad ipſum dicemus.

Verſ. 26. ἐπιγραφὴ τῆς αἰτίας) Pœnalis ejusmodi tituli ſeu elogii, damnatis apponi ſoliti, mentio frequens eſt apud Scriptores Latinos, quorum loca habes apud *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 43.

Verſ. 27. δύο λῃστὰς) Olim Judæi non niſi unum facinoroſum eadem die morte afficere ſolebant, niſi ambo eſſent ejusdem criminis rei, atque eodem ſupplicio obnoxii. Vide *Sanhedrin* c. XIV. poſt med. Adde *Schickardum* de Jure Regio Hebræorum p. 252. ubi duos latrones iſtos eadem die ultimo

timo ſupplicio ſubjectos ait, vel, quod eſſent ἐν αὐτῷ κρίματι, teſte *Luca* XXIII. 40. vel potius, quod pridem hæc conſuetudo cum poteſtate Synedrii ipſa ſublata fuerit. Adde ibidem notas Carpzovii.

Verſ. 28. ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα) Sic *Xenophon* epiſtolis τὸ λέγειν tribuit aliquoties. Vide *Raphelii* notas ex Xenophonte p. 79. & ex *Polybio* p. 154. Locus V. T. ad quem *Marcus* hic reſpicit exſtat Jeſaiæ LIII. 12. quem cum allegatione hac diligenter confert *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 300. ſqq. oſtendens inprimis, quomodo latrones iſti recte פושעים dicantur. Ceterum ἀνόμους non minus quam פושעים apud Hebræos, de malitioſe & inſigniter impiis dici luculento Xenophontis loco probat Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 80.

Verſ. 29. ἐᾶ) Ex Latinorum *vah* derivat *Grotius* ad h. l. Ea tamen non ſolus Marcus noſter uſus eſt, ſed & *Arrianus* lib. III. c. 23. p. 364. & 367. non quidem in *ſubſannationis* & *irriſionis*, quam hic obtinet, ſed *admirationis* notione. Lege hanc in rem *Raphelii* Notas Polybian. p. 155.

Verſ. 32. ὠνείδιζον αὐτῷ) Confer dicta ad *Matth.* XXVII. 44. & adde *Suicerum* Tom. II. p. 235.

Verſ. 34. Ἐλωΐ, Ἐλωΐ) Lege huc *Cheitomæum* de vocibus barbaris. De tota vero iſta Jeſu moribundi formula conſule B. *Danhaueri* Diſput. Theolog. VII. quæ eſt de verbis Chriſti noviſſimis.

Verſ. 37. ἐξέπνευσε) Vide *Gataker.* ad Antonin. V. 4. & VI. 15.

Verſ. 38. ἐσχίσθη εἰς δύο) De Hebraiſmo hic perperam cogitaſſe *Gatakerum* de Stylo N. T. c. 29. oſtendit *Elsnerus* p. 166. ſimilibus Auctorum phraſibus adductis, eademque opera monet, ſubintelligi hic debere vocem μέρη, quam addiderit *Polybius* lib. II. c. 16. p. 146. hac uſus phraſi: σχίζεται εἰς δύο μέρη. De re ipſa Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 54.

Verſ. 39. ὁ κεντυρίων) vox eſt mere Latina, qua tamen interdum, quamvis raro, utitur *Polybius*, ut p. 654. & 655. qui alias & frequentius adhibet vocem ταξιάρχης. Vide huc *Raphelii* Notas Polybian. p. 156. ubi plures ejusmodi voces origine Latinas, ſed a Græcis civitate donatas, recenſet. Adde *Mayeri* Philolog. Sacr. Part. I. p. 249. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 92. ſq.

ἐξ ἐναντίας) ſcilicet χώρας, *ex adverſo, e regione.*

Verſ. 42. ὀψίας γενομένης) De exſequiis noctu celebratis ad h. l. commentatur *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 644.

ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον) Παρασκευὴ hic tantum reſpectu

ctu Sabbati dicitur, & explicatur per προσάββατον, appellatur vero παρασκευὴ Paschatis *Joh.* XIX. 14. quod in diem primum festi Paschatis incideret, uti eadem παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων dicitur *Joh.* XIX. 42. & παρασκευὴ nulla voce addita, vel παρασκευὴ Sabbati *Joh.* XIX. 31. Ita *Relandus* Antiquit. Hebr. p. 438. Lege in eandem sententiam plura *Jo. Wandalinum* in Diatribe Historica adversus Wilh. Langium, quæ recusa est in Syntagmate Variarum Dissertationum Græviano p. 314. sqq. Ibi is p. 316. ita: *Non dicit* (Marcus) *saltem diem eum fuisse Paraſceven, quod nomen pro Paschatis paraſceve forte quis capere posset, sed & idem per* προσάββατον *interpretatur.* Παρασκευὴ *quasi genus est, cujus species sunt* προσάββατον *&* προσάββατον. *Illud diem, quodlibet festum immediate præcedentem, notat: hoc autem, nempe* Προσάββατον, *nihil usquam aliud designat, quam feriam ante Sabbatum hebdomadale proximam, nempe sextam. Ita Helleniſtice hæc notio usurpatur* Judith. VIII. 6. *ubi Judith per omnes viduitatis suæ dies jejunasse dicitur* χωρὶς προσαββάτων καὶ σαββάτων. Lege ibi plura, eum in finem disputata, ut appareret, Christum feria sexta, quæ dies Veneris nobis est, mortuum fuisse, pro qua *Langius* feriam quintam seu Jovis diem dixerat. Ista qui legerit, haud difficulter satisfaciet *Henr. Dodwello*, in libro de veteribus Romanorum Græcorumque cyclis Dissertat. IX. contendenti, nullo prorsus exemplo N. T. probari posse, quod παρασκευὴ hebdomadali Sabbato tribuatur, atque adeo Marcum hic Paschatis potius, quam Sabbati, propriam rationem reddere. Conf. Acta Erudit. Lipsienſia anni 1702. p. 102. Παρασκευὴν per *cœnam puram* interpretatur *Augustinus* in Johannem Tract. 106. & 120. Confer *Ursini* Append. ad Ciaconium de Triclinio, qui observat, Glossarium vetus cœnam puram interpretari per παρασκευὴν sive προσάββατον. Lege præterea Cl. *Dan. Wilh. Trilleri* Notas ad H. *Grotii* Christum Patientem p. 422. sq. & qui ab eo citantur.

Vers. 43. εὐσχήμων) i. e. spectabilis, honoratus & dives, ex vocis notione, quæ posteriori Græciæ recepta fuit. Nam veteribus notavit honestum & moderatum. Ita *Salmasius* de Lingua Helleniſtica p 100. qui divitiarum significatum hic proprie obtinere præterea affirmat, ad Phrynichum provocans; & qui cum eo facit *Jo. Olearius* de Stylo N. Test. p. 283. ad quem Cl. *Schwarzius* in Notis recte monet, Athenis quidem id, quod *Phrynichus* monet, valuisse, an alibi item; dubium esse: *Æschinem* vero in Timarch. p. 189. εὐσχήμονας opponere τοῖς ἀνηκόοις παιδείας, & eruditum fuisse Josephum ac indolis eximiæ. Equidem non crediderim Salmasio, ex eo, quod Matthæus c. XXVII. Josephum πλούσιον appellat, consequi, Marcum hic voce εὐσχήμων ad opes respexisse, inprimis cum addita vox βουλευτὴς, quæ dignitatem infert, de nobilitate vel generis vel animi cogitare hic jubeat B. *Lutherus* itaque recte vertit *honestum.*

βουλευτὴς) per *Decurionem* vertit *Vulgatus*, approbante *Boisio* in Collatione p. 151. ad Glossaria, eodem modo vocem Græcam interpretantia, pro-

provocans, ac præterea monens, in coloniis & provinciis hunc dignitatis titulum obtinuisse. Secutus Vulgatum est *Rich. Simon* in versione Gallica, reddens *noble Decurion*, notatus ideo ab auctoribus Memoriarum Trevoltiens. an. 1702. p. 397. ed. Amstelod. qui malunt Gallice verti per *conseiller* i. e. *consiliarium*, quæ vox & Græcæ voci exacte respondeat, & Vulgati mentem exprimat. Nihilominus tamen & *Martianæus* in Essais p. 216. per decurionem convertit, & eodem in loco suspicatur, eum forte decem civitates gubernasse, aut decem judicibus in patria sua ad exemplum Decurionum Romanorum præfectum fuisse. Per Decurionem potius, quam Senatorem, verti mavult *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 36. qui ibidem, repudiata *Lightfooti* sententia, ex voce *Buleutæ* Josephum decurionem, ex adjuncto vero epitheto εὐσχήμων, Synedrii Magni membrum fuisse colligit. Mihi ex *Luc.* XXIII. 51. dubium non est, Josephum in Synedrio Magno consedisse, atque hanc ipsam dignitatem nomine βουλευτοῦ subinnui arbitror. Confer *Bræmelium* in Miscellan. Lipsiens. Tom. IX. p. 139. & Memorias Trivult. l. c.

τολμήσας εἰσῆλθε) Similem phrasin ex *Arriano* affert *Raphelius* in Notis Polybianis p. 157.

Vers. 44. εἰ ἤδη) i. e. *quod jam* mortuus sit. Ita *Eusebius* loquitur IV. 15. quem locum attulit *Raphelius* in Semicenturia Annotatt. Philolog. p. 6. Adde eundem in Notis Xenophonteis p. 80. Atque ita B. *Lutherus* particulam εἰ recte accepit, nec per *si* convertit. Mortuum enim fuisse Christum, Josephus jam indicaverat Pilato, cum ab eo σῶμα τοῦ Ἰησοῦ peteret, neque suspicari facile potuit Pilatus, Josephum falsa dicere ausum esse.

Vers. 46. καθελὼν αὐτὸν) Verbum καθαιρεῖν usurpari solet de cadavere, in cruce aut suspendio mortui de ligno tollendo. Conf. v. 36. *Luc.* XXIII. 53. & *Act.* XIII. 29. Ita quoque Græcos profanos loqui, & Latinos proprie per *detrahere* interpretari, ostendit *Elsnerus* p. 167. ad h. l. Vide etiam Rev. *Raphelii* Notas Polybian. p. 157.

ἐν μνημείῳ, ὃ ἦν λελατομημένον ἐκ πέτρας) Vide huc *Salmasium* ad Solinum p. 851. a. qui observat, male verti per: *ex petra aut rupe excisum*, cum πέτρα de lapide secundum Græciæ mediæ usum accipi debeat, atque adeo hic monumentum ex lapide cæso ac polito constructum indicetur.

CAP. XVI.

EXstant Codices, sed perpauci, in quibus caput hoc vel integrum, vel saltem inde a v. 8. ad finem usque deest, quam omissionem *Grotius* acceptam refert librariis immature solicitis, quibus scilicet Marcus a Matthæo diversa tradere videbatur. Enimvero non pugnare Evangelistas

ſecum invicem, oſtenderunt Viri docti, eademque opera γνησιότητα totius capitis adſtruxerunt. Ex illis lege inprimis *Iſaac. Caſaubonum* Exercitatt. adv. Baronium p. 604. ſqq. *Jo. Millium* in Prolegomenis ad N. T. §. 812. ſqq. & *Jo. Clericum* in Arte Critica Part. III. p. 228. Cave tibi vero ab iis, quæ *de Prado* in Pentecontarcho p. 242. ſq. in conciliationem Evangeliſtarum ingenioſe magis quam ſolide attulit. Conf. ad v. 8.

Verſ. 1. διαγενομένε τε Σαββάτε) i. e. *interjecto Sabbato, cum interceſſiſſet ſabbatum*, ut Act. XXV. 13. & XXVII. 9. Ita quoque *Polybius* loqui amat, quorſum vide Rev. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 157. & *Elsnerum* p. 168. qui poſterior ſpeciatim obſervat, *Bezam* nimis ſolicite vertiſſe: *exacto intercedente Sabbato*, quem viciſſim commodiſſime hæc verba interpretatum eſſe, contendit *Wandalinus* in Diatribe adv. *Wilh. Langium* p. 320. Syntagmatis Græviani.

Μαρία ἡ τε Ἰακώβε) i. e. *Maria, quæ Jacobi putabatur mater*, ut accepit *Boiſius* in Collatione p. 151. qui eandem credit eſſe, quam Johannes vocat Μαρίαν τὴν Κλωπᾶ ſcilicet γυναῖκα, ſeu *uxorem*.

ἠγόρασαν) i. e. *emerant*, ut perfectum pro plusquamperfecto poſitum eſſe credatur. Sic noſtro cum reliquis Evangeliſtis probe conveniet. Lege *Boiſium* in Collat. p. 152. *Hackſpanium* in Notis p. 248. & *Oſtermannum* in Poſitt. Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 7.

Verſ. 2. καὶ λίαν πρωῒ τῆς μιᾶς σαββάτων) In exemplaribus accuratioribus τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων legi monet *Severus*, Archiepiſcopus Antiochenus, in Concordantia Evangeliſtarum circa ea, quæ in ſepulchro Domini contigerunt. Vide *Montfauconium* Part. I. Bibliothecæ Coisilinianæ p. 72. Nihilominus tamen nullus inter eos, quos *Millius* conſuluit, Codices exſtat, qui ita nunc legat. Neque video, cur illa lectio communiori præferri debeat, cum ſenſus idem ſit, quod patet ex v. 9. hujus capitis, ubi exſtat πρωῒ πρώτῃ σαββάτε. Scilicet adverbia temporis nunc cum Genitivo conſtrui, quod hic fit, nunc ſeorſim extra conſtructionem poni, tralatitium eſt, & Grammaticis pridem obſervatum. Ceterum μίαν σαββάτων hic eſſe primum hebdomadis diem, ut ex v. 9. patet, ita ex rationibus linguæ Hebraicæ, quas hic ſequitur Marcus, diligenter oſtendit *Hackſpanius* in Notis ad h. l. p. 249. ſq. *Eraſmus Schmidius* cardinale pro ordinali etiam profanis Scriptoribus adhiberi contendit, quod nunc ſuo loco relinquimus. Pro σαββάτων *Scaliger* de Emendat. Temporum l. VI. legi vult h. l. σαββατῶν, quippe quod Hebræorum שבתון (*Schabbaton*) magis reſpondeat. Sed recte *Oſtermannus* in Poſitionibus Philolog. ad N. T. Diſp. I. §. 2. monet, utut erudite id obſervetur, non apparere tamen, quomodo per cetera N. T. loca inde ſtare poſſit.

ἀνατείλαντος ἡλίε) i. e. *exorto ſole*, ut Eraſmus vertit, vel potius *oriente Sole*.

Sole. Nam aoristi tum præsentis tum præteriti temporis significationem tuentur, quod ostendit *Henr. Stephanus* de idiomate dialecti Atticæ p. 145. & ex nostratibus B. *Glassius* in Philolog. Sacra p. 645. Atque hoc modo Marco cum reliquis Evangelistis probe convenit, qui Solem non *exortum*, sed ortui proximum, memorant. Hac ratione ἐναντιοφάνειαν hanc e medio tollunt B. *Wegnerus* in Dissert. de triduo mortis Christi §. 34. & *Saubertus* in Palæstra p. 263. qui inde a p. 261. spurias aliorum conciliandi rationes recenset & sub examen vocat. Consentit R. *Simon*, quando vertit: *le Soleil ne faisant que de soulever.* Itaque cave, ut cum *Beza* particulam ὅ contextui inferas, quem recte hoc nomine notarunt *Vossius* in Harmonia Evangelica p. 375. & P. *Colomesius* in Observatt. Sacris p. 85. Nec necesse est, cum aliis Codd. legere vel ἀνατέλλοντος, vel ἔτι ἀνατείλαντος. Utrumque ex interpretamento natum recte arbitrantur *Grotius*, *Millius* ad h. l. *Simonius* in notis ad Vers. Gall. & in Hist. Crit. de Commentatoribus N. T. p. 113. ubi de *Gregor. Nysseno*, & *Clericus* in Arte Critica l. c. p. 229. Τὸ ἔτι minus recte approbat *Casaubonus.* In omnia alia abit *de Prado* in Pentecontarcho p. 246. quando ortum illum solis non de naturali, sed mystico, Jesu ipso, ex *Malach.* IV. 2. interpretatur. Sed ista quidem longius petita esse, nemo non videt. Tota narrationis Marci series ita instruenda est: Vespera post Sabbatum feminæ emerunt aromata, hinc, nocte præterlapsa, viam ingressæ sunt summo mane, & ad sepulchrum pervenerunt cum Sole oriente. *Petavius* Tom. III. Dogm. Theolog. p. 137. feminas ante ortum Solis domo progressas, eodem jam orto, ad sepulchrum ait venisse.

Vers. 4. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα) Hæc verba ratione sensus ad finem v. 3. pertinent: cujusmodi trajectionis exempla alias in Sacris & profanis Scriptoribus passim obvia sunt: nisi statuere malis, Evangelistam hoc loco ista commemorare, ut innueret, feminas lapidem istum, a sepulchri ostio jam remotum, e longinquo vidisse, quia valde magnus fuerit.

καὶ τῷ Πέτρῳ) i. e. *& inprimis Petro.* Memorato enim genere addi speciatim solet id, quod in eo est eminentius. Vide Ps. XVIII. 1. Profanorum Scriptorum exempla attulit *Strabo* VIII. 340. Geograph. Cur vero Petri ratio hic inprimis habita sit, ostendit *Casaub.* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 599. Ceterum nihil hic præsidii nasci adstruendo Petri primatui contra Salmeronem ostendit *Chamierus* Tom. II. Panstratiæ Cathol. lib. II. c. 19. p. 230. sq.

ὅτι προάγει ὑμᾶς) Particula ὅτι hic redundare videtur *Lamberto Bos* in Exercitatt. p. 23. sq. exemplo Auctorum profanorum, quos idem affert.

Vers. 8. εἶχε δὲ αὐτὰς) Ita sæpe verbo ἔχειν utuntur LXX. Interpretes. Lege huc *Keuchenium.* Particula δὲ æquipollet hic τῷ γὰρ, ut sæpe alias. Vide *Kühnium* ad Æliani Var. Histor. XII. 8. & *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 273.

ἐδὲν ἐδὲν εἶπον) nempe in via occurrenti. De particula negandi bis vel ter efficaciæ causa repeti solita lege ad h. l. *Heupelium.*

ἐφοβοῦντο γὰρ) Quæ post hæc sequuntur, in MSS. nonnullis, sed perpaucis, desunt usque ad finem capitis, quem defectum quoque veterum nonnulli, ut *Hieronymus* epist. ad Hedibiam & *Euthymius* comm. in h. l. annotarunt. Confer in hanc rem *Millium* in Notis, & in Prolegom. §. 812. 813 & 1324, *Rich. Simonem* in Histor. Critic. de Textu N. T. p. 114. sqq. Adde istis, quod & in versionis Armenicæ Codice Berolin. MSS. tota illa sectio ab eadem quidem manu, sed extra seriem Evangelii, lineolis separata, ut additamentum amanuensi suspectum, scripta exstet, ceu monuit Cl. *Wilkinsius* in Prolegom. ad Versionem Coptic. p. 20. Ita quoque *Severus Antiochenus* in Concordant. Evangelistarum circa ea, quæ in sepulchro Domini contigerunt, apud *Montfauconium* Part. I. Biblioth. Coislinianæ p. 74. observat, exemplaria accuratiora in hæc verba ἐφοβοῦντο γὰρ desinere. Sed recte judicat ibidem Montfauconius p. 75. ipsa illa verba ἐφοβοῦντο γὰρ hujusmodi esse, ut alia consequentia postulent, quod nemo sanus negaturus sit. Hinc sequentia ut genuina recte defenderunt R. *Simon* in Hist. Critica l. c. p. 121. sq. *Jo. Clericus* in epistola ad Jun. Optimianum Part. XVI. Biblioth. Selectæ p. 313. sq. quæ in limine N. T. Milliani editionis Amstelod. recusa est, *Jo. Millius* locis citatis, & *Jac. Basnage* in Historia Ecclesiastica Tom. II. lib. I. c. 2. Adde ex nostratibus B. *Gerhardum* in Confess. Cathol. lib. II. p. 116. sq. *Glassium* in Philolog. Sacr. p. 162. sq. *Kortholtum* de variis Scripturæ S. editionibus p. 85. sq. Cl. *Jo. Alb. Fabricium* in Codice Apocrypho N. Test. Tom. I. p. 327. & Rev. *Matth. Christoph. Pfaffium* in Dissert. de Variantibus Lectionibus N. T. p. 217. Afferemus tantum *Millii* verba ex notis ad h. l. *Cum exemplaria MSS.* inquit is, *ut & versiones universim, Irenæus item, Ammonius in Monotessaro, Eusebius, (ut apparet ex tabulis Canonum) Athanasius, Augustinus, Theophylactus capitulum hoc agnoscant: de αὐθεντίᾳ ejus non est, quod dubitemus. Præsertim cum ratio, ob quam omitteretur olim, scilicet, quod diversa ac contraria Evangelistis ceteris narrare videatur, ut Hieronymi verbis utar, omnino nulla sit.*

Nec aliter sentiendum est de additamento illo, quod post verba ἐφοβοῦντο γὰρ pauci quidam Codices exhibent, de quo lege *Rich. Simonem* l. c.

Vers. 9. Ἀναστὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου) *Severus Antiochenus* l. c. verba hæc aliter interpungi vult, quam quidem editiones hodie exhibent, ut nempe voces, ἀναστὰς δὲ, per comma separentur a sequentibus, ista autem proxime, sine intercedente distinctione, jungantur verbo ἐφάνη. Probat ejus sententiam *Millius* in Prolegomenis §. 812. tanquam talem, quæ difficultates hic alioquin obvias e medio tollat.

Meo judicio mutatione ista opus non est, quod prudens Lector intelli-

telliget, ubi Millium ipſum legerit. Conf. *Suicerum* Tom. I. p. 311. Ceterum lege *Gerhardi Outhovii* Demonſtrationem veritatis reſurrectionis Chriſti propriis ſuis viribus, ex vocibus, ἀναστῆναι & ἐγείρεσθαι, oppoſitam *Melchioris Schefferi*, hominis Sociniani, libello Germanico, deinde belgice an. 1653. in calce commentarii Jo. Crellii in 1 Cor. XV. excuſo, quæ exſtat in *Jo. Eskuche* Miſcellaneis Sacris p. 1. ſqq.

Verſ. 10. πενθῆσι καὶ κλαίσι) De lacrymis veterum ad h. l. commentatur *Jo. Andr. Gleich*, Vitemberg. 1688.

Verſ. 12. δυσὶν ἐξ αὐτῶν) Non eſſe hos diſcipulos Emaunticos, de quibus Lucas fuſius, opinatur *Andr. Maſius* Tom. II. Supplementi Criticorum p. 1788. Rationem hanc addit, quod diſcipuli hic memorati nunciarint reſurrectionem Chriſti diſcipulis, tunc adhuc rem ignorantibus, & non credentibus, cum Emauntici viciſſim non incredulis, nec ignaris, rem retulerint, ſed jam tum ſcientibus, Chriſtum Simoni apparuiſſe. Et ſane Marcus hic diſerte addit, quod diſcipuli verbis eorum fidem non habuerint, contra vero Lucas teſtatur, Emaunticos diſcipulos ex ceteris audiviſſe, Chriſtum vere ſurrexiſſe, & Simoni apparuiſſe. Sed vel ſic in communi Interpretum ſententia puto acquieſcendum, cum verba Lucæ de quibusdam accipi poſſint diſcipulis, qui nunciantibus fidem habuerint, Marcus autem de illis loquatur, qui ad exemplum Thomæ eam denegarint. Deinde diſcipulorum verba apud Lucam XXIV. 34. ita comparata ſunt, ut æque recte pro narratione nuda eorum, quæ ex aliis audiverint, quam pro confeſſione haberi poſſint. Interim idem cum *Maſio* ſentit ex noſtratibus *Andreas Oſiander* in Harmonia Evangelica lib. IV. c. 36.

Verſ. 14. ὕστερον) i. e. *deinde, poſtea*, ut *Matth.* IV. 2. XXI. 32. *Hebr.* XII. 11. neque enim hic de ultima Chriſti apparitione ſermo eſt, ſed de ea, quæ primo reſurrectionis die facta eſt. Interim accipi etiam poteſt de ultima apparitione, eo ſcilicet die facta.

οὐκ ἐπίστευσαν) Additamentum quoddam, in quibusdam exemplaribus poſt hæc verba obvium, memorat *Hieronymus* lib. II. adverſus Pelagianos p. 193. Atque id quidem ex Evangelio quodam apocrypho repetit *Rich. Simon* in Hiſt. Crit. l. c. p. 119. ſpeciatim Evangelio ſecundum Thomam aut Philippum, adſcribit *Johannes Crojus* in Obſervationibus ad N. T. c. XIV. p. 111. quæ & *Millii* conjectura eſt in Prolegomenis §. 724. & 725. Confer huc Cl. *Fabricium* in Codice Apocr. N. T. p. 325.

Verſ. 15. 16. exponuntur a B. *Scherzero* & *Bernh. Wagnero* in Diſſ. ſingularibus, *Lipſ.* 1676. & *Argentor.* 1710. de Vocatione Dei gratioſa habitis.

Verſ. 15. πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα) Itaque Evangelium per

omnes mundi partes, etiam in America, ab Apoſtolis prædicatum eſt. Vide in hanc rem B. *Georg. Mœbii* Diſſertat. de quæſtione: an ab Apoſtolis Evangelium etiam Americanis annunciatum fuerit, quæ annexa eſt ejus Tractatui de Oraculis, Lipſ. 1685. item *Rœberi* Diſput. ſolennem de univerſali vocatione, &, ut ceteros taceam, *Danhauerum* in Hodomoria Calviniana Phantaſm. IX. p. 1857. ſq. ac *Schmidium* in Colleg. Biblic. Poſter. p. 189. ſq. Ex Pontificiis idem poſt *Malvendam*, & alios plerosque adſtruxit *Pagius* in Critica Baron. an. 42. n. 2. His ſe opponunt Reformati, nominatim *Samuel Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 524. ſqq. & *Herm. Witſius* in Miſcellaneis Tom. II. Exercit. XIII. & XIV. quorum poſteriore ea argumenta, quæ pro Evangelio, Americanis etiam ab Apoſtolis promulgato, in priore attulerat, confutare conatur. Ex noſtratibus quoque *Quiſtorpius* in Annotatt. Biblic. ad Coloſſ. I. 13. negantium partibus accedit, ſicut alii Americam eo tempore cultam & habitatam fuiſſe inficiantur, ut *Urſinus* in Analectis lib. VI. c. 24 Confer B. *Ittigii* Hiſt. Eccleſ. Sæc. I. p. 194. ſq.

πάσῃ τῇ κτίσει) i. e. *omnibus hominibus*. Κτίσις enim κατ' ἐξοχήν de hominibus uſurpatur. Id poſt *Cartwrightum* in Mellific. Hebr. II. 5. *Lightfootum*, *Hammondum* & *Knatchbullum* ad Roman. VIII. 19. evicerunt ex noſtratibus *Joſua Arndius* in Miſcellaneis Sacris p. 42. ex ceteris *Caſaubonus* in Epiſtolis p. 235. a. *Suicerus* in Theſauro Tom. II. fol. 180. & *le Cene* in Projet p. 685. ſq.

Verſ. 10. ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς) *Colomeſius* ad h. l. varia ex antiquitate teſtimonia affert eorum, qui ex his verbis baptiſmum adultis tantum conferri voluerunt. Sed vide, quæ ad Matthæi caput ultimum de pædobaptiſmo, omni antiquitati Chriſtianæ cognito, commentati ſumus. An Baptiſmus ad ſalutem abſolute requiratur, ex hoc loco veteres diſputarunt, quorum ſententias recitat *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 281. ſqq.

Verſ. 17. & 18. ex antiquitate ſacra data opera illuſtrat *Tob. Pfannerus* in Diatribe de chariſmatibus ſive donis miraculoſis antiquæ Eccleſiæ, *Francof.* 1680. 12.

Verſ. 17. Σημεῖα δὲ τοῖς πιστεύσασι παρακολουθήσει) De dono miraculorum credentibus naſcentis Chriſtianiſmi hic promiſſo, & deinde largiter collato, lege, quos affert Cel. *Fabricius* noſter in Bibliographia Antiquaria p. 424. Eandem phraſin adhibent *Polybius* & *Dioſcorides*, quam in rem vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 158.

γλώσσαις καιναῖς) i. e. ἑτέραις, ut *Lucas* Act. II. 4. interpretatur, h. e. peregrinis, & ante ipſis incognitis. Lege *Heinſii* Exercit. Sacr. p. 268. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 766.

Verſ. 18. ὄφεις ἀροῦσι) i. e. non ſolum tollent, ſed & ſublatos portabunt,

bunt, quæ verbi notio est *Marc.* VIII. 34. & XIII. 15. 16. Lege huc *Hombergium* in Parergis p. 112. & Rev. *Deylingium* in Obsservatt. Sacris Part. III. p. 261. Exemplo est Paulus *Act.* XXVIII. 6. *Keuchenius* ad h. l. interpretatur per: *dominabuntur in serpentes, & interiment*, compararique jubet *Luc.* X. 19. Profani quoque, nescio qua fide, exempla recitant hominum, qui serpentes impune tractarint. Lege ea apud *Elsnerum* p. 168. De incantationibus, hunc in finem adhibitis, lege *Bocharti* Hierozoicon Part. II. lib. III. c. 6. & *Ezech. Spanhemium* de præstantia & usu Numismatum p. 188.

κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν) Ita Johannes Apostolus venenum innoxie bibisse traditur in *Abdiæ* Historia Apostolica lib. V. §. 20. edit. Cl. *Fabricii* in Codice Apocrypho N. T. Tom. I. p. 576. ubi in notis veterum in hanc rem testimonia exstant, additis similibus exemplis, quæ alibi ab historiæ Ecclesiasticæ conditoribus commemorantur. Adde, quæ ex profana historia recitat *Heucherus* in Dissertat. de Mithridate, sistente præservationem Principis a veneno §. 9.

Vers. 19. Ὁ μὲν οὖν Κύριος) Ex hoc commate probare conatus est *Guil. Whistonus* in Dissertat. de variis & repetitis Christi in cœlum adscensionibus, quæ in ejus *Sermons and Essays* exstat, p. 156. Sanctissimum Salvatorem nostrum vespera illius diei, quo resurrexit, & quo, matutino tempore, jam in cœlum se sustulerit, in cœlum adscendisse. Sed vide oppositam illi *Jo. Schmidii*, si recte memini, Dissertationem singularem.

ἀνελήφθη) Verbo hoc utitur *Antoninus* lib. IV. §. 14. de *reditu & resumtione* animæ a Deo factæ post mortem. Vide ibi notas *Gatackeri* p. 136. ubi præterea observat, hic τὸ ἀνὰ *subvectionis* potius significatum obtinere. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 282. Fuerunt tamen, qui vocibus ἀναλημφθῆναι & ἀνάληψις, quæ *Luc.* IX. 51. *Marc.* XVI. 19. *Act.* I. 11. 22. & 1 *Tim.* III. 16. exstant amplius aliquid hoc potissimum in loco indicari censerent, nempe ut innuatur agnitio Christi, a Patre velut antea abdicati. Ita visum est post *Budæum Cloppenburgio*, & ex parte *Witsio* in Miscellaneis Sacris Tom. II. p. 778. Illi scilicet Pater hac Christi exaltatione coram omnibus declarasse videtur, se ipsum pro Filio suo agnoscere, & honore, qui tanto nomine dignus sit, decoratum velle. Quæ ut in se vera sunt hactenus, & recte dicuntur, ita non existimo, vel vim verbi id inferre, vel S. Marci menti respondere. De vestigiis Christi in loco ascensionis ex Hist. Eccles. Scriptoribus disseruit *Nic. Christoph. Remlingius*, Vitemberg. 1685. 4.

Vers. 20. τῷ Κυρίῳ συνεργοῦντος) Vide *Gatacker.* ad Antonin. IX. 40.

τὸν λόγον βεβαιοῦντος) Eodem verbo in re simili utitur *Polybius* lib. XV. c. 11. Vide *Raphelium* p. 158.

IN

IN EVANGELIUM S. LUCÆ.

ΤΟ κατὰ Λουκᾶν Εὐαγγέλιον) Quid de inscriptione illa habendum sit, judicare licet ex illis, quæ ad titulum: Evangelium S. Matthæi, diximus. De nomine *Lucæ*, ejusque origine, varie a variis tradita, lege *Claud. Frassenii* Disquisitiones Biblicas p. 677. In quibusdam MSS. *Evangelium secundum Lucanum* inscribi testis est *Mabillonius* T. I. Musei Italici p. 111. Lucæ scribentis imago exstat apud *Lambecium* Comment. de Bibl. Vindobon. T. II. p. 571. Alia vero apud *Montfauconium* in Palæographia p. 21. Nec Medicum, nec pictorem fuisse, quod utrumque veterum nonnulli & plures recentiorum tradiderunt, existimat B. *Ittigius* in Histor. Ecclesiast. Sec. I. p. 476. Confer in hanc causam cognoscendam Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* Meletemata Annæbergensia p. 470. sqq. & Celeb. *Fabricii* Biblioth. Græc. lib. IV. c. V. p. 132. sq. itemque *Jo. Reiskium* p. 129. sq. de Imaginibus Jesu Christi. Hinc quoque existimari potest, quid de ἀλλατίῳ seu medicamento, Calligraphorum oculis accommodato, quod, tanquam a Luca profectum, apud *Montfauconium* l. c. p. 37. memoratur, habendum sit.

Paulum principalem Evangelii Lucæ auctorem esse, statuit Rev. *Pfaffius* in Dissert. de Variis Lectionibus N. T. adductis hanc in rem 2 Tim. IV. 11. & *Rom.* II. 16. Sed vide, quæ contra hæc recte monet *Jac. Bernardus* in Novis Reipubl. Literar. anni 1709. Julio p. 87. Ita veteres nonnulli Lucæ Evangelium indicari censent, quoties Paulus Evangelii sui facit mentionem, ut *Rom.* II. 16. *Galat.* I. 8. 2 *Tim.* II. 9. Vide loca eorum apud Cl. *Fabricium* in Codice Apocrypho N. T. p. 372. qui recte p. 373. observat, Apostolum per Evangelium suum indicare doctrinam de Christo, quacunque ratione, sive prædicando, sive per literas a se traditam, secundum Gal. I. 11. τὸ εὐαγγέλιον εὐαγγελισθὲν ὑπ' ἐμοῦ, quemadmodum simili ratione scripta quælibet *Legis* nomine veniant, quod præceptis, a Deo per Mosen traditis, alioquin proprium est. Itaque nec Grotii conjectura opus est, quam ad *Luc.* XXI. 34. formavit ex eo, quod Paulus iisdem sæpe verbis, quibus Lucas, usus esse deprehendatur. Hinc enim credibile ipsi videtur, Paulum græce descriptos habuisse quosdam Domini sermones, quos Lucas libro suo inseruerit. Certe nec Lucas nec Paulus in scriptis suis ad commentarios, aliunde acceptos, provocant, sed ille quidem ad sermones testium αὐτοπτῶν c. I. v. 2. hic vero ad relationem a Christo ipso ἀμέσως factam 1 *Cor.* XI. 23. Propius vero ratio convenientiæ, quæ inter phrases Pauli & Lucæ intercedere ipsi visa est, ex θεοπνευστίᾳ, ubique ab eodem Spiritu facta, repetitur.

De tempore scripti hujus Evangelii lege citatos a *Fabricio* l. c. p. 134. & inprimis *Richard. Simonem* in Histor. Critica N. T. lib. I. p. 124. Nonnulli *Lucam* primum omnium scripsisse arbitrantur, non aspernandis, judice *Alex. More*

Moro in Notis ad N. T. p. 6. rationibus ducti. Neque enim Lucas tali proœmio uſurus, aut de iis, quotquot ante ipſum ſcripſerunt, tam incurioſe locutus fuiſſe ipſis videtur, ſi tum exſtitiſſet, quale nunc habemus, non *Marci* modo, ſed & *Matthæi* Evangelium. Sed huic rationi parum roboris ſubeſſe, vel ex eo intelligitur, quod alii iisdem Lucæ verbis pro contraria ſententia utuntur. Confer inprimis Grotium, qui præterea recte provocat ad perpetuum quatuor Evangeliorum ordinem, ita, ut nunc eſt, in Codd. omnibus comparatum, tum vero ad conſtantem antiquitatis Eccleſiaſticæ conſenſum, quem poſteriorem tantum apud ſe valere juſſit *Morus* l. c. ut iſtam conjecturam ſuam fere abjeciſſe videatur. Eandem tamen ſententiam adſtruere annititur *Sam. Basnage* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 372. ſeqq. Paulo adhuc vivente ſcriptum eſſe Lucæ Evangelium, contendit *Henricus Morus* in Opp. Theol. p. 279. Alexandriæ in literas relatum vult *Jo. Erneſtus Grabe* Tom. I. Spicilegii Patrum p. 33. Ita ſcilicet tradidit quoque Interpres Syrus, in quo tamen per Alexandriam *Troadem* intelligendam eſſe, credit *Petitus* Var. Lect. lib. I. c. XII. Lege ad hanc cauſam *Jo. Haſæi* obſervationem, quæ exſtat in Hiſtoria Critica Reip. Literar. Tom. XII. p. 47. ſqq. ubi Interpretem Arabem & Syrum in iis, quæ de loco ſcriptionis Evangelii tradiderunt, conciliare conatur.

Stylum Lucæ plerique omnes cum *Alex. Moro* in Notis ad N. T. p. 7. magis Græcum eſſe cenſuerunt. Itaque mirum eſt, *Jo. Vorſtium* in Philologia Sacra de Hebraiſmorum copia cogitare hic potuiſſe. Iſti proinde ſe oppoſuit recte B. *Jo. Henr. Majus* in Examine Hiſtor. Criticæ N. T. p. 375. Adde quoque *Rich. Simonem* in Hiſt. Crit. lib. I. p. 331. & in Diſſertat. de MSS. N. T. p. 56. quæ in calce lib. III. Hiſt. Critic. exſtat. Quæ Matthæus ἐσχηματισμένως dicat, ea Lucam plane reddere ſolere, judicat *Alex. Morus* in Comment. ad Jeſ. LIII. p. 128. Marcionitas ſolum Lucæ Evangelium, ſed idem miris modis depravatum, & interpolatum ad errores ſuos palliandos, recepiſſe, veteres Doctores Eccleſiæ teſtantur. Eos vide appellatos a Cl. *Fabricio* in Codice Apocrypho N. T. p. 372. Duo prima capita nominatim a *Marcione* reſecta fuiſſe conſtat. Lege huc *Millium* in Prolegomenis §. 310. Eorum γνησιότητα contra *Jo. Bodinum* adſtruit *Huetius* in Demonſtrat. Evangel. p. 776. ſq.

Cetera, quæ huc referri poterant, legi malim apud alios, qui ex inſtituto de Scriptoribus Sacris commentati ſunt. Iis adde *Jo. Henr. Majum*, contra Rich. Simonem diſputantem, in Examine Hiſt. Criticæ c. 12. *Fabricium* Bibl. Græc. lib. IV. p. 134. ſq. *Ughellum* in Italia Sacra Tom. VI. p. 1107. *Combefiſium* in Auctario Noviſſimo & *Jo. Abrah. Kæhleri* S. Lucam Evangeliſtam diſſertatione hiſtorica deſcriptum, Lipſ. 1698. 4. Is inter cetera cum Origene ſtatuit, *Lucium*, de quo *Rom.* XVI. 21. mentio eſt, a S. Luca non eſſe diſtinctum. Idem arte Medicum, non autem pictorem fuiſſe contendit.

Evangelium Lucæ loco Apologiæ, pro veritate Religionis Christianæ scriptæ, habendum esse, post *Burmannum* p. 260. Harmoniæ Evangelicæ arbitratur Cl. *Heumannus* in Biblioth. Bremensi Class. IV. p. 501. sq.

Notas in totum Lucæ Evangelium, ex collatis cum Græco, Syriaca & Neo-Græca versionibus natas, leges, si placet, im Heb. Opfer Tom. II. p. 425. sqq.

CAP. I.

Quæ *Lacerda* in Adversariis cap. LXXVIII. p. 108. sq. ad hoc caput illustrandum affert, ea potissimum ad lucem, Vulgato Interpreti affundendam, spectant.

Vers. 1. πολλοὶ) Per πολλοὺς alii *Matthæum*, *Marcum*, & alios quosdam fideles, narrationem de Jesu Christo ingressos, indicari putant. Ita post *Grotium* in Notis ad h. l. plerique omnes interpretes. Alii pios homines & plenos fidei, sed non plena rerum tantarum notitia imbutos, significari opinantur, inter quos est *Alex. Morus* in Notis ad N. T. p. 59. Inter hos vero nonnulli speciatim cogitant de auctoribus Evangeliorum *secundum Hebræos*, & *secundum Ægyptios*. Huc tendunt *Grabius* in Spicilegio Patrum Sec. I. p. 31. sqq. & *Jo. Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 35. Aliis ad apocrypha Evangelia alia, dubiis vel falsis narrationibus hinc inde deturpata, respexisse Lucas videtur. Inter hos sunt *Huetius* in Demonstrat. Evangelica Propos. I. num. XVI. & Trillerus in der Untersuchung etlicher Oerter des Neuen Testaments p. 99. Et talia quidem Evangelia numero plura fuisse, Origenes jam sua ætate testatus est in limine commentarii sui in Lucam, cujus locum repetit *Valesius* ad Eusebium p. 126. a. Indicem illorum accurata industria confectum habes in Cl. *Fabricii* Codice Apocrypho N. T. p. 335. sqq. Sed dubium tamen omnino est, nisi penitus falsum, Lucæ ætate ejusmodi Evangelia, qualia hodie ab hæreticis scripta vel memorantur, vel circumferuntur, exstitisse. Itaque alii ad ista respectum habitum fuisse negant, inter quos sunt *Samuel* & *Jacob Basnagii*, ille quidem in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 370. hic vero in histor. Ecclesiast. Seculi I. Sed iidem tamen iterum & a se invicem dissident, quando prior Matthæum & Marcum a Luca, quippe qui primus scripserit, inter τοὺς πολλοὺς computari negat, quod posterior rectius adstruit & confirmat, existimans, præter Matthæum & Marcum Christianos quosdam fideles hic indicari, qui istam scriptionis operam in se suscepérint. Atque in hac sententia tuto acquiescere nos posse existimo. Neque obstat verbum ἐπεχείρησαν, quod objicit Basnagius, tanquam tale, quo labor imperfectior cum animadversione quadam indicetur. De notione enim verbi hujus aliter judicandum esse mox patebit. Vicissim ex serie verborum Lucæ manifestum est, divinum Scriptorem

ptorem illas τῶν πολλῶν commentationes approbare, quia eas ait esse institutas περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων i. e. *de rebus, quarum plena sibi fides facta sit,* per eos scilicet, qui ipsi rebus præsentes interfuerint, & ore eas propagarint. Præterea se cum iisdem comparat, hæc addens verba: ἔδοξε κἀμοὶ, *visum est & mihi* &c. Quod facturus certe non erat, si ipsi de ejusmodi Scriptoribus sermo fuisset, quorum vel credulitas nimia, vel mala fides, vel negligentia erroribus quibusdam viam feciſſet.

ἐπεχείρησαν) i. e. *aggressi sunt.* Verbum hoc etiam de studio, feliciter in re aliqua collocato, a Græcis Scriptoribus, *Platone, Isocrate* &c. usurpari, jam *Grotius* ad h. l. observavit. Idem adstruit *Alex. Morus* in Notis p. 59. productis ex Philosophumenis, quæ Origeni falso inscribuntur, variis locis, in quibus τὸ ἐπιχειρεῖν de institutis laude dignis & præclare tractatis usurpatur. Respondet itaque penitus Latinorum verbo *aggredi*, cui eandem notionem optimi Latinitatis scriptores vindicant. Atque hoc tenendum est contra eos, quibus reprehensionis notam huic verbo inesse præter rem persuasum fuit, quos paulo ante subindicavimus. Iis adde *Rich. Simonem* in notis ad Versionem Gallic. & in Histor. Critica N. T. (qui tamen & ipse non inficiatur, vocabulum hoc μέσον esse, quod in bonam & malam partem capi possit) cujus argumenta sub examen revocat *Anton. Coulan* in Examine Historiæ ejus Criticæ p. 319. sqq. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. variis veterum locis evincit, τὸ ἐπιχειρεῖν de studio nunc affecto nunc effecto usurpari, illudque scite confert cum Germanico nostro Hand anlegen. Loci præcipui sunt *Hippocratis* initio libri de Vet. Med. ὁκόσοι ἐπεχείρησαν περὶ Ἰητρικῆς λέγειν ἢ γράφειν, & *Diodori Siculi* in præfat. ad Biblioth. Histor. quos binos attulit quoque, ut ipse monet, Cl. *Fabricius* Biblioth. Græc. lib. IV. c. 5. p. 134. Atque illi quidem de studio pleno & absoluto capiendi sunt. At idem *Hippocrates* lib. I. de Victus ratione & de Vet. Medic. §. 3. eodem verbo utitur de conatu tantum.

ἐπεχείρησαν ἀνατάξασθαι) i. e. ἀνετάξαντο, ut Lucas noster *Act.* I. 1. ἤρξατο ποιεῖν i. e. ἐποίησε. Ita non inepte ad h. l. *Casaubonus*, quem probat Rev. *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 158. qui huc *Polybii* quædam loca affert ex libri III. limine & ex lib. II. c. 37. γράφειν ἐπιχειρήκαμεν i. e. *scribere suscepimus* aut *aggressi sumus*, vel potius simpliciter: scripsimus. Monet idem eadem opera, τὸ ἐπιχειρεῖν tripliciter dici 1) de conatu sine effectu, ut *Actor.* IX. 29. 2) de conatu cum effectu, apud *Polybium* & 2 *Maccab.* II. 29. 3) de effectu sine respectu ad conatum, ut hoc Lucæ loco, & *Act.* XIX. 13. Pro ἀνατάξασθαι Polybium observat adhibere nunc συντάσσειν, nunc ἀναγράφειν, nunc συγγράφειν, neque τὸ ἀνὰ eo sensu in verbis his compositis capiendum esse, quasi ab aliis tradita scribendo repetantur.

διήγησιν πραγμάτων) *Polybius* eodem sensu ἐξήγησιν πραγμάτων memorat. Vide *Raphelium* l. c. p. 162.

πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων) *Vulg.* vertit, ac si in Græco esset πληρωμένων, quod monet *Rich. Simon* in Notis. Afferemus *Jo. Pearsonii* notam ad *Ignatii*, eadem voce utentis, epistolam ad Smyrnæos p. 9. ita scribentis: *Licet autem πεπληροφορημένος nihil aliud significet, ut videtur, quam πεπληρωμένος, hic tamen aliquid ulterius significat, ut ex adjunctis patet εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν. Et ejus significatio omnino petenda est a Luc. I. 1. in quem locum homilia ex interpretatione Hieronymi: Effectum suum Lucas indicat ex sermone, quo ait, in nobis manifestissime sunt ostensæ, i. e. πεπληροφορημένων, quod uno verbo Latinus sermo non explicat. Certa enim fide & ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat, utrum ita esset, an aliter.* Ita ille. Sensus itaque est, *rerum illarum ut vere gestarum.* In eandem sententiam lege *Suiceri* Thesaur. Eccles. Tom. II. p. 753. Atque id malim, quam cum *Millio* in Prolegomenis §. 36. ita vertere: *de rebus apud primos fidei professores a Christo impletis sive gestis.*

Vers. 2. καθὼς παρέδοσαν) Eodem argumento fidem historiæ suæ facit *Polybius* aliquoties, quod observavit *Raphelius* in Notis Polybianis p. 162. Verbum παραδιδόναι cum *Dodwello* in lib. de Separatione Ecclesiarum p. 339. a sacris gentium repetit *Pet. Zornius* in Opuscul. Sacr. p. 312. quod rectius ex consueta Hebræorum phrasi derives.

αὐτόπται) Eadem voce subinde utitur *Polybius.* Vide eundem *Raphelium* p. 162. Solent quoque Scriptores ad fidem faciendam provocare ad αὐτοψίαν & αὐτόπτας, ut *Æschylus* in VII. ad Theb. v. 41. *Pedanius Dioscorides* in procœmio ad libb. de Hyle latrica & *Hippocrat.* in calce libri de Arte. Quæ loca huc affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. qui idem & *Barthium* Adversar. XXV. 12. p. 1240. videri jubet. Ex ea αὐτοψίᾳ *Millius* l. c. argumentum peti posse censuit, quo constet, inter πολλούς, a Luca memoratos, non numerandum esse Matthæum, quippe qui ipse fuerit αὐτόπτης, adeoque ex αὐτοπτῶν narratione non pependerit, quod de illis πολλοῖς affirmetur. Sed mihi quidem nihil aliud hic indicari videtur, quam ea, quæ huc usque scripta exstent, respondere testimoniis & narrationibus eorum, qui ipsi res gestas viderint, sive a talibus profecta sint, qui præsentes fuerint, ut Matthæus, sive ab aliis. Et quemadmodum Lucas, ad illam αὐτοπτῶν narrationem provocans, eam non constituit Evangelii sui fontem, exclusa divina inspiratione, ita Matthæus quoque, quamvis αὐτόπτης, scripsisse sua hic dici potuit, etiamsi aliorum testimonio non egeret, ea scilicet in literas referens, quæ ab aliis fide dignis aliter narrari non poterant.

ὑπηρέται τοῦ λόγου) λόγος hic vel *verbum Evangelii* denotat, ab iis, quos Lucas innuit, prædicatum, vel *verbum substantiale*, i. e. Christum, tanquam primarium Evangelii argumentum. Prius hoc loco intelligunt Interpretes plerique omnes, ad quos etiam pertinet *Martianæus* in Conatibus gallice editis, p. 219. Posterius malunt ex nostratibus B. *Calovius* in Bibl. Illustr. ad h. l. *Trillerus* in Untersuchung etlicher Oerter N. Test. p. 193. & *Amelius*

Part.

Part. I. p. 1062. *Witſii* potiſſimum argumentis uſus. Ex Reformatis *Witſius* Exercitatt. Academicis p. 203. & in Miſcellaneis Tom. II. Exerc. II. p. 114. ut & *Marckius* in Exercitatt. Biblic. p. 797. ante hos *Gomarus*, *Camero* ac *Lud. Cappellus*. Repugnat quidem *Joh. Ehrenfried Pfeifferus* in ſuis ad Trillerum animadverſionibus p. 8. Sed, quamvis utraque interpretatio locum tueri ſatis poſſit, poſterior tamen ſe magis probaverit conſideranti, primos illos, de quibus hic Lucæ ſermo eſt, hic non ſolum ὑπηρέτας, ſed etiam αὐτόπτας ſeu *ſpectatores* vocari τῦ λόγυ, qui dici non poterant, niſi de Chriſto intelligas, quem a ſe tanquam λόγον τῆς ζωῆς viſum eſſe eadem phraſi teſtatur *Johannes* 1 Epiſt. I. v. 1. Neque de *rebus* hic cogitari poteſt, in Evangelio ſeu λόγῳ memoratis, quia πραγμάτων ſeu *rerum* Lucas jam fecerat mentionem, & quia non λόγυς hic in plurium, ſed λόγον in ſingulari numero idem appellat. Abſit vero, ut Johanni propriam cum Grotio putemus iſtam Chriſti, tanquam λόγυ, appellationem. Nam idem Lucas *Act.* XX. 32. Chriſtum λόγον τῆς χάριτος vocat, ut Paulum taceamus, quem plerique per λόγον τῦ Θεῦ ζῶντα *Hebr.* IV. 12. ad Chriſtum reſpicere exiſtimant. Vide quæ ad illa loca inpoſterum dicemus.

Verſ. 3. ἔδοξε κἀμοὶ) Interpres *Gothus* addit *& Spiritui S.* quaſi in Græco legiſſet καὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ. Sed hæc ad imitationem *Act.* XV. 28. addita eſſe recte obſervat *Mareſchallus* ad Verſ. Gothic. p. 443. conſentientem nactus *Colomeſium* Obſſ. Sacr. p. 20.

παρηκολουθηκότι) De verbi hujus notione vix quisquam diligentius egit, quam Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 163. ſqq. qui idoneis veterum locis oſtendit, tria potiſſimum per illud denotari, nempe 1) *multum cum aliquo verſari.* 2) *intereſſe alicui rei, & in ea verſari:* tum vero 3) *mente atque intelligentia conſequi:* ac tertium ſignificatum huic loco potiſſimum convenire cum *Budæo* in Commentariis p. 930. arbitratur, ut ſenſus ſit, Lucam accurate didiciſſe omnia & cognoviſſe, quæ huc pertinerent. Conf. ejusdem *Budæi* ad Eraſmum epiſtolam, quæ exſtat Tom. III. Opp. Eraſmi p. 248. Eandem ſignificationem aliis Auctorum locis adſtruit *Gatackerus* ad Antoninum lib. II. p. 61. item p. 75. a. & 188. b. Adde *Hombergii* Parerga p. 113.

ἄνωθεν) *alte repetendo*, ita Beza. Sic *Cicero* dicit *alte & a capite* lib. I. de Legibus. Confer Cl. *Fabricium* in Notis ad Sext. Empiricum p. 500. & *Raphelii* Not. Polyb. p. 168. *Hombergius* l. c. mavult *ab origine*, & conferri vult *Act.* XXVI. 5. & *Gal.* IV. 9. Sed vel nulla vel legis, meo judicio, hic pugna eſt. Interim malim prius, & prætulerim omnino illorum explicationi, qui τὸ ἄνωθεν hic per *cœlitus* vel *ſuperne* ex *Joh.* III. 3. 21. & *Jac.* I. 17. interpretantur. Inter hos ſunt Auctores des Hebr-Opfers Tom. II. p. 433. Sed lege in contrariam ſententiam B. *Calovium* in Bibliis Illuſtrat. adverſus *Gomarum*. Confer etiam B. *Jo. Henr. Maji* Diſſert. Selectas I. p. 23.

ακριβῶς) De diligentia Lucæ in ſcribendo vocem hanc interpretatur *Schottus* in Adagialibus N. T. p. 70.

καθεξῆς) i. e. *ordine* vel *deinceps, posteà.* Prius malunt plerique, qui Lucam innuere censent, se omnia eo ordine, quo gesta sint, enarraturum. Ita *Guil. Whistonus* in limine Harmoniæ Evangelicæ, & ex nostratibus *Jo. Wandalinus* in Diatribe adversus *Wilh. Langium* c. II. p 250. Syntagmatis Dissertationum Græviani, ad Actor. XI. 4. provocans. Pro posteriori tamen significatu pugnat B. *Gottfridus Olearius* in Obss. ad Matthæum p. 11. contendens, respici hic eos, qui primi scripserint, post quos, adeoque καθεξῆς, se scribere profiteatur Evangelista. *Certe* καθεξῆς (ita pergit) *&* ἐφεξῆς *deinceps notat, ut observatum Budæo, & apud ipsum Evangelistam Lucam* οἱ προφῆται τῶν καθεξῆς, *subintellige* χρόνων i. e. *deinceps secutorum temporum dicuntur Act.* III. 24. Utrumque significatum voci huic competere, nemo negaverit. Priorem vero, qui ad narrationis seriem refertur, magis quadrare largietur forte, qui pependerit, Lucam hic alloqui Theophilum, & dicere: καθεξῆς σοι γράψαι. Huic vero non tam exponendum erat, quod post ceteros illos scribat, quam potius, qua ratione in scriptione sua sit versaturus.

κράτιστε) *Optime:* ita Vulg. quem tuetur *Jac. Hasæus* in Biblioth. Bremensi Class. IV. p. 347. sq. ubi eadem opera de tota tituli hujus ratione commentatur, & Bezam deserit, qui per *præstantissimum* maluit convertere. Latinissimum præterea in hoc titulo idem agnoscit. Antequam enim Græci a Romanis subjugati essent, eorumque lingua in rebus Juridicis & honorum titulis haud Romana lingua permixta esset, vocem κράτιστος pro Viri *Illustris* titulo usurpatam esse, negat, Augusteo vero sæculo & deinceps, h. e. Græcis dudum a Romanis subjugatis, eam admodum frequentatam fuisse affirmat, idque ad imitationem Latinorum, qui viris illustribus *optimorum* nomen dare consuevissent. Confer de illa Græcæ Linguæ ad Latinam accommodatione *Casaubonum* adversus Baronium Exercit. IX. Sect. 3. Monet idem recte, titulum hunc proprium fuisse virorum principum & Magistratuum eminentiorum. Atque hoc variis veterum locis ex utraque lingua confirmat Cl. *Heumannus* in eadem Bibl. Bremensi Class. IV. p. 492. sq. At idem tamen negat h. l. per *optimum* verti debere, cum vox ipsa ratione originis suæ, quæ a κράτος i. e. *potestas* repetenda est, eminentiam & principatum inferat. Cum *Gallica* itaque & *Anglicana* versionibus, *virum excellentissimum* hic Theophilum dicendum esse contendit. Mihi quidem dubium adhuc videtur, utra interpretatio alteri sit præferenda. Nam Cl. *Heumannus* p. 493. non negat, vocem κράτιστος passim etiam in amoris testandi argumentum adhiberi, atque adeo commode per *optimus* verti posse. Cum itaque nondum aliunde, quam ex ipso illo titulo κράτιστος, qui Magistratibus conferri consuevit, constet, Theophilum hunc magistratum gessisse, æque in proclivi est, statuere, Lucam κράτιστον dixisse Theophilum ad significandum amorem in eum suum, (unde & *Rich. Simon* in Notis ad vers. Gall. contendit, optime verti per *très bon* vel *très vertueux*) quam cultum, quo in dignitatem ejus feratur,

ratur. Atque id non parum confirmari videtur ex eo, quod *Act.* I. 1. ſimpliciter, omiſſo illo elogio, eum alloquitur: ὦ Θεόφιλε, quod vix facturus erat, ſiquidem is vel in eminenti ejusmodi dignitate conſtitutus adhuc eſſet, vel olim fuiſſet. Sed iſta quidem tanti non ſunt, ut diutius in his hæreamus. Confer tamen, quæ Viri docti, *Haſæus* uterque & *Heumannus*, locis mox citandis de hac cauſa diſputarunt.

Θεόφιλε) Ampla eſt de nomine Theophili inter eruditos diſputatio, utrum pro nomine appellativo, an proprio habendum ſit, ut cetera taceam, quæ circumſtant. Diligenter de his commentati ſunt C. A. *Heumannus* in Biblioth. Bremenſi p. 483. ſqq. *Theod. Haſæus* ibidem p. 506. ſqq. & *Jac. Haſæus* p. 1049. ſqq. Illi optimas hic partes elegiſſe mihi videntur, qui Theophili nomen pro proprio habent, quod geſſerit vir, Lucæ familiaris, & Chriſtianorum ſacris addictus. Si enim nomen vel appellativum vel fictum fuiſſet, non additurus Lucas erat elogium κράτιστος, nec nomen ipſum duobus in locis repetiturus. Taceo, Theophili nomen frequentiſſimum ea ætate fuiſſe, quod patet ex Indicibus, quos hanc in rem ex utraque antiquitate concinnarunt *J. A. Fabricius* in Biblioth. Græca lib. IV. c. I. p. 94. ſqq. & ceteri, quos modo laudavi. In eodem argumento inpoſterum amplius verſabitur Cl. *Gottlieb Schelgvigius* in Commentatione, quam ad Theophilorum hiſtoriam illuſtrandam pridem parat, quemadmodum idem de Theophilo, hic memorato, diligenter commentatus eſt in ſingulari Diſſertat. *Gedani* 1711. habita. Non omittendæ quoque ſunt *Jo. Gottlob Stoltzii* Vindiciæ Theophili Evangelici, *Witteb.* 1693. editæ & in Theſauro Diſputatt. Vol. II. p. 282. ſqq. recuſæ. Atque is quidem pro nomine proprio habet hominis non privati, ſed publico munere fungentis, ac ſimul cauſas affert, cur Lucas illi Evangelium ſuum inſcripſiſſe videatur. Vide etiam B. *Jo. Adami Oſiandri* Diſput. de Theophilo κρατίστῳ, *Tubingæ* 1659.

Verſ. 4. Ἵνα ἐπίγνως περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν) Verba hæc eruditi tantum non omnes ita interpretati ſunt, ut Theophilum Chriſtianis ſacris addictum fuiſſe vel hinc pateret. Et recte quidem, ſi voces ipſæ recte æſtimentur. Lucas enim iis ſatis aperit conſilium ſcriptionis ſuæ, nempe, ut *pleniſſima cognitione* Theophilus *adſequatur veritatem earum rerum, quas vel a Luca ipſo, vel ab alio doctrinæ Chriſtianæ interprete ſermone acceperat.* Adde *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 70. & 744. Obvertit quidem nonnulla Cl. *Heumannus* l. c. p. 502. ſq. Theophilum Gentilem fuiſſe opinatus, quibus tamen factum ſatis eſt ab *Haſæis* ll. cc. ut hoc labore ſuperſedere nunc poſſimus. Verbum κατηχεῖν hic non de nuda inauditione, aut incerto quodam rumore, accipi poſſe, quod poſt *Alex. Morum* p. 60. exiſtimat *Heumannus*, tum communior verbi hujus uſus, qui fundamentalem inſtitutionem infert, tum locus *Actor.* XVIII. 25. parallelus, tum denique τὸ ἐπιγινώσκειν, quod hic exſtat, & confirmationem atque incrementum ſcientiæ ante hauſtæ infert, evincere mihi

mihi omnino videntur. De verbo κατηχεῖν lege *Salmaſium* de Lingua Helleniſt. p. 103. & *Suiceri* Theſ. Eccleſ.

Verſ. 5-8. illuſtrantur ab *Hermanno Deuſingio* in Allegoria Hiſtoriarum Evangelico-Prophetic. p. 1-135. Ea, quæ Zachariæ hiſtoriam ſpectant, exponit *Witſius* in Miſcellan. Tom. II. p. 478.

Verſ. 5-7. quod ad dictionem examinat *Moſes Solanus* in Diſſert. de Stylo N. T. Pfochenio oppoſita, quæ exſtat in Syntagmate Diſſertationum de Stylo N. T. Rhenferdiano p. 286. ſq. Ita vero examinat, ut apparere poſſit, phraſes iſtas ad Hebraiſmum accedere.

Verſ. 5. Illuſtrat M. *Mitternacht* programmate ſingulari, quod recuſum eſt in *Ternii* Sylloge Programmatum p. 453. ſq.

ἱερεύς τις) Pontificem fuiſſe Zachariam veterum nonnulli tradiderunt. Sed, ſi is fuiſſet, ἀρχιερέα eum dicturus erat Lucas, ut cap. III. 2. & *Act.* IV. 6. Taceo alia argumenta in hanc ſententiam, quæ urget *Witſius* in Miſcellaneis Tom. I. p. 284. qui & p. 285. oſtendit, eum nec vicarium Pontificis fuiſſe. Confer *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 545. *Seldenum* de Anno Chriſti natali p. 47. ſqq. *Joh. Buxtorfium* in Catalectis p. 245. M. *Jo. Henr. Rus* in Diſſert. ſingulari, *Jenæ* 1708. de hoc argumento habita & B. *Jo. Frid. Mayeri* Eclogam Evangel. ad Feſtum Johannis Bapt. quæſt. I.

ὀνόματι Ζαχαρίας) Lege de eo varia apud *Witſium* l. c. & Tom. II. Miſcellaneorum Exercit. XV. p. 472. ſqq. & apud *Bartoloccium* Tom. II. Biblioth. Rabbin. p. 815. ſq. qui in eo quidem maximopere falſus eſt, quod eundem eſſe putat cum eo, quem Salvator a Judæis occiſum tradit *Matth.* XXIII. ad quem locum vide quæ diximus. Adde quos de noſtro, & aliis ipſi ὁμωνύμοις, in N. T. memoratis, affert Cl. *Jo. Möllerus* in Homonymoſcopia Sect. II. cap. I. p. 212. ſqq.

ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά) De voce ἐφημερία lege *Mareſchallum* ad Verſion. Gothicam p. 443. Interpres Gothus reddit: *ex diebus miniſterii Abiæ*: cum quo conſonat *Heſychii* gloſſa: ἐφημερία, ἡ τῆς ἡμέρας λειτουργία. Conf. 2 *Paralip.* XXXI. 16. Ad vocem ἐφημερία *Lamb. Bos* ſubintelligi volebat vocem διάταξις, vel λειτουργία i. e. *miniſterium*, de Ellipſi Gr. L. p. 29. edit. primæ. Sed hæc obſervatio in ſequentibus editionibus omiſſa eſt. Ephemerias has ſeu *claſſes* cum Græcorum diſtributione totius Atticæ in decem tribus confert poſt *Scaligerum* de Emendat. Temporum lib. I. p. 25. & 60. *Lud. Cappellus* ad h. l. & ex eo *Witſius* Tom. II. Miſcellan. p. 477. qui ſpeciatim monet, ἐφημερίαν proprie *diurnum miniſterium* inferre, hoc vero functionem hebdomadis circulo definitam, & ipſam familiam ſeu claſſem Sacerdotum denotare. Confer ad v. 23. De Ephemeriis his expoſuit præterea *Paul Slevogtus*, Jen. 1649.

&

& B. *Jo. Henr. Majus*, Gieſſ. 1692. item B. *Chriſtoph. Sonntagius*, Altorf. 1691. 4. Quomodo quidam ex tempore, quo familia Abiæ in templo tunc miniſtravit, efficere voluerint, quod Chriſtus menſe Julio natus ſit, oſtendit *Seldenus* in die natali Chriſti p. 57. ſqq. qui tamen calculum & rationes eorum confutat. Auctor hujus obſervationis eſt *Scaliger* de Emendat. Temporum & in Canonibus Iſagogicis p. 297. quem ſequitur *Caſaubonus* in Exercitat. Anti-Baron. p. 111.

Ἀβιά) Claſſis ea ex Davidis inſtitutione octava erat. Vide 1 *Chron.* XXIV. 10. De nomine ipſo lege *Feſſelii* Adverſaria S. Tom. II. p. 365. Euthymium & Titum Boſtrenſem, Abiam Zachariæ æqualem comminiſcentes, falli, oſtendit *Poſſinus* in Spicilegio Evangel. p. 19.

ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρὼν) Per Hebraiſmum filiam Aaronis dici, quæ ex poſteris ejus fuit, recte obſervat *Vorſtius* in Philologia Sacra Part. II. p. 70. Quomodo Eliſabeth vel ſic cognata Mariæ fuerit, quam ex tribu Judæ & familia Davidis ortam novimus, oſtendit *Witſius* Tom. II. Miſcellan. p. 479.

Ἀαρὼν) De etymologia Aaronis & aliis huc pertinentibus lege *Jo. Conr. Dieterici* in Antiquitatibus N. T. p. 4–7. & *Feſſelium* Tom. II. Adverſar. Sacrorum p. 344.

Ἐλισάβετ) Origo nominis varia a variis redditur. Vide *Witſium* Miſcellan. Tom. II. p. 478.

Verſ. 6. ἦσαν δὲ δίκαιοι) De voce δίκαιος & ſequente proxime ἄμεμπτος ex LXX. Interpretibus potiſſimum differit ad h. l. *Keuchenius*: Adde *Witſium* p. 480. item *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 908.

ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) phraſis eſt Hebraica, quæ hic inprimis veritatem rei, de qua ſermo eſt, infert. Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 329. & *Hackſpanii* Notas p. 257. contra Pontificios, perfectionem piorum hinc adſtruere conantes, eadem opera diſputantis.

καὶ δικαιώμασι) δικαιώματα per inſtituta verterat *Caſtellio*, reprehenſus ideo a Beza, contra quem lege Vindicias ejus p. 437. Vocem hanc ad Leges *ceremoniales*, quemadmodum ἐντολὰς ad *morales* indicandas adhiberi, contendit *Hackſpanius* l. c. Adde in eandem ſententiam *Witſium* Miſcell. l. c. p. 483. Diverſas vocis notiones ex Novo Fœdere colligit & diſtinguit *Altingius* Tom. V. Opp. p. 363. in compendio vero differentem lege *Lockium* in Commentario ad Rom. II. 26. Vide, quæ ipſe ego annotavi ad Theophilum Antiochenum p. 326.

ἄμεμπτοι) i. e. viventes ſine querela eorum, quibuscum verſantur. Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 221.

Verſ. 7. ἦν στεῖρα) Deus ex Parentibus natura & ætate ſterilibus eos naſci ſubinde voluit, quos in eximios Meſſiæ, ex virgine prodituri, typos

deſtinaverat, nominatim *Iſaacum*, *Simſonem*, *Samuelem*. Vide *Witſium* l. c. pag. 485.

προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν) i. e. *provecti annis* ſeu *ætate*. Hebraiſmum hic recte agnoſcit *Vorſtius* in Philologia Sacra Part. I. p. 88. non quidem in voce προβεβηκὼς, quæ eodem ſenſu ab Auctoribus frequentatur, ſed in addito ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν, cui reſpondet Hebraica phraſis בָּאִים בַּיָּמִים *Geneſ.* XVIII. 11. Neque video, Viros doctos, *Hombergium* in Parergis p. 114. & *Raphelium* in Notis Polybianis & Xenophonteis ad h. l. quidquam attuliſſe, quod totam illam locutionem tanquam pure Græcam vindicet.

Verſ. 8. ἐν τῷ ἱερατεύειν αὐτὸν) De iſta præpoſitionis ἐν notione hebraizante lege *Vorſtium* Part. II. Philolog. Sacr. p. 143.

Verſ. 9. ἔλαχε τῷ θυμιάσαι) Scilicet quater ſingulis diebus in conclavi *Gazith* ſortes ducebantur inter Sacerdotes, ut unusquisque munere illo, ad quod ſorte, ſive χειροτονίᾳ, deſignatus erat, fungeretur. Vide quæ huc ex tabulis Talmudicis affert *Relandus* in Antiquitat. Hebr. p. 193. Ex hac ſortitione Zachariæ eo die obtingebat munus adolendi ſuffitus. Itaque abſit, ut hic cum Eraſmo & aliis nonnullis cogitemus de ſuffitu annuo, quo Pontifex Maximus defungi ſolebat. Eos confutatos dedit *Witſius* l. c. p. 485.

Verſ. 10. προσευχόμενον) Interpres *Gothus* ita vertit, ac ſi legiſſet προσδεχόμενον, obſervante *Mareſchallo* p. 443. qui tamen lectionem iſtam recte pro mendoſa, & forte ex v. 21. nata reputat.

ἔξω) extra atrium, Sacerdotum ſcilicet, ut ſilentio proſpiceretur, quo tempore ſuffitus adolendi opus erat. Vide *Braunii* Selecta Sacra p. 175. & Rev. *Deylingium* in Obſervatt. Sacris Part. III. p. 344. Altare duplex erat, alterum exterius, interius alterum, quod ad ſuffitum adhibebatur. De hoc poſteriori lege *Schilte Gibborim* fol. 30. b. & *Jac. Jehudam Leonem* de Templo Hieroſol. lib. III. c. 4. Conf. *Wagenſcilium* ad Sota p. 423.

Verſ. 11. ἐκ δεξιῶν) Id boni ominis ſignum habebatur etiam inter gentes. Huc ſpectat votum frequens: *Dexter ades*. Dextra ſcilicet virtutis & potentiæ, tum vero veritatis, fidei, fœderis & concordiæ ſignum erat. Lege huc *Stolbergium* in notis ad Sophoclis Ajacem p. 194. *Dougtæum* Analect. ad N. T. Excurſu LXXXIII. *Lydium* de re militari lib. VI. c. 1. & *Maſſonium* in Hiſtor. Critica Reip. Literar. Tom. I. p. 65. ſqq.

Verſ. 12. καὶ ἐταράχθη &c.) Cum totum hoc comma ab Interprete Æthiopico omiſſum ſit, *Millius*, absque conſenſu Codicum ſi foret, ſuſpicaturum ſe profitetur, illud ad exemplum verſus 29. effictum eſſe. Sed alieniſſima hæc eſt conjectura. Quo enim alioquin referretur cohortatio

Angeli-

Angeli v. 13. μὴ φοβοῦ Ζαχαρία, nisi ista timoris Zachariæ commemoratio facta fuisset? Confer *Whitbium* in Examine p. 44.

Vers. 13. Ad hoc & sequentia commata lege *Jo. Jac. Hottingeri* Dissert. de annunciatione conceptionis Johannis, Tiguri 1717. 4.

καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωάννην) De origine nominis hujus lege citatos a Cl. *Jo. Möllero* in Homonymoscopia p. 127. *Christoph. Landinus* in epist. ad Jo. Picum Mirandulanum p. 270. Operum hujus excusa, ita: *Joannes enim sive* ***Dei gratia, sive, in quo est gratia, sive, cui donatio a Deo facta est,*** *interpretatur.* *Witsius* Miscellaneorum Tom. II. p. 491. scite observat, ex collato v. 14. πολλοὶ χαρήσονται Charilaum ipsum dici posse. Idem ibidem commemorat eos, quorum nomina, omnia valde notabilia, ante ipsam nativitatem a Deo prædicta sint.

Vers. 15. καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ) Vox σίκερα procul dubio in Hebr. שכר, quod potum inebriantem quemcunque denotat, originem invenit, quam in rem confer *Possini* Spicilegium p. 146. & *Cheitomæum* de Vocibus Græco barbaris. Ex Patrum scriptis de hac voce commentatur *Suicerus* Tom. II. p. 958.

πλησθήσεται ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ) *Bos* p. 25. Exercitatt. contra Bezam observat, non esse hic τὸ ἔτι particulam αὐξήσεως, nec accipi debere pro *præterea*: nec cohærere cum τῷ πλησθήσεται, sed jungi debere cum vocula ἐκ, cui præposita est, ac denotare idem, quod *usque* vel *inde*. Cujus usus exempla affert ex profanis Scriptoribus. Idem monuerat *Jo. Boisius* in Collat. p. 155. Atque hinc simul patet, lectionem Interpretis *Gothi*, qui ita vertit, ac si legisset, ἐν τῇ κοιλίᾳ, nullam esse, nec temere admittendam, de quo jam monuit *Mareschallus* in Notis p. 444.

Vers. 16. ἐπιστρέψει) *Castellio* verterat per *reconciliabit*: quo nomine cum a *Beza* notatus esset, aliud amplexus est, nempe *convertet*. Vide Defensionem ejus p. 437.

Vers. 17. ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίᾳ) Paulina phrasi diceretur: ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως Ἠλίᾳ, vel ἐνδεδυμένος πνεῦμα καὶ δύναμιν Ἠλίᾳ, quod observat *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 27. Patrum sententias de his vocibus lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 1318.

ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα) i. e. *ut conciliet animos Parentum filiis*, atque adeo tollat dissidia, quæ ex diversitate Sectarum, inter Judæos vigentium, & ipsas quoque familias se parantium, oriri solebant. Sic non necesse est, ut cum *Knatchbullo* & *Lud. de Dieu* vertamus τὸ ἐπὶ per *cum*, ut sensus sit: *convertet juxta cum filiis.* Nunquam enim τὸ ἐπὶ, quarto casui junctum, hanc habet notionem, quod recte monuerunt *Bos* l. c. & *Hombergius*

p. 115. Nec admittit hanc versionem Hebræorum אל, quo utitur Malachias III. 24. qui hic citatur. Atque ibi οἱ LXX. habent πρός.

καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, ἑτοιμάσαι Κυρίῳ λαὸν) *Bos* l. c. a consuetâ interpunctione & interpretatione multum recedit. Tollit enim comma post vocem δικαίων, & pro eo, quod alii vertunt: *ad convertendum incredulos ad sapientiam vel prudentiam justorum hominum*, ipse mavult: *ut convertat corda parentum ad filios, & rebelles, suadendo justitiam, reddat Domino instructum populum.* Itaque vocem δικαίων non ad personas, sed ad *res*, i. e. τὰ δίκαια, scilicet πράγματα, seu *honesta & virtutes* refert, φρόνησιν non de *habitu* prudentiæ, sed *institutione* & *persuasione* ad eam, ac denique ἐν pro διὰ positum de *medio* aliquo interpretatur. Præivit ei ex parte *Knatchbullus*, qui itidem vertit: *ut infideles instruat in sapientia justorum, populum paratum Domino.* Sed mutatione hac interpunctionis non opus esse recte monuit *Hombergius* p. 115. Præterea vox φρόνησις nunquam transitive usurpatur de actu institutionis, sed habitum vel actum prudentiæ infert, quemadmodum nec φρονεῖν significat *suadere.* Quos enim eam in rem veterum locos attulit *Bosius* l. c. eos minime id probare evicit Cl. *Elsnerus* p. 171. Atque idem in ista interpretatione recte desideravit Cl. *Clericus* in Bibliotheca Selecta Parte XV. p. 351. & Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 169. qui tamen utrique concedunt, τὰ δίκαια hic in neutro genere pro rebus justis seu justitia accipi debere. *Elsnerus* itaque, sublato commate post δικαίων, ita vertit: *& rebelles* (i. e. fidem & obsequium negantes,) *per intelligentiam aut cognitionem justitiæ, seu ejus, quod jus ac justum habetur*, (scilicet apud Deum) *reddere Domino instructum populum*: nisi malis, quod & ipse monet: τὸ ἐν φρονήσει δικαίων referre ad vocem κατεσκευασμένον, ut indicetur populus cognitione justitiæ probe informatus. Proxime huc accedit *Jensius* in Ferculo Literario p. 31. cujus versio ita instructa est, sublata itidem distinctione: *ut convertat animos Parentum in liberos, & contumaces meditatione justitiæ præparet Domino populum bene ordinatum & compositum.* Mihi quidem illi rem optime instruere videntur, qui ita sententiam verborum exprimunt: *ut convertat animos Parentum ad filios, & infideles in sententiam hominum justorum, & sic præparet Domino populum recte comparatum.* Ita noviſſime Cl. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Select. ad Loca dubia N. T. p. 82. sic sententiam verborum exprimens: *ad convertendum corda Patrum ad filios* i. e. *& incredulos* sive inobedientes (filios) *ad prudentiam* (sanioremque mentem) *justorum* (sc. Patrum, ut ad eandem cum illis fidem perducantur. Confer *Witsii* Miscellanea Tom. II. p. 518. & *Roellium* in Commentario in principium epistolæ ad Ephesios §. 14.

Vers. 18. κατὰ τί γνώσομαι τοῦτο) i. e. *ex quo signo*, ut subintelligatur σημεῖον, quam ellipsin etiam apud *Lucianum* in Scytha p. 594. occurrere, observat *Bosius* in Exercitatt. p. 31.

Vers.

Vers. 19. Ἐγώ εἰμι Γαβριὴλ) *Gabriel* i. e. *Vir Dei*, ut plerique interpretantur, ut τὸ ʾ sit paragogicum, sicut in גבריצרק, rectius omnino, quam *Proclus CPolitanus* in homilia de nativitate Domini p. 65. qui vertit: *Deus & homo.* Etymologias ab aliis allatas affert & examinat *Bynæus* de Natali Jesu Christi p. 12. sqq. De Gabriele exstant *Honorati Nicqueti* libri II. Lugduni 1653. 8.

ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) i. e. *Dei servus sum.* Vide huc *Keuchenium.* Simili fere phrasi *Lucianus* Mercurium in dialogo περὶ Ἑρμοῦ καὶ μαίας ait, παρεστάναι τῷ Διΐ, quem locum annotavit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. 57.

Vers. 20. ἔσῃ σιωπῶν καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι) Veteres quidem ταυτολογίαν, quam cogitabant, hinc amoliturι, cum Theophylacto priorem phrasin vertunt: *surdus fies*, quos & *Grotius* secutus est. Sed contra hos recte observat *Bosius* p. 32. Exercitatt. τὸ σιωπᾶν nunquam nec Græce nec per Hebraismum hanc habere notionem: præterea vero non tam otiosam hic esse ejusdem rei repetitionem, quam emphaticam & elegantem, quales occurrant *Joh.* I. 20. & *Act.* XIII. 11. nec minus apud profanos. Accedit, quod v. 64. duplex phrasis adhibeatur ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ, καὶ ἡ γλῶσσα, quæ formula vaticinii hujus exacte respondet. Quid si dicamus, Angelum binis his phrasibus ideo uti, ut Zachariæ significet, non tantum imperari ipsi silentium, quam ita ipsi imponi, ut, si ipso defungi nollet, impotentia loquendi adigeretur? Ut itaque ex his phrasibus surditas Zachariæ non adstruitur, ita aliunde tamen eadem probari posse videtur. Lege dicenda ad v. 22.

ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας) i. e. *eo quod, propterea, quod non credidisti.* Ita *Lucas* XIX. 44. & *Act.* XII. 23. sicut & Auctores profani apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 83. qui & ostendit, nimis minutum & scrupulosum fuisse *Lightfootum*, quando in Harmonia N. T. ita hæc vertit: *usque in diem, quo hæc, pro quibus non credidisti verbis meis, impleantur.* Ceterum disputarunt hic veteres, cur Zacharias pœnam incredulitatis suæ dederit, Maria vero non item. Respondent iidem, id ideo factum, quod Zacharias multa feminarum, in senectute parturientium, exempla habuerit, v. c. *Saram, Rebeccam, Rahelem:* Mariam vero nullum exemplum virginis, quod secum comparare potuisset. Vide huc *Leonem Allatium* de libris Græcorum Ecclesiasticis.

εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν) pro ἐν τῷ καιρῷ ut *Polybius* lib. IV. c. 1. p. 375. apud *Raphelium* p. 170. Notarum Polybian. Adde & Xenophonteas p. 83.

Vers. 21. Καὶ ἦν ὁ λαὸς προσδοκῶν) i. e. προσέδοκα per elegantem periphrasin, Lucæ inprimis familiarem. Vide v. 10. 20. 22. & Act. X. 24. Sic & profani Scriptores ad *Elsnerum* p. 173.

καὶ ἐθαύμαζον ἐν τῷ χρονίζειν αὐτόν) Timebant quippe salutι ejus, verentes,

ut ſuffitum rite adminiſtrarit. Quam in rem ut comminationes divinæ, ita & exempla eorum, in quibus editæ erant, exſtabant. Lege hanc in rem *Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. III. p. 356. & *Braunii* Selecta Sacra lib. II. p. 177. ſqq.

Verſ. 22. ἐκ ἠδύνατο λαλῆσαι αὐτοῖς) Scilicet *per quod quis peccat, per idem punitur.* Vide *Merckii* Morgenröthe des Neuen Teſtaments p. 72. ſq. Simul vero edebatur ſignum finis, Sacerdotio Levitico imminentis, quia ſcilicet Judæi tunc recipere non poterant a Zacharia benedictionem Sacerdotalem. Vide eundem p. 76.

διέμενε κωφὸς) Vox κωφὸς in profanis æque ac Sacris Scriptoribus tum vero in LXX. & *mutum* & *ſurdum* indicat, & poſterior notio in ſacris frequentior eſt. Rationem repete ex *Jenſii* Ferculo Literario p. 32. qui tamen p. 34. quod ad Zachariam, an & ille hic *ſurdus* fuiſſe dicatur, nihil definit, quamvis probabilius id ſibi fieri profiteatur. Viciſſim *Witſius* l. c. p. 493. diſerte ſurditatem ejus affirmat: nec præter rem, quia ex v. 62. apparet, eos, qui ſignificare quicquam Zachariæ volebant, non ſermone, ſed nutu egiſſe. Quemadmodum itaque Zacharias mutus, nutu utens, edebat ſignum conditionis ſuæ, ita ex nutuum uſu, quos ceteri adhibebant, colligere fas eſt, eos de ſurditate Zachariæ certos fuiſſe.

Verſ. 23. ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι) De phraſeos hujus rationibus lege diligenter ex hoc & aliis locis differentem *Vorſtium* in Philolog. Sacra Part. I. p. 144.

ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ) Scilicet ſingula ephemeria ſtato tempore munus ſuum obibat per hebdomadem, a Sabbato initium faciens 2 Regg. X. 6. & 2 Chron. XXIII. 4. & unaquæque ephemeria, in ſex familias vel domos Patrum erat diſtributa, ſic ut ſingulæ ſuum diem haberent, quo ſacris operabantur, & Sabbato omnes ſimul. Vide huc *Relandum* in Antiquitatibus Hebr. p. 179.

εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ) Domicilia ſcilicet Hieroſolymis parata erant extra Templum illis, qui vices miniſterii obibant, quod affirmat Scriptor libri *Schilte Gibborim* f. 22. col. 3. & ex eo *Wagenſeilius* in Notis ad *Sota* p. 431. tantum abeſt, ut iidem & alii ejusmodi Templi Miniſtri in ipſo templo aut circa illud habitarint: quod viſum eſt *Caſaubono* in Exercitt. Anti-Baronianis p. 104.

Verſ. 26-38. Pericopen hanc diligenter & erudite illuſtrat *Bynæus* de Natali Jeſu Chriſti lib. I. c. I. p. 1-156.

Verſ. 26. Ἐν δὲ τῷ μηνὶ τῷ ἕκτῳ &c.) Vide huc omnino *Pet. Allixii* Diſſert. de Anno natali Chriſti p. 50. ſqq.

ἧ ὄνομα

ᾗ ὄνομα Ναζαρὲτ) Omittit hæc Codex *Cantabrig.* Bezæ per mendum librarii, quod oſtendit *Bynæus* l. c. p. 23. qui ibidem de diverſa nominis hujus ſcriptione diſſerit. Confer quæ ad Matth. II. allata ſunt.

Verſ. 27. πρὸς παρθένον μεμνηστευμένην) i. e. *deſponſatam, ſponſione promiſſam*, ut vertit Beza. Attice ita loqui Lucam, oſtendit ex veteribus Scriptoribus *Grævius* ad Luciani Solœciſtam, & hinc fuſius *Bynæus* l. c. p. 27. ſq.

ἐξ οἴκου Δαβὶδ) Verba hæc alii ad Mariam referri volunt, alii ad Joſephum. Ad priores ſpectat *Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. p. 411. ſqq. Utriusque ſententiæ patronos recenſet diligenter *Bynæus* p. 35. ſq. qui ſe poſterioribus, ad Joſephum hoc referri putantibus, jungit: recte omnino, quod tum ex ſtructura verborum, tum inprimis ex c. II. 4. διὰ τὸ εἶναι αὐτὸν ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς Δαβὶδ mihi perſuadeo.

Verſ. 28. Καὶ εἰσελθὼν ὁ ἄγγελος &c.) Quæ in hoc Angeli alloquio criminatur impie Scriptor libri *Chiſſuck Emuna*, ea diluit *Guſſetus* in Confutatione p. 393. Similia iis, quæ hic traduntur de nuncio Mariæ facto, in Alcorano inveniri obſervat *Levinus Warnerus* in Compendio rerum, quas Muhamedani de Chriſto habent, p. 4. ſq.

Χαῖρε κεχαριτωμένη) Vocem χαῖρε ex formula eadem Gentilium, in hymnis ad Deos paſſim occurrente, minus ut videtur, commode, h. l. illuſtrat *Ezech. Spanhemius* in Notis ad Callimachum p. 314. Lege etiam B. *Chriſtoph. Sonntagii* Digreſſiunculam de Chæretiſmo, Altorf. 1709. 4. De altera κεχαριτωμένη plures expoſuerunt, eo conſilio, ut oſtenderent, Mariam ita hic compellari, non quod ita *gratiæ plena* ſit, ut aliis eam impertiri poſſit, ſed quod *gratiam a Deo conſecuta ſit*, vel *gratia repleta* ſit. Vide huc *Caſaubonum* in Caſaubonianis p. 85. & quæ ibi ipſe dixi in Notis p. 286. *Jo. Arndium* in Miſcellaneis Sacris p. 35. & *Hackſpanium* in Notis p. 258. tum vero *Bynæum* de Natali J. C. p. 49. ſqq. & B. *Raithium* in Vindiciis Verſ. German. Lutheri p. 377. ſq. contra Emſerum diſputantem. Syrus vertit æque ut Vulgatus per: *gratiæ plena*, quam in rem confer *Hackſpanium* in Sylloge p. 385. Vulgatum vero non eo, quem Pontificii perperam ei affinxerunt, ſenſu, ſed iſto, de quo nos monuimus, interpretationem ſuam accipi velle, contendit *Boiſius* in Collatione p. 156. ſqq. approbatorem nactus *Rich. Simonem* in Hiſtor. Crit. lib. II. p. 302. Confer *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1504. Eadem Græca voce jam ante uſus eſt *Siracides* IX. 8. & XVIII 17. quod obſervavit *Druſius* XIII. 6. Obſervatt. & *Colomeſius* Obſervatt. Sacr. p. 72. Adde *Fabricium* ad Cod. Apocryphum N. T. Tom. I. p. 24. Ceterum *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 803. *Heinſium* caſtigat durius, eo quod Angelum hic per compellationem κεχαριτωμένη ad nomen חנה urbane & occulte alluſiſſe credidit.

εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ) Vide huc *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 5.

In

In fine verſus nonnulli Codices exhibent ſequentia: καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σε, præter rem, quod evincit *Bynæus* l.c. p. 71. ſqq.

Verſ. 29. ἡ δὲ ἰδοῦσα) *quæ cum audiſſet:* ita Vulg. at verſio Montenſis ad Græcum propius: *mais elle l'ayant veu*, quam adverſus Malletum defendit *Arnaldus* in Defenſione Nova lib. V. p. 387. Confer etiam *Rich. Simonem* in Obſervationibus Novis p. 354. ubi in cauſas verſionis Vulgatæ inquirit, & Memorias Trivultinas anni 1702. Majo p. 398. ed. Amſtelod. De Codd. quibusdam, qui mendoſe legunt ἀκούσασα, inſpice *Bynæum* p. 72. ſq.

διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ αὐτοῦ) *Heinſius* vertit: *quod vidiſſet ipſum*, & λόγον per Hebraiſmum hic docet denotare rem ipſam, ſive apparitionem Angeli. Sed recte monet *Boſius* p. 33. Exercitatt. neminem unquam λόγον ἀνθρώπου vel ἀγγέλου de homine ipſo vel Angelo ejusque apparitione dixiſſe: λόγον itaque hic rectius ad ſermonem ſalutationis referri. Adde in eandem ſententiam *Bynæum* p. 75.

ποταπὸς) i.e. ποῖος, *qualis*, ut obſervavit *Scaliger* ad Manilium p. 51. probante *Boiſio* in Collat. ad h. l. p. 161. quem & compara ad *Matth.* VIII. 27.

Verſ. 31. συλλήψῃ ἐν γαστρὶ) Vide huc *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtol. p. 128. ſq. & 192. ſq. συλλήψῃ ſcilicet τὸ ἔμβρυον, ſi audimus Cl. *Schætgenium* in Notis ad Lamb. Bos de Ellipſi Gr. L. p. 66. qui phraſin hanc cum altera ἔχειν ἐν γαστρὶ comparat, quæ in Actis Sanctorum Tom. III. Maji p. 3. ab Euſebio Monacho exprimitur ita: γυνὴ δέ τις ἔμβρυον ἔχουσα ἐν τῇ γαστρὶ αὐτῆς.

Verſ. 32. υἱὸς ὑψίστου κληθήσεται) i.e. *filius altiſſimi erit.* Vide *Martianæum* in Eſſais p. 221. Τὸ καλεῖσθαι vero etiam extra Hebraiſmum hanc notionem habere, oſtenderunt multi, nominatim, Cl. *Schwarzius* ad Olearii Diſſert. de Stylo N. T. p. 243. & *Bynæus* l. c. p. 109. contra *Jo. Voſſium* diſputans. Idem tamen monet, rectius cum *Gomaro* acquieſci in ſignificatione verbi propria: *vocabitur*; quia Chriſtus filius altiſſimi ſemper fuit, non autem ab hominibus, tanquam iis incognitus, ſemper ita appellatus.

Quod ad vocem ὕψιστος attinet, eam ad Jovem ſuum transferunt Gentiles, ut *Pindarus* Nem. Od. I. prope finem, quem alii permulti ὑψιμέδοντα & ἐψαφάοντα vocant. Hebræis ſimiliter Deus vocatur עליון i.e. *excelſus*, ſeu *ſupremus*, in ſacris quoque literis, ut *Gen.* XIV. 22. & alibi, quo nomine & Phœnicos uſos eſſe teſtis eſt Philo Bybl. apud Euſeb. Qua de re conſulendi ſunt *Bochartus* in Geograph. Sacr. *Seldenus* de Diis Syris, *Reineſ.* de Lingua Punica, *Dav. Clericus* in Quæſt. Sacr. & alii. Hæc Cl. *Trillerus.*

Verſ. 33. τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος) Similia habet *Sophocles* in Antigone v. 616. ſq. & alii, notante eodem Viro doctiſſimo.

καὶ

καὶ δώσει αὐτῷ) De gloria Patrum cedente in honorem filiorum, ex profanis ad h. l. commentatur *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 645.

τὸν θρόνον Δαβὶδ) i. e. *regnum ejus:* Vide *Suicerum* ex Patribus huc differentem Tom. I. p. 1409.

Verſ. 33. καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος) Vide ad hæc, ex Patribus differentem *Petavium* in Dogmat. Theolog. Tom. VI. p. 142. ſq. lib. XII. de Incarnat.

Verſ. 34. Πῶς ἔσται τοῦτο;) *Dorſcheus* in Commentar. ad h. l. copioſe diſputat, utrum hæc verba ſint admirantis, an dubitantis? at *ſciſcitantis* potius eſſe, ex ipſâ illa interrogatione & Angeli reſponſo conficit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 171. quamvis non omnem dubitationem abfuiſſe & ipſe profiteatur. Similis interrogatio exſtat apud *Arrianum* lib. II. c. 14. Diſſertatt. p. 185. Conf. *Jo. Sommerfeldii* Diſput. Theol. Criticam de his Mariæ verbis, *Hafn.* 1714. item *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. VI. ubi de Incarnatione lib. XIV. c. I. §. 8. & c. IV. §. 1. ſqq.

ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω) Auguſtinus Tom. VI. Opp. c. 4. de Sanct. Virginit. c. 4. ita interpretatur: non poſſum virum cognoſcere ob votum a me factum. Huc tendit & præter alios *Nyſſenus* Tom. III. p. 348. quod avide nonnulli Pontificiorum amplexi ſunt, contra quos lege *Hackſpanium* in Notis ad h. l. p. 266. ſolide diſputantem. De Patrum ſententiis commentatur quoque *Petavius* in Dogmat. Theolog. Tom. VI. ubi de Incarnatione, lib. XIV. c. 3. §. 9. ſq. & c. IV. 5. ſqq. Recte & breviter *Druſius* in Quæſitis per epiſtolam 69. *Si voverat virginitatem, cur ſponſalia cum Joſepho contraxit? an poſtquam deprehendit, ſe gravidam eſſe, tum primum vovit? Nugæ.* De phraſi γινώσκειν in hoc ſenſu diximus ad *Matth.* I. 25.

Verſ. 35. Hunc totum illuſtratum vide in *Alethæi* Erörterung Part. I. p. 227. ſq. Confer *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. p. 127. & 152. & Tom. VI. ubi de Incarnatione lib. VII. c. V. §. 3. & lib. XIV. c. II. 5. nec non lib. V. c. 16. §. 5. ſq. VII. 1. 5. & c. 3. 2. XI. c. 5. 1. & VII. 4. Adde B. *Mich. Siricii* Diſputatt. Theolog. 7. contra varios heterodoxos inſtitutas in 8.

πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται &c.) τὸ ἐπέρχεσθαι non ſolum *inopinatam* ſed etiam *cæleſtem* & *ſupernaturalem* operationem hic inferre eruditi jam monuerunt. Atque huc videtur reſpexiſſe *Caſtellio*, vertens: *invadet te*, quem a *Beza* animadverſionibus ſe tuentem lege in Defenſione p. 437. *Spiritum S.* & *virtutem altiſſimi* de verbo & Sapientia Patris in Mariam deſcendente, & ex ea corpus ſibi cooptante, veterum Patrum nonnulli, ut *Tertullianus*, *Hermogenes*, *Cyprianus*, *Hilarius*, *Ruſinus* &c. acceperunt: quo vide Prolegomena Benedictinorum ad Hilarii Opera p. 18. ſqq. Cum iis facit *Campeg. Vitringa* lib. I. Obſervatt. Sacrar. p. 145. Omitto diverſas aliorum ſententias,

quas quidem collegerunt *Jo. Benedict. Carpzovius* in Dissertat. de Chuppa Hebræorum, quæ in Disputationibus ejus Theologicis p. 399. sqq. recusa est, *Jo. Ernestus Gerhardus* in Disput. de eodem argumento, quæ exstat in Thesauro Disputt. super N. T. p. 302. sq. B. *Dorscheus* in Oratione de ἐπισκιασμῷ a. B. J. F. *Mayero* Gryphiswald. 1702. edita, *Alethæus* l. c. & *Bynæus* l. c. p. 131. sqq. Δύναμιν ὑψίστε de Spiritu S. accipit *Salmasius* de Transsubstantiatione p. 365. Eandem vero nec ad λόγον, nec ad Spiritum S. referri vult *Bynæus* p. 131. simpliciter Dei potentiam innui hic arbitratus, per quam scilicet tuta futura sit Maria: quemadmodum idem p. 141. ἐπισκιασμὸν in eandem sententiam interpretatur, potentiam scilicet Dei umbram Mariæ præstituram, non tam divina protectione, qua tuta esset a periculis in graviditate, quam, qua fœtus sanctissimus in virginali utero conservaretur incolumis, & ipsa mater feliciter parere posset. Sed ista quidem talia non sunt, ut hinc dici possit consequi, fore, ut Sanctum inde natum *dicatur*, seu, *sit* filius Dei. Itaque sic potius cum plerisque veterum & recentiorum Theologorum statuendum est, ut per πνεῦμα ἅγιον Spiritus Sanctus, ita per δύναμιν ὑψίστε secundam personam divinitatis seu λόγον intelligi, quippe qui hoc nomine vocatur 1 *Cor.* I. 24. & *Jes.* IX. 6. quemadmodum Jacobus filium primogenitum suum δύναμιν suam appellat *Genes.* XLIX. 3. Ita enim denique dici potest, Mariæ filium esse *filium Dei*, qui per ipsum hunc ἐπισκιασμὸν carnem & sanguinem in & ex Maria assumserit. Vide huc B. *Feurbornii* Fascicul. III. Disp. VII. & J. E. *Gerhardum* in Dissert. citata c. II. & noviſſime *Henr. Bened. Starckium* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 83. sq.

ἐπισκιάσει σοι) De hoc ἐπισκιασμῷ lege inprimis *Carpzovii* disput. laudatam Sect. II. cap. I. Nonnulli hic alludi putant ad obumbrationem tabernaculi fœderis, nube factam, in argumentum præsentiæ divini Numinis. Vide *Exod.* XL. 32. & *Num.* IX. 18. 22. Eadem est sententia J. E. *Gerhardi* disput. citata c. III. & *Starckii* l. c. quæ & ceteris præferenda videtur. Alii enim hic de Chuppa Hebræorum cogitant, eo fine in nuptiarum solennitate adhibita, ut, quum sub dio fieret consecratio, umbram præstaret, ut sensus sit; virtus altissimi a te tanquam sub Chuppa obumbrabitur, & semini tuo se desponsabit. In hanc sententiam lege *Dannhaueri* Hodosophiam Phænom. VIII. Christosophiæ p. 32. *Carpzov.* l. c. & *Alethæum* p. 237. Cum vero non satis compertum sit, an illud Chuppæ institutum tam antiquum sit, ut eo respicere potuerit Angelus (conf. *Seldenum*, de antiquitate ritus hujus dubitantem, in Uxore Hebr. lib. II. c. 15. & *Seb. Schmidium* in Comment. ad Ruth. III. 9.) amplius hic eruditis cogitandum fuerit. Interim alterutram illarum sententiarum malim equidem amplecti, quam cum *Bynæo*, quem & *Pet. Zornius* in Dissert. de Philosophismis N. Test. p. 16. sequitur, nudam protectionem Dei & tutelam tum fœtui divino, tum Matri Virgini promissam, intelligere. Id enim omne efficere non poterat, ut

filius

filius Mariæ filius Dei diceretur, i. e. esset. *Richardus Simon* quidem in Notis ad vers. Gall. N. T. approbaverat *Maldonati* ad h. l. annotationem, statuentis, Jesum Christum, etiamsi Deus non fuisset, Sanctum & Filium Dei appellari hic potuisse, quia per potentiam Spiritus S. conceptus fuerit. Eam vero sententiam Sociniſini postulavit *Jac. Benignus Bossuetus* p. 58. & 59. Instructionis suæ Pastoralis, huic versioni oppositæ, ad quam vide, quæ respondere conatus est *Simon* in Biblioth. Critic. c. XXVII. p. 379-448. Confer etiam, quæ pro *Maldonato*, qui eodem in loco vocem ἅγιον contra contextum Græcum adverbialiter pro *sancte* i. e. sancta ratione, *sancto modo*, interpretandam esse censuit, allata sunt a *Jonstono* in Memoriis Trivultinis 1703. Mart. p. 217. sqq. edit. Amstelodam. contra P. *Despincuil*, ex S. J. qui ibidem mense Junio p. 446. sqq. ad objecta respondet. Similiter *Malletus* versionem Gall. *Montensem* castigandam putavit, quod τὸ ἅγιον reddiderit non per *chastement*, i. e. *pudice, honeste*, sed per *le fruit saint*, i. e. *fœtum sanctum*. Sed eidem vicissim Sociniſmi labem exprobrat, & interpretationem suam recte, allatis etiam variarum versionum præeuntium exemplis, tuetur *Arnaldus* in Defensione versionis Montensis p. 399. sq. qui & p. 397. sq. ostendit, quomodo eædem versiones verbum ἐπισκιάσει expressérint. *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 1175. arcanam Spiritus S. ex Virginis substantia carnem Christi creantis, operationem hic indicari contendit.

διὸ καὶ) Lege huc R. *Simonem* lib. III. Hist. Critic. N. T. p. 868.

γεννώμενον) Post hoc verbum & editiones nonnullæ, & Codd. MSS. & versiones, & Patres exhibent ἐκ σοῦ i. e. *ex te*. Vide *Millii* notas, & Prolegomena ejus §. 759. & *Bynæum* de Natali Christi p. 135. sqq. Rejicit eam lectionem, tanquam ex interpretamento orthodoxorum natam, *Millius* & cum eo *Pfaffius* in Dissertat. de Variis Lectionibus N. T. p. 193. Vindicant autem recte, ut genuinam, post *Grotium Bynæus* l. c. *Whitbius* in Examine p. 30. & ex nostratibus *Erasmus Schmidius* ac Cl. *Fabricius* in Notis ad Codicem Apocryphum N. T. p. 93. ubi inter cetera observat, auctorem *Protevangelii Jacobi* eadem ratione legisse. Expressit quoque B. *Lutherus* noster, & R. *Simon* in Versione Gallica.

κληθήσεται) i. e. *erit*, ut v. 36. τῇ καλουμένῃ στείρᾳ, *quæ vocabatur* i. e. erat, *sterilis*. Vide huc *Drusii* Miscellanea I. c. 5. & *Seldenum* lib. II. c. 7. de Synedriis Hebr. p. 216. sqq.

Vers. 36. ἡ συγγενής σου) Cognata dicitur Mariæ, quæ erat ex tribu Judæ, ideo forte, quod mater Mariæ fuit ex tribu Levi & Aaronis familia, quemadmodum veterum nonnulli eam Elisabethæ sororem fuisse contendunt: nisi dicere malis, Elisabethæ matrem vel aviam ex tribu Judæ fuisse, adeoque Mariæ patrem propinqua consanguinitate attigisse. Vide huc *Witsii* Miscellanea Tom. I. p. 358. & *Jo. Buxtorfium* in Catalectis p. 300.

Verſ. 37. ὅτι οὐδυνατήσει -- πᾶν ῥῆμα) ῥῆμα hic pro דבר i. e. *res* poni ad Hebræorum exemplum plerique arbitrantur. Vide hanc in rem poſt Gatackerum de Stylo N. T. p. 145. *Vorſtium* Part. I. Philolog. Sacr. p. 22. & *Bynæum* l. c. p. 146. ſq. item *le Cene* in Projet p. 725. Quamvis enim negari non poſſit, Græcos Scriptores vocem λόγος eadem notione uſurpare, quod *Pfochenius* §. 54. & *Hombergius* p. 115. oſtendunt, tamen id raro fit, cum viciſſim Scriptoribus Sacris & τοῖς LXX. ſit frequentiſſimum. De alio Hebraiſmo, in hac phraſi latente, legatur *Vorſtius* idem Part. II. p. 89. Quod ad rem ipſam attinet, dicta Gentilium huic ſimilia ex *Homeri* Odyſſ. IV. 237. & aliis affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. qui & videri jubet *Grotium* ad Matth. XIX.

Verſ. 38. ἰδοὺ, ἡ δούλη Κυρίου) Hic eleganter omiſſum eſſe verbum εἰμὴ, obſervat *Gronovius* ad Arriani Indica 34. 12.

Verſ. 39. Ἀναστᾶσα δὲ Μαριὰμ) De Maria varia ad hanc pericopen affert B. *Mayerus* in Ecloga ad Feſtum Viſitationis.

εἰς τὴν ὀρεινὴν) ſcilicet χῶραν, recte monente *Boiſio* de Ellipſi Græc. Linguæ p. 240. *Polybius* ſæpe eadem voce abſolute utitur, quod oſtendit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 172. Ipſam illam regionem montanam deſertum eſſe, in quo prædicaverit Johannes, eruditorum nonnulli arbitrantur, nihil definiente *Caſaubono* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 219.

μετὰ σπουδῆς) phraſis *Polybio* familiaris. Vide *Raphelium* l. c. p. 172. Conf. *Æſchinis* Dialog. II. p. 50. & *Ælian.* V. H. l. 32. De voce Germanica endelich, qua hic uſus eſt B. Lutherus, lege *Stadenii* commentationem vernaculam de vocibus hujus verſionis difficilioribus p. 177.

εἰς πόλιν Ἰούδα) Ἰάτθα vel ἴατα legi poſſe cenſuit *Rob. Valeſius* in epiſtola ad Iſaacum Caſaubonum, quæ exſtat in huius epiſtolis p. 669. Hanc enim urbem inter civitates Judæ memorari, ait *Joſ.* XV. 55. eamque Sacerdotibus attributam. At idem commode obſervat, nullius Codicis auctoritate lectionem iſtam confirmari. Eandem tamen conjecturam affert & ornat *Adr. Relandus* in Palæſtina Sacra p. 870. Sed præſtat in eorum conjectura acquieſcere, qui *Hebronem* hic intelligendam eſſe cenſent. De patria hac Johannis lege diligenter agentem *Papebrochium* in Actis Sanctorum Junii Tom. IV. p. 703.

Verſ. 41. ἐσκίρτησε τὸ βρέφος) Ita *Nonnus* in Dyoniſ. lib. VIII. p. 224.

\- - - παΐς δ' ἐλέχευτος ἐχέφρων
Ἄλμασιν ἐνδομύχοισι συνεσκίρτησε τεκούσῃ.

Quem locum Cl. *Trillerus* huc afferens, Nonnum ſuſpicatur ad h. l. reſpexiſſe, eumque prave & profane detorſiſſe. Comma hoc integrum & ſequentia nonnulla expoſita lege a *Wilh. Zeſchio* Diſputat. ſingulari, *Jen.* 1680.

& Rev.

& Rev. *Georg. Henr. Gœtzio* in Theologia Eliſabethæ, Lubec. 1706. & 1710. binis Diſſertatt. comprehenſa.

Verſ. 42. καιρὸς τῆς κοιλίας) per Hebraiſmum ita dici, oſtendit *Vorſtius* Part. II. Philolog. Sacr. p. 35. Conf. Pſ. 132. v. 11. & *Gatackeri* notas ad Antoninum XI. 1.

Verſ. 43. πόθεν μοι τοῦτο) ſimili phraſi utitur Epictetus Enchirid. c. 29.

Verſ. 44. Vide huc *Boiſii* Collationem p. 162.

Verſ. 45. παρὰ Κυρίου) Non neceſſe eſt, ut referamus hæc ad præcedentes voces ὅτι ἔσαι τελείωσις per trajectionem quandam, quæ arriſit hic *Hombergio* p. 116.

Verſ. 46. Μεγαλύνει) Verbum hoc denotat & *magnum facere*, & *deprædicare aliquem*, quem ſignificatum hoc quidem loco obtinet. Confer eandem notionem ex profanis Scriptoribus adſtructam ab *Elsnero* p. 173.

Verſ. 48. ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν) *humilitatem* Vulg. reddidit, per quam non virtus, quæ ταπεινοφροσύνη dicitur, ſed tenuis & abjecta conditio indicatur, recte monente *Boiſio* in Collatione p. 162. Miſeria enim, non virtus miſericordiæ eſt objectum. Atque ita accepit quoque B. Lutherus noſter. Confer *Hackſpanii* Notas ad h. l. p. 268. Quæ in verſione hujus commatis, a B. Luthero facta, reprehenderat *Emſerus*, ea diluit B. *Raithius* in Vindiciis ejus p. 380.

Verſ. 49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα) Polybius ſimiliter dixit πρᾶξαι μεγαλεῖα, citante *Suida* voce μεγαλεῖον.

Verſ. 50. εἰς γενεὰς γενεῶν) per Hebraiſmum. Vide *Vorſtium* Part. I. Philolog. S. p. 268.

Verſ. 51. ἐποίησε κράτος) actus continuus hic indicari videtur Rev. *Raphelio* in Notis Polybianis p. 84. ut ſenſus ſit: *facere ſolet.*

Verſ. 52. Καθεῖλε δυνάστας) Profani Scriptores nunc ſimpliciter καθαιρεῖν dicunt de eo, qui alterum in alto conſtitutum deturbat; nunc cum addita voce δύναμις. Lege utrumque exemplis probatum ab *Elsnero* p. 174. Conf. *Perizonii* notas ad Æliani Var. Hiſtor. II. 25. Sententiam ipſam, quæ hic affertur, Gentilibus quoque expreſſam frequenter eſſe, oſtendunt *Elsnerus* l. c. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 84. *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 645. & *Hombergius* in Parergis p. 116. Proxime huc accedit illud Æſopi, qui a Chilone interrogatus, quidnam faceret Jupiter, reſpondit, eum τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινῶν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψῶν. Vide *Laertium* lib. I. §. 69. De voce δυνάστης lege *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 971.

Vers. 53. ἐνέπλησεν ἀγαθῶν) Ἀγαθὰ Græcis, sicut Latinis *bona*, vocantur in genere omnes facultates & copiæ, speciatim vero esculenta & potulenta. Vide huc *Raphelii* Notas Polybian. p. 172. & *Lamb. Bos* Exercitationes p. 33.

Vers. 54. ἀντελάβετο Ἰσραὴλ) Vertunt *Beza* & *Grotius*: *suscepit Israël puerum suum* i. e. *porrecta manu erexit*. *Elsnerus* mavult: *curam suscepit Israëlis servi sui*, misso scilicet Messia, tamdiu promisso. Profanos scriptores hac phrasi eo significatu uti frequenter, idem ostendit, nec sensus ab hoc loco alienus est. Confer *Actor.* XX. 35. ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων. *Defendendi* notionem hoc loco, ut *Judith* XIII. 6. obtinere putat *Boissus* in Collatione p. 163. & alii quidam apud *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 375. Subtilius hæc interpretatus est *Scaletus* Exercit. Evangel. I. c. 43. qui idem hic indicari vult, quod Latine dixeris: *exheredatum denuo heredem scribere*. Eum tamen secutus est *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 375. & *Amelius* Part. I. p. 103. der Erörterung & de Philosophissimis N. T. p. 14. Quæ enim hic affertur phrasis ἀναλαμβάνεσθαι τὸ γένος, quæ de illis dici solet, qui ut filii antea immorigeri & repudiati, impetrata peccatorum venia, in pristinam conditionem vindicabantur, a nostra hac nimis remota est.

Vers. 55. μνησθῆναι ἐλέους (καθὼς ἐλάλησε πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν) τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ) ita hæc verba interpungenda censuerunt, propter eo, quod alias parenthesis usque ad voces σπέρματι αὐτοῦ rejicitur, *Joach. Camerarius*, *Nort. Knatchbullus*, *Jo. Saubertus* in Palæstra p. 309. sq. qui inprimis hic diligens est, & ὁμοψήφους plures affert, Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 173. B. *Elswichius* in Disputat. de Critica recentiorum in N. T. §. 10. & novissime Cl. *Henr. Bened. Starckius* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 85. Nec alienus admodum est *Hombergius* in Parergis p. 116. Convenienter omnino; quia hoc modo non solum sensui optime consulitur, sed & tollitur difficultas omnis, quæ ex structura vocum alioquin oritur, siquidem voces τῷ Ἀβραὰμ junguntur ἀμέσως prioribus πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν. Sensus vero hic est: *recordando misericordia (sicut locutus est ad Patres nostros) Abrahamo & semini ejus*. Quod ipsum iisdem fere verbis exprimitur Ps. XCVIII. 3. ut huc respexisse videatur Zacharias: ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῆς ἀληθείας αὐτοῦ τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ. *Recordatus est misericordiæ suæ Jacobo, & veritatis suæ domui Israël*. Confer *Mich.* VII. 20. Ex quo simul apparet, non necesse esse, ut cum *Hombergio* l. c. subintelligamus præpositionem σὺν, quia dandi casus τῷ Ἀβραὰμ, hic idem est, ac si dicas: *in commodum Abrahami*. Confer *Wokenium* de usu Josephi in V. & N. T. p. 11. Habent tamen illi, qui τῷ Ἀβραὰμ proxime ad voces πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν referunt, exempla in profanis Scriptoribus, quibus se tueantur. Sic apud *Polybium* p. 956. l. 13. præpositio πρὸς in eadem orationis serie jungitur casui accusandi & dandi. Vide *Raphelium* l. c. p. 174.

p. 174. Phrasin μνηθῆναι ἐλέους poni pro καὶ ἐμνήθη ἐλέους, judicat *Boissus* in Collatione p. 163. qui passim in Græcis Bibliis τὰ ἀπαρέμφατα, sive infinitivos, per verbum finitum cum conjunctione copulativa exponi debere autumat.

Vers. 58. ἐμεγάλυνε) vide ad v. 46.

Vers. 59. καὶ ἐγένετο ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ) Cum die Gentilium lustrico hunc confert *Dougtæus* in Analectis Sacris p. 44. quo lustrari pueri recens nati & certis nominibus insigniri solebant. Eum autem diem a nativitate *decimum* Græci, Romani autem *nonum* numerare solebant. Videri huc præter Dougtæum Cl. *Trillerus* vult *Rubenium* in Elect. lib. I. c. 5. & *Meursium* in Græcia Feriata, voce ἀμφιδρόμια.

καὶ ἐκάλεσαν αὐτὸ - Ζαχαρίαν) Græci quoque filio interdum Patris nomen, frequentius vero Avi imponere solebant. Vide *Elsnerum* p. 176. & *Ezech. Spanhemium* ad Aristophanis Nubes v. 65.

Vers. 60. καὶ ἀποκριθεῖσα ἡ μήτηρ αὐτοῦ) Morem fuisse, ut matres imponerent filiis suis nomina, observat *Kimchi* in Commentar. ad *Jos.* VII. Sed vide ad v. 62. Videtur autem *Zacharias* scripto expoluisse Elisabethæ, quæ sibi ab Angelo præcepta sint. Ex hoc & sequentibus commatibus nonnullis historiam Johannis Baptistæ edisserit *Jo. Ern. Buthnerus* in Dissertat. singulari quæ exstat in Thesauro Disputat. Tom. II. p. 285. sqq. ibi vero commentatur 1) de ortu & etymo Johannis. 2) de educatione & officio. 3) de victu & amictu, ac denique 4) de morte & cultu ejus.

Vers. 62. Ἐνένευον δὲ τῷ πατρὶ αὐτοῦ) Patres enim liberis nomina imponere solebant, ut Abrahamus Ismaeli, *Gen.* XVI. 15. & *Isaaco* XXI. 3. Idem apud Græcos usu receptum fuisse, ostendit *Elsnerus* p. 177. Hoc itaque loco primum cognati ipsi officio hoc defungi volebant, &, intercedente matre, ad Patrem denique provocabant, ideo, quod Zacharias ut surdus & mutus partibus suis defungi non poterat. Ex nutu hoc colligitur recte, Zachariam fuisse etiam surdum. Vide ad v. 22.

τὸ, τί ἂν θέλοι) Eleganter ante τί abundare voculam τὸ, ostendit exemplis similibus *Elsnerus* p. 177.

Vers. 63. αἰτήσας πινακίδιον) De hoc πινακιδίῳ lege singularem Dissertationem *Franc. Baringii*, quæ recusa est Tom. II. Thesauri Dissertationum p. 306. ubi exponitur de instrumento scribendi, tum vero de materia, in qua literæ configuratæ fuerint. Statuit auctor, Zachariam usum esse stylo ferreo, & tabula lignea, cera illita.

ἔγραψε λέγων) *R. Simon* in Versione sua ista per unum verbum: *il ecrivit* i. e. *scribebat*, exprimit, addens in notis, scriptionem esse sermonis genus,

genus, ad quam proinde hic tantum respiciatur. Existimaverim vero, cum ipsa scriptione conjunctam fuisse nominis pronunciationem, quia & vox λέγων diserte additur, & amplior admirationis, cujus statim fit mentio, materia præsentibus suppeditatur, quæ ex sola nominis hujus impositione tanta esse vix poterat. Neque vero obstant, quæ v. 64. sequuntur: Ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ. Nam ea vel per plusquamperfectum converti possunt: *apertum vero erat os ejus*, quæ temporum enallage frequentissima est; vel referenda hæc verba sunt ad sequentem laudis divinæ prædicationem, ut continuatio usus linguæ inferatur. Interim tamen haud difficulter largior, priorem illam *Simonii* & aliorum interpretationem, quæ nudam scriptionem hic inferri censet, locum tueri posse, inprimis, si recogitemus, eandem phrasin in V. T. v. c. 2 *Regg.* X. 1. & 6. ad Hebraismi exemplum in τοῖς LXX. occurrere καὶ ἔγραψε λέγων, non alio sensu, quam ut verba quædam sine accedente sermone ullo in literas relata esse intelligantur. Pluribus hanc sententiam argumentis ornatam lege im Heb-Opfer Tom. III. p. 229. sqq. quæ quo magis expendo, eo magis mihi se probare videntur. Video idem placere Cl. *Starckio* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 86.

Vers. 46. Ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ παραχρῆμα, καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ) Jungitur hic verbum ἀνεῴχθη & *ori* & *linguæ*, quod adeo καταχρηστικῶς fieri, cum proprie os aperiri dici possit, visum est nonnullis, ut de poetica licentia hic cogitarent. Alii vero ad vocem γλῶσσα subaudiendum putarunt verbum ἐλύθη; alii denique cum editione Complutensi ad eandem vocem adjiciunt διηρθρώθη, quod & in duobus Codd. MSS. exstat. Cum vero bini illi Codices tot aliis præferri temere nequeant, & lectio hæc interpretamentum nimis oleat, ellipsis quoque vocis ἐλύθη insolentior sit; *Elsnerus* de mutanda verborum interpunctione cogitavit p. 178. ita quidem, ut, sublato puncto, voces ἡ γλῶσσα αὐτοῦ individuo nexu jungantur sequentibus καὶ ἐλάλει, eo sensu: *& lingua ejus etiam loquebatur, laudans Deum.* Itaque τὸ καὶ posterius per *etiam* verti debet, quod alias, ubi in eadem phrasi τὸ καὶ repetitur, fieri necesse est, ut *Luc.* VI. 3. & *Philipp.* IV. 3. ne de profanis scriptoribus dicam. Quæ exempla ab *Elsnero* allata ut recte se habent, ita non puto cum nostro hoc loco comparari posse, quod ea secum invicem conferenti patebit. Itaque nihil hic vel interpunctione, contra cujus mutationem Elsnerianam recte hic disputat Cl. *Starckius* in Notis Select. ad Loca Dubia N. T. p. 86. vel in sensu vocula καὶ mutandum putem. Neque enim insolens est optimis quibusque Scriptoribus, verbum unum duobus nominibus jungi, quorum tamen alteri tantum proprie competit. Ita *Homerus* ait: σῖτον καὶ οἶνον ἔδοντες. Similem *Arriani* locum de Expedit. Alexandri VII. 15. 5. habes apud Rev. *Raphelium* in Notis Polybianis p. 175. *Aperiri* itaque & *os* & *lingua* hic dicitur, illud quidem proprie, hæc vero per nexum rei ipsius.

Dici

Dici præterea commode cum *Starckio* l. c. poteſt, verbum ἀνοίγω ad exemplum Hebræi פתח *Jeſ.* V. 27. & *Gen.* XXIV. 32. non ſpecialem *aperiendi*, ſed generalem *ſolvendi* ſignificatum hic obtinere. Conf. *Marc.* VII. 35.

ἐυλογῶν τὸν Θεὸν) Hebraiſmum hic fingere, prohibent profani Scriptores multi, qui τὸ ἐυλογεῖν frequenter in *laudandi* notione, quæ hic locum habet, adhibent. Vide eorum loca collecta a *Lamb. Boſio* p. 34. ſq. Exercitatt. ab *Elsnero* p. 179.

Verſ. 65. καὶ ἐγένετο - φόβος) timor pro magno & admirando adhiberi ſolet. Vide *Lacerdam* in Adverſariis c. XXC. p. 110.

πάντα τὰ ῥήματα ταῦτα) i. e. *omnes iſtas res*, per Hebraiſmum, de quo ad v. 37. Conſer *le Cene* in Projet p. 726.

Verſ. 66. καὶ χεὶρ Κυρίε ἦν μετ' αὐτε) Vide huc *Druſii* Miſcellanea Centur. I. cap. 85.

Verſ. 67. προεφήτευσε) *Rich. Simon* interpretatur per: *occinit canticum.* Alii vero *laudandi* notionem hic obtinere malunt, ut 1 *Cor.* XI. 5. Præſtat in communi ſignificatu verbi hic perſiſtere, cum vere Zacharias tum de Meſſia, paulo poſt orituro, tum de munere, a Johanne perficiendo, vaticinetur, quæ certe res ejusmodi ſunt, quæ tunc temporis aliis non patebant, & a Spiritus Sancti, quo hic plenus dicitur fuiſſe Zacharias, motu proficiſcebantur.

Verſ. 68. ſqq. Hymnum hunc Zachariæ illuſtrat *Cramerus* in Theologia Iſraelis Part. I. p. 228. & *Seb. Schmidius* Diſſertat. ſingulari, Argent. 1684.

Verſ. 68. ἐπεσκέψατο &c.) *procuravit populi ſui liberationem.* Ita vertit hic *Caſtellio*, qui ſe ab animadverſionibus *Bezæ* tuetur in Defenſione p. 438. Propius tamen ad verborum ſenſum accedet, qui verterit: *providit, & fecit redemtionem.* Vide in hanc ſententiam *Raphelium* in Semicenturia Annotatt. Philolog. p. 6.

Verſ. 69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας) Per cornu intelligitur hic *regnum Meſſiæ*, quod cornu appellatur ob ſolidum & ſufficiens robur ad devincendos hoſtes & invictam ſtabilitatem, ſumta metaphora ab animalibus cornutis, quæ omnibus robur ſuum oſtendunt, ac iisdem ſe defendunt, vimque adverſam a ſe depellunt. Ita *Feſſelius* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 407. qui ibidem obſervat, τὸ ἐγείρειν idem hic eſſe, quod *reſtaurare, denuo erigere*, tanquam antea collapſum, quale erat tunc regnum Davidis nunc per Meſſiam inſtaurandum. In alia abit Cl. *Frid. Adolph. Lampe* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. II. p. 702. ſqq. Is enim exiſtimat, per *cornu* hic *ſplendorem* intelligi poſſe, ita ut ſimul ad ſplendorem columnæ nubis in V. T. reſpiciatur. Hanc in rem monet, Zachariam hic ſupponere, viſitatio-

nem populi Iſraelitici a Deo, cum ex Ægypto redimeretur, typum fuiſſe redemtionis, quæ nunc exſpectetur a Meſſia. *Cum autem*, ita pergit, *hæc viſitatio & redemtio a Domino in nube ſplendida, præſentiam ſuam teſtante, facta ſit, quidni eo collimari putemus, quando κέρας σωτηρίας Meſſiæ tribuitur?* Vide ibi plura, ubi in eandem ſententiam cum phraſi Zachariæ comparat loca *Jerem.* XXIII. 5. 6. & *Pſalm* CXXXII. 17. 18. Quæ utut erudite diſputantur, ad confirmationem hujus interpretationis tamen non ſufficere videntur, quippe quæ illi inprimis fundamento innititur, quod Zacharias h. l. ad liberationem Iſraelis ex Ægypto, tanquam typum redemtionis ſpiritualis, per Meſſiam olim præſtandæ, reſpiciat v. 68. Id vero gratis hic aſſumi forte plerisque videbitur. Alii τὸ κέρας σωτηρίας per *ſalutem abundantem* ſeu *copioſam* interpretantur, ut *Hombergius* in Parergis p. 117. quaſi alluſio fieret ad κέρας Ἀμαλθείας ſeu cornu copiæ. Cum vero phraſis *erigere cornu* frequentiſſima ſit in V. T. ibi vero nusquam de copia rerum felicium, ſed de eminentia & poteſtate ampla uſurpetur, patet, tutius eam ex Sacris literis, quam ex ritu & phraſi Gentilium explicari. Propius ad rem acceſſerit *Jenſius* in Ferculo Literario p. 34. qui reſpici putat ad altaria, quorum anſas, quæ & cornua dicuntur, arripiebant miſeri ac ſupplices, quibus, ubi κέρας apprehenſum fuiſſet, omnino erat κέρας σωτηρίας. Mihi omnium optime ii rationes ſuas inſtituere videntur, qui Meſſiam ipſum per κέρας σωτηρίας intelligunt, qui ſcilicet, a Maria jam conceptus, in familia Davidis, & eminens & illuſtris, ſuſcitatus erat. Κέρας autem σωτηρίας idem eſt, quod κέρας σωτήριον, *cornu ſalutiferum*, quemadmodum ſubſtantivum poſterius pro adjectivo frequenter poni ſolet. Vide in hanc ſententiam *Vorſtium* Part. I. p. 84. Philolog. Sacr. Id certe malim, quam cum aliis, ut Interpretibus Belgis, prius ſubſtantivum κέρας pro adjectivo accipere, ut denotetur ſalus *certa*, *valida* & *tuta*, quemadmodum *Boiſius* in Collatione p. 167. potentem Salvatorem hic indicari autumat.

Verbum ἤγειρε ſunt, qui hic poſitum putent pro ἐγεῖρε. Vide *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 33. Sed iſta quidem enallage opus non eſt, cum per conceptionem Meſſiæ parandæ ſalutis iſtius initium jam factum eſſet.

Verſ. 70. 71. Καθὼς ἐλάλησε - σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν) Cum voces σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν minus apte jungi nonnullis viſæ ſint verbo ἐλάλησε, verbum aliquod v. c. δῶσαι, quod Interpres Gothus habet, aut ſimile aliud, ſubintelligendum cenſuerunt. *Hombergius* in Parergis p. 118. eas per epanalepſin referendas putat ad v. 69. καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας, ut ſcilicet ſic explicetur, quid per κέρας σωτηρίας intelligendum veniat, verſus vero 70. parentheſi incluſus, a reliqua orationis ſerie diſtinguatur. Sed his ambagibus carere poſſumus, ſi obſervemus, verbum λαλεῖν idem hic eſſe, quod *promittere*, ſeu *prædicere*, ut v. 55. ad imitationem Hebræorum, qui verbo אמר in eodem ſignificatu ſæpe utuntur. Senſus itaque erit: *quemadmodum promi-*

promisit aut prædixit per os Sanctorum Prophetarum salutem &c. Vide huc Cl. *Elsnerum* p. 180. qui ostendit, profanos quoque Scriptores verbis φάσκειν & εἰπεῖν in promittendi sensu uti. Ceterum phrasin σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν scite illustrat *Hombergius* ibidem simili alia *Thucydidis*, qui ait, σώζεσθαι ἐκ τῶν κινδύνων. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 175. Polybii locis nonnullis evincit, σωτηρίαν de iis dici, qui ab hostibus captis redimendi & in libertatem vindicandi sint.

ἐκ χειρὸς πάντων) per Hebraismum ita dici ostendit *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. I. p. 302. Sed vide ad v. 74. De utilitate ex inimicis capienda disserit ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 645.

Vers. 72. ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων) phrasis pure Hebraica est, quod ostendit *Vorstius* l. c. Part. II. p. 194.

Vers. 73. ὅρκον, ὃν ὤμοσε) Cum non statim appareat, unde vox ὅρκον pendeat, cum ad verbum μνησθῆναι, in accusandi quippe casu positum, referri vix posse videretur, nonnulli præpositionem κατὰ hic subintelligi voluerunt, nominatim *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 35. ubi similem *Aristophanis* locum affert, & *Hombergius* p. 119. qui ad *Joh.* XVII. 24. provocat: ἵνα ἡ ἀγάπη, ἣν ἠγάπησάς με. At Cl. *Elsnerus* p. 181. &, qui cum eo facit, Cl. *Starckius* in Notis Select. ad Loca Dubia N. T. p. 87. nihil mavult subintelligi, sed ὅρκον pro ὅρκῳ positum existimat, regique a μνησθῆναι commatis præcedentis, casum autem quartum accepisse a sequenti ὃν relativo, sicut *Marc.* VI. 16. dicitur: ὃν ἐγὼ ἀπεκεφάλισα Ἰωάννην, οὗτός ἐστι, cujusmodi structuræ exempla ex Latinis Scriptoribus attulit *Gruterus* ad *Plautum* in Captiv. initio Prologi. Sensus itaque hic foret: *ut recordaretur Sancti fœderis*, hoc est, *juris jurandi*, quod juravit Patri *nostro Abrahamo* &c. Eodem modo loquendi usus est *Lucas* II. 30. τὸ σωτήριόν σου *salus tua*, quod est φῶς εἰς ἀποκάλυψιν. Conf. *Act.* XI. 5. Cum non desint exempla præpositionis κατὰ omissæ satis luculenta, qualia attulit *Bosius* de Ellipsi vocis κατὰ, nihil prohibet, quo minus eam hic quoque ad exemplum aliarum præpositionum supplendam putemus. Interim & Elsneriana explicatio tueri se satis potest, & multis nominibus præferri debet conjecturæ *Campeg. Vitringæ*, qui lib. I. p. 207. Observatt. Sacr. contendit, legendum esse ὅρκῳ pro ὅρκον, ut referri possit ad verbum μνησθῆναι.

πρὸς Ἀβραάμ) Τὸ πρὸς hic exprimit Hebræorum ל Dativi notam. Vide *Gen.* XXI. 23. & XXIV. 9.

τῷ δοῦναι ἡμῖν ἀφόβως ἐκ χειρὸς - λατρεύειν αὐτῷ) Sunt, qui voces τῷ δοῦναι ἡμῖν referunt ad vocem ὅρκον, ut sensus sit, Deum meminisse juris jurandi ad implendum illud, quod promiserat. Atque iidem propterea phrasin δοῦναι ἡμῖν a sequentibus per punctum, vel etiam comma separant. Cum vero eo sensu phrasis δοῦναι ὅρκον nusquam occurrat, rectius τὸ δοῦναι immediate jungitur sequentibus, ἀφόβως -- λατρεύειν, hoc sensu: *ut memor esset juris jurandi, quod juravit Abrahamo, Patri nostro: se daturum nobis*, (i. e. effecturum)

ut ſine metu e manu inimicorum noſtrorum liberati ipſum colamus. Ita recte ſtatuit *Vitringa* loco modo citato, & *Hombergius* p. 119. Vide tamen, quæ obvertit Cl. *Starckius* l. c. p. 87.

Verſ. 74. ἐκ χειρὸς) i. e. *ex poteſtate*, quemadmodum ſæpe loquuntur Scriptores externi, quorum loca habes apud *Vitringam* in Animadverſionibus ad Vorſtium p. 231. Lege ad v. 71.

ῥυσθέντας) Verbum ῥύεσθαι ſæpe uſurpatur de liberatione ex ſummo & extremo periculo. Vide *Jenſii* Ferculum Literarium p. 35.

Verſ. 75. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ) utramque hanc vocem conjungit *Antoninus* XII. 1. ubi vide *Gatackerum*. Pro B. *Luthero* adverſum Emſerum hic diſputantem lege *Raithium* in Vindiciis p. 380.

Verſ. 78. διὰ σπλάγχνα ἐλέους) De Hebraiſmo hic recte monuit *Vorſtius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 28. & *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 997.

ἐπεσκέψατο ἡμᾶς) De Deo uſurpari ſolet hoc verbum, ubi gratia ejus ſpondetur. Vide v. 68. & Luc. VII. 16. *Actor.* XV. 14. Hebr. II. 6. nec minus Auctorum profanorum loca apud *Hombergium* p. 119. qui tamen præter rem phraſin hanc ex ἐπιφανείαις Deorum Gentilium repetit, recte monente *Pet. Zornio* in Opuſculis Sacris p. 252.

ἀνατολὴ ἐξ ὕψους) *Verti debet:* **oriens**, *non* **germen.** *Apud Prophetam vero* צמח **germen**, *non* **oriens.** *Nec alia, opinor, de cauſa Lucas addidit* ἐξ ὕψους, *quam ne germen daretur intelligi, quod* ἀνατολὴ *pariter ſignificat; ſed ex terra prodiens, & ex Davidica domo* ἀνατεταλκὸς *Hebr.* VII. 14. ὑποκάτωθεν αὐτῦ, *ut eſt apud alterum Zachariam* VI. 12. ἐκ βάθους *potius quam* ἐξ ὕψους. *Ebræum* צמח *optime* LXX. *& erudite reddiderunt* ἀνατολὴ, *longeque melius, quam alii Græci, qui* βλάστημα *vel* ἀναφυὴ, *quæ vocabula ſunt humilia præ illo.* Ἀνατολὴ *vox auguſtior.* Ἀνατολὴ *vero eſt* ὁ ἀνατέλλων, *ut Spiritus* **unctio**, *Chriſtus* **pax.** *Nec aliter Plinius dixit* **Solem principale naturæ regimen**, *pro rectore.* Ita *Alex. Morus* in notis p. 60. In his ſe vir doctus opponit *Abrah. Sculteto* in Exercitatt. Evangelic. lib. I. cap. 13. contra Scaligerum contendenti, ἀνατολὴν h. l. non *orientem*, ſed *germen* denotare. Eundem ex noſtratibus confutandum ſibi ſumſit *Joſua Arndius* in Miſcellan. Sacris p. 26. ſqq. qui ipſa Sculteti argumenta affert & confutat, inter cetera hæc tradens: *Advertat docta auris, num durius ſit dicere* oriens ex alto, *quam* Germen *ex alto nos illuminat. Certe Oriens illuſtrat, & Zacharias procul dubio locum Eſ.* IX. 2. *in mente habuit. Nec poteſt negari, elliptice dici pro* ἀνατολὴ ἡλίου. *Ergo* ἀνατολὴ ἡλίου *ſive* ἀνατέλλων ἥλιος ἐξ ὕψους *ſunt unum. Inſuper valde hic locus ſtabilitur illo Magorum dicto Matth.* III. εἴδομεν αὐτῦ τὸν ἀστέρα ἐν τῇ ἀνατολῇ, *ut qui verus eſſet Oriens ſive* ἀνατολή. Conferatur in eandem ſententiam *Hombergius* p. 120. & ante hos omnes *Scaliger*

ger in Elencho Trihæresii cap. 20. & *Boisius* in Collatione p. 164. Ἀνατολὴν idem esse quod ἀνατέλλων, i. e. Sol oriens, vel ἄστρον πρωϊνὸν, *stella matutina*, ita ut substantivum pro adjectivo ponatur, ostendit etiam *Steph. le Moyne* in Commentat. ad *Jerem.* XXIII. v. 6. p. 40. sqq. Idem conferri vult *Apocal.* II. & XXII. item *Numer.* XXIV. & titulum Ps. XXII. tum vero *Malach.* IV. 2. Confer quæ ex illo & aliis Interpretibus huc attulit *Amelius* Part. II. p. 632. sqq. Ex hac appellatione Christi *Drusius* & *Scaliger*, cumque iis *Jos. Arndius* l. c. antiquissimum ritum versus Orientem adorandi repetierunt, quam in rem confer & *Vitringam* de Synagoga p. 459. Per titulum hunc respici ad agnum quotidianum, qui non nisi Sole orto mactari, & mactandus orientem respicere solebat, existimat Rev. *Muhlius* in Apodixi Diss. II. p. 90.

Vers. 79. ἐπιφᾶναι) Idem hoc verbum voci ἀνατολὴ jungit etiam *Polybius* lib. III. c. 11. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 175. De ejus efficacia & vi dicemus alibi. Legatur interim *Amelius* l. c. p. 637. & *Hombergius* l. c. Hic vero non videtur in eo audiendus, quod verbum hoc immediate putat conjungendum cum antecedentibus vocibus ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ita ut hæ commatis 79 initium faciant, non autem, ceu hactenus Interpretes omnes fecerunt, versum 78 claudant. Qua in re consentientem sibi nactus est *Amelium* l. c. p. 637. Argumenta *Hombergii* ista sunt, quod primo quidem Deus dicatur nos ἐπισκέψασθαι, de quo paulo ante monuimus. Hoc vero ut non negatur, ita idem hic locum habet, si per ἀνατολὴν intelligatur sol justitiæ, i. e. *Christus*, verus Deus. Deinde existimat, hac ratione sensui rectius consuli, quia scilicet sic Christus instar Solis illuxisse dicatur hominibus, quemadmodum *Matth.* IV. 16. ait, ὅτι τοῖς καθημένοις ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου φῶς ἀνέτειλεν. Enimvero eadem sententia oritur, si vel maxime ἀνατολὴ ἐξ ὕψους referatur ad verbum ἐπεσκέψατο, quia visitationis illius gratiosæ finis constituitur illustratio hominum. Taceo, elegantiorem oriri sensum, si ἀνατολὴ ad ἐπεσκέψατο referatur, quia inde simul intelligitur, non de Sole seu luce naturali, sed ea, quæ divina sit, sermonem hic esse, quia ἐπισκέπτεσθαι de Deo adhiberi consuevit. Accedit, per Deum, cujus misericordiæ illa visitatio accepta fertur, intelligi Patrem, ad cujus voluntatem Christus instar Solis in hominum gratiam ortus sit. Itaque præstat, ut in communi interpunctione & interpretatione persistamus, quamvis alioquin non inficier, vocem ἀνατολὴ, in primo casu positam, convenienter jungi posse infinitivo. Hoc enim etiam a profanis fieri, ostendit post *Jensium* ad Lucianum p. 70. *Hombergius* l. c. p. 122.

κατευθῦναι) Verbo εὐθύνειν in eodem sensu utitur *Xenophon* in principio Cyropædiæ. Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 176.

εἰς ὁδὸν εἰρήνης) ὁδὸν hic de *ratione* seu *modo* dici ad exemplum vocis

Hebraicæ דרך vel אורח plerisque visum est. Sed profanos quoque Scriptores vocem Græcam in eadem notione adhibere, ostendit *Pfochenius* §. 97. Confer & *Gatackerum* in opposita ipsi diatribe cap. XXXII. & ad *Antoninum* l. 9. & V. 24.

Vers. 80. ἕως ἡμέρας) De Hebraismo hoc monuit *Vorstius* Part. I. Philolog. p. 85.

ἡμέρας ἀναδείξεως) Diem hunc eum esse, quo Johannes officium suum auspicatus, vel ad illud inauguratus est, ex usu vocis Græcæ, profanis Scriptoribus recepto, ostendit ad h. l. *Erasmus Schmidius*, cui adstipulantur Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 176. sq. & *Elsnerus* p. 183. Ita *Plutarchus* Mario p. 409. ἀνάδειξιν pro creatione seu inauguratione ad munus aliquod usurpat, *Zosimus* vero lib. I. p. 638. ἀναδεικνῦναι βασιλέα dicit. Conf. *Act.* I. 24.

Pertinet huc meditatio Scripturaria de Patrum quorundam sententia, quod Johannes μεσίτης sit inter V. & N. T. quæ exstat in Unschuld. Nachrichten an. 1711. p. 67. sq.

CAP. II.

CAput hoc II. integrum persequitur *Herman. Deusingius* in Allegoria Historiarum Allegorico-Prophetica p. 136--261. Sed illius quidem cogitata, ad sensum mysticum quippe relata, ab instituto nostro aliena sunt, neque hic repetenda. Propius vero huc faciunt ea, quæ *Ant. Bynæus* de septem primis hujus capitis versibus commentatus est in libris II. de Natali Jesu Christi p. 277. sqq.

Vers. 1. ἐξῆλθε δόγμα) i. e. *sententia* sive *decretum*, ut *Actor.* XVII. 7. quam notionem eidem voci tribuit *Polybius* p. 14. 410. & 411. observante *Raphelio* in Notis Polybian. p. 178. Ex veteri Jure vocem hanc illustrat *Jac. Hasæus* in Biblioth. Bremens. Class. I. p. 308. sq. Confer etiam *Suiceri* Thesaurum Eccles. Tom. I. p. 932.

ἀπογράφεσθαι) i. e. *ut singuli homines, nomen suum profitentes, referantur in publicas tabulas*, qua ratione verbum hoc explicat *Jac. Perizonius* ad *Æliani* Var. Histor. IV. 25. monens præterea, τὸ ἀπογράφεσθαι passive hic sumendum in subjectionis signum. Conf. Cl. *Elsnerum* ad h. l. p. 183. cetera Perizonii sententiam idoneis veterum locis adstruentem, nisi quod τὸ ἀπογράφεσθαι activa notione hic pollere censeat, ut idem sit, quod *profiteri nomen suum* in tabulas referendum. Quod ad rem ipsam, nihil interest, utrum eligas. De censu ipso, ejusque circumstantiis a Luca hic memoratis, varie inter eruditos disputatum est, quæ omnia curate hic persequi nunc non licet. Legi itaque inprimis velim ex Reformatis post *Bynæum* l. c.

Span-

Spanhemium in Dubiis Evangel. *Pet. Allixium* in Diatriba de anno & menſe natali J. C. p. 16-38. *Jo. Marckium* in Exercitt. Exegetic. XXXII. p. 579. ſq. *Jo. Maſſonum* de Jani templo Chriſto naſcente reſerato Sect. IV. p. 269. ſqq. & *Jac. Perizonii* Diſſ. ſingularem, diſquiſitioni ejus de Prætorio ſubjectam, de qua lege Acta Erud. Lipſ. 1691. p. 243. ſq. ex Pontificiis *Henr. Noriſium* in Cenotaphiis Piſanis Diſſ. II. c. 16. cujus cogitata in ſummam retulit Cl. *Clericus* Tom. V. Biblioth. Select. p. 76. ſq. *Poſſinum* in Spicileg. Evangel. p. 56. & *Jo. Harduinum* in Opp. Select. p. 618. ex noſtratibus denique B. *Ittigii* Selecta Capita Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. p. 334. Rev. *Sal. Deylingii* Obſervatt. Sacr. Part. I. p. 122. *Georg. Wolfg. Wedelium* Exercitt. Medico-Philologic. Centur. II. Dec. I. p. 1. ſqq. *Henr. Leonh. Schurzfleiſchium* in Anno Juliano p. 258. & *Barth. Chriſtian. Richardi* in Diſſ. ſingulari, Witteb. 1704. de Cenſu hoc Auguſti habita.

Nos potiora a *Pet. Allixio*, in diſſert. rariore, modo citata, in hoc argumentum allata, in compendio hic repetemus. Statuit is p. 16. cenſum a Luca relatum eundem eſſe cum eo, de quo Joſephus Antt. XVII. 3. exponat, eo potiſſimum nomine celebri, quod Phariſæi in illo nomina ſua & facultatum ſuarum æſtimationem dare recuſaverint. Rationes ita ſentiendi has affert, quod 1) ab utroque cenſus hic ad totam Judæorum gentem referatur. 2) Lucas primam dicat fuiſſe deſcriptionem, qualem Joſephum quoque facere, vel ex reluctatione Phariſæorum, nihil quippe ejusmodi hactenus expertorum, pateat. Idem Vir doctus exiſtimat, cenſum hunc revera factum eſſe a *Quirinio*, nec pro eo *Quintilium Varum* ſubſtituendum. Cum enim a Luca deſcriptio hæc dicatur prima ſub Quirinio, & cum ex Joſepho conſtet, Quirinium ſecundam feciſſe deſcriptionem Judææ, cum Archelao Herodis filio Judææ regnum ablatum eſt anno IX. a morte Herodis, A. V. 759. manifeſtum eſſe, ut Quirinius fecit ſecundam, ita etiam illam primam deſcriptionem, non vero Quintilium Varum feciſſe. Tempus huic cenſui vernum aſſignat p. 19. abſolutumque credit ante conventum Berythenſem p. 20. qui medio Majo habitus ſit in cauſa Alexandri & Ariſtobuli Herodis ex Mariamne filiorum A. V. 749. Atque ex his in ſummam collatis manifeſtum eſſe putat 1) hunc cenſum, quem memoret Joſephus, nec A. V. 748. nec A. V. 750. nec A. V. 751. factum eſſe, quod Viris doctis placuerit. 2) nec illum cenſum poſt Q. Vari acceſſum in Syriam fuiſſe continuatum A. V. 749. quod alii voluerint; denique vero 3) eundem Lucæ cenſum cum illo Joſephi eſſe. Ad hæc ulterius confirmanda idem uſque ad p. 38. diligenter inquirit in ſeriem rerum, ante hunc cenſum geſtarum, & in res Quirinii ipſius. Nobis quidem hujus ſententiæ præſidia nec afferre hic, nec expendere nunc licet.

πᾶσαν τὴν οἰκουμένην) ea eſt, quam *Plutarchus* τὴν ὑπὸ Ῥωμαίων οἰκουμένην i. e. *orbem Romanis ſubjectum*, vocat in Pompejo p. 631. Ita enim *Polybius* quoque & alii Scriptores de Romanorum imperio loquuntur, tanquam totum terra-

terrarum orbem complexum fuerit; vide *Polybium* lib. VI. c. 48. p. 686. item p. 714. & 972. nec non *Dionys.* Halicarnaſſ. lib. I. p. 3. & alios a *Spanhemio* in Diſſertatt. de Orbe Romano, Rev. *Raphelio* in Notis Polybian. p. 178. ſqq. *Suicero* Tom. II. Theſauri p. 466. & Cl. *Elsnero* p. 184. laudatos. Iis adde *Julianum* Tom. II. Opp. p. 173. & 174. Confer *Bergierium* Tom. X. Antt. Rom. p. 216. Hic vero inprimis diſputatur, utrum per οἰκουμένην terra *omnis*, imperio Romanorum ſubjecta, an *Judæa* tantum intelligenda veniat? *Judæam* hic tantum indicari volunt *Rob. Keuchenius* in notis ad h. l. *Borremanſius* in Veſperis Gorinchemenſ. p. 96. & 113. *Henr. Chriſtian. Henninius* in notis ad Bergierium de publicis ac militaribus populi Romani viis Tom. X. Antt. Rom. p. 647. & *Bynæus* de natali J. C. p. 304. ſqq. ex noſtratibus vero Cl. *Fabricius* ad Codic. Apocr. N. T. Tom. I. p. 103. *Totum Romanum imperium* viciſſim reſpici putant noſtratium plerique, nominatim *Saubertus* in Opp. Poſthum. p. 27. Cl. *Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib. I. p. 88. & *Pet. Zornius* in Opuſculis Sacris p. 69. ex ceteris autem *Nic. Bergierius* l. c. p. 216. & *Sam. Basnagius* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 184. ſq. ut alios omittam. Pro Judæa, hic ſpeciatim ſignificata, pugnare inprimis videtur id, quod verſu 2. præfectura Syriæ diſerte appellatur.

Verſ. 2. αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη &c.) Eſſe Virum doctum, qui totum hoc comma, tanquam cum temporum rationibus pugnans, ex gloſſemate marginali natum ſuſpicetur, teſtatur Rev. *Pfaffius* in diſſ. de Variant Lect. N. T. 235. Sed conjecturam hanc a temeritate abſolvi non patitur perpetuus Codicum, verſionum & interpretum, ut alia taceam, conſenſus.

πρώτη) Cum *Joſephus* l. c. aliam deſcriptionem, Quiriniana illa priorem, memoraſſe plerisque videatur, ut proinde iſta Quirini pro prima haberi nequeat, in eam nonnulli deſcenderunt ſententiam, ut πρώτη idem hic eſſe cenſerent, quod πρότερον, ſeu προτέραν, quaſi Lucas indicaret, hanc deſcriptionem *ante* factam eſſe, quam *Quirinius* Syriæ præeſſet. Ita ex noſtratibus *Eraſm. Schmidius* in notis ad h. l. qui idonea affert Scriptorum exempla, *Herwartus* item, *Keplerus*, *Strauchius* Chronolog. lib. IV. p. 1070. *Trillerus* in der Unterſuchung etlicher Oerter Neues Teſtaments p. 38. approbante *Pfeifero* in ſuis ad illum libellum animadverſt. p. 7. & *Wolfburgius* in Obſervatt. Sacris p. 516. ex ceteris vero *Joſ. Scaliger* de Emendat. Temporum p. 504. *Keuchenius* ad h. l. p. 118. *Relandus* p. 423. Antt. Hebr. *Perizonius* in Diſſert. de Auguſtea orbis deſcriptione, *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 355. & *Nic. Toinardus* in Harmonia Evangeliſtarum, de quo vide Act. Erudit. Lipſienſ. Tom. IV. Supplem. p. 508. Sed vide, quæ contra hæc diſputant B. *Waltherus* in Harmon. Biblica p. 455. *Schönlandius* in Reſponſis ad libellum Trillerianum p. 109. ſq. & noviſſime Rev. *Deylingius* Part. I. Obſſ. Sacr. p. 126.

ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας) *Quirinio* hanc provinciam tunc ſpeciatim commiſſam

missam esse, statuit *Cellarius* in Dissertatt. p. 54. quod ipsum amplius exponit Rev. *Deyling.* Part. II. Obss. Sacr. p. 326. ubi de eo, utrum is Præses Syriæ fuerit, an Procurator tantum, disquirit.

Κυρηνίε) Alii Codd. scribunt Κυρινίε, vel Κηρυνίε, vel Κυρεινίε, teste *Millio.* Non alium hic indicari, quam *Quirinum* vel *Quirinium*, ostendit *Wetsteinius* in Orationibus de genuina pronunciatione Linguæ Gr. p. 141. Κυρίνον proprie appellatum fuisse ex numo quodam, qui nomen ita exprimat, probare instituit *Harduinus* in Opp. Select. p. 618. qui præterea monet, nomen esse Græcum hominis Græci. Quirinum hunc Saturnino, Syriæ inferioris vicinarumque provinciarum Phœniciæ & Palæstinæ Præsidi, collegam in hoc census negotio datum fuisse, existimat *Paul. Pezronius* in Historia Evangelica per Judaicam & Romanam confirmata p. 64. sq. Id enim apud Romanos receptum fuisse variis exemplis ostendit, ut censui instituendo plures adhiberentur. Hujus vero Quirini nomen recitasse Lucam autumat, quod ipse, quamvis delegata potestate, censum in Judæa exegerit: sicut Saturnini, utpote ordinarii in Syria Magistratus, nomen in Tabulis censualibus Romæ, a Tertulliano descriptum comparuerit. Confer de hoc *Quirino* præter citatos *Pitschmanni* Dubia Ecclesiast. N. T. Sec. I. p. 9. sqq. Qui pro *Quirinio* Κυιντίλε i. e. *Quintilii* cum *Huetio* legendum temere putarunt, eos confutatos vide a *Deylingio* Part. I. Obss. Sacr. p. 127. Illis adde *Lud. Cappellum* ὁμόψηφον p. 107. Compend. Hist. Judaic. & *Sam. Parkerum* in Demonstratione divinitatis religionis Christianæ, Anglice scripta p. 215. sq. Pro *Quirinii* nomine alterum *Sentii Saturnini* legi non magis ex vero vult *Valesius* ad Eusebium p. 11.

Mihi quidem in tota hac causa, variis difficultatibus impedita, illi optime hactenus versati videntur, qui contextui Græco, qualis hodie exstat, nullam vim aut mutationem inferunt; præterea vero descriptionem a Josepho memoratam, ab hac D. Lucæ distinguunt, tanquam *tempore*, *causis*, *eventu* & *amplitudine* quoque ab illa diversam: πρώτην vero hic istam Quirini dici arbitrantur respectu δευτέρας, ab eodem in Judæa peractæ, de qua *Act.* V. 37. Cumque certum sit, fide Tertulliani, Sentium Saturninum eo tempore ordinarium Syriæ Præsidem fuisse, Quirinium ab ipso Augusto extra ordinem ad hoc negotium missum & Saturnino adjunctum esse, probabile reddidit *Pezronius* l. c. quod & ipsum verbum ἡγεμονεύειν patitur. In hanc sententiam lege inprimis sæpe laudatum *Deylingium* P. I. Obss. Sacr. p. 128. Conf. præterea de toto hoc argumento *Christoph. Pihlmanni* Disp. de ἀπογραφῇ Augusti œcumenica, Aboæ, Præside *Munstero*, habitam, nec non Rev. *Wernsdorfii* Disp. de censu, Witteb. 1693. itemque *Ulric. Obrecht* aliam, *Argentor.* 1675. Occasio hic nobis nascitur de *anno*, *mense* & *die natali* Domini nostri dicendi, cum hoc potissimum loco Chronologus non unus ad illos definiendos usus sit. Sed cum nimis amplum sit hoc argumentum, & a permultis disputatum, sufficerit hoc loco, eos commemorasse, qui præ ceteris hic videantur consulendi.

In *anno* Christi natali determinando in diversissimas vias veteres & recentiores abierunt, quod post *Mich. Neandrum* in Testimoniis vett. Hebr. de Christo, subjunctis Erotematibus ejus L. Hebr. p. 213. sq. *Ricciolum* l. VII. Chronologiæ Reformatæ p. 292. sq. *Carolum Josephum Imbonatum* in calce Biblioth. Latino-Hebrææ, ubi adventum Christi a Judæorum exceptionibus vindicat, p. 30. sqq. *Pet. Allixium* in Diatriba de anno & mense natali J. C. p. 1. sq. & alios singulari cura & diligentia ostendit eruditissimus Amicus noster *Jo. Albertus Fabricius* in Biblioth. Antiquaria p. 187. sqq.

In *mense* aut *die* natali Christi computando non minor est dissentientium varietas, adeo, ut vix ullus sit mensis, cui hæc gloria a nonnullis non sit tributa. Vide hanc in rem B. *Jo. Frider. Mayeri* Dissertat. de eo, *quod quilibet anni mensis gloriam nati Servatoris ambitiose sibi asserat*, Gryphiswald. an. 1701. & laudatum modo *Fabricium* in Bibliographia Antiquaria p. 342. sq. ubi tabulam, menses omnes persequentem, suisque auctoribus munitam habes. Pro XXV. die Decembris pugnavit strenue *Jo. Seldenus* libro singulari Anglice edito, sub titulo: *God made Man, Londin.* 1661. 8. ex nostratibus vero *Jo. Langius* de Annis Christi lib. II. c. 1. p. 357. quam tamen sententiam *Allixius* l. c. p. 7. natam putat ex absurdissima, quam vocat, suppositione, quod Zacharias, Johannis pater, fuerit in sanctuario, cum Johannem Baptistam ex Elisabetha sibi nasciturum ab Angelo audiret.

Exstant præterea singulares variorum dissertationes ad eandem hanc causam conficiendam spectantes, quarum potiores afferemus. Qui ex *numis* de hoc argumento commentati sunt, recensentur a Celeb. *Val. Ern. Læschero* in Dissert. de usu rei numariæ in Hist. Eccles. c. I. §. 2. quæ recusa exstat in Stromatibus ejus p. 184. sq. *Vaillantii* Dissert. de die Christi natali ex numis detecto exstat in Memoriis Literariis ad Academiam Inscriptionum pertinentibus Tom. IV. p. 181. sqq. Conf. Memor. Trevultinas anni 1703. Tom. VI. p. 263. sq. ed. Amstelod. Is 25. Decembris diem adstruit, sed eum, qui non in Dionysio ad A. V. C. 753. sed 749. incidat. Cl. *Vignolii* Dissert. de die Christi natalitio non ita pridem exhibita est in *Biblioth. Germanica*, quæ ab aliquo tempore gallice edi cœpit Tom. II. p. 29-71. in qua contra Latinos, 25. *Dec.* & Græcos, diem 6. *Januarii* hic amplectentes, disputatur, proque iis 20. *Maji* substituitur, tanquam qui traditione antiquissima nitatur.

Adde his *Sal. van Til* Dissert. paradoxam Theologico-Chronologic. de anno, mense & die nati Christi, quæ subjuncta est Phosphoro ejus Prophetico, Lugd. Bat. 1704. 4. in qua nativitatem Christi diei 21. Octobris anni Juliani 42. vindicare conatur post *Mich. Senescballum*, qui eandem fere sententiam tuetur in *Triade Evangelica de anno, mense & die Christi nati, baptizati & mortui* Leodii 1670. 4. Istam vero *Tillii* sententiam sub examen vocavit *Jo. Mackius* Dissertat. singulari, quæ recusa est in Sylloge Dissertatt. Philologic. Theologic. Roterod. 1721. 4. ed. Exercitat. I.

De

De menſe naſcentis Domini contra Bochartum diſputat *Franc. Wörgerus* in Triga Diſſertatt. Sacrarum n. III. Nuper quoque in hanc rem inquiſivit *Jo. Jac. Hottingerus* ſingulari diatriba, quæ in Pentade Diſſertationum ejus exſtat. Nec ita pridem Rev. *Cornel. Dieteric. Koch*, Acad. Juliæ Theologus, Diſſert. edidit de anno natali J. C. per numum & fata Antipæ Herodumque ceterorum demonſtrato, Helmſtad. 1721. 4.

Quæ hic præterea exſtant eruditorum de nativitate Chriſti, ejusque circumſtantiis & momentis variis Diſſertt. eas a *Wildeshauſenio* in Bibliotheca Diſputationum recenſitas videbis. Adde illis Rev. *Georg. Henr. Gœtzii* Problema Theologicum: Num Maria, filium Dei pariens, obſtetricis opere uſa fuerit? *Lubec.* 1707. 4. & ejusdem diatriben de eo: Num Filius Dei, cum naſceretur, lacrymatus fuerit? ibid. 1708. nec non Cl. *Jo. Henr. Maji*, Filii, Diſſertat. de hiſtoria Nativitatis Chriſti philologicis obſervationibus illuſtrata, *Gieſſ.* 1717. 4.

Verſ. 4. πόλιν Δαβὶδ) Joh. VII. 42. dicitur κώμη, *vicus*, ſive, ut habet Latina verſio, *caſtellum*. Gloſſarium κώμη, *villa, caſtellum, vicus*. Et Hieronymus modo appellat *villam*, ut in epiſtola ad Marcellam: modo etiam *villulam*, ut in altera ad eandem Marcellam: aliquando *vix parvum viculum*, ut ad caput V. Michæ. Fuerunt itaque, qui apud Lucam II. 4. legerent κώμην, non autem πόλιν, ut auctor eſt Epiphanius hæreſi 51. Ita *Caſaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 147. ſq. Sed crediderim, Epiphanium per ἀντίγραφον τῶν Εὐαγγελιςῶν duplex, ad quod provocat, non duo exempla ejusdem Evangeliſtæ, v. c. Lucæ, ſed exemplaria duorum diverſorum Evangeliſtarum, alterum Lucæ, qui πόλιν hic vocat, alterum Johannis, cui κώμη appellatur, indicare voluiſſe, quia alioquin, ſi de uno eodemque Evangeliſta ipſi ſermo fuiſſet, non videtur ἀντίγραφον Εὐαγγελιςῶν, ſed Εὐαγγελιςῦ in ſingulari numero fuiſſe advocaturus. Accedit, quod nullus Codex, vel allegatio a veteribus Scriptoribus facta, hujus varietatis mentionem faciat. Idem Caſaub. l. c. de eo diligenter commentatur, utrum Chriſtus in vico ipſo, an in vicinia & agro Bethlehemitico, aut in ſuburbiis ejus natus ſit, & contra Baronium ipſum vicum natalem Chriſti locum præbuiſſe adſtruit. Conf. Cl. *Fabricium* ad Codicem Apocryph. N. T. p. 105. qui exiſtimat, ex verbis Matthæi II. 1. & noſtri Lucæ difficilius hanc controverſiam decidi. Cum Caſaubono facit *Saldenus* in Otiis Theologicis p. 800. ſqq. Atque horum ſententia mihi videtur probabilior.

Quæ ex hoc commate, cum tempore, quo Feſta Conceptionis Jeſu & Nativitatis ejus celebrari ſolent, collato, ad fidem narrationis Evangelicæ labefactandam attulit Scriptor libri *Chiſſuck Emuna*, ea diluit *Guſſetus* in Confutatione ejus p. 394.

Verſ. 7. τὸν πρωτότοκον) Vide ad *Matth.* I. 25.

ἐν τῇ φάτνῃ) Vocem hanc alii de *præsepi*, alii de *stabulo*, alii de *specu* vel communi πλωχοδοχείῳ explicant, quod scilicet stabuli nomen habuerit, vel præsepis insigni fuerit notatum. Vide omnino *Jo. Marckii* Exercitat. Textual. XXXI. qui recte in primo significatu persistit, ideo, quod hæc propria vocis sit notio, præterea vero φάτνη non Mariæ & Josepho, sed soli Christo tanquam locus proprius tribuatur, tum & commemoretur gestus corporis jacentis, cunis magis quam cubiculo conveniens. Adde cum ipso consentientem *Alex. Morum* in Notis p. 62. Pro *stabulo* accipit *Salmasius* de Usuris p. 352. quia φάτνη hoc significatu passim, nominatim apud *Pollucem* veniat, stabula autem diversoriis jungi olim consueverint. In eandem rem cum optimis ac vetustissimis libris sine articulo τῇ hic legi vult ἐν φάτνῃ, quod & Ægyptiaca versio confirmet & Arabica. Viciſſim magnam hic esse articuli vim, contendit *Casaubonus* adversus Baronium p. 145. Generalem enim appellationem præsepis restringi peculiariter ad illud præsepe, quod erat in stabulo pertinente ad diversorium, cujus præcesserit mentio. Scribere voluit vir doctus, diversorii mentionem sequi, quod ex contextus serie patet. Mihi quidem non videtur dubium, articulum τῇ a Luca ipso profectum esse, quippe qui repetitis vicibus v. 12. & 16. occurrat; neque credo, sine eo si sit, Casauboni sententiam collabi, vel contrariam Salmasii confirmari, cum constet, in usu articulorum Græcorum non nimis rigide versandum esse. Quod ipsum quoque contra *Abrah. Scultetum* & alios in hac causa tenendum est, qui ex articulo, voci φάτνη & κατάλυμα addito, contendunt, hic certum locum præsepis, *antrum* scilicet quoddam *subterraneum* denotari, & unum tantum diversorium Bethlehemi fuisse innui. Scilicet in hoc capite habent illi nonnullos veterum sibi præeuntes, qui de spelunca cogitarunt, in qua Christus & natus & circumcisus sit. Testimonia lege apud *Spencerum* ad Origenis libros contra Celsum p. 31. Quam sententiam ex parte amplectitur *Casaubonus* adversus Baronium p. 145. eo scilicet sensu, quod, cum Bethlehem in saxeo colle sita fuerit, pleræque domus, atque adeo & diversorium illud, in saxis excidi debuerint. Neque tamen de antro αὐτοφυεῖ & naturali, cujusmodi a Poetis memorentur, hic cogitari vult: quam *Sculteti* sententiam ex nostratibus confutat *Jos. Arndius* in Miscellaneis Sacris p. 38. Et tamen vel sic antrum illud hodie peregrinantibus ostendi constat. De bubus & asinis, præsepe Christi cingentibus, *Gregorius* uterque, *Hieronymus* & alii nonnulla tradunt, a recentioribus certatim & facilius, quam par erat, recepta, imo commentis aliis aucta, sed ab aliis explosa. Vide *Robrii* Pictorem Errantem Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 868. Adde ad v. 12.

ἐν τῷ καταλύματι) κατάλυμα ut & κατάλυσις est diversorium, vel mansio, in qua quis requiescendo & resolvendo se ex itineris labore, aut cibum capit, aut somnum viator, aut utrumque. Hinc καταλῦσαι apud *Hesychium* τὸ ἀπολαῦσαι, εὐωχηθῆναι. Ita *Salmasius* de Usuris p. 353. Ceterum de

de hoc & sequentibus commatibus digna est, quæ legatur commentatio Gallica *de præsepi Domini nostri* Ill. *Ezech. Spanhemii*, quæ tertia vice *Berolini* recusa prodiit an. 1695. 12. Commata inter 8 & 13. interjecta illustrat quoque *Jo. Claudius* in Operibus Posth. Tom. I. p. 261.

Vers. 8. ποιμένες ἀγραυλοῦντες) Verbum hoc alii interpretantur ita, ut idem fit, quod *in agris vitam sub dio degere*, vel *in agris morari*, quæ sententia est *Casauboni* contra Baronium p. 570. & *Grotii*. Alii vero de *pernoctatione in agris* & *excubiis noctu actis* accipere malunt, pro qua re pugnat inprimis *Bochartus* in Hierozoico Part. I. lib. II. c. 44. & ante eum *Camerarius*, cum quibus & facit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ubi præterea elegantem *Strabonis* locum affert ex lib. XV. p. 848. ubi Persarum præfectos docere narrat, καὶ ποιμαίνειν δὲ καὶ ἀγραυλεῖν, καὶ καρποῖς ἀγρίοις χρῆσθαι. Addit quoque *Euripidem* in Rheso v. 551. & *Homerum* Iliad. VIII. v. 555. unde pateat, pastores noctu in agris apud greges suos durasse, & tibiis quoque singularibus tunc esse usos. Nihil hic definit, sed in priorem tamen sententiam inclinat *Suicerus* in Thesauro Ecclesiast. Tom. I. p. 69. Posteriori magis favet *Elsnerus* ad h. l. p. 185. qui ait, indicari hic *pastores in agris excubantes* ἐν αὐλαῖς, *cratibus*, *aut stabulis subdialibus*. Mihi quidem priorum partes præferendæ videntur, inprimis cum statim addatur φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς, ad temporis scilicet differentiam indicandam, ut intelligatur, pastores, qui alias generatim tum interdiu tum noctu ἀγραυλεῖν dicuntur, tunc in excubiis nocturnis versatos esse. Confer in eandem sententiam *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Biblicas Tom. I. p. 34. Ex his patet simul, quid respondendum sit illis, qui Salvatorem nostrum mense Decembri natum esse inficiantur ex eo, quod pastores noctu excubuisse dicantur. Vide contra hos disputantem *Seldenum* in Dissert. de die Christi natali p. 76. Cur pastoribus potissimum hæc nunciarit Angelus, ex Patribus edisserit *Suicerus* in Thesauro Tom. II. p. 789.

φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτὸς) Hebraicam phrasin hic agnoscit *Lud. Cappellus* in notis ad h. l. Hebræi enim dicunt משמרות שומרים. Cave tamen putes, a Græcismo prorsus alienam. Nam & *Xenophon* ea utitur aliquoties, v. c. Cyropædiæ lib. II. p. 229. & lib. V. p. 269. Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 84. Vide & *Pauli Bergeri* Dissert. singularem de verbo τηρεῖν & φυλάττειν.

Vers. 9. ἄγγελος Κυρίου ἐπέστη αὐτοῖς) De Deorum & Angelorum apparitione Gentiles, & nominatim Poetæ, passim falso gloriantur. Lege *Elsnerum* ad Act. IX. 7. p. 405.

Vers. 12. Καὶ τοῦτο ὑμῖν τὸ σημεῖον) frequentem Ellipsin verbi Substantivi in hoc loquendi genere apud Polybium observari, ostendit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 182.

κείμενον ἐν τῇ φάτνῃ) Vide huc *Georg. Gœtzii* Dissertatt. II. de Præsepio

Christi, Jen. 1662. recus. 1703. & *Jo. Christ. Letschii* Disp. de cunabulis Christi, *Witemb.* 1675. item *Dav. Vogelii* de stabulo Bethlehemitico, *Regiom.* 1706.

Vers. 13. πλῆθος στρατιᾶς οὐρανίου) De phrasi hac, qua Angelorum copia indicatur, lege *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 25.

Vers. 14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία) Vide huc Programma Lipsiense an. 1702. editum, & a *Gabr. Terne* in Sylloge I. Programmatum Exegeticorum p. 463. sqq. recusum, ubi inprimis vindicatur communis lectio εὐδοκία contra Codd. nonnullos & versiones, in quibus εὐδοκίας in gignendi casu exhibetur. Eandem tuetur contra *Gothic.* & *Anglo-Saxon.* versiones *Mareschallus* in Observatt. ad Gothic. p. 447. & ex nostratibus *Hackspanius* in Notis p. 270. sq. Mirum itaque, *Millium* hanc ipsam (εὐδοκίας) suam facere potuisse in Prolegomenis, qui tamen adeo sibi hic non constat, ut in notis ad locum Lucæ ipsum rejiciat : quam in rem confer *Whitbii* Examen p. 92. & p. 44. b. *Rich. Simon* in vers. Gall. eandem amplexus est in gratiam scilicet Vulgati Interpretis. Optatus tamen ex veteribus probavit, quod monuit *Jo. Clericus* in Epistola, quæ in limine edit. Amstelod. Novi Testamenti Milliani recusa exstat, & forte *Juvencus*, quo vide *Acta Erud.* an. 1710. p. 303. Interpretes Montenses Vulgatum hic itidem sequuntur, ubi comparanda quoque est *Arnaldi* defensio nova Versionis Montensis p. 110. sqq. Ex Reformatis lectionem εὐδοκίας præfert *Alex. Morus* in Notis p. 62. eo sensu, ut hymnus sit bimembris, in quo gloria Deo tribuatur in excelsis inter beatos Angelos, & pax annuncietur in terra inter homines electos, qui hic vocentur ἄνθρωποι εὐδοκίας respectu Angelorum, qui Deo reconciliari non debebant.

Totum hoc comma fuse exponitur ab *Ant. Bynæo* de Calceis Hebræorum p. 115-129. editionis prioris Dordracenæ an. 1682. Nam in posteriore ista quidem omissa videbis. Vide præterea *Jo. Marckii* Exercitatt. Scripturar. n. VIII, qui vocem εὐδοκία pro concreto positam putat, ut idem sit quod εὐδόκιμος, vel εὐδοκούμενος h. e. *is, quo quis delectatur*, per quem idem Servatorem vult intelligi, qui non minus Deo Patri, quam hominibus in deliciis sit.

Nonnulli phrasin integram ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία scholion marginale esse censent, explicationis causa additum, & deinde textui illatum, quæ *Bezæ* est sententia ad *Marc.* IX. 43. Sed eam recte deserit *Hombergius* in Parergis p. 122. qui posteriorem hanc phrasin pro explicatione quidem proxime antecedentis : ἐπὶ γῆς εἰρήνη habet, sed talem tamen judicat, quæ ab ipso Luca sit profecta, ad exemplum similium Scripturæ locorum, in quibus prius per proxime sequens illustratur. Vide v. c. *Marc.* IX. 43. 45. εἰς τὴν γέενναν, quod exponitur statim per : εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον. Conf. XII. 23. & 44. item *Joh.* I. 7. Sensum itaque hunc esse vult : *Deo gloria parta est in altissimis, Deo*

pax

pax est in terra, & denique Deo beneplacitum est in hominibus. Idem fere jam ante statuit *Grotius*, & novissime *Elsnerus* in Obss. Sacr. p. 182. qui ita: *καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, id est, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, ubi hæc posteriora priora explicant. Ita enim hunc locum* (ita pergit) *cum Grotio aliisque accipere malo, ut totum illud votum ad Deum, & si mavis, ad Filium referatur. Conf. infra XIX. 38. quo modo evanescent motæ de illo loco difficultates.* Hombergianam illam interpretationem ornavit & adstruxit *Jo. Hasæus* in Biblioth. Bremens. Class. I. p. 713. sqq. contra *Bezam* ibidem disputans. Confer tamen notas Cl. *Lampii* ibidem textui substratas, & adde ejusdem *Hasæi* responsionem Class. II. p. 1057. sq. ubi eidem expositioni insistit, aliis nonnullis præsidiis allatis. Sed omnia ista assensum non extorserunt Viro doctissimo, *Jo. Laurent. Moshemio*, qui potius in Observatt. Sacris lib. I. cap. II. p. 106. sqq. & alias Virorum doctorum de h. l. sententias, & hanc ipsam *Hasæi* examinat & deserit, novam ipse viam ingressus. Mutata enim nonnihil interpunctione, ita totum comma legi vult: Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς, Εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. Atque hanc posteriorem phrasin ita convertit: *pax inter homines bona voluntas Dei est:* h. e. placet Numini, ut Judæi gentesque per Christum in unum corpus coalescant. Mihi quidem, quod pace Viri docti dixerim, communis interpunctio, tot versionum & interpretum auctoritate confirmata, migranda non videtur, cum nulla gravis causa id requirat, ac præterea posterior phrasis: *pax inter homines bona voluntas Dei est*, id incommodi habeat, quod Dei nomen ex antecedentibus repetat, & stylo Scripturæ Sacræ minus convenienter dici videatur, pacem inter homines bonam esse Dei voluntatem. Cum enim alias voces εὐδοκία & εὐδοκεῖν cum particula ἐν ita conjungi soleant, ut beneplacitum inferatur de eare, de qua sermo est, conceptum: hic vero eadem occurrat constructio: ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία, non video, qui commode hoc loco τὸ ἐν per *inter* converti possit. Malim igitur hactenus in ea sententia acquiescere, quod phrasis ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία inserviat illustrationi antecedentis. Sicut enim illa de *pace terræ* exponit, ita posteriorem pacem hanc ad homines speciatim ex *benevola Dei voluntate* pertinere indicat. Ita in voto hoc *cœlum* cum *terra* conjungitur. Deo in cœlo laus, hominibus in terra pax & gratiosa Dei voluntas vindicatur. Atque id quidem non dubito plerisque magis placiturum, quam quod post *Lightfootum* ad h. l. arrisit *Salomoni van Til* in singulari concione de his verbis habita, & nuper *Hermanno van de Wall* in Biblioth. Bremens. Class. III. p. 189. Illi enim phrasin ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία pro subjecto habent hujus orationis, ad quod antecedentia instar prædicatorum pertineant, hoc sensu: *Beneplacitum in hominibus a Deo, misso Filio suo demonstratum, est vel erit gloria in excelsis Deo, & pax in terra.* Ita enim ambages puto quæri, cum recta & plana via incedere liceat.

Multo minus audiendi sunt, qui verba δόξα ἐν ὑψίστοις per τελείαν σιγὴν a reliquis separant, ut sensus sit, gloriam esse in excelsis, propterea, quod

quod inter cœlum & terram pax facta ſit. Ita nonnullos hic ſtatuere, teſtis eſt *Alex. Morus* in Axiomatt. Theolog. p. 427.

Addam his denique *Jo. Albæ* Paraphraſin, quæ in Annotationibus ejus Selectis legitur p. 126. ſq. Senſum is hunc affert: *Gloria ſive laus ſit Deo pro ſua magna miſericordia: nam jam eſt in terra, vel jam venit in terram pax illa promiſſa: venit, inquam, hominibus i. e. ad hominum utilitatem, & mundi redemtionem.* Pacem itaque poſitam hic arbitratur pro *Pacifico*.

Ceterum hoc Angelorum, Deum celebrantium, exemplo Chriſtianos veteres doxologiam ſuam didiciſſe, exiſtimat B. *Adamus Rechenbergius* in Diſſert. de Doxologia Chriſtiana, quæ in *Exercitatt.* ejus recuſa exſtat p. 224. ſqq.

Verſ. 15. *οἱ ἄνθρωποι ὁ ποιμένες*) Pleonaſmum hic eſſe, eumque ex Hebraiſmo derivatum, exiſtimat *Grotius*. Sed & Græcis vocem ἄνθρωπος paſſim πλεονάζειν, ex Arriano ſpeciatim oſtendit Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 182. & *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 272. Arrianus diſerte δῆλος ἀνθρώπους appellat.

διέλθωμεν δὴ ἕως Βηθλεὲμ) Hinc idoneum argumentum capit *Saldenus* in Otiis Theologic. p. 802. quo conſtet, Chriſtum non in vicinia Bethlehemi, ſed in ipſo vico natum eſſe, quia alioquin paſtores dicere non potuiſſent, ſe Bethlehemum uſque progreſſuros eſſe, juxta quod certe jam conſtituti erant.

ἴδωμεν τὸ ῥῆμα τοῦτο) i. e. videamus rem illam, vel negotium hoc: ad imitationem verbi Hebr. דבר, quod & *verbum* & *rem* denotat. Confer *Hackſpanii* Notas p. 273. Ita Græci quoque ἔπος & λόγος pro *re* & *facto* accipere ſolent. Ἔπος quidem *Homerus* ſæpe, λόγος autem *Æſchylus* in Perſis v. 313. ubi conferendus eſt *Th. Stanlejus*, monente ad h. l. Cl. *Trillero*, qui præterea obſervat, *Scaligerum* ad Ceirin Virgilii & in Scaligeranis p. 336. tum vero *Taubmannum* ad Plauti Caſin. p. 428. monuiſſe recte, quod *res* Latinorum nihil aliud ſit, quam Græcorum ῥῆσις ſeu *dictio*.

ἐγνώρισεν ἡμῖν) i. e. non ſimpliciter *oſtendit*, aut *ſignificavit*, ſed potius: *certum indicium ſignumque nobis dedit*. Hanc enim vim verbi eſſe, ſicut & γνώρισμα *certum indicium* infert, H. *Stephanus* in Theſauro variis exemplis evicit, quod ad h. l. recte accommodat *Jenſius* in Ferculo Literario p. 36.

Verſ. 16. *καὶ ἀνεῦρον*) *diligenter inquiſitum invenerunt.* Iſta eſt vocis efficacia apud Arrianum Epictet. lib. II. c. 11. Conf. *Raphelii* Notas Polybianas p. 183.

Verſ. 17. *ἰδόντες δὲ διεγνώρισαν*) i. e. ipſi agnoſcebant veritatem indicii ſibi facti; vel etiam: enarrabant circumſtantibus, quid indicii ſibi ab Angelo

Angelo esset factum, & quemadmodum ipsi ita comperissent. Ita *Jensius* in Ferculo Literario p. 37. Hinc enim v. 18. dicitur, omnes, qui ista ex pastoribus, scilicet rem enarrantibus, intellexerint, miratos esse. Confer ad v. 15.

Vers. 19. συνετήρει τὰ ῥήματα) *Polybius* p. 1293. eodem verbo utitur de Senatu, dicens, συνετήρει παρ' ἑαυτῇ. Apud Lucam v. 51. occurrit διετήρησε τὸ ῥῆμα, quod exstat *Gen.* XXXVII. 11. observante *Elsnero* p. 185.

συμβάλλουσα ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῆς) Diversas phraseos hujus explicationes habes apud *Bynæum* de Natali Jesu Christi lib. II. p. 447. sq. Plerique de meditatione & cogitatione super his verbis instituta accipiunt. Ita & *Vulg.* accepit, vertens: *in corde suo revolvens*, pro quo lege *Boisii* Collationem p. 167. In hac sententia acquiescit quoque Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ubi Græcam phrasin similem βάλλειν ἐν φρεσὶ affert ex *Iliad.* I. 297. IV. 39. *Theocrit.* Idyll. XXV. 163. & aliis. *Hippocrates* in lib. de Genitura dixit ξυμβάλλεσθαι. Nove nec forte inconcinne *Elsnerus* p. 186. vertit: *servabat verba illa, mentem eorum probe assecuta in animo suo.* Reliqui scilicet omnes mirabantur, tot tamque augusta de hoc infante a pastoribus referri, cum, quo hæc tenderent, & quomodo in tantæ paupertatis puero locum habere possent, ignorarent. At Maria, cui ordine omnia ab Angelo prædicata erant c. I. v. 30. sq. probe omnia, atque adeo & illam pastorum prædicationem plene assequebatur. Hoc sensu *Apollodorus*, lib. I. c. 8. §. 16. & alii χρησμὸν συμβάλλειν i. e. *oraculum assequi* & sensum ejus percipere dicebant. Complura & idonea hanc in rem loca affert *Elsnerus*.

Vers. 21. totum illustrat *Bynæus* in Dissertat. singulari de Circumcisione Jesu, *Amstelod.* 1689. edita, & libris quidem duobus de Natali J. C. subjecta.

καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ) i. e. *cum jam appeteret dies octavus.* Nam τὸ πλησθῆναι, sicut & Hebr. מלא non semper infert complementum temporis quasi præterlapsi, sed ejus appropinquationem. Vide *Hackspanium* ad h. l. p. 273. Confer *Schönlandii* Vindicias versionis Lutheri p. 140. sq. contra *Trilleri* Untersuchung etlicher Oerter Neuen Testaments p. 100. ubi ostendit, idem sibi voluisse B. Lutherum, nec causam esse, cur versio ejus hic reprehendatur.

ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ) Die octavo infantibus nomen dari solitum *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 648. ex profanis Scriptoribus probat. Confer, quæ dicta sunt ad Luc. I. 59.

Fabulas de præputio Christi, alicubi superstite, explodit B. *Mayerus* in Ecloga ad Festum Circumcisionis qu. I.

Vers. 22. Vide huc B. *Mayeri* Eclog. ad Festum Purificationis Mariæ, *Witteb.* 1685.

καθαρισμοῦ αὐτῶν) Alii legunt αὐτοῦ, ut ad Christum solum, alii αὐτῆς, ut ad Mariam, alii, & quidem plerique omnes, αὐτῶν, ut ad utrumque referatur. *Vulg.* legit αὐτῆς, & cum eo Arabs, adstipulante inprimis *Casaubono* adversus Baronium p. 170. qui contra Origenem disputat. Vicissim in lectione αὐτῶν persistendum recte censent *Millius* ad h. l. & in Prolegomenis §. 676. 759. & 1438. & *Whitbius* in Examine p. 30. b. In eandem inclinat quoque *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 302. sqq. Scilicet, ut cetera taceam, causa erat aliqua, cur vox αὐτῶν in αὐτῆς mutaretur a sciolo, ne scilicet impuritas Christo tribui videretur; vicissim vero nulla dari potest, cur quis αὐτῆς in αὐτῶν converteret, nisi textus ita primum exhibuisset. Deinde Salvator debet omnino solennitate ista comprehendi, quia eodem commate dicitur adductus Hierosolymam ex præscripto legis. Quod ipsum quoque responsionem suppeditat illis dandam, qui purificatione Christum opus habuisse negant, ideo, quod esset sanctissimus. Hoc enim omne, ut alia ejusmodi, ultro susceperit, non tam sua conditione, quam Legis præscripto, qui se subjecerat, *Gal.* IV. 4. adductus. Conf. *Rich. Kidderi* Demonstrationem Messiæ Part. III. p. 83. sqq.

κατὰ τὸν νόμον Μωσέως, ἀνήγαγον αὐτὸν) verba κατὰ τὸν νόμον Μωσέως interpunctio consueta ad antecedentia ἐπλήσθησαν &c. refert, quæ tamen Elsnerus propius ad sequens ἀνήγαγον pertinere existimat, quia, quod Jesum Hierosolyma adduxerint, id præcipue juxta legem Mosis fecisse dicantur in sequentibus. Enimvero, cum in sequenti v. 23. diserta Mosis lex de primogenitis, Deo sacris, citetur, hæc vero consecratio repræsentatione, in templo facta, constaret, non video, cur sine pleonasmo verba κατὰ νόμον Μωσέως huc referri debeant. Vicissim causa prægnans est, cur ad definiendum purificationis tempus lex Mosis advocaretur, quippe in qua illud exacte determinatum est *Levit.* XII. 2. Taceo, non exstare expressam Legem de primogenitis in templo Hierosolymitano repræsentandis.

Puerperas etiam apud Gentiles lustratas esse, ostendunt præter *Jo. Lomeierum* de Lustrationibus veterum *Ezech. Spanhemius* ad Callimachi hymnum in Jovem v. 16. & in Delum v. 111. & *Elsnerus* p. 188. Atque hic quidem scite observat, verbum ἀνάγεσθαι h. l. commode adhiberi, quod alias de *sacrificiis* usurpari consueverit. Primogenita enim Deo sacra fuisse. Conf. *Act.* VII. 41. & *Rom.* XII. 1. ubi τὸ παραστῆσαι de sacrificio adhibetur. Ceterum de toto hoc ut & sequenti commate legatur *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 392. sqq.

Vers. 23. πᾶν ἄρσεν διανοῖγον μήτραν) Ex his verbis disputatum est inter Theologos Scholasticos, clausone an aperto utero pepererit Maria. Vide huc *Hackspanium* in Notis p. 273. Plerique recte statuunt, Christum non alio, quam reliquos homines, modo pari voluisse. Vid. *Wolfburgii* Observatt. Sacr. p. 466. Confer quos de hoc argumento magno numero allegant B.

Sam.

Sam. Bened. Carpzovius in der fruchtbringenden Gesellschaft Part. I. p. 181. *Arnaldus* in Defensione versionis Montensis p. 417. sqq. interpretationem Montensem tuetur ab exceptionibus Malleti, qui ægre tulerat, phrasin istam Græcam Gallice ita conversam esse: *tout enfant mâle premier né*: i. e. omnis masculus primogenitus.

Vers. 24. καὶ τὸ δοῦναι θυσίαν &c.) Confert hæc cum *Levit.* XII. *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 307.

κατὰ τὸ εἰρημένον) Cl. *Elsnerus* p. 189. rectius verti hæc putat per: *quod constitutum aut imperatum est lege Domini*, quomodo etiam capi vult illud *Matth.* V. 21. ἔτι ἐρρέθη τοῖς ἀρχαίοις. Hoc enim sensu *Pausaniam* Eliac. prior. c. 21. p. 433. commemorare τὸν εἰρημένον καιρὸν i. e. *præstitutum tempus*. Mihi quidem τὸ εἰρημένον idem hic inferre videtur quod τὸ ῥηθὲν, quo Matthæus frequenter utitur non solum de præceptis, sed & vaticiniis in V. T. pronunciatis. Lucas in tribus commatibus ter ad Legem Mosis provocans variis utitur formulis idem omnino inferentibus, puta κατὰ τὸν νόμον, ὡς γέγραπται & κατὰ τὸ εἰρημένον.

ζεῦγος τρυγόνων &c.) Patrum de hoc sacrificii genere cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 691.

Vers. 25. ᾧ ὄνομα Συμεών) *Simeonem* hunc esse istum Hillelis filium, cujus frequens est in Mischna mentio, cum *Scultetio* & *Altingio* de Schilo lib. IV. 21. Tom. V. Opp. p. 99. contendit *Lightfootus*, & ex nostratibus B. *Mayerus* in Ecloga Evangel. ad Festum Purificationis Mariæ, & alii, quos allegavi in Bibliotheca Hebræa Part. II. p. 862. Adversantur illis *Witsius* in Miscellaneis I. 21. p. 291. & *Relandus* in Antiquit. Hebr. p. 243. ut alios omittam. Conf. omnino *Matth. Thestrupii* Dissert. Chronol. I. de Simeone, *Hafn.* 1708. qui nostrum hunc cum Simeone Hillelis filio eundem esse statuit.

δίκαιος καὶ εὐλαβὴς) Posterior vox in nonnullis Codd. cum æquipollente alia εὐσεβὴς permutata invenitur, quam pro interpretamento vocis ignotioris habendam esse recte affirmat *Jensius* in Ferculo Literario p. 37. Idem vero hac voce Simeonem repræsentari putat, ut talem, qui res divinas & præsagia Prophetarum prudentissime & religiosissime consideravit, ita ut res accidentes & novos casus ad oracula attentissime exegerit, atque inde dijudicarit. De pietate in Deum generatim vocem hanc usurpari, patet ex *Actor.* II. 5. Sic *Plutarchus* in Camillo p. 139. εὐλάβειαν πρὸς τὸ θεῖον memorat. De timore & tremore speciatim a LXX. Interpretibus adhiberi observavit *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 393. cujus significatus exempla idem ex profanis affert p. 399. Verbum εὐλαβεῖσθαι de iis frequenter dici, qui vasa vitrea aut alia fragilia cum magna circumspectione tractent, ostendit *Isaacus Casaubonus* ad Aristophanis Equites v. 253. B. *Chemnitius* τὸ δίκαιος ad observationem præceptorum, τὸ εὐλαβὴς vero ad abstinentiam a prohibitis refert.

προσδεχόμενος παράκλησιν) Phrasis hæc explicanda venit ex sequente v. 38. ubi laudantur προσδεχόμενοι λύτρωσιν. Paraphrastæ, observante Hammondo, de diebus Messiæ loquentes נחמתא i. e. *consolationis*, voce utuntur; sicut Judæorum Magistri apud Abarbanelem præfat. in Jesaiam הגאולה העתידה i. e. *redemtionem futuram*, & התשועה העתידה i. e. *salutem futuram* commemorant. Confer *Campeg. Vitringæ* Observatt. Sacras lib. V. p. 83. in notis.

Vers. 26. καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον) divinitus ipsi declaratum erat. Conf. *Matth.* II. 12. ubi vide, quæ dicta sunt, & *Act.* X. 22. Profani Scriptores de responsis oraculorum adhibere solent, quod ostendit *Jensius* in Ferculo Literario p. 39. qui & alias verbi hujus notiones diligenter evolvit. Per somnum Simeonem rem hanc edoctum statuit B. *Mayerus* in Ecloga ad Festum Purificat. Mariæ. Idem sentit *Vitringa* in Obsservatt. Sacris lib. VI. p. 394.

μὴ ἰδεῖν θάνατον) Eadem phrasis apud τὸς LXX. Ps. LXXXVIII. 48. & *Joh.* VIII. 51. Ab Hebræis recte repetunt plerique, frustra adversante *Pfochenio* §. 104. contra quem vide, quæ disputant *Vorstius* in Philologia Sacra Part. II. p. 241. & *Moses Solanus* in Diss. singulari, quæ exstat in Syntagmate Rhenferdiano p. 302. Phrasin quidem eandem, sed alio sensu habet *Arrianus* lib. III. p. 332. Epictetearum.

Vers. 27. τῦ ποιῆσαι αὐτὸς) i. e. *ut sacrificarent*, si quidem credimus *Bosio* in Dissert. de Pontifice Maximo V. T. c. I. id affirmanti. Provocat is ad v. 24. τῦ δῦναι θυσίαν, cui verbum hoc ποιῆσαι exacte putat respondere, & ad profanos Scriptores, qui verbis similibus ῥέζειν, ἔρδειν, δρᾶν in eadem notione utuntur. Atque hoc posterius ostenderunt etiam B. *Fessclius* in Adversariis Sacris Tom. I. p. 303. & *Jo. Schulzius* in Florum Sparsione ad loca quædam in re literaria controversa p. 113. sq. Sed non est, cur ideo a consueta significatione hic abeamus. Nec de eo cogitavit *Lucas*, cum verbum ποιῆσαι hic referendum omnino sit ad sequentia περὶ αὐτῦ h. e. *ut facerent de eo*, scilicet Jesu, quod juxta legem consuetum erat.

Vers. 28. καὶ αὐτὸς ἐδέξατο) h. e. *ipse quoque* (Simeon) *accepit eum*, ad exemplum scilicet Sacerdotis, qui eum, Domino sistendum, complexus erat. Ita cum B. *Chemnitio* nostrate *Jac. Lydius*, in Florum Sparsione ad Passionem Dominicam p. 51.

εἰς τὰς ἀγκάλας αὐτῦ) Vide huc *Dieterici* Antiquitates Biblic. p. 27. sq.

Vers. 29 - 32. illustrantur a *Jo. Alba* in Selectis Annotat. in varia loca difficilia utriusque Testamenti p. 329 - 337.

Vers. 29. Νῦν ἀπολύεις) De liberatione ab ærumnis vitæ per mortem euphemismi causa hoc dici a sacris & profanis Scriptoribus, pridem ostendi-

oſtenſum eſt a *Pfochenio* de Stylo N. T. Addit. II. *Gatackero* de Stylo N. T. p. 45. & ad *Antonin.* XI. §. 3. *Alex. Moro* p. 63. qui inprimis hic multus eſt, *Suicero* Tom. II. Theſauri p. 464. *Hombergio* p. 123. *Raphelio* in Notis Polybianis p. 184. & *Ritmeiero* in Diſput. de Nomenclaturis mortis emphaticis §. 6. Adde illis Cl. *Trillerum* in Notis MSS. qui affert exempla phraſeos hujus ex *Themiſtio* de Anima, *Plutarcho* in Conſolat. ad Apollon. p. 66. & *Stobæo* Serm. CXIX. de laude mortis. Latini quoque eodem ſenſu dicunt dimittere. Conf. *Grotium* de Jure Belli & Pacis II. 29. §. 5. Emphaſin in verbis his latentem poſt alios excuſſit *Amelius* Part. I. p. 62. Elliptica eſſe, recte monuit *Morus* l. c. & *Hombergius*, quorum ille addi vult: *ex hoc ſeculo*, ſicut *Clem. Alexandr.* Strom. IV. dixit, τῶδε τῷ βίῳ ἀπολύεσθαι, hic verò obſervat, *Ælianum* Var. Hiſt. V. 6. plene dixiſſe, ἐκ τῶν τῷ σώματος δεσμῶν. Alii addunt ἀπὸ τῆς γῆς, vel τῷ σώματος, vel τῷ ζῆν, quos affert *Elsnerus* p. 190. Idem quoque pie monet, orare hic Simeonem, ut pium hominem decebat, profitentem ſcilicet ſolius Dei eſſe, homines, ut introducere in mundum, ſic educere rurſus; illis autem tamdiu in ſervitio ac ſtatione hujus vitæ perſiſtendum eſſe, quamdiu ſummo imperatori viſum fuerit. Gentiles, longe alia impie cogitantes, ubi calamitates vel adeſſent, vel imminerent, licere ſibi putabant violentis in ſe manibus uti, ſeque ἐκ τῷ βίῳ ἐξάγειν, quam in rem lege *Gatackerum* ad Antonin. lib. III. §. 1. p. 62. Sed his tamen ſapientiores alii ex iisdem contradixerunt, ut *Hierocles* in Carmina aurea p. 169.

δέσποτα) vocem δεσπότης de eo uſurpari, qui abſoluta imperandi poteſtate gaudeat, oſtendit *Ezech. Spanhemius* ad Juliani Orationes p. 80. ſq.

Simeonem abſoluto hoc cantico ſtatim exſpiraſſe, *Nicephorus* & alii memoriæ prodiderunt, id quod Lucæ verbis conſentaneum eſſe viſum eſt *Leoni Allatio* de Simeonum ſcriptis p. 4.

Verſ. 30. τὸ σωτήριόν σε) Lege ad v. 25. ubi de παρακλήσει. Σωτήριον hoc v. 32. per φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν explicari, ut ſenſus ſit, *viderunt oculi mei ſalutem tuam, qui eſt lux* &c. exiſtimat *Elsnerus* p. 182. Conf. *Act.* XI. 5.

Verſ. 32. φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν) i. e. *lumen detegendum gentibus*, ut vertit *Hombergius* p. 164. Eam enim eſſe hujus phraſeos notionem, ex aliis ſimilibus colligit, quæ exſtant apud noſtrum v. 34. item *Matth.* XXI. 42. & *Luc.* V. 17.

Verſ. 33. καὶ ἦν Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ θαυμάζοντες) Pro nomine Ἰωσὴφ Codices quidam MSS. & editi, quos & B. *Lutherus* ſecutus eſt, legunt ὁ πατὴρ, quam vocem in verſione Gallica expreſſit *Rich. Simon.* Ex appellatione hac non ſequi, Joſephum pro genuino Chriſti Parente habendum eſſe, contra librum *Chizzuk Emuna* oſtendit *Guſſetius* p. 394. Conf. infra ad v. 43.

Verſ. 34. καὶ εὐλόγησεν αὐτὸς) Alii Codices habent αὐτὸν, ut ſic ad ſo-

lum Christum referatur. Cum vero Simeon in superioribus Christo recens nato benedixerit, patet ea, quæ ab eodem deinde pronunciata sunt, ad Josephum & Mariam spectasse, atque adeo communem lectionem alteri præstare.

Ἰδὲ, οὗτος κεῖται εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν) Confert hæc verba *Surenhusius* in libro καταλλαγῆς p. 309. sqq. cum *Jes.* VIII. 14. 15. ubi dicitur והיה למקדש ולאבן נגף *& erit sacrario, in lapidem offensionis* &c. Vocem itaque ἀνάστασιν respondere putat Hebræo מקדש, ac si dixisset Propheta, quemadmodum ii, qui ad sacrarium Hierosolymitanum se conferunt, Deo Israelis sacrati sunt, ita eos quoque, qui Messiæ se dederint, sacros ei fore, atque adeo a lapsu erectum iri. Vereor, ut hæc multis se probent, quibus potius Propheta ad rem ipsam hic prædictam, quam ad verba respexisse videbitur. De verbo κεῖται a pluribus admonitum est, illud non inferre consilium divinum, quasi hunc in finem designatus sit Messias, sed subindicare, idem hic usu venturum, quod lapidi, ad angulos platearum jacenti, accidere soleat, ut negligentibus & incuriosis lapsus occasio, prudentibus vero & circumspectis præsidii causa sit. Fuerunt, qui voci ἀνάστασις eam notionem h. l. vindicandam censerent, ut *contradictionem* denotet ab hostibus Messiæ profecturam. Id enim putant antecedenti voci πτῶσις convenientius, imo & magis consentaneum phrasi sequenti, ubi Christus dicatur σημεῖον ἀντιλεγόμενον. Sed frustra hactenus quæsivi exemplum, quo constare possit, voci ἀνάστασις hunc significatum a Sacris aut profano Scriptore ullo subjectum fuisse. Interim non habent Reformati, cur decreti divini absoluti præsidium hic quærant, quibus jam pridem a nostratibus responsum est. Conf. huc Petavium Tom. I. Dogm. Theolog. p. 447. & 462. Patrum cogitata lege apud *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 244.

Vers. 35. καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία) Trajectionem in his verbis videre sibi visus est *Knatchbullus*, Lucam id sibi velle censens, ac si scripsisset: καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς ῥομφαία διελεύσεται τὴν ψυχὴν scilicet αὐτῶν, & ῥομφαία accipiatur pro verbo Dei, quod ex ore Mariæ processurum sit, quemadmodum id cum gladio comparetur Hebr. IV. 12. Sed hanc interpretationem & contextui sermonis, & argumento ipsi minime omnium convenire, recte monuit *Hombergius* p. 124. Et miror sane *Gothofr. Arnoldum* in Postilla Evangelica p. 152. isti interpretationi calculum addere potuisse. Quid interim per gladium illum, Mariam ipsam vulneraturum, intelligi debeat, disputatum est. Nonnulli incredulitatem Mariæ subindicari censuerunt, tanquam dubitaturæ, num filius ille suus ex mortuis in vitam rediturus sit, an minus. Sed iis recte se opponit *Petavius* in Dogmatibus Theologicis, de Incarnatione lib. XIV. cap. 2. p. 212. Tom. VI. cum *Beda* verius affirmans, acutissimum animæ Mariæ dolorem innui, ex perpessione

peſſione filii obortum. Lege in eandem ſententiam *Leonem Allatium* de libris Eccleſiaſt. Græcorum p. 223. & 347. *Jo. Clericum* ad Hammondum in h. l. & *Martianæum* in Eſſais p. 225. qui & conferri jubet Pſalmum CIV. 8. ubi de Joſepho ſimilis phraſis adhibetur. De doloribus animi ſimiles phraſes habent ſcriptores externi, ut *Homerus* Iliad. IX. 3. & 9. πένθεϊ δ' ἀλλήτῳ βεβολήατο πάντες ἄριστοι, item *Virgil.* Æneid. XII. 168. & alii, quos huc excitavit Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Diverſas Patrum ſententias lege apud *Suicerum* Tom. II. Theſauri Eccleſ. p. 909. De voce Græca ῥομφαία commentatur *Boganus* in Homero ἐβραΐζοντι p. 324. De vulneribus compaſſionis ad hoc comma diſſerit *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 646.

ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν διαλογισμοί.) Senſus eſt: ſic appariturum, quid de interiore conditione multorum ſentiendum ſit, quorum alii quod ad externa ſpeciem genuinorum & fidelium Iſraelitarum præ ſe tulerint, ſed qui exſpectationem nunc non ſuſtineant, alii pro talibus non ſint habiti, qui nunc meliores ſe præſtent.

Verſ. 36. Ἄννα προφῆτις) De *Anna* hac lege, quæ ex hoc Evangeliſtæ loco & antiquitate Eccleſiaſtica commentatur B. *Jo. Frid. Mayerus* in Programmate, quo ſolemnia funeris cujusdam indicuntur, Gryphiſw. 1706. *Herm. Witſius* in Miſcellan. Sacris lib. I. c. XXIII. p. 359. ſqq. & *Eraſmus* in Vidua Chriſtiana Tom. V. Opp. p. 751.

ζήσασα ἔτη μετὰ ἀνδρὸς ἑπτὰ ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς) Hæc verba non ita capienda ſunt, quaſi Anna, etiam Phanueli nupta, ab uſu conjugii per ſeptem annos abſtinuerit. Nam Scriptor Sacer id tantum innuit, Annam, quamvis præmature marito privata ſit, & ad amplam ætatem pervenerit, vel ſic viduam manſiſſe. Quamvis enim ex Maimonide in *Jad chaſaka* Tractatu de Conjugio cap. II. §. 1. de illicito congreſſu c. XVII. §. 2. conſtet, Hebræos virgines, antequam nubiles eſſent, futuris maritis elocaſſe, atque has per ætatis rationem aliquot annis intactas manſiſſe, nihil tamen eſt in contextu, quod perſuadeat nobis, ut credamus, eandem fuiſſe Annæ conditionem.

Verſ. 37. ἡ οὐκ ἀφίστατο ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ) Ex verbis his perperam intellectis, nonnulli poſt *Baronium* efficere conati ſunt, Annam inter *moniales* numerandam eſſe. Sed vide contra hos *Caſaubonum* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 106. & 171. qui & inter cetera oſtendit, Cyrillum Hieroſolymitanum, eo, quod Annam ἀσκητρίαν appellet, perperam in hanc ſententiam abripi, quam in rem lege quoque *Montacutium* in Originib. Eccleſiaſt. II. p. 163. ſq. Addo *Jo. Buxtorfii* Catalecta p. 232. Scilicet phraſis hæc nihil amplius infert quam aſſiduitatem in cultu divino tum ſtatis temporibus, tum etiam alias pro lubitu celebrando probatam. Ita Apoſtoli dicuntur διὰ παντὸς *in templo fuiſſe, laudantes Deum, Luc.* XXIV. 13. Confer *Levit.* X. 7.

&

& 1 *Tim.* V. 5. Eodem loquendi genere Gentiles de assiduis Deorum cultoribus, & speciatim Vestalibus uti, ostendit *Elsnerus* p. 192. Non itaque habet *Bartolocius* Tom. III. Bibl. Rabbin. p. 138. cur credat, ex h. l. evidenter probari, mulieres pernoctasse in Templo & præter jejunia & obsecrationes alia munia obiisse. Modestius hic agit *Bernh. Lamius* in Harmonia Evangel. p. 52. Annam quasi accolam templi fuisse credens, sicut & *Witsius* in Miscellaneis p. 362. suspicatur Annam, ut Prophetissam forte hoc singulare habuisse, ut cubiculum aliquod prope templum habitare ipsi licuerit. Conf. 2 *Chron.* XXII. 11. 12. Non ministrasse Annam in templo, sed tantum sacris interfuisse, ostendit B. *Theodorus Dassovius* in Dissert. de Vidua Hebræa p. 14.

Vers. 38. ἀνθωμολογεῖτο) *Erasmus* literam nimis, quam par est, secutus reddendum censuit *vicissim confitebatur*, voce *confessionis* proprie accepta : ad exemplum *Vulgati*, qui vertit simpliciter: *confitebatur*, approbante *Boisio* in Collatione p. 169. Sed & ex contextu, & ex usu τῶν LXX. patet, τὸ ἀνθομολογεῖσθαι idem hic esse, quod ὁμολογεῖν *Hebr.* XIII. 15. i. e. *laudare* & *celebrare*. Vide v. c. Ps. LXXIX. 14. & *Esræ* III. 11. ubi ἀνθομολογεῖσθαι & ἀνθομολογεῖν de laude in Deum collata occurrit. Confer *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 139. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 1144. qui vocem χάρις vel ἔπαινος hic vult subintelligi & *Raphelii* Notas Polybianas p. 184. sq. Atque hic quidem observat, idem verbum frequenter occurrere apud Polybium, sed in significatu *confitendi*, *consentiendi* & *conveniendi inter se de re aliqua*. Fortasse tamen non otiosa hic judicanda est particula ἀντὶ, cum Anna idem hic fecisse intelligatur, quod *Simeon*, cui scilicet in celebranda laude divina quasi respondent.

προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ) *Gothus* vertit, ac si legisset παράκλησιν, quod exstat supra v. 25. ex quo etiam vox Ἰσραήλ, quam pro Ἱερουσαλήμ *Vulg.* & pauci quidam Codd. exhibent, profecta videtur, nisi dicere malis, compendium scriptionis circa vocem Ἱερουσαλήμ in MSS. receptum alteri illi apud oscitantes librarios occasionem fecisse. Et vel sic tamen *R. Simon* in versione Gallica, procul dubio in gratiam Vulgatæ, τὸ Ἰσραήλ expressit.

Vers. 40. ἐκραταιοῦτο πνεύματι) posterior vox in Codd. nonnullis deest, quam proinde ex *Luc.* I. 80. huc translatam a Scholiaste suspicatur præter rem *Millius* ad h. l. & in Prolegom. §. 415. Sed recte eam post Grotium vindicat *Whitbius* in Examine p. 44. b.

χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό) Eadem phrasi utuntur & profani Scriptores, speciatim Polybius. Lege *Raphelii* Notas Polybianas p. 186. cujus etiam judicio hac phrasi significatur, Jesum gratum atque jucundum omnibus, quibuscum vixerit, fuisse, idque singulari Dei beneficio, sicut *Act.* VII. 20. Moses dicitur ἀστεῖος τῷ Θεῷ fuisse, eo quod divino munere hanc dotem acceperat

ceperat a Deo, ut Pharaonis filiæ placeret. Confer in eandem ſententiam *Chemnitium* in Harmonia Evangelica p. 140.

ἐπ' αὐτὸ) Alii legunt ἐπ' αὐτῷ, in dandi caſu, quæ ſtructuræ ratio, non minus ac prior illa, Scriptoribus recepta eſt. Vide *Raphelium* l. c.

Verſ. 42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, ἀναβάντων αὐτῶν) Vide huc B. *Mayeri* Diſput. de Jeſu 12 annorum puero, & Eclogam Evangel. ad Dominic. I. poſt Epiphan. item B. *Sandhagenii* Epiſtolas Theologic. Decad. I. p. 81. Adde, ſi placet, *Bartoloccii* Diſſert. cur Chriſtus, adhuc puer, ad diem Paſchatos feſtum profectus ſit, quæ exſtat Tom. III. Biblioth. Rabbin. p. 132. Nonnulla quoque huc monet *Triglandius* in Diatriba de Karæis p. 28. ſq.

Verſ. 43. Καὶ οὐκ ἔγνω ὁ Ἰωσὴφ καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ) *Vulg.* habet hic *Parentes*, & Codd. quidam Græci MSS. quam lectionem B. Lutherus quoque ſecutus eſt, nec minus *Eraſmus*, qui communiorem iſtam, ab iis invectam putat, qui Joſephum Patris nomine appellare noluerint. Vide eum in Reſponſione ad *Lei* caſtigationes Tom. IX. Opp. p. 154. A.

Verſ. 44. ἐν τῇ συνοδίᾳ) *in comitatu.* Hac voce in eodem ſenſu utitur *Arrianus* lib. III. p. 418. Quod tenendum eſt contra *Heinſium*, & *Lud. de Dieu*, itemque *le Cene* in *Projet* ſeu *Deſignatione novæ verſionis* p. 574. qui *familiam* vel *cognatos* & *affines* hic indicari putant, quæ vocis hujus notio ſit in verſione Græca *Nehem.* VII. 5. 64. Manifeſtum ſane hic eſt τὴν συνοδίαν a συγγενέσι diſtingui. Comitatus erat amplior, in hoc vero Parentes Jeſu ſperabant, ſe filium inter cognatos inventuros eſſe.

ἦλθον ἡμέρας ὁδὸν) i. e. *profecti ſunt unius dici ſpatium.* Eodem ſenſu τὸ ἔρχεσθαι externi quoque Scriptores adhibent. Vide Rev. *Raphelii* Notas Polybian. p. 188. ſq.

ἐν τοῖς συγγενέσι καὶ ἐν τοῖς γνωστοῖς) Fortaſſe illi hic inprimis intelliguntur, qui ſocios ſe Joſepho & Mariæ præſtiterant in comedendo agno Paſchali, cui ipſi ſoli non ſufficiebant. Ejusmodi vero Hebræis ſolebant חבורה ſeu *ſocietatis* nomine appellari. Vide *Hottingeri* notas ad Goodwini Antiquitates Hebraic. p. 540. & *Amelium* Part. II. p. 871.

Verſ. 46. εὗρον αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ) τὸ ἱερὸν hic non de *templo* ipſo intelligendum eſt, quippe in quo nemini, & ne Pontifici quidem ſummo, nec Regi, niſi ex familia Davidis eſſet, ſedere licuiſſe Magiſtri tradunt in *Joma* cap. VII. §. 1. Confer *Maimonidem* & *Bartenoram* ad *Sota* VII. 7. Synagoga itaque hic templo contigua indicatur, qualem in circuitu Templi prope atrium ſitam fuiſſe iidem produnt in *Joma* VII. §. 1. ubi refertur, Pontificem Maximum in die expiationis in ea partem Legis prælegere populo conſueviſſe. Vide huc *Jo. Braunium* de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum p. 845. ſq. Rev. *Salom. Deylingium* Part. III. Obſervatt. Sacrarum p. 221. ſqq. & *Amelium*

Part. II. p. 57. Sacerdotes & Levitas, officio ſacro fungentes in templo, nunquam conſediſſe, oſtendit idem *Braunius*, in Selectis Sacris p. 199. Gazophylacii locum eum fuiſſe, in quo Chriſtus hic conſederit, exiſtimat *Sam. Basnage* Tom. I. Annalium Eccleſiaſtic. p. 206. Ibi enim Chriſtum alias populum docuiſſe, ex *Joh.* VIII. 20. conſtat.

καθεζόμενον ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων) Ex his verbis plerique eruditorum colligunt, Chriſtum in illo cœtu non ut diſcipulum, ſed ut doctorem ſe geſſiſſe, ideo, quod ea ætate doctores in ſcholis ſedeſſe, diſcipuli autem ſtare & docentium verba excipere conſueverint. Vide hanc in rem Rev. *Salom. Deylingium* in Obſervatt. Sacris Part. III. p. 223. *Wagenſeilium* ad Sota p. 993. & ad Tela Ignea Satanæ in Refutatione Carminis Lipmanniani p. 264. ſq. Sed intercedit hic, qui tamen in eadem ſententia olim fuerat, *Campeg. Vitringa* lib. I. de Synagoga vetere p. 167. ſq. contendens, nullum exemplum diſcipulorum, coram Magiſtris ſtantium, ex toto N. T. afferri poſſe, ſi unum illud excepperis, quod *Matth.* XIII. 2. legitur de populo ad littus ſtante, & Jeſum ex navigio docentem audiente. Hoc autem ſingulare eſſe, patet ex iis, quæ ad illum locum annotata ſunt. Itaque de veritate illius conſuetudinis adhuc dubitare fas eſt, & Chriſtus inter doctores ſedens diſcipuli habitum præ ſe tuliſſe non temere exiſtimabitur, quamvis vere ea valuerit ſapientia, quæ doctorem deceret, & ea procul dubio attulerit, quæ Magiſtris tunc docentibus proficua eſſe poterant. Lege plura apud ipſum *Vitringam*. De argumento colloquii hujus varia traduntur in Evangelio Infantiæ Chriſti, ex quo nonnulla repetit B. *Ittigius* in Selectis Capitibus Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. p. 351. Vide ipſum illud Evangelium Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. a Cl. Fabricio editi p. 208. *Bartoloccius* Tom. II. Biblioth. Rabbin. p. 849. diſputationem ſuſpicatur inſtitutam fuiſſe inter doctores Scholæ Schammæanæ & Hillelianæ, quos ſibi invicem ſemper contrarios fuiſſe conſtat. Conf. quæ in eandem rem dixi in Biblioth. Hebr. Tom. II. p. 824. & 859. Quam incondite & impie Judæi hanc narrationem pervertant, ex libro *Toldoth Jeſchu*, ab Huldrico edito, p. 19. ſq. apparet. Ceterum imaginem Chriſti, diſcipulorum coronam docentis, ex onyche antiquiſſimo exhibet *Wagenſeilius* ad *Sota* p. 996.

Verſ. 47. ἐξίσαντο ἐπὶ τῇ συνέσει καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ) Videntur hæc dici per Hendiadyn, ut idem ſit, ac ſi dixeris: ἐπὶ ταῖς συνεταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ i. e. *ſuper prudentibus reſponſis ejus.* Confer *Boiſii* Collationem ad h. l. p. 170.

Verſ. 49. Τί, ὅτι ἐζητεῖτέ με;) i. e. Τί ἐστι vel τί γέγονε, quod ipſum ſuppletur *Joh.* XIV. 22. Confer *Jo. Vorſtii* Diſſertatt. Sacr. lib. III. p. 151. & *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 259.

ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ εἶναί με) Pro proverbiali locutione habet

Schottus

Schottus in Adagialibus N. T. p. 71. Τὰ τοῦ πατρὸς elliptice hic dici per se constat, non æque vero manifestum est, quid tandem veniat subintelligendum. Alii intelligunt δικήματα, vel τόπους, quasi Christus dixisset, se debere esse in *templo*, tanquam domo Patris sui, quæ vocatur Joh. II. 16. Ita statuunt post *Grotium* & *Hammondum*, *Fullerus*, *Boisius* in Collatione p. 171. *Cappellus*, *Joh. Vorstius* Dissertatt. Sacrarum lib. III. p. 151. *Jo. Braunius* de Vestitu Sacerdot. Hebr. p. 52. *Adr. Relandus* in Antiquitat. Hebr. p. 54. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 139. & inprimis *Keuchenius* ad h. l. variis usus argumentis, tum vero *Jo. Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 1185. sq. auctoritate veterum quorundam Patrum & Interpretum, tum vero Græcorum Scriptorum usu innixus. Ex nostratibus easdem partes amplectuntur *Fesselius* in Adversariis Sacris Tom. I. p. 351. & *Amelius* Tom. II. p. 53. sq. Alii ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς dici putant, pro ἐν τοῖς ἔργοις seu πράγμασι τοῦ πατρὸς h. e. in *negotiis* & *rebus* a Patre ad perficiendum commissis. Id placet ex nostratibus *Josuæ Arndio* in Miscellaneis Sacris p. 34. Cl. *Edzardo* in notis ad Berachoth c. I. p. 284. & novissime M. *Jo. Casp. Kregelio* in Epistola Propemptica ad Cl. *Schætgenium*, Lipsi. 1716. edita, qui erudite & data opera hanc sententiam ornat, & ad diversa sententium, speciatim *Keuchenii*, argumenta curate respondet. Ex ceteris idem amplectuntur *Cartwrightius* in Harmonia Evangelica p. 83. & *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 29. Atque ista interpretatio & mori Christi, sæpe ad negotia Patris a se tractanda provocantis, v. c. *Joh.* IV. 34. V. 19. 20. 36. VIII. 26. 28. 29. &c. & Hebraice loquendi rationi, de qua lege *Edzardum* l. c. & stylo Novi Testamenti, ut 1 *Tim.* IV. 15. ἐν τούτοις (scilicet πράγμασι) ἴσθι, & phrasi Græcorum Scriptorum apprime convenit. Hos enim frequentissime ita loqui, ut *Artemidor.* IV. 29. ἐν τούτοις (i. e. πράγμασι) γενόμενοι, tot exemplis a Cl. *Schætgenio* ad Lamb. Bos de Ellipsi p. 168. & a me quoque ad epistolas Libanii p. 230. ostensum est, ut mirum sit, *Fullerum* & *Lamium* in Comment. ad Harmoniam Evangel. Græcam istam locutionem in dubium vocare potuisse.

Vers. 50. ἃ συνῆκαν τὸ ῥῆμα) i. e. λόγον, non intellexerunt sermones ejus. Confer *Luc.* XX. 10. ubi λόγος exstat, pro quo paulo post v. 26. ῥῆμα legitur. Sic & profani loqui amant. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 85.

Vers. 51. καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς) De obsequio filiorum hæc phrasis adhibetur 1 *Cor.* XV. 28. *Hebr.* XII. 9. & apud τὸν LXX. *Jer.* XXXIV. 16. nec minus ad profanos, de quibus lege *Elsnerum* p. 192.

Vers. 52. Καὶ Ἰησοῦς προέκοπτε) Totum hoc comma illustratum vide a *Jo. Mich. Langio* in Dissert. de Profectibus Christi adolescentis, quæ recusa exstat in Dissertatt. ejus Theologic. Decade I. num. 7. tum vero in Programmate, *Jenæ* 1714. edito, & in *Gabr. Ternii* Sylloge Disputatt. p. 474. recuso.

Patrum de illo ſententias lege apud *Forbeſium* lib. III. c. 19. Inſtruction. Hiſtorico - Theolog. & *Petavium* in Dogmat. Theolog. ubi de Incarnat. lib. XI. c. II. ſqq. Tom. VI. p. 39. ſqq. ubi etiam de hæreticis veteribus, qui hoc loco abuſi ſunt, mentio fit, de quibus etiam legendus eſt *Suicerus* in Theſauro Tom. II. p. 268. ſq.

προέκοπτε) Verbo hoc externos Scriptores frequentiſſime uti ad profectum in virtutis ſtudiis exprimendum, oſtendit *Jenſius* in Ferculo Literario p. 40. ſq. qui phraſin deſumtam credit ab iis, qui cædendo in fodinis plus viæ paulatim aperiunt, & latiora ulterioraque ſpatia faciunt. Qui profectus illos Chriſti hominis in præjudicium divinæ ejus naturæ temere abripiunt, eos confutatos lege ab *Hackſpanio* in Notis Philologic. p. 277.

καὶ ἡλικίᾳ) Vocem hanc alii de *ætate*, de *ſtatura* alii, interpretantur. Ad priores pertinet Cl. *von Seelen* in Annotatt. Philolog. in N. T. ex Plutarcho p. 10. De utroque iſto vocis ſignificatu dixi ad Matth. VI. 27. *Staturam* vero potius inferri contendit Cl. *Majus* Obſervatt. Sacrar. Part. III. p. 19. ſq. ex eo inprimis, quod Chriſtus hic ceteros pueros ſingulari *ſapientia* & *gratia* ſuperaſſe dici intelligatur, ut proinde per tertium illud, ſeu ἡλικίαν tale quid inferri neceſſe ſit, quod non commune ſit omnibus. Jam vero non poſſe aliquem alterum ὁμήλικα ſeu æqualem ſuperare *ætate*, vincere vero poſſe *ſtatura*. Proceritatem vero corporis in laude fuiſſe poſitam, ut ex profanis Scriptoribus idem oſtendit, ita eam Chriſto ab antiquis quibusdam vindicari probat. Ad hoc argumentum rectius perſpiciendum profuerit evolvere *Franc. Vavaſſoris* librum *de Forma Chriſti, cum in his terris viveret*, & B. *Jo. Fechtii* Exercitationem de Forma faciei Chriſti, illi libello oppoſitam, & in *Noctibus* ejus *Chriſtianis* recuſam p. 359. ſqq. tum vero *Jo. Reiskii* Exercitationes *de Imaginibus Jeſu Chriſti*. Pertinent huc non minus nummi quidam, imaginem Chriſti referentes, de quibus inprimis lege Celeb. *Val. Erneſti Læſcheri* Stromateum p. 185. ſq.

χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις) Non dubito, voces ultimas *apud Deum & homines* pertinere tantum ad vocem χάριτι, non autem ad antecedentes omnes. Senſus eſt: Jeſum puerum & Deo & hominibus divino munere gratum & jucundum exſtitiſſe. Confer dicta ad v. 40. & lege *Vorſtii* Philolog. Sacram Part. I. p. 330.

CAP. III.

VErſ. 1. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ &c.) Ex hoc commate & obviis in eo temporum rationibus nonnullis facile viſum eſt, exacte definire annum natalem & Jeſu Chriſti, & Johannis, atque adeo & tempus miniſterii a Johanne inchoati. Atque hi quidem ita rationes ſuas inſtituunt. Chriſtus, cum baptiſaretur, erat ὡσεὶ τριάκοντα ἐτῶν ἀρχόμενος, *Luc.*

Luc. III. 23. Baptiſatus vero eſt eopſe, quo Johannes miniſterium ſuum inchoavit, anno, quod omnis propemodum credidit antiquitas. Major Chriſto erat Johannes ſex menſibus. Ponamus, quod pro certo habet *Lightfootus*, baptizatum eſſe Chriſtum ſexto miniſterii Johannis menſe; cum Johannes miniſterium ſuum trigeſimo ætatis anno inchoaverit. Trigeſimus iſte annus incidit in decimum quintum Tiberii; inde ſi triginta annos retrogrediaris, facile collectu eſt, quoto Auguſti anno natus ſit Johannes, & conſequenter Chriſtus. Ita ſcite & in compendio rem omnem enarrat *Witſius* in Miſcellaneis Sacris Tom. II. p. 503. *Guil. Whiſtonus* ſpeciatim in Harmonia IV. Evangeliſtarum p. 193. ſq. hinc colligit, Servatorem noſtrum crucifixum eſſe 3. Aprilis anni Periodi Julianæ 4746. ſive A. C. 33. Viciſſim alii vel ſic pleraque incertis & precariis hypotheſibus niti exiſtimant, inter quos idem eſt *Witſius* l. c. quem vide. Similiter *Anton. Pagi* contendit, nihil certi hinc erui poſſe, quando Chriſtus præciſe baptiſatus ſit, utrum anno 30. ineunte vel exeunte, an 29. finiente & 31. incipiente. Vide eum in Critica Baroniana Tom. I. p. 18. ſqq. ubi idem veterum quoque de hac re ſententias enarrat. Confer etiam, quæ contra eundem de termino, a quo annus 15. Tiberii repetendus ſit, diſputat *Samuel Basnagius* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 225. ſqq. Quæ qui excutere accuratius voluerit, quod a nobis h. l. fieri non poteſt, ei conterenda ſuaſerim, quæ *Noriſius* in Cenotaphiis Piſanis, & ex eo *Clericus* in Bibliotheca Selecta Tom. IV. p. 79. tum vero *Sam. Maſſonus* in Hiſtoria Critica Reipubl. Literar. Tom. XII. p. 54. ſqq. de vera epocha 25 annorum Tiberii obſervavit. Ibi enim agitur de vera epocha annorum imperii Tiberii contra recentiorum quorundam, & nominatim *Jo. Clerici*, cogitata, in quæ idem quædam jam animadverterat in *Novis Reip. Literar.* Bernardinis an. 1700. menſ. Februar. Conf. Nova Literaria Lipſienſ. Germanica an. 1716. p. 522.

ἐν ἔτει δὲ) Τὸ δὲ ut pauci quidam Codd. non agnoſcunt, ita quoque Auctores verſionis Gallicæ Montenſis omiſerunt, caſtigati ideo a *Rich. Simone* in præfat. ad Hiſtor. Critic. V. T. exiſtimante, faveri ita Marcionitis duo priora capita, cum quibus tertium hoc per δὲ conjungitur, olim repudiantibus. Conferatur idem in *Obſervationibus* Novis p. 370. ſqq.

τῆς ἡγεμονίας) Nonnullos Codices legere hic βασιλείας, monet *Jo. Harduinus* in Opp. Selectis p. 626. b. ubi neſcio, quos tales habuerit, cum in Milliana collectione varietatum nihil ejusmodi occurrat. Ipſe interim ab illa nova lectione alienus eſt, ideo quod Tiberius non fuerit βασιλεὺς & *Plinius* eum in Panegyrico ſuo non *Regem*, ſed *Principem* appellet.

ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου) i. e. *procurante Pontio Pilato*, ut vertit *Vulg.* quem probat *Cujacius* lib. XIX. c. 13. Obſervatt. & *Boiſius* in Collatione p. 172. Qui enim vice Cæſaris provincias Cæſaris gubernabant, Romanis proprie *Procuratores* dicebantur, quorum varia erant genera, de quibus exponit B. *Dilherrus*

in Dissertat. de Usu Scriptorum Secularium M. 3. Eodem modo Xenophontem appellandis magistratibus annos notare observavit *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 85. Codices nonnulli hic legunt ἐπιτροπεύοντος, quam vocem ex interpretamento natam recte arbitratur cum *Grotio Millius*. De *Pilato* diximus ad Matthæum in Historia Passionis.

τετραρχοῦντος &c.) Tetrarchiarum rationem, earumque tum interruptarum interdum, tum continuatarum historiam diligentissime exponit *Adrianus Relandus* in Palæstina illustrata p. 173. sqq. Conf. *Scaligerum* in Eusebianis, & *Salmasium* in Exercitatt. ad Solinum p. 406. b. ex quo loco sua hausit *Walæus*, tum vero *Jo. Harduinum* in Opp. Selectis p. 335. a. *Harduini* sententia huc redit, quod ex hoc commate non consequatur, quatuor tetrarchias olim sub Herode priore conjunctas fuisse, cum nec ibi Herodem priorem a Sacro Scriptore ullo modo spectari oportuerit, nec usquam sacræ literæ tantam ei potentiam adscribant; sed potius consignari hic debuerint illi, qui in Juda & Israele principatum obtinuerint, Herodes vero Ethnarchæ titulo sola Samaria & Judæa, non item Galilæa sit potitus. Sed ista quidem una cum aliis capitibus huc pertinentibus examinavit Rev. *Salom. Deylingius* in Observation. Sacris Part. II. Observ. XXVI. quæ in universum huc conferri meretur. Adde quoque M. *Casp. Henr. Graunii* Disput. singularem de Tetrarchis in hoc commate memoratis, *Witteb.* 1684. ed. & in Thesauro Disputatt. super N T. recusam fol. 310.

τῆς Ἰτυραίας) Vide huc *Relandi* Palæstinam illustr. p. 106. ubi speciatim ostendit, eandem esse Ituræam, cum Auranitide, quam Josephus appellat. Idem de *Trachonitide* commentatur p. 108. sq.

Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος) Vide huc *Casauboni* Exercitatt. Anti-Baronian. p. 211. sqq. & *Salmasium* ad Solinum p. 406. b. item *Relandi* Palæstinam p. 528.

Vers. 2. Ἐπ' Ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα) Diversas Interpretum sententias, quo nomine duo illi Pontifices, cum unus tantum eodem tempore esse consueviset, appellentur, diligenter exponit *Seldenus* de Successione in Pontificatum lib. I. c. 12. p. 66. sqq. *Georg. Ursinus* in Antiquitatibus Hebræorum Academicis & Scholasticis p. 118. sqq. & *Jo. Saubertus* de Sacerdotio Hebræorum p. 647. seq. in calce Tractatus ejus de Sacrificiis. Adde *Casauboni* Exercitationes p. 216. sq. ubi *Baronii*, quam tamen *Seldenus* l. c. verosimillimæ viam parare & proxime accedere existimat, sententia sub examen vocatur. Compone cum his *Vitringam* in Observatt. Sacr. lib. VI. p. 392. & 521. qui cum priore loco statuisset, *Annam* & *Caipham* eo tempore Pontificatum alternatim administrasse, posterior existimat, *Annam* hic cum *Caipha* componi, imo eidem anteferri, quia ex historia Josephi apertissimum sit, illum inter omnes hujus ætatis Sacerdotes dignitate & auctoritate

ritate excelluiſſe, qui etiamſi Pontificiæ dignitatis munus hoc ipſo tempore non geſſerit, provincia hac Caiphæ genero demandata: per generum tamen ſuum facile omnia adminiſtrarit, & deinceps quinque ex ſe filios Pontifices viderit, jam ante Caipham ipſe hoc honore defunctus. *Saubertus* l. c. poſt *Seldenum*, Annam ut *Synedrii Principem*, Caipham vero ut *Patrem*, qui duo tituli inter Judæos in Synedrii ratione recepti fuerunt, hic commemorari putat. Alii Annam Pontificem hic vocari cenſent, quod ſuperiori anno munus hoc geſſerit. Ita poſt alios *Jo. Edwardus* ſtatuit in *Exercitatt. Criticis* ſuper loca quædam V. & N. T. Exercit. IV. p. 224. ſqq. *Sam. Basnagius* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 53. ſqq. illis accedit, qui exiſtimant, Annam & Caipham officium hoc per annorum vices alternaſſe. Atque id quidem inde probare contendit, quod Caiphas eo anno, quo Chriſtus paſſus eſt, a Johanne Pontifex vocetur, Lucas autem *Actor.* IV. 6. eo anno, qui Chriſti emortualem proxime excepit, Annam ſupremum Pontificem fuiſſe, dicat, eoque loco Caiphæ nomini nullam dignitatem addat. Multi denique Annam ut Pontificem Summum, Caipham vero ut vicarium ejus hic conſiderant, cum *Poſſino* in Spicilegio Evangelico p. 369. ſq. Adſtipulatur his *Adrianus Relandus* in Antt. Hebraicis p. 154. & Cl. *Jo. Jac. Quandt* in Diſſert. de Pontificis Magni Suffraganeo, p. 55. ſqq. qui ad diſſentientium, ſpeciatim *Dionyſ. Petavii* de Doctrina Temporum lib. X. c. 56. *Hammondi* ad hunc Lucæ locum, *Basnagii* l. c. & *Joh. Nicolai* in Schediaſm. de Sagane ſive Vicario Pontificis, §. 17. argumenta reſpondet. Atque hanc ſententiam præ reliquis omnibus mihi ſemper placuiſſe non inficior, tanquam talem, quæ & antiquitatis teſtimoniis fulciatur, & ad negotii ipſius circumſtantias optime quadret: quamvis aliud videatur *Valeſio* ad Euſebii Chronicon p. 18.

Verſ. 4. Ὡς γέγραπται ἐν βίβλῳ λόγων Ἡσαΐου) Allegationem hanc cum Jeſaiæ loco comparat *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 315. ſq. ubi inprimis contra *Franc. Junium* adſtruit, cauſam non eſſe, cur interpunctionis nota, quæ in Græco textu voces ἐν τῇ ἐρήμῳ a ſequentibus: ἑτοιμάσατε &c. diſtinguit, tollatur, ut cum verbo ἑτοιμάσατε propius cohæreat. Confer Rev. *Gebhardi* Vindicias Textus Hebræi adverſus Pezronium p. 177. Quomodo hic Chriſtus a Spiritu Domini miſſus dicatur ex Patrum ſententia exponit *Petavius* in Dogmatibus Theologic. Tom. II. p. 445.

Verſ. 5. καὶ ἔσαι τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν) εὐθεῖαν ſcilicet ὁδὸν, quam vocem profani quoque Scriptores in hac phraſi omittere ſolent. Vide Rev. *Raphelii* Notas Polybian. p. 189. & *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. voce ὁδός.

αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδὸς λείας) Voces τραχὺς & λεῖος apud Græcos ſibi opponi, ut apud Latinos *aſper* & *lævis*, *planus* & *arduus*, oſtendit *Bos* in Exercitatt. p. 35.

Verſ.

Vers. 13. παρὰ τὸ διατεταγμένον) De voce hac lege *Lempereur* ad Bava Kama p. 272. & *Salmasium* de Fœnore Trapezitico p. 240. ubi is ostendit, id hic intelligi, quod per calumniam & fraudem in officio suo hominibus abstulissent. Tales autem veteribus vocabantur ἄπληστοι, ἄμετροι & βίαιοι τελῶναι, item βαρεῖς & φορτικοὶ, imo & παρεκλέγοντες & παρεισπράττοντες.

πράσσετε) πράσσειν hic est *exigere*, non *facere*, quod recte monet *Salmasius* p. 115. de Fœnore. In eundem sensum convertit quoque *Gothus*, quem firmat *Mareschallus* in Notis p. 449. Confer *Lamb. Bos* ad Thomam Magistrum p. 35. & *Jensii* Ferculum Literar. p. 42. qui collectis variis verbi hujus significationibus in hac ipsa acquiescere jubet, adductis nonnullis veterum locis, quales etiam leges apud *Dan. Fidlerum* in Positionibus Philolog. super loca N. T. Posit. 8. *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 85. & Polybianis p. 189. ubi inter cetera observat, verbum hoc, ut de quibusvis pecuniarum exactionibus, ita inprimis de vectigalibus, a Polybio usurpari, atque adeo rectius hic subintelligi vocem τέλος i. e. *vectigal*, quam χρήματα, quod *Camerarius* malebat. De ellipsi hac lege quoque *Elsnerum* p. 189.

Vers. 14. καὶ στρατευόμενοι) *Beza* τὲς στρατευομένες h. l. ait esse τὲς στρατιώτας seu milites quoscunque, approbante id *Salmasio* de Fœnore Trapezitico p. 776. productis variis locis utriusque linguæ Scriptorum. Eadem is opera oppugnat *Heinsium*, ad h. l. tradentem, intelligendos esse milites ordinarios & præsidiarios, quales ii fuerint, quorum præfectus in Actis vocetur ὁ στρατηγὸς τῦ ἱεροῦ, sicut milites a Matthæo nomine τῆς κωμῳδίας appellentur. Vide quoque *Lempereur* ad Bava Kama p. 248. sq.

Τί ποιήσομεν;) i. e. *quid facere debemus?* Vide *Hackspanium* in Notis p. 278.

μηδένα διασείσητε μηδὲ συκοφαντήσητε) Utrumque hoc verbum conjungit & *Antiphon* Orat. XVI. p. 159. ceu observavit Cl. *Majus* Observatt. Sacrarum Part. II. p. 75. qui & simul eo loco probat, prius verbum vim apertam, posterius autem dolum & fraudem, quæ calumniam pariat inprimis, inferre. De verbo διασείειν h. e. *concutere, agitare*, seu *terrore incusso alteri aliquid extorquere*, lege etiam *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 882. *Raphelium* in Notis Polybianis p. 190. & *Elsnerum* p. 193. sq. qui veterum locis demonstrat, idem quoque esse, quod *vexare aliquem tum verbis, tum rebus ipsis*. *Boisius* in Collatione p. 173. sub phrasi: μηδένα διασείσητε subintelligit τῶν ὑπαρχόντων αὐτῦ i. e. *neminem bonis suis excutite*, quæ phrasis integra exstat 3 *Maccab.* VII. 19.

μηδὲ συκοφαντήσητε) i. e. *neque calumniam faciatis*, ut proinde milites cavere sibi jubeantur ab iniquis delationibus, unde præmium sibi sperent. Vide huc *Jensium* in Ferculo Literario p. 43. & *Mareschallum* ad Interp. *Gothum* p. 450. Lege de eodem verbo *Aristophan.* Schol. ad Plutum & *Ulpian.* ad Demosth. quos hic laudat *Trillerus*.

καὶ

καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν) De verbi ἀρκεῖσθαι usu simili ex profanis differit *Elsnerus* p. 194. De voce ὀψώνιον, quæ hic *stipendium militare* denotat, lege *Dilherrum* de usu Scriptorum secularium plagula M. & quos ille citat. Observatis recte stipendium militum hoc nomine, quod alias res cibarias infert, significari, quia inter militum mercedes, cibi, carnes, pisces, olera &c. locum præcipuum fecerint. Adde *Suiceri* Thesaur. Tom. II. p. 539. *Raphelii* Notas Polybian. p. 191. & *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 71. *Demosthenes* in Philipp. I. p. 37. quod hic dicitur ὀψώνιον, per μισθὸν καὶ τροφὴν exprimit, observante Cl. *Trillero*, qui & laudat *Camerarium* ad Aristotelis Polit. p. 167. Stipendii militaris rationem apud veteres explicant data opera *Erycius Puteanus* in Syntagmate de stipendio militari apud Romanos, & *Vincent. Contarenus* in Tractatu de eodem argumento, quorum tractatus leguntur Tom. X. Antiquitat. Roman. Inter cetera ibi ostenditur, Græcos stipendium Romanorum ὀψωνίῳ nomine appellasse, quam in rem compara *Ratbodi Herman. Schelii* notas in Polybium, quæ in eodem Tomo Antt. Roman. exstant p. 1244. qui & exponit discrimen, quod inter ὀψώνιον & σιτηρέσιον intercedat. Nonnulla hic memorata Aurelianus olim militibus suis præcepit, quod tradit *Vopiscus* in Vita ejus cap. VII.

Ceterum quid veteres Christiani de bello senserint, patebit ex iis, quos hanc in rem laudavit Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 544.

Vers. 15. προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ) i. e. non: *exspectante populo*, ut *Beza*; neque: *intento populo*, ut *Heinsius*: sed ut Vulgatus vertit: *existimante*, *cogitante populo*. Ita *Æschines* in Timarch. p. 185. & *Polybius* lib. V. c. 13. de quibus locis monuit *Elsnerus* p. 195.

μήποτε) Nonnulli vertunt: *ne forte*. Rectius: *annon forte*. Vide *Hackspanii* Notas p. 86. & 278. item *Elsnerum* p. 195.

Vers. 18. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν) Plerique omnes ita hæc accipiunt, ut Johannes dicatur plures alias ejusmodi exhortationes & comminationes edidisse, quod cum sequenti statim voci εὐηγγελίζετο minus videatur convenire. *Elsnerus* p. 195. παρακαλεῖν in *consolandi* sensu hic adhiberi existimans, vertit: *multa autem etiam alia ad solatium proferendo evangelizabat populo*. Itaque τὸ οὖν non consequentiam ex antecedentibus hic infert, sed idem est, quod *autem*, *præterea*, *ceterum*, ut *Joh.* XX. 30. Equidem ut manifestum puto ex Matth. II. 18. τὸ παρακαλεῖν idem esse, quod *consolari*; ita hoc loco *adhortandi* sensum prætulerim, inprimis cum statim v. 18. simile castigationis, a Johanne profectæ, exemplum in Herode e litum commemoretur. Ut taceam, præcipuum Johannis officium fuisse, ut ad agnitionem peccatorum & pœnitentiam duceret auditores, cujus prædicationem tamen cum læto nuncio de gratia in Christo quærenda conjungere solitus fuit, ut nihil obstet, quo minus τὸ εὐαγγελίζεσθαι cum adhortatione

tione graviori hic conjungatur. Eo ſenſu verbum παρακαλεῖν acceperunt, qui id etiam in contextu cum παραινεῖν permutant.

Verſ. 19. Φιλίππε) Nomen *Philippi* in Codd. & verſionibus variis deeſt: quam in rem vide *Mareſchallum* ad Interpretem Gothum p. 450. & *Millium*, contra quem ut γνήσιον vindicat *Whitby* p. 44.

ὧν ἐποίησε πονηρῶν ὁ Ἡρῴδης) *Herodis* nomen hic per Hebraiſmum poſitum eſſe pro αὐτὸς, eo quod in limine verſus hujus idem occurrit, ſtatuunt nonnulli, contra quos *Oſtermannus* in Poſition. Philolog. Diſp. I. §. 31. monet, eandem loquendi rationem Græcis Auctoribus receptam eſſe.

Verſ. 20. Προσέθηκε) i. e. ſcelera ſcelere auxit. Quo ſenſu idem verbum occurrit apud *Polybium* p. 1265. obſervante *Raphelio* in Notis Polybianis p. 192.

καὶ κατέκλεισε τὸν Ἰωάννην) Incarceratio Johannis hic ante baptiſmum Chriſti memoratur. Itaque de Synchyſi cogitarunt Interpretes, quam tamen amoliri conatur *Franc. Wokenius* in Pietate Critica Part. II. p. 101. ex eo potiſſimum, quod Lucas hic compendium officii Johannei dare voluerit, atque adeo & fata expoſuerit, quæ in munere ſe dextre & ſtrenue verſantem oppreſſerint.

Verſ. 22. σωματικῷ εἴδει, ὡσεὶ περιστερὰν) Vide quæ diximus ad Matth. III. 16. ubi totum hoc comma, inprimis vero citata verba illuſtrata videbis.

Verſ. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος) Particulam ὡσεὶ alii hic idem putant eſſe, quod *quaſi*, *circiter*; ut ſic annus Chriſti trigeſimus tanquam non abſolutus innuatur; alii vero annum trigeſimum expreſſe & diſerte ſignificari contendunt. Atque hi quidem ad ſimilia provocant Scripturæ loca, in quibus τὸ ὡς vel ὡσεὶ ad exemplum כ Hebræorum non *ſimilitudinem* rei, ſed ipſam *veritatem* infert, v. c. *Joh.* I. 14. ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς, Matth. XIV. 5. & Luc. XXII. 44. Ita ſtatuunt poſt *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 510. ſq. ex noſtratibus plerique, nominatim *Hackſpanius* in Notis p. 278. & noviſſime *Starckius* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 88. cui veriſimile videtur, Lucam præ aliis Evangeliſtis Chriſti juſtam ætatem in magnifica inauguratione & aggreſſione muneris Prophetici non σοχασικῶς deſignare voluiſſe. Viciſſim vero alteram illam ſententiam de latiori & σοχασικῷ particulæ ὡσεὶ ſignificatu probant ex noſtratibus *Joſ. Arndius* in Miſcellan. Sacr. p. 5. ex ceteris *Morinus* de Horis Paſſionis p. 84. *Keuchenius* in Notis ad h. l. & *Pet. Allixius* in Diatriba de anno & menſe natali Chriſti p. 58. ad כ Hebræorum provocans, quo Sacri Scriptores ſimili ratione in computandis numeris utantur, v. c. *Exod.* XII. 37. collat. cum *Numer.* I. 46. 47. Idem vero ſtatuit, Chriſtum eo tempore jam annos ætatis 32. vel 33. exegiſſe, Lucamque nihil aliud hic voluiſſe innuere, quam

quod

quod Christus ad ministerium suum vocatus sit ea ætate, quam Lex statuit, non habita ratione annorum, quos supergressus sit. Idem l. c. diversas aliorum sententias de anno, quo Christus baptisatus sit, recensèt & examinat. Cl. *Trillerus*, in Notis MSS. τὸ ὡσεὶ latius & laxius tempus hic designare existimans, idoneum *Hippocratis* locum affert ex lib. V. de morbis Epidemic. §. 9. ubi ita: Ἀπελλᾶιος Λαρισσαῖος ἔιχε μὲν ἡλικίην ὡσεὶ ἐτῶν τριήκοντα. Mihi quidem non videtur certo posse confici, quo sensu hæc particula h. l. accipi debeat, neque admodum referre, sive de anno Christi trigesimo imminente, sive ineunte, sive jam consummato accipiatur. Id tamen non puto admittendum, quod aliquot anni vel infra vel supra annum trigesimum hic indicari a nonnullis existimentur. Inprimis cum verisimile sit, Dominum nostrum exacte illud tempus observare voluisse, quod ministerio sacro obeundo a Deo destinatum erat. Illud vero a trigesimo ætatis anno incepisse, patet ex *Num.* IV. 3. Atque eo quidem argumento *Irenæum* quoque in hac causa usum esse constat.

Vocem ἀρχόμενος nonnulli ad verbum ἦν referunt, ut idem sit, quod: *erat incipiens*, vel: *incipiebat esse*, quod alias diceretur: ἤρξατο εἶναι. Ita *Scaliger* lib. VI. de Emendat. Temporum p. 513. & Canon. Isagog. lib. III. p. 299. *Matthæus Hillerus* in Syntagmatibus Hermeneutic. p. 67. & plerique omnes. Aliis vero videtur πλεονάζειν, ut v. 8. hujus capitis, μὴ ἄρξησθε λέγειν, i. e. μὴ λέξητε, ne dicatis, & frequenter alibi. Ita olim Interpres *Syrus*, quem urget inprimis *Lud. de Dieu*, cum quo facit *Jo. Wandalinus* in Dissertat. Anti-Langiana de Feria Passionis & triduo mortis Christi p. 271. Syntagmatis Dissertationum Græviani, & nuperrime Cl. *Majus* Observ. Sac. Tom. I. p. 40. contra quem vide, quæ observat *Wolfburgius* in Obss. Sacr. p. 134. sq. Alii elliptice potius explicant, subintelligentes vel vocem διακονίας, vel verbum διδάσκειν aut εὐαγγελίζεσθαι. Ita initium, de quo hic sermo est, non ad *ætatem* Christi, sed ad *ministerium* & prædicationem Evangelii primum a Christo susceptam pertinebit. Ita ex nostratibus *Erasm. Schmidius* ad h. l. *Jos. Arndius* in Miscell. Sacr. p. 3. *Wilh. Langius* de Annis Christi p. 363. B. *Habichhorstius* in Locis Jesaiæ illustratis ad cap. XI. 1. & novissime Cl. *Starckius* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 88. ex ceteris vero *Keuchenius* in Notis ad h. l. *Grotius* & *Clericus*. Provocant illi inprimis ad *Act.* I. 22. ubi vox ἄρχεσθαι similiter sine addito in simili argumento adhibetur. Vide tamen, quæ contra hos urget B. *Wandalinus* l. c. p. 272. Mihi quidem ista interpretatio & cum rationibus Græcæ Linguæ, & cum contextu omnium optime conciliari posse videtur. Minime vero omnium de mutatione verbi hic cogitandum est, quam miror placere potuisse *Isaaco Casaubono*, in cujus Tomo V. Adversariorum MSS. quæ exstant in Bibliotheca Bodlejana, memini me observasse, legendum hic sibi videri: ἦν ἐρχόμενος, quamvis ipsam hanc lectionem apud Clementem Alexandrin. lib. I. Stromatum & in Codice Vaticano exstare testatur *Allixius* de anno & mense natali Christi p. 58.

Quo auctore id faciat *Allixius*, dicere non habeo: certe in Milliana collectione hujus varietatis, tanquam in Codice Vaticano obviæ, nulla fit mentio.

ὢν ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ τοῦ Ἡλὶ) Verba hæc in editionibus omnibus parentheſin exhibent, ea vero ubi finienda ſit, dubium videtur Interpretibus. Plerique horum parentheſi tantum includi volunt verba: ὡς ἐνομίζετο, id quod plerarumque editionum exemplo confirmatur. Vide etiam in hanc ſententiam Cl. *Majum* lib. I. Obſſ. Sacr. p. 41. & lib. II. p. 94. ubi poſteriore loco phraſin ipſam ex Græcis Scriptoribus & ratione genealogias contexendi iisdem recepta illuſtrat, qua opera defunctum quoque video *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 36. Alii vero per parentheſin plura verba a reliquo ſermone ſeparant, legentes: ὤν, (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλὶ, i. e. *exiſtens, (cum putaretur filius Joſephi,) filius Eli.* Ita ſentiunt ex noſtratibus *Habichhorſtius* l. c. *Jo. Mich. Langius* in Diſpp. Theol. de Genealog. Chriſti in *Addendis*, *Matth. Hillerus* in Syntagmatibus Hermeneut. p. 67. B. *Gotifr. Olearius* in eximio tractatu de Jeſu vero Meſſia p. 250. ſqq. Auctores der Unſchuldigen Nachrichten an. 1714. p. 967. & noviſſime Cl. *Starckius* in Notis Selectis ad Loca dubia N. T. p. 89. ex ceteris vero *Franc. Gomarus* in Examine Controverſ. de Genealogia Chriſti p. 27. & 115. *Jac. Altingius*, qui ad Gomarum provocat, Tom. V. Opp. in Schilo lib. II. c. VI. p. 40. *Gerh. Jo. Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 73. *Jo. Lightfootus* in Horis ad h. l. *Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. III. c. 14. *Basnagius* in Annalibus An. VI. §. 19. itemque *Spanhemius* in Dub. Evangel. Part. I. n. XX. Afferemus huc *Altingii* verba ex l. c. quæ horum verborum, ita diſpoſitorum, ſententiam & ſcopum optime repræſentare videntur. *Ni malimus*, inquit is, *Jeſum ipſum filium Heli dictum credere, qui nepos ejus erat; (nam nepotes vocari filios, non eſt inſolens, Geneſ.* XXIX. 5. 2 *Sam.* XIX. 24. *hoc vero illa appellatio neceſſaria fuit, cum Jeſus nepos Heli eſſet non ex filio, ſed ex filia virgine, cui in generis recenſione non erat locus) & per parentheſin adſcribi Joſephi nomen, hoc pacto* ὢν (ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ) τοῦ Ἡλὶ exiſtens, (ut putabatur filius Joſephi,) ipſius Heli filius. *Quæ ſententia Cl. Gomaro atque aliis placuit; habetque conſentientem Interpretem Syrum, qui hæc conjungit:* & exiſtimabatur filius Joſephi: *quomodo putatitius pater Joſephus a genealogia Chriſti removetur, atque ipſe avi ſui filius dicitur, præterita matre Maria, quæ virgo concepit peperitque Jeſum, ex prædictione Jeſ.* VII. 14. *Matth.* I. 22. 23. *cui, ipſius & Altiſſimi filio, vere Immanueli, Dominus Deus dedit thronum Davidis patris ejus, ut regnaret in domo Jacobi in æternum, & regni ipſius non eſſet finis.* Atque ſic ſimul patet, ante τοῦ Ἡλὶ nihil aliud ſubintelligendum eſſe quam υἱὸς in caſu recto, quod alias fieri apparet ex perpetua genealogias texendi ratione, & illuſtri inprimis exemplo *Geneſ.* XXXVI. 2. id quod pluribus probabit *Lightfootus* l. c. Hoc modo omnium optime difficultatibus, alioquin hic moveri ſolitis, occurri poſſe exiſtimaverim. Interim non ignoro, *Jo. Ern. Gerhardum* in Pentade Poſitionum, quæ exſtat Tom. II. Theſauri Diſputatt. p. 56. intelli-

telligere hic vocem γαμβρὸς i. e. *gener*, ut alias aliorum ſententias omittam. Confer præterea de tota hac cauſâ *le Cene* in Deſignatione novæ verſionis p. 565. *Mart. Lydium* in Florum Sparſione p. 7. *Guſſetum* in Confutatione libri *Chiſſuck Emuna* Part. II. c. I. §. 6. & c. 35. 1. nec non *Pitſchmanni* Dubia Vexata Hiſt. Eccleſ. Faſcic. II. p. 107. item *Bertramum* c. VI. Lucubratt. Franckenthalenſ. Adde, quæ contra *Trillerum* monita ſunt a *Schönlandio* p. 305. & *Pfeifero* in ſingulari diſſertatione p. 36. ſq.

Verſ. 24. Τῦ Ματθὰτ) Quæ hic de genealogia Chriſti a Luca nonnihil aliter quam a Matthæo ſtructa dici poterant, eorum indicium ſummatim fecimus ad c. I. Matthæi, allegatis, qui huc conferri mereantur, præcipuis Scriptoribus. Illis adde *Jo. Mich. Langii* Obſervationes Genealogicas ad Lucam relatas, quæ exſtant im Heb-Opfer Tom. I. p. 214. collatis alterius animadverſionibus, quæ ibidem leguntur Tom. III. p. 201. ſqq. nec omiſſis vindiciis Langianis, ibidem Tom. IV. p. 149. Vide & *Natalis Alexandri* Hiſtor. Eccleſiaſt. ad Ætat. V. Diſſ. IX. V. T. & *Jac. Guſſeti* Confutationem τῦ *Chiſſuck Emuna* Part. II. c. I. itemque *Surenhuſium* in libro καταλλαγῆς p. 320. ſqq.

Verſ. 26. Σάρεπλα τῆς Σιδῶνος) i. e. *Sarepta prope Sidonem*, quomodo deſcribitur 1 *Regg.* XVII. 9. Adde *Relandi* Palæſtinam p. 1057.

Verſ. 27. Τῦ Ζωροβάβελ, τῦ Σαλαθιὴλ) Diſputatur hic inter eruditos, num uterque horum iidem ſint cum iis, quos Matthæus in Genealogia Chriſti affert? Utriusque partis argumenta recitat *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 330. ſqq. qui *Spanhemium* ſequitur in Dubiis Evangelicis, diverſos eſſe ſtatuentem, qui ab utroque Evangeliſta memorentur. Adde in eandem ſententiam ex noſtratibus *Hillerum* in Syntagmatibus Hermeneuticis p. 263. ſqq.

Verſ. 36. Τῦ Καϊνὰν) Cainanis nomen non habent Hebræi Codd. V. T. *Gen.* XI. 12. nec 1 *Paralip.* I. 24. nec verſiones variæ & Scriptores Eccleſiaſtici nonnulli: viciſſim vero agnoſcunt illud LXX. Interpp. Geneſ. XI. & Codices N. T. MSS. ſi unum exemplar Cantabrigienſe excipias, omnes. Quam in rem plura lege apud *Bochartum* in Geographia Sacra II. 13. *Millium* ad N. T. & *Eduard. Bernardum* ad Joſephi Antiquitatt. I. 6. Itaque a multis, quid de eo ſentiendum ſit, diſputatum eſt. Lege huc inprimis ex Pontificiis *Dionyſ. Petavium* in Doctrina Temporum lib. IX. c. 27. *Natalem Alexandrum* Diſſ. IV. ad ætatem II. Vet. Teſtam. *Jo. Morinum* in Exercitatt. Biblic. lib. I. p. 166. *Mich. le Quien* in Defenſione textus Hebræi adverſus Pezronium Part. II. c. 6. qui Uſſerium potiſſimum ſequitur. Ex Anglis huc conferendi ſunt *Jac. Uſſerius* in Diſſert. de Cainane, *Jo. Gregorius* in Opp. Poſthumis p. 77. ſqq. & in præfat. ad Obſervationes Sacras, *Rich. Kidderus* in Demonſtratione Meſſiæ Part. II. p. 395. ſq. *Dan. Whitby* in Diſſert. ſingulari notis in N. T. ſubjuncta.

Humfr. Hody de Textib. Original. Part. I. lib. III. c. 2. §. 61. *Guil. Whiſtonus* in Tentamine textum Hebr. reſtituendi p. 116. ſqq. item *Jo. Viccars* p. 3. præfat. ad Decapla in Pſalmos. Ex *Reformatis* addendi *Iſ. Caſaubonus* in *Caſaubonianis* p. 95. ubi confer notas meas p. 295. *Voſſius* Tom. VI. Opp. p. 57. *Alex. Morus* in Cauſa Dei p. 103. *Guil. Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 335. ſqq. Ex noſtratibus denique B. *Salom. Glaſſius* in Philologia Sacra p. 232. ſq. B. *Abrah. Calovius* in Critico Sacro p. 534. & in Bibliis Illuſtratis ad h. l. Cl. *Fabricius* ad Codicem Pſeudepigr. V. T. p. 310. *Jo. Guil. Baierus* in Diſſert. de variantium lectionum uſu & abuſu in N. Teſt. p. 28. ſqq. & Rev. *Pfaffius* in Diſſ. de Variant. Lection. N. T. Plerique horum, & nominatim *Glaſſius* & *Calovius* Cainanem a librariis in verſionem τῶν LXX. atque hinc in Lucæ locum perveniſſe exiſtimant, quam ſententiam ex noſtratibus amplectuntur quoque *Jo. Adamus Oſiander* in Colleg. Syſtematico p. 88. Append. *Kromayerus* in Scrutinio Religion. Acceſſ. Diſp. II. §. 53. ſq. & *Ægid. Strauchius* in Dub. Hiſtor. Pro eadem ſententia multum pugnat *Whiſtonus* l. c. p. 120. Pauci ſunt, qui nomen hoc jure ſuo ad textum pertinere cenſent. Inter hos numero, ex Pontificiis, *Jo. Harduinum* in Opp. Selectis p. 521. cujus hæc ſunt verba: *Cainanem h. l. Moſes prætermiſit, Lucas inſeruit. Voluit ille, opinor, Arphaxadi & Cainanis incontinentiam latere Hebræis ſuis, quorum alter anno* 18, *alter anno* 17. *contra ceterorum Patriarcharum morem filium procreaſſet. Id autem ſane ſcite occultatur, alterutrius ſuppreſſo nomine.* Vindicare Cainanem quoque conatus eſt *Jo. Ern. Grabe* in Diſſert. de vitiis τῶν LXX. Intt. verſioni oblatis, (cujus initium in Anglia vidi,) conſtanti Codicum N. T. omnium conſenſione potiſſimum uſus. Vide eundem ad Irenæum fol. 261. Singularis eſt *Samuelis Petiti* in hoc argumento conjectura. Is enim Variarum Lectionum IV. 6. Cainanem cognomentum Salæ fuiſſe putat. Idem veri ſimile viſum eſt ex noſtratibus *Sauberto* in Opp. Poſthumis p. 249. qui, relatis aliorum ſententiis, verba Lucæ τῦ Σαλὰ τῦ Καϊνὰν, ſine interpoſita interpunctione legi vult, hoc ſenſu: *qui fuit filius Salæ, alias Cainan.* Arphaxadi enim filium fuiſſe ſtatuit binominem. Quod cum ſciolus ignoraret, factum putat, ut ex h. l. Lucæ verſio τῶν LXX. corrumperetur. Sed iſta quidem Petiti conjectura minus probabilis merito viſa eſt Cl. *Fabricio* ad Codicem Pſeudepigraphum Vet. Teſt. p. 310. Nec admittendum quoque videtur fulcrum illi firmandæ a B. *Sauberto* adpoſitum. Cum enim diverſæ generationes in hoc capite perpetuo per repetitum articuli τῦ uſum a ſe invicem diſtinguantur, non video, qui in hoc uno loco iſtum ſignificatum deſerere poſſimus. Non magis probandus eſt Auctor Chronici Orientalis, quo judice Cainanis nomen ex Hebraicis codicibus a Judæis poſtliminio expunctum eſt. Vide illud p. 3. Quæſitum eſt hac occaſione, unde οἱ LXX. nomen illud acceperint, ſi quidem ab iis profectum fuiſſe credatur. Atque hic quidem *Surenhuſius* l. c. ſuſpicatur, fuiſſe olim librum Apocryphum, ex quo Interpretes illud mutuum ſumſerint. Equidem juſtas

habere

habere causas mihi videor, cur adsensum meum sustineam, dum diligentius hoc argumentum aliquando excutere liceat.

Vers. 38. τῦ Ἀδὰμ, τῦ Θεῦ) phrasin hanc Interpretes multi ita supplerunt, ut Adamus *filius Dei* hic dici intelligeretur. Sed id quidem temere fieri judicat auctor der Erörterung etlicher Schriftstellen p. 315. authentico contextui presse inhærendum esse existimans. Neque tamen putandum est, sine exemplo & inconcinne Adamum filium Dei appellari. Nam Judæi eodem nomine primum hominem dignantur. Ita auctor libri *Cusari* Part. I. §. 95. de Adamo ait: וכבר נקרא אצלנו בן לאהים i. e. *atque is vocatur a nobis filius Dei.* Adde *Buxtorfii* notas l. c. qui similem Nachmanidæ locum affert, & *Vitringæ* Observationes Sacras lib. III. p. 144. Auctor τῦ *Chissuck Emuna* ineptit, quando ex his verbis colligit, Jesum a Luca *Dei filium* dici, quasi natum ex Adamo, *filio Dei.* Vide *Gussetii* Confutationem p. 395.

CAP. IV.

Vers. 1. ἤγετο ἐν τῷ πνεύματι) i. e. *per Spiritum*, seu *a Spiritu*, scil. *Sancto*, quomodo Matthæi illud c. IV. v. 1. ὑπὸ τῦ Πνεύματος intelligendum esse ad illum locum monuimus. Itaque *Bezam* non adeo puto reprehendendum, quod facit *Hombergius* in Parergis p. 125. qui vertere mavult: *a spiritu suo, proprio motu.* Non opus est, ut probemus, τὸ ἐν ad exemplum Hebraici ב sæpe idem esse quod *per.*

Vers. 2. καὶ συντελεσθεισῶν αὐτῶν) i. e. *sed illis consummatis.* Τὸ καὶ enim sæpe idem est, quod *sed* adversativum. Vide *Gataker.* ad Antonin. II. §. 7.

Vers. 5. βασιλείας τῆς οἰκυμένης) Per οἰκυμένην hic nonnulli intelligunt imperium Romanum, quod *Luc.* II. 1. indicari eadem voce existimant. Ita post alios *le Cene* in Projet p. 320. & ex nostratibus *Jo. Saubertus* in Operibus Posthumis p. 26. addita hac ratione, quod Roma in sedem concessa sit Satanæ *Apocal.* XIII. 12. qui proinde ostensione ejus Christo pompam Cæsaream promiserit. Confer, quæ diximus ad *Matth.* IV. 8.

Vers. 8. ὕπαγε ὀπίσω μȣ Σατανᾶ) In variis Codd. & versionibus desunt hæc verba. Ea itaque ex Matthæo desumta putant post alios *Millius* in Notis ad h. l. & *Pfaffius* de Variantibus Lectionibus N. T. p. 188. unde & *Rich. Simon* in versione sua Gallica omisit. Sed in contrariam sententiam lege *Whitbii* Examen p. 44.

Vers. 9. καὶ ἤγαγεν αὐτὸν εἰς Ἰερȣσαλὴμ) Hoc tentationis genus, quod Matthæus secundo loco recensuit, Lucas tertio affert. Qua quidem in re cum

cum nonnullis non cogitandum est de transpositione commatum apud Lucam facta, quam consensus Codicum & antiquissimarum versionum aversantur. Neque etiam existimandum, Lucam ordinem alium invehere, & sic cum Matthæo pugnare. Matthæum enim ordine, quo tentationes illæ se invicem exceperunt, hic procedere voluisse, patet ex particula τότε, temporis definiti nota Lucæ vero idem fuisse consilium ex verbis ejus non patet. Is enim simpliciter ait: καὶ ἤγαγεν αὐτὸν h. e. *ducebat eum quoque*, nisi cum B. *Grünenbergio* verbum ἤγαγεν in plusquamperfecto accipere velis, ut sensus sit: *duxerat eum.* Satis igitur habuit Lucas, enarrare tentationes ipsas, neglecto, quo evenerint, tempore. Compara *Franc. Wokenii* Pietatem Criticam Part. II. p. 102. ubi contra Synchyses disputat, quas in hoc & aliis N. T. locis occurrere nonnulli arbitrantur.

Vers. 13. Καὶ συντελέσας πάντα πειρασμὸν) Placent verba *Hombergii* p. 126. *Notabilia*, inquientis, *hæc sunt verba, ex quibus colligere possis, Diabolum omne genus tentationis exercuisse, & adhibuisse adversus Christum, eumque non solum in tria omnium sine dubio maxima peccata impellere voluisse, sed & alia quoque permulta addidisse, quæ in his libris consignata non reperiuntur.*

Vers. 16. Καὶ εἰσῆλθε κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Σαββάτων, εἰς τὴν συναγωγὴν &c.) *Quod Christus in Synagoga hac Nazarethana populum docuerit, & quidem die Sabbathi, id Ecclesiasticum erat; quod vero docens, post prælectum textum, sederit, id redolebat morem Scholarum, ni fallor. Nec sane crediderim, in Academiis celebrioribus eam obtinuisse docendi libertatem, ut Christo licitum fuisset, cujusque Doctoris cathedram occupare, & de illa perorare. In Synagogis quidem vigebat illa docendi dicendique ad populum libertas, qua Christum gavisum fuisse legimus, verum in statis & celebrioribus Academiis certi Doctores cathedras tenebant cum Interpretibus, qui ipsorum nomine & auctoritate loquebantur.* Ita *Vitringa* de vetere Synagoga lib. I. p. 135. sq. Conferatur idem p. 580. sqq. ubi suspicatur, Nazarethanis hanc Synagogam tam pro *schola* quam pro *prosecuche* inserviisse. Adde ejusdem Archisynagogum p. 121. & 234.

καὶ ἀνέστη ἀναγνῶναι) Scilicet more receptum erat, ut Legis prælectio fieret stantibus lectore & populo. Vide præter *Vitringam* l. c. *Wagenseilium* in notis ad Sota p. 1134. Sed dubium est, an non Christus hic magis Doctoris & Concionatoris, quam Lectoris partes egerit. Nullæ enim aliæ circumstantiæ, quæ cum lectione legis ordinaria conjunctæ fuerunt, hic memorantur. Nulla vocationis ad lectionem peragendam mentio; nulla Benedictionum; dein prælegit unum tantum versum cum parte alterius. Textus quoque hic Propheticus inter Haphtharas Synagogicas hodie, quod sciam, non recensetur. Ita *Vitringa* de vetere Synagoga p. 1000, qui tamen ibidem, enarratis iis, quæ ad ista responderi possint, rem in medio relinquit, simul testatus, concionatoris potius quam Lectoris partes Jesum hic susti-

ſuſtinuiſſe ſibi quidem videri. Atque ita quoque ſtatuit *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 340. tum, quia diverſa Jeſaiæ loca in unum conflaverit, tum quia breve aliquod Prophetæ argumentum prælegerit, tum denique, quod poſt lectionem, in ſuggeſtu factam, conſederit, ut reliqua omittam, ibidem fuſius expoſita.

Verſ. 17. καὶ ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον Ἡσαΐου) Quæ hic prælegit Salvator & Dominus noſter, ea inter Haphtharas ordinarias hodie non recenſentur: cum viciſſim duas Haphtharas, quæ textum hunc præcedunt, & ſequuntur, ſolenne ſit in quibusdam Synagogis poſt jejunium menſis *Af* prælegere. Altera earum incipit ab initio capitis LX. 1. & fere pertingit uſque ad initium capitis LXI. altera initium ſumit a verſu 10. capitis LXI. Hic vero Jeſus primum & ſecundum comma capitis LXI. & comma ſeptimum capitis LXII. in unum contrahit, more ſcilicet, non quidem Lectoribus Haphtharum, quæ integræ ſine interrupto ordine prælegi ab iis ſolebant, ſed concionatoribus recepto; ubi ſimul obſervandum eſt, partem capitis XLII. Jeſaiæ conſtituere Haphtharam illam, quæ in principio novi anni prælegi ſolet. Hæc enim inde a v. 5. capitis XLII. uſque ad v. 21. capitis XLIII. protenditur. Ex quo patet, Chriſtum de induſtria locum eum hic evolviſſe & prælegiſſe, qui occaſionem ſuggerere poterat ea ediſſerendi, quæ ſcire auditorum intererat. Id quod ex phraſi illa καὶ ἀναπτύξας τὸ βιβλίον εὗρε τὸν τόπον &c. Eadem lectio, pro arbitrio inſtituta a Chriſto, effeciſſe videtur, ut auditores, oculis & animis in Chriſtum intentis, hoc diligentius dicenda auſcultarent. Nimis igitur præceps fuit *Stephanus le Moyne*, quando in Notis ad Varia Sacra p. 954. affirmat, Chriſtum legiſſe tunc unam ex Haphtharoth ſeu Sectionibus Propheticis illi Sabbato accommodatam. Certe non tam ordinarii *Lectoris*, quam *concionatoris* munus hic obiiſſe, ex omnibus circumſtantiis hic commemoratis patet, quod & manifeſtum amplius facit *Surenhuſius* in libro καταλλαγῆς p. 340. ſq. Propterea quoque integrum ipſi fuit, ſeligere ea ex contextu ſacro, quæ vellet.

καὶ ἀναπτύξας) i. e. *evolvit librum*. Manifeſtum eſt reſpici ad formam Codicum Hebraicorum, ita & ea ætate, & adhuc inter Judæos, ubi in Synagogis legunt, comparatorum, ut *voluminum* (מגרות) nomine proprie appellari poſſint. Lege hanc in rem præ ceteris *Wilh. Schickardum* in Bechinat Happeruſchim, *Wagenſeilium* ad Sota p. 677. & *Jo. Outreinium* in Commentario de Symbolis Sanctis Tom. II. p. 182. ubi, quæ ex profana antiquitate huc faciunt, diligenter affert. Vulgatus docte vertit: *revolvens librum*. Eadem phraſi utitur *Herodotus* lib. I. c. 125. p. 52. ἀναπτύξας τὸ βιβλίον. Confer *Elsnerum* p. 197. Hinc patet, vocem ἀνοίξας, quam nonnulli Codices hic habent, pro interpretamento vocis ignotioris ἀναπτύξας habendam eſſe. Vide quoque *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 295.

Vers. 18. Πνεῦμα Κυρίε ἐπ' ἐμὲ &c.) Vaticinium hoc a *Jesaia* ad Christum omnino referri, & eventu confirmatum esse, contra auctorem libri pestilentissimi *Chissuck Emuna* ostendit inprimis *Jac. Gussetus* in Confutatione libri illius Part. II. c. XXXVI. De varietatibus, quæ inter Jesaiæ locum & hanc allegationem partim intercedunt, partim intercedere tantum videntur, lege præter Rev. *Gebhardum* in Vindiciis textus Hebr. contra *Pezronum* p. 169. sq. *Surenhusium* in libro καταλλαγῆς p. 343. sqq. & *Vitringam* in Commentario ad Jes. LXI. 1. Tom. II. p. 823. Atque hic quidem contextum Græcum Lucæ exacte Hebraico responsurum esse existimat, si, mutata nonnihil interpunctione, legamus: ὃ ἕνεκεν ἔχρισέ με εὐαγγελίζεσθαι πτωχοῖς· ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τὰς συντετριμμένας τὴν καρδίαν. Idem quoque p. 925. in Nota recte observat, citationem hic factam cum versione τῶν LXX. prorsus conspirare, si exceperis verba: ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, quæ nec in Hebræo, nec apud Interpretes illos Alexandrinos exstent, quamvis phrasis eadem legatur cap. LVIII. 6. Atque horum verborum rationem ita porro edisserit l. c. *Demonstravi*, inquit is, *nihil vitii esse, ea tribuere Lucæ, qui perspiciens, Hebræa majorem emphasin admittere posse, hæc verba adscripserit. BEZA tamen pronior fuit in sententiam, fuisse a librario adscripta ad editionem τῶν ὁ, & inde irrepsisse in contextum Lucæ: quod dici patior, certe multo dicitur speciosius, quam quod* Schickardus *in* Bechinat Happeruschim p. 21. *Lectionem hanc Sabbaticam Christi Domini apud Lucam nec Hebræo, nec Græco contextui congruere, statuat, sed potius Chaldæo, unde probabile existimat ex aliquo tunc exstante & vulgo intelligibili Targum recitatam esse, quod absque censura transmisit* Waltonus, *usum τῶν Targumim commendaturus, in Proleg. Polyglott. c. XII. §. 16. Frustra sane; conveniunt enim Græca Hebræis, & transscripta sunt a Luca, ut passim facit, ex Græca versione τῶν ὁ.* Hic observandum primo est, *Leusdenium* quoque in Philologo Hebræo-mixto p. 35. & *Bartoloccium* Tom. I. p. 410. Biblioth. Rabbinicæ idem cum *Schickardo* tueri, contra quam sententiam recte puto disputasse *Vitringam.* At ipsum hunc, a Luca hæc verba, de quibus disputatur, repetentem, non minus, quam *Bezam*, a librario derivantem, deferendum esse existimo, cum aliis exemplis N. T. constet, & Salvatorem nostrum, & Apostolos nonnunquam oraculis V. T. quæ citabant, quædam ex aliis Scripturæ locis, illustrandi causa addere consueviss: id quod *Surenhusius* inprimis subinde demonstravit. Itaque nec temeraria *Whistoni* assertione opus est, locum hunc in Hebræo æque textu ac τοῖς LXX. statim a Sec. I. corruptum statuentis in Tentamine contextum Hebr. restituendi p. 13.

τὰς συντετριμμένας τὴν καρδίαν) Verbo συντρίβεσθαι pro *dolere & tristitia veluti conteri & contundi* utuntur Græci Scriptores, v. c. *Polybius*, ex quo exempla affert Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 193.

Vers. 19. Κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίε δεκτὸν) *Annus acceptus* per priorem Domini

ni adventum exponitur a Patrum nonnullis, de quibus vide *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 1118.

Vers. 20. πτύξας τὸ βιβλίον) Hebraice dixeris גלל הספר.

καὶ ἀποδὲς τῷ ὑπηρέτῃ) *reddens ministro Synagogæ.* Ὑπηρέτης hic est, quem Hebræi olim & adhuc hodie חזן appellant. Hujus enim officium erat, ut acciperet librum Legis, eumque traderet Præfecto Synagogæ. Id quod totidem verbis traditur in *Sota* cap. VIII. §. 8. חזן הכנסת נותן ספר התורה ונותנו לראש הכנסת: Lege huc *Wagenseilii* notas ad illum locum p. 675. *Constantin. Lempereur*, quem *Wagenseilius* ex parte corrigit, ad Benjaminis Itinerarium p. 148. inprimis vero *Vitringam* de vetere Synagoga p. 898. sqq. & in Archisynagogo p. 56. & 177. tum vero *Relandum* p. 133. Antiquitat. Hebr. ac præterea *Surenhusium* in libro καταλλαγῆς p. 339. sqq.

Vers. 22. καὶ πάντες ἐμαρτύρουν αὐτῷ) i. e. *omnes approbabant* seu *prædicabant illum.* Sic infra cap. XI. 48. Ita & *Diogenes Laertius* lib. I. §. 24. μαρτυρεῖ δ' αὐτῷ καὶ Ἡράκλειτος καὶ Δημόκριτος, *prædicant eum quoque Heraclitus & Democritus.* Vide *Elsnerum* p. 198. & Rev. *Raphelium* in Notis Xenophont. p. 86.

καὶ ἐθαύμασαν ἐπὶ τοῖς λόγοις τῆς χάριτος) λόγον τῆς χάριτος dici hic pro χάρις λόγων, ut indicetur *gratia* aut *commendatio oris atque orationis*, in qua maxima ad persuadendos capiendosque animos vis sita sit, post *Pricæum* & *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 273. observat *Elsnerus* p. 198. Scilicet id innuitur, quod de Christo prædicatur Ps. XLV. 2. secundum τὸὺς LXX. ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσί σου. Ita *Plutarchus* Ciceroni in Vita ejus p. 862. tribuit λόγον ἡδίστου καὶ χάριν ἔχοντα πλείστην. Adde *Vitringam* in Archisynagogo p. 224. quī phrasin hanc confert cum Hebræorum verbo הרצה, quo illi in significatu *concionandi* utuntur. Id vero ut originem habet a רצה i. e. *bene velle, complacere*, τὸ הרצה idem videtur esse, quod *concionari cum gratia.* Quæ ut hactenus recte observantur, ita absit, ut χάριν hanc de nuda externa pronunciatione & oris suavitate accipiamus, cum res ipsæ, divinæ, quæ in Jesu erant, sapientiæ & mellifluæ humanitatis testes, potius spectandæ sint, quo & *Ps.* XLV. 2. pertinet.

Vers. 23. τὴν παραβολὴν ταύτην) παραβολὴ idem hic est, quod Græcī alias per παροιμίαν exprimunt. Ita Hebræi vocem משל pro *parabola* & *paræmia* usurpant, quia scilicet utrinque comparatio quædam cum re alia infertur. Vide plura apud *Vorstium* de Adagiis N. T. c. V. p. 32. sq.

ἰατρὲ θεράπευσον σεαυτὸν) Proverbium hoc occurrit in *Tanchuma* ad Sect. I. Geneseos אסיא אס הגירתך i. e. *Medice, cura claudicationem tuam.* Confer *Vorstium* l. c. p. 32. qui & p. 31. Græcorum & Latinorum loca affert, in quibus, quamvis non totidem verbis, eadem paroemia occurrit. Ita *Plutar-*

chus in lib. de discrimine adulatoris & amici: ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων i. e. *Aliorum medicus ipse ulceribus scatens.* Adde *Mori* notas p. 66. *Andr. Schotti* Adagialia N. T. p. 71. & *Erasmum* in Adagiis. Consilia similia passim in veterum scriptis de emendatione sui ipsius, si in alios animadvertendum sit, leguntur. Vide huc *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 647. & *Gatackerum* ad Antonini X. §. 30. & alibi.

Vers. 24. ὅτι οὐδεὶς προφήτης δεκτός ἐστιν ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ) De civibus, in patria apud suos contemtis, lege *Picinelli* Lumina Reflexa p. 647. Conf. quæ scripsimus ad *Matth.* XIII. 57.

Vers. 25. ὅτε ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ) Hanc allegationem pugnare cum 1 *Regg.* XVIII. 1. (ubi scilicet Deus dicatur *anno tertio* allocutus esse Eliam,) contendit Judæus in libro Antichristiano MS. quem is *Portam veritatis* inscripsit. Sed vide, quæ regerit *Richardus Kidderus* in Demonstratione Messiæ Part. III. p. 78. sqq. qui *Grotii* interpretationem amplectitur & ornat. Is vero ita verba παραφράζει: *Dies aliquam multi* (i. e. sex menses) *praterierant, ex quo Deus allocutus erat etiam anno tertio, id est, fine anni tertii, postquam pluere desierat.* Confer *Noldii* Concordant. Particularum Hebraic. p. 156. & 279.

Vers. 26. εἰς Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος) Hebr. צרפת, quæ urbs media est inter Tyrum & Sidonem, teste *Josepho* & *Plinio*, qui illam *Saraptam* vocat. Ita Stephanus de Urbibus: Σάρεπτα, πόλις Φοινίκης. Josepho vocatur Σαραφθὰ Antiquitt. VIII. 7. LXX. Intt. 1 *Regg.* XVII. 9. habent εἰς Σαρεπτὰ τῆς Σιδῶνος. Lege plura apud *Relandum* in Palæstina Sacra p. 985. & 1057. Adde *Masii* commentar. ad Josuam p. 294. & *Salmasium* ad Scriptores Histor. August. Tom. II. p. 411.

πρὸς γυναῖκα χήραν) Eodem harum vocum ordine ει LXX. 2 *Regg.* XIV. 5. & 3 *Regg.* VII. 14. utuntur, ut & *Pausanias* in Phocicis cap. ult. p. 898. quemadmodum idem Pausanias in Arcadia p. 695. ordine immutato χήραν γυναῖκα appellat. Hæc contra *Pricæum* monet *Elsnerus* p. 199. sicut contra *Bezam* observandum est, pleonasmum hunc ab Hebraismo non repetendum esse.

Vers. 27. ἐπὶ Ἐλισσαίου) i. e. *tempore*, seu *ætate* Elisæi. Similis phrasis exstat *Act.* XI. 28. nec minus apud profanos. Ita *Epictetus* apud Arrianum lib. III. c. 23. ἐπ' ἐμοῦ i. e. *meo tempore.* Confer *Raphelii* Notas Polybian. & Xenophonteas p. 192. & 86. De *Elisæo* Propheta lege *Jo. Meyeri* notas ad Seder Olam ex Abarbanele & Hebræis aliis p. 880. sqq.

Vers. 28. καὶ ἐπλήσθησαν πάντες θυμοῦ) i. e. repleti sunt omnes excandescentia seu ira præcipiti. Vide *Bezam* ad Matth. XVII. 26. & *Pfochenium* de Stylo

Stylo N. T. §. 123. qui eundem significatum voci θυμὸς ex Græcis Scriptoribus vindicat. Confer tamen *Gatackerum* p. 257. de Stylo N. T.

Vers. 29. καὶ ἤγαγον αὐτὸν) i. e. *per vim rapuerunt.* Vide *Jo. Conr. Dieterici* Antiquitates Bibl. N. T. p. 37. a. Tom. I.

ἕως τῆς ὀφρύος τοῦ ὄρους) i. e. *usque ad supercilium montis.* Tale vero est tumulus aut collis, qui ad latus illius montis continuus eminebat, neque tamen æquabat ejus cacumen, sed ejus respectu id erat, quod supercilium ad verticem in homine relatum. Ita *Elsnerus* p. 200. qui ex *Strabone* p. 366. & 367. & aliis ostendit, profanos quoque Scriptores eadem loquendi ratione uti. Idem *Strabo* lib. XVII. p. 935. dixit ὀρεινή τις ὀφρὺς, & p. 944. πετρώδης τὶς ὀφρὺς, *petrosum quoddam supercilium.* *Apulejus* Metamorphos. V. p. 256. habet *amnis supercilium.* Hæc Cl. *Trillerus.* Præcipitationem, tanquam supplicii genus, Judæis, Græcis & Romanis receptam fuisse, ostendit *Suicerus* in Thesauro Tom. I. p. 408. Confer *Raphelii* Notas Xenophont. p. 86.

ἐφ' οὗ ἡ πόλις αὐτῶν ᾠκοδόμητο) Confer huc *Relandi* Palæstin. Sacr. p. 905. qui p. 907. *Phocum*, Scriptorem Seculi XII. affert, hæc tradentem: Μέσον διαφόρων βουνῶν ἐπὶ τῷ βάθει τῆς ἐξ αὐτῶν φάραγγος ἡ Ναζαρὲτ πόλις τεθεμελίωται i. e. *Inter varios colles media ad ima vallis ab iis formatæ urbs Nazareth structa est.* Vide & *Guil. Tyrium* lib. XXII. 26.

Vers. 32. ὅτι ἐν ἐξουσίᾳ ἦν ὁ λόγος αὐτοῦ) i. e. *quia potens erat sermo ejus.* Sic v. 36. ἐν ἐξουσίᾳ ἐπιτάσσει, *potenter præcipit.* Conf. *Hombergius* p. 126.

Vers. 33. ἔχων πνεῦμα δαιμονίου ἀκαθάρτου) *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 101. ed. primæ legi malebat δαιμόνιον ἀκάθαρτον. Sed idem conjecturam hanc, qua opus non erat, ex posteriori editione recte expunxit.

φωνῇ μεγάλῃ) irrepsisse hæc putat in textum *Millius*, eo quod in MSS. nonnullis non leguntur. Sed vide *Whitbii* Examen p. 45. a.

Vers. 38. ἡ πενθερὰ δὲ τοῦ Σίμωνος) Τὸ δὲ idem hic valet, quod γὰρ: *nam; enim*: ut *Matth.* XXIII. 5. & 2 *Cor.* I. 21. Nam morbus socrus Simonis in causa erat, ut Christus domum ejus ingrederetur. Ita vero *Thucydides* quoque lib. I. p. 23. particulam δὲ adhibet, & alii, de quibus *Elsnerus* p. 200.

συνεχομένη πυρετῷ) *conflictabatur* aut *laborabat febri*; ut *Act.* XXVIII. 8. Sic *Aristides* νόσῳ συνέχεσθαι Serm. Sacr. II. p. 520. & *Lucianus* Philopseude p. 482. πυρετῷ ἐχόμενος. Πυρετὸς a πῦρ nascitur, hinc ἄπυρος is vocatur, qui est sine febre. Vide *Elsnerum* p. 201. De morbo ipso, qui febris magna appellari solet, commentatur B. *Wedelius* Centur. I. Dec. VIII. Exercitatt. IV. ubi inprimis ostendit, Lucam febrim hanc, tanquam Medicum, exactius & diligentius, quam reliqui Evangelistæ fecerunt, descripsisse, eadem opera declarans,

quibus momentis gravitas hujus febris absolvatur. Idem quoque tuetur vocem συνεχομένη adversus eos, qui legi volunt κατεχομένη.

Vers. 39. ἐπετίμησε τῷ πυρετῷ) Vide de hac phrasi *Petitum* ad Leges Atticas p. 302. & *Gussetum* p. 321. Lexici Hebr.

Vers. 42. Γενομένης δὲ ἡμέρας) Eadem phrasi utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 29. Vide *Raphelii* Notas Xenophont. p. 87.

CAP. V.

Vers. 1. παρὰ τὴν λίμνην Γεννησαρὲτ) Θάλασσα vocatur *Matthæo* & *Marco*, quæ hic λίμνη seu stagnum appellatur. Scilicet veteres aquas abundantioris copiæ in unum congestas quascunque nunc *maris*, nunc *lacus*, nomine appellant. Vide hanc in rem *Dougtæum* in Analectis Sacris p. 46. sq. & *Relandum* in Palæstina Sacra p. 238. sq. qui ostendit, non solum Hebræos, ceu jam pridem observarunt *Cyrillus* in Jesaiam lib. II. Tom. I. & *Hieron.* Quæst. Hebr. in Genes. cap. I. sed & Græcos, Latinos, imo & Belgas lacus marium nomine insignire consuevisse. Viciſſim vero mare Græcis λίμνην vocari. Idem p. 258. de lacu hoc, qui alias lacus vel mare *Tiberiadis* vocatur, diligenter exponit.

Vers. 2. δύο πλοῖα ἑστῶτα) Ita naves stantes in anchoris, Latini *naves stantes* appellant, nec minus Græci, ut *Homerus* Odyss. ε'. Vide *Jensii* Ferculum Literar. p. 44.

Vers. 3. ἐπαναγαγεῖν ὀλίγον) scilicet τὴν ναῦν, ut a terra navim paululum promoveret. Vide huc *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 130.

Vers. 5. δι' ὅλης τῆς νυκτὸς κοπιάσαντες) Noctu scilicet pisces facilius capiuntur: vide *Oppiani* Halieutic. & adde *Theocritum* Idyll. XXI. 19. Debes hæc Cl. *Trillero.*

Vers. 6. συνέκλεισαν ἰχθύων πλῆθος πολύ) Miraculosa illa piscium captura partim erat compensatio laboris longioris & molesti, partim præfiguratio felicissimi successus, quem Petrus piscator hominum esset habiturus. Vide *Henr. Mori* Opera Theolog. p. 136.

διεῤῥήγνυτο δὲ τὸ δίκτυον αὐτῶν) i. e. *pene rumpebatur, parum aberat.* Nam si rete revera ruptum fuisset, nihil piscium retinuissent. Sic commate sequenti ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά, *ut fere mergerentur.* Conf. infra c. XXI. 26. Ita recte *Elsnerus* p. 201. qui τὸ δὲ per *etiam* verti vult.

Vers. 7. ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά) *ut fere mergerentur.* Vide ad v. 6. Sic *Coptus: ut inciperent mergi.* Similiter *Syrus*, *Persa*, *Gothus*, *Saxo*, de quibus lege Cl. *Wil-*

Wilkinſii Prolegomena ad verſionem Copticam p. 22. Idem hoc innuere voluerunt, qui verbis textus adjecerunt particulas παρά τι, quas temere tanquam genuinas recepit *Beza*. Iis enim non opus eſt, cum orationis ſeries eas ſubintelligere jubeat.

Verſ. 8. προσέπεσε τοῖς γόνασι τοῦ Ἰησοῦ) De veneratione genibus flexis facta lege ad h. l. *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 647. & *Dougtæum* in Analectis Sacris N. T. p. 47. qui oſtendit, ſupplicantes nunc aliorum genibus ſe advolviſſe, nunc ea contrectaſſe, nunc ad pedes eorum concidiſſe, interdum vero & genas contrectaſſe.

ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ) Illuſtrat hæc *Elsnerus* p. 202. ex more eo, quo cum hominibus graviorum ſcelerum reis in eadem navi eſſe recuſabant. Vide *Æliani* Var. Hiſtor. VIII. 5. & *Philoſtrat.* lib. V. c. 20. p. 203.

ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι) Verba hæc phraſin Hebræam ſapere arbitratur *Hackſpan.* in Not. Philol. p. 281. Hebræos enim dicere אנשים חטאים & איש חטא ut *Numer.* XXXII. 14. Sed paulo ſuperius oſtenſum eſt, profanos quoque Scriptores vocem ἄνθρωπος adjectivis ejusmodi jungere ſolere, a quibus commode abeſſe potuiſſet.

Verſ. 9. ἐπὶ τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων, ἣν συνέλαβον) i. e. *ſuper captura piſcium, quam comprehenderant.* Recte omnino, quamvis aliter judicet *Hombergius*, qui verti vult: *ſuper captura piſcium, qua opitulati erant.* Hoc enim ſenſu ait idem verbum συλλάβεσθαι occurrere v. 7. obſtare etiam τὸ ἣν, pro quo in altero ſignificatu ἣν ponendum fuiſſet: connexionem eſſe elegantiorem; incommode denique dici *comprehendere piſcationem*, quia ceteri vocati erant, ut ſe in piſcando adjuvarent. Prima Viri docti ratio nihil quidquam efficit. Sufficit enim συλλαμβάνειν de captura tum hominum, tum ſpeciatim margaritarum dici. Quam in rem vide loca idonea veterum a *Raphelio* allata in Notis Polybianis p. 194. Non plus valet exceptio ex particula ἣν deſumta. Pervulgatum enim eſt, articulos poſtpoſitivos caſu convenire ſolere cum nomine antecedente, quamvis alioquin ſequens verbum alium requirat. Connexioni hic non melius conſulitur, cum nihil aliud hic ſignificari debeat, quam capturam piſcium feliciter proceſſiſſe. De auxilio enim, a ſociis præſtito, ex antecedentibus jam conſtabat. Præterea novæ huic expoſitioni id inprimis adverſatur, quod ipſo fatente, verbum συλλαμβάνειν in hac ſignificatione ordinarie cum Genitivo conſtruatur. Quæ cauſa eſt, cur legi malit ἧς pro ἣν, quod, reclamantibus Codicibus omnibus, non debebat cogitari. Et ne ſic quidem res inoffenſo pede procedet, quia in hac ſtructuræ ratione dativus perſonæ addi debebat. Ita *Ariſtophanes* in Veſpis: Σοὶ δὲ νῦν τις τῶν θεῶν παρὼν ἐμφανὴς συλλαμβάνει τοῦ πράγματος.

Ceterum vox ἄγρα de piſcibus uſurpatur in *Æſopi* Fab. XVII. Ἁλιεῖς inſeri-

inſcripta, quæ tota huc conferri poteſt. *Moſchus* Idyll. V. ἰχθῦς ἁ πλάνες ἄγρα i. e. *piſces fallax venatio.* *Theocritus* Idyll. XXI. piſcatores ἰχθύος ἀγρητῆρας vocat. Hæc ex Cl. *Trilleri* Notis MSS.

Verſ. 10. ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν) Verbum ζωγρεῖν ſignificat primo quidem, *vivum aliquem capere*, in venatione, quaſi ζῶντα ἀγρεῖν; tum vero etiam *vivum capere in bello*, & *in ſervitutem abripere.* Vide *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. I. p. 435. qui ſenſum poſteriorem hic inprimis reſpici vult, ut Simon dicatur homines capturus, ad ſerviendum Deo. Alii cum Syro Interprete ita hanc phraſin capiunt, ut Petrus intelligatur homines capturus, ad vitam illis impertiendam, quia ſcilicet τὸ ζωγρεῖν dicatur de captivis, quibus vel vita adimi, vel conſervari ſolebat. Ita poſt *Tremellium*, *Heinſium*, & *Lud. de Dieu*, ſtatuit *le Cene* in Projet. p. 575. Patrum de his verbis cogitata lege in *Suiceri* Theſauro Tom. I. p. 191. qui & de verbo ζωγρέω commentatur p. 1301.

Verſ. 11. καὶ καταγαγόντες τὰ πλοῖα) κατάγειν τὸ πλοῖον eſt proprie ἐπὶ τὸν ταύσαθμον ἄγειν, *in navalia deducere*, vel *ſubducere naves.* Inde κατάγειν τὰ πλοῖα dicebantur, qui mercatores ad ſua adpellere adigebant, cum id facere poſſent. Ita *Salmaſius* de Modo uſurarum p. 220.

Verſ. 14. Καὶ αὐτὸς παρήγγειλεν αὐτῷ μηδενὶ εἰπεῖν, ἀλλὰ ἀπελθὼν) Tranſitio eſt ab obliqua oratione ad rectam. Idem loquendi modus obſervatur apud *Arrianum* lib. V. de Expedit. Alexandri p. 210. Vide *Elsnerum* p. 204. & alia exempla apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis ad *Act.* I. 4.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς) hæc cohærent cum verbo προσέταξε. Vide *Hombergium* p. 128. Τὸ αὐτοῖς idem hic videtur eſſe, quod *adverſus illos.* Vide *Boiſſii* Collationem p. 176.

Verſ. 15. διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος) Eadem phraſi utitur *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. I. p. 199. Conf. *Raphelii* Notas Xenophont. p. 87.

Verſ. 17. ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν) Plerique Interpretes vertunt: *die quodam.* At *Martianæus* in Eſſais p. 227. *diem primum* hebdomadis hic intelligi vult. Quam ſignificationem, ut negari non poteſt, paſſim in N. T. occurrere, ut non tamen video cauſam ſatis idoneam, cur huic quoque loco vindicanda ſit.

καὶ δύναμις τοῦ Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς) *Heinſius* in Exercitatt. Sacr. p. 143. ſynchyſin hic manifeſtam eſſe putat. Verba enim hæc ita potius ordinanda cenſet: διήρχετο δὲ μᾶλλον ὁ λόγος περὶ αὐτοῦ. Αὐτὸς δὲ ἦν ὑποχωρῶν ἐν ταῖς ἐρήμοις, καὶ προσερχόμενος. Καὶ συνήρχοντο ὄχλοι πολλοὶ &c. καὶ δύναμις Κυρίου ἦν εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς. Καὶ ἐγένετο ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν &c. Idem probatur *Hombergio* p. 128. Sed turbæ moventur in ſimpulo. Decepit viros doctos id, quod

quod vocem αὐτὸς retulerunt ad eos, quorum mentio facta est v. 15. ad quos tamen non pertinet. Ab his enim jamdudum receſſerat, & in deſerto aliquamdiu degerat. Inde vero reverſus docet ad ſe venientes, inter quos dubio procul erant, qui ægrotos ſanandos ipſi offerebant. Vide huc omnino poſt *Eraſmum Schmidium* in notis ad h. l. Cl. *Franc. Wokenium* Part. II. Pietatis Criticæ p. 103. ſq.

Φαρισαῖοι καὶ Νομοδιδάσκαλοι) De νομοδιδασκάλοις his lege *Serarium* in *Trihæreſio* p. 29. & in Minervali p. 99. 100. item *Scaligerum* in Elencho p. 329. Nos alibi ad Matthæum docuimus, eosdem eſſe cum illis, qui alias γραμματεῖς vel νομικοὶ appellantur. Hinc v. 21. γραμματεῖς audiunt, qui hic vocantur νομοδιδάσκαλοι.

Verſ. 18. ὃς ἦν παραλελυμένος) *Celſus* III. 27. proprie & tamen latine vertit: *reſolutus*, monente Cl. *Trillero*.

Verſ. 19. ἀναβάντες ἐπὶ τὸ δῶμα) δῶμα ſolarium eſt, ubi meditari, ambulare & aëra ſerenum naribus captare ſolebant in tecto ſcilicet plano. Vide huc *Sam. Basnagii* Exercitatt. Anti-Baronianas p. 345. ubi & oſtendit, quod δῶμα ab ὑπερῶϊ ita differat, ut hoc non ſolam partem domus ſuperiorem, ſed & ſecretiorem, atque adeo conclave inferat. Ceterum formam tectorum Judaicorum planam fuiſſe & cancellis munitam, patet ex 2 *Regg.* I. 2. & *Deuter.* XXII. 8. Confer *Martianæi* Conatus ad h. l. & *le Cene* in Projet p. 275.

Verſ. 20. Καὶ ἰδὼν τὴν πίστιν αὐτῶν) Fidem hic non ſolum paralytici, ſed & reliquorum, qui eum attulerant, hic memorari, putat *Hombergius* p. 128. eo ſenſu & more, quo Scriptores Sacri alias utuntur, quando plurium numerum pro uno adhibent, ut *Matth.* XXVI. 8. Sed non video, cur pluralis numeri ſignificatio ordinaria hic retineri non poſſit, cum & ceteri fidem ſuam in Chriſtum ſatis probarint, quandoquidem nihil impedire ſe paſſi ſunt, quo minus ægrotum Chriſto ſiſterent.

αἱ ἁμαρτίαι σε) Forte ægrotus hic intemperantia, temulentia & intempeſtivo veneris uſu malum hoc ſibi contraxerat, unde paralyſis oriri ſolet, teſte *Cœlio Aureliano*, initio capitis de Paralyſi lib. II. c. 1. de morbis Chronicis, cum quo conſentiunt *Hippocrat. Galenus*, *Aretæus*, *Alexander Trallianus*, & alii. A *Celſo* atque *Aretæo* morbus hic incurabilis habetur, unde τὸ θεῖον in ſanatione tam cito & nudis verbis facta elucet. Obſervavit hæc laudatus Cl. *Trillerus*, qui & comparari vult *Guil. Aderum* de morbis Evangelicis.

Verſ. 21. ἤρξαντο διαλογίζεσθαι) *cœperunt cogitare*, ut *Vulg.* vertit, pro quo lege *Boiſii* Collationem p. 197. qui conferri huc jubet c. VI. 8.

Verſ. 24. εἶπε τῷ παραλελυμένῳ) verba ſunt Evangeliſtæ, non Chriſti. Ita & *Marc.* II. 10. Confer *Hombergium* p. 129.

Verſ. 29. δοχὴν μεγάλην) *convivium magnum.* Vid. *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 960.

Verſ. 30. Καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς αὐτῶν) Vox αὐτῶν a Codd. nonnullis abeſt, cum quibus *Eraſmus* & B. *Lutherus* noſter facit. Idem probabiliſſimum quoque & optimum viſum eſt *Boiſio* in Collatione p. 198. niſi, quod idem addit, cum *Piſcatore* malis in verbo ἐγόγγυζον ſubintelligere κατὰ, quaſi ſcriptum ſit, κατεγόγγυζον h. e. *obmurmurabant illis*, nempe *diſcipulis* Jeſu. Sed durior & inſolens hic quidem eſt ellipſis propoſitionis κατὰ, nec præterea ipſum verbum καταγογγύζειν in Novo Fœdere unquam exſtat, cum ſimplex γογγύζειν aliquoties ibi legatur, v. c. *Matth.* XX. 11. (ubi tamen jungitur præpoſitioni κατὰ, ἐγόγγυζον κατὰ τὸ οἰκοδεσπότε) *Joh.* VI. 41. 43. 61. VII. 32. & 1 *Cor.* X. 10. Itaque malim vocem αὐτῶν referre ad τὰς ἄλλας, de quibus v. 29. tanquam convivis tunc præſentibus ex urbe Capernaum & concivibus. Hi habebant Scribas ſuos & Phariſæos tanquam proprios ſibi doctores. Propterea dicuntur hic *illorum* Scribæ, qui ſcilicet auctoritate apud eos valebant, murmuraſſe inter ſe, & deinceps ad Jeſu diſcipulos dixiſſe: Διατί μετὰ τῶν τελωνῶν &c.

Verſ. 34. τὰς υἱὰς τῦ νυμφῶνος) Phraſis Hebraizans eos infert, quorum hoc officium atque jus eſt, ut cum ſponſo in conclavi ejus verſentur. Eos Græci vulgares παρανυμφίας vocant. Lege plura apud *Vorſtium* Part. II. Philolog. Sacr. p. 63.

Verſ. 35. καὶ ὅταν ἀπαρθῇ ἀπ' αὐτῶν ὁ νυμφίος, τότε &c.) Non redundare nec transpoſitam eſſe particulam καὶ, ſed conſtruendam cum τότε νηστεύσουσι obſervat *Hombergius* in Parergis p. 129. Senſus eſt: venient dies, &, cum ſublatus fuerit ab iis ſponſus, tunc jejunabunt. Sic *Marc.* XIV. 9. καὶ, ὃ ἐποίησεν αὕτη, λαληθήσεται.

Verſ. 36. ἐπίβλημα ἱματίε καινῦ) Vide huc *Mori* notas p. 67.

Verſ. 39. Καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν) Vini veteris elogia ex Scriptoribus affert *Bulengerus* de Conviviis lib. III. cap. 2. Tom. XII. Antiquitat. Roman. p. 163. ſq. & *Sam. Maſſonus* in Hiſtor. Critica Reipubl. Literar. Tom. I. p. 236. itemque *Jac. Geringius* in Diſſert. ad h. l. de præſtantia vini veteris pro novo, *Lipſ.* 1718.

ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν) In vertenda voce χρηστότερος diſſentiunt eruditi. *Beza* vertit: *utilius*, & explicat: *ſalubrius*, quod verum eſt de vino veteri, teſte *Athenæo* lib. I. p. 26. & 27. *Grotius* interpretatur: *mitius*, *ſuavius.* Atque id mavult *Elsnerus* p. 205. ex eodem *Athenæo*, qui Corcyræum vinum, ubi conſenuerit, χαριέστατον i. e. ſuaviſſimum eſſe, ait lib. I. p. 33. ſicut & *Plutarchus* lib. III. Sympoſiac. p. 656. vinum γλυκὺ *dulce*, vetuſtate ἡδὺ i. e. *ſuave* fieri tradit, ubi in auſterum mutetur vetuſtate. Sic *Lucianus* in Aſino p. 113. ὄινον ἡδὺν καὶ παλαιὸν i. e. *vinum ſuave & vetus* appoſitum eſſe ait. Interim tamen

tamen idem monet, verti etiam cum Vulgato posse per *melius*, *præstantius*, sicut ab Athenæo οἶνος χρηστὸς μὲν, ὀλίγος δὲ dicatur lib XIII. p. 585. *Andr. Schottus* in Adagialibus N. T. p. 72. vocem χρηστότερος tam ad *suavitatem*, quam ad *utilitatem* sive commodum valetudinis referri vult. Salubritatem hic inprimis indicari censet *Adrian. Cocquius* in Phytologia Sacr. p. 181. quem ad h. l. in universum confer.

Quod ad rem ipsam attinet, id sibi hac paroemia Christus vult, discipulos suos non jejunare, quia scilicet gustata utili ac suavi doctrina sua non facile traditiones Pharisaicas, quarum utilitas nulla, molestiæ autem plures, præferre illi possint. Ex quo apparet, eum vocem χρηστὸν ad *utilitatem* indicandam referre. Idem deinde animadvertit in *Zegerum* & *Massonium* l. c. aliter sentientes. Posterior ille ad Pharisæos hæc pertinere existimat, qui scilicet Mosaicam doctrinam tanquam antiquiorem præferentes, novam Jesu probare non possint. Alii, & nominatim post *Grotium*, *Jo. Clericus* de discipulis hoc accipi volunt, eo sensu, quod illi, tanquam hactenus ex labore suo vivere adsueti, adduci nondum possint ut austeriori vitæ generi, quale jejunando ducitur, se alligent. Mihi quidem in Pharisæos hæc dici videntur, tanquam qui, traditionibus avitis, ad externa tantum pertinentibus, jam pridem & unice inhiantes, ferre nequeant doctrinam Christi, quæ ampliora & difficiliora, nempe totius hominis emendationem, postulet. Confer in hanc sententiam B. *Lyserum* in Harmonia Evangel. ad h. l.

CAP. VI.

VErs. 1. Ἐγένετο δὲ ἐν Σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ) Tam variæ sunt de hoc Sabbato eruditorum sententiæ, & tam ampla de eodem disputandi materia, ut justo tractatui sufficere possint. Itaque in indicandis potioribus momentis, & fontibus hic adeundis acquiescemus. Ex veteribus itaque legatur *Epiphanius* Tom. I. hæresi 30. & 51. collatis *Petavii* notis ad Tom. I. p. 61. *Isidorus Pelusiota* lib. III. ep. 110. *Suidas* voce Σάββατον & *Theophylactus* ad h. l. ex recentioribus *Jos. Scaliger* de Emendat. Temporum lib. VI. p. 557. & in Canonibus Isagog. lib. III. p. 225. itemque in Scaligeranis p. 346. cujus judicio σάββατον δευτεροπρωτον *illud est, quod proxime post solemne Paschatis sequitur. Nam* ממחרת הפסח (ita argumentatur idem) *h. e.* ἀπὸ δευτέρας τῶ Πάσχα *Lex jubet septem hebdomadas computare. Itaque hebdomadas omnes & Sabbata omnia a Paschate ad Pentecosten sumunt appellationem suam* ἀπὸ δευτέρας τῶ Πάσχατος. *Intervallum autem illud omne dierum, quod Græci* πεντηκοστὴν *vocant, Judæis dicitur* ספירת העומר ἀριθμὸς τῶ δράγματος, *numerus manipuli, quia* ἀπὸ δευτέρας τῶ Πάσχατος *Omer seu dragma primitivorum offerebatur. Primo igitur hebdomas, quæ putatur ab oblatione Omer, dicitur* ἑβδομὰς δευτερόπρωτος, & *sic deinceps.* Atque hujus sententiam amplectuntur complures, nominatim *Isaac Casaubonus*

bonus Exercitt. Anti-Baron. p. 271. *Boisius* in Collat. p. 199. *Bernh. Lamius* in Concordia Evangel. c. 39. *Jos. de Voisin* in singulari Tract. de Sabbato Deuteroproto, & in notis ad *Raym. Martini* Pugionem Fidei p. 170. *Nic. Toinardus* in Notis ad Harmon. Evangel. p. 27. *Sam. Basnage* in Annalibus & *Anton. Pagi* ad A. C. 30. n. 3. & noviſſime *Gerhard. Outhovius* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 426. ſqq. ſed cum hoc temperamento, ut ſimul indicetur ſecundus dies primæ hebdomadis, qui tunc, cum Chriſtus per ſata tranſiret, quoque Sabbatum ſeu dies Sabbati erat, ac per conſequens σάββατον δευτερόπρωτον i. e. Sabbatum incidens ſecundo die primæ hebdomadis, poſt oblationem manipuli. Quam in rem vide, quæ idem Vir doctus l. c. fuſe commentatur. Viciſſim *Scaligeri* ſententiam Cl. *Otho Verbrugge* Differt. I. de hoc Sabbato Groningæ 1718. edita recenſitam in II. confutandam ſibi ſumſit. Ex noſtratibus Scaligeri judicium ſequuntur *Wilh. Langius* de Annis Chriſti (repugnante *Jo. Wandalino* in Diſput. de Feria Paſſionis & Triduo mortis Chriſti p. 277. Syntagmatis Diſputt. Græviani) *Hackſpanius* in Notis *Philolog.* p. 297. *Jo. Friſchmuthus* & *Henr. Mullerus* in Diſputationibus ſingularibus, quæ in Theſauro Theol. Philolog. N. T. p. 312. & 319. recuſæ exſtant.

Confer præterea *Sam. Petitum* in Var. Lect. lib. II. cap. 2. & in Eclogis Chronolog. lib. I. c. 8. *Cloppenburgii* Opera Tom. I. p. 106. ſq. (ubi ejus & *Cappelli* epiſtolæ amœbææ de hoc argumento leguntur,) *Conſtantin. Lempereur* ad Jachiadem in Danielem p. 194. ſq. *Steph. de Brais* in ſingulari Differt. quæ ſubjuncta eſt ejus Commentario in epiſt. ad Romanos p. 254. ſqq. & *Sal. van Til* Diſp. de Sabbati Deuteroproti vero & juſto tempore, Lugd. Bat. 1708. Atque hic quidem Sabbatum illud exponit de Sabbato primo menſis ſecundi, quod eo tempore putat incidiſſe in menſis ſecundi diem tertium, Aprilis vero 14. & ab oblatione manipuli 17. *Jo. Rhenferdius* in Differt. III. de Locis Hebr. N. T. primum Sabbatum menſis Tisri ſive in anno civili πρωτόπρωτον, primum vero in anno ſacro ſive menſis Nifan δευτερόπρωτον fuiſſe exiſtimat. Atque idem fere viſum eſt *Stephano le Moyne* in Prolegomenis ad Varia Sacra p. 36. & *Adr. Relando* in Antiquitat. Hebr. p. 478.

Jo. Cocceji ſententiam habes in Tomo VI. Opp. ejus p. 53. in calce: *Henr. Dodwellus* Differt. IX. de Cyclis Græcorum & Romanorum multus in eo eſt, ut Pentecoſtes diem hic intelligi oſtendat, quemadmodum Sabbatum πρωτόπρωτον feſtum Paſchatos, τριτόπρωτον autem Tabernaculorum illud indicarit. Idem placuit ante ipſum *Grotio* & *Eduard. Bernardo* ad Joſephum p. 215. refragante *Sam. Basnage* in Annal. ad A. C. XXXII. §. 23. Non multum abit *Poſſinus* in Spicilegio Evangelico p. 142. qui de feria ſeptima ſ. Sabbato hebdomadis Pentecoſtalis interpretatur.

Henr. Wottoni ſententiam nuper admodum propoſitam lege in *Bibliotheca Anglicana*, Gallice edita, Tom. IV. Part. II. p. 397. ſqq. Ex Pontificiis

Jo.

Jo. Harduinus, Jesuita, in Chronologia V. T. p. 628. Opp. Select. pro primo Sabbato mensis Adar secundi in Sabbato embolimæo habet, hac usus ratione: *Est enim artis Grammaticæ ea lex, ut, cum vox una e duabus componitur, si sint ea duo nomina Substantiva, aut numeralia, prius in regimine sit, & in obliquo casu: ac proinde idem in Gallica interpretatione posterius, ut θεοτόκος, βιβλιοθήκη. Ubi autem duo sunt numeralia vocabula Substantiva, duo necesse est subintelligi.* Conferatur idem de supremo Christi Paschate p. 402. Vide, quæ paulo ante de *Sal. van Til* sententia diximus. *Jo. Martianæo* Lucas per Sabbatum δευτεροπρωτον id indicare videtur voluisse, quod dies iste fuerit festus, adeoque Sabbatum, quod secutum sit Sabbatum, a Deo ipso primum institutum. Festa enim omnia Sabbata ait appellata, illa autem Sabbata secunda, quæ a Sabbato proprie sic dicto proxima fuerint. Vide *Conatus* ejus p. 237. Addemus his *Andr. Masii* sententiam ex Tom. II. Supplementi Criticorum p. 1787. *Nota*, inquit is, *quod Festum azymorum, quod septem diebus agitur, & Festum Tabernaculorum, quod octo, sola habent δευτεροπρωτον. Illud septimum diem, hoc octavum: & hi eo nomine vocantur, quia pari religione cum ipso primo observantur, cum intermedii sunt duntaxat, h. e. dies profesti:* Atque hæc sententia præ aliis placere videtur doctissimo Fabricio nostro in Bibliographia Antiquaria c. X. §. 4.

Ex nostratibus præter citatos de hoc argumento legantur *Erasmus Schmidius* in Notis ad h. l. *Aug. Pfeiferus* in Quinquagena Locorum p. 487. Opp. Philolog. *Theod. Hackspanius* in Notis p. 288-298. *Sebast. Schmidius* in Fasciculo Disputatt. Theolog. Philolog. p. 459. sq. (qui, repudiatis undecim aliorum sententiis, statuit, Sabbatum hoc esse posterius duorum Sabbatorum, quæ ab initio anni Ecclesiastici, mense Nisan, Pascha proxime antecedebant.) Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria cap. X. §. 4. & noviſſime Cl. *Starckii* Notæ Select. super epist. ad Hebr. p. 141. sqq. B. *Lutherus* noster vertit: After-Sabbath. h. e. ut ex glossa marginali apparet, dies Paschatis secundus, qui primum hujus festi diem, *magnum* a Judæis appellari solitum, proxime excipiebat. Eum vero שבת הגדול i. e. *Sabbatum magnum* appellari consuevisse testatur Auctor libri שני לוחות הברית p. 186. col. 2. Non dissimiliter vero secundus hic festi dies *Levit.* XXIII. 11. vocatur מחרת השבת i. e *postridie Sabbati*, quæ appellatio nec Mischnicis Pandectis insueta est. Lege hanc in rem *Surenhusii* librum καταλλαγῆς p. 232. qui idem, quod B. Lutherus noster, sentit. Atque in eadem sententia, tanquam simplicissima, libenter & ipse acquiesco, inprimis, si probari ex temporum ratione possit, ceu visum est nonnullis, quod secundo Paschatis die, qui hic recensentur, evenerint.

καὶ ἤθιον) scilicet grana cruda tritici. Vide *Casaubonum* ad Athenæum p. 924.

Vers. 5. Κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τῦ ἀνθρώπυ καὶ σαββάτυ) Hic innuitur, Christum non merum esse hominem, sed verum Deum, & auctorem Sabbati, quod

contra *Rich. Simonem* evincere instituit *Martianæus* in Conatibus p. 241. sqq. De reliquis, huc pertinentibus, dixi ad *Matth.* XII.

Post voces καὶ τῶ σαββάτῳ Codices quidam hæc exhibent: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ θεασάμενός τινα ἐργαζόμενον τῷ Σαββάτῳ, εἶπεν αὐτῷ· ἄνθρωπε, εἰ μὲν οἶδας, τί ποιεῖς, μακάριος εἶ, εἰ δὲ μὴ οἶδας, ἐπικατάρατος καὶ παραβάτης, εἶ τῶ νόμῳ. Infarta hæc verba esse a sciolo, & paucitas Codicum, qui illa habent, & ipsorum argumentum, nec instituto Christi, qui certe laborem proprie sic dictum Sabbato suscipere nusquam probavit aut docuit, nec majestate ejus satis dignum evincit. Nec fuit, quod sciam, ullus præter *Anton. Loisellum* p. 20. sq. Opusculorum, & ei adstipulantem *Paulum Colomesium* Obss. Sacr. p. 143. qui loco huic congruentem sensum vindicare conati sint. In omnia alia abeunt totamque hanc sententiam alienam esse censent post *Grotium*, *Rich. Simon* in Histor. Critic. N. T. lib. I. c. 30. p. 376. & in Novis Observatt. in N. T. p. 31. tum vero in Dissert. de Manuscriptis N. T. quæ in calce Partis III. Hist. Crit. exstat, p. 21. & 54. item *Joh. Millius* in Notis ad h. l. Lucæ, & in Prolegom. §. 254. & 1277. Confer in eandem sententiam ex nostratibus *Jo. Sauberum* in Prolegom. ad Var. Lection. Matthæi p. 21. & Cl. *Jo. Albert. Fabricium* ad Codicem Apocryphum N. T. p. 323. sq. qui speciatim ostendit, laciniam hanc non ex *Marcionis* Evangelio, quæ *Anton. Arnaldi* in Diss. de MS. Bezæ adversus Simonem sententia est, sed ex alio Evangelio Apocrypho, puta vel Ægyptiorum, vel Nazaræorum, petitum esse.

Vers. 6. καὶ ἡ χεὶρ αὐτῦ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά) Hebraismum hic statuit *Vorstius* Part. I. Philolog. Sacr. c. 26. eo, quod Græce dici debuisset: ἧ ἡ χεὶρ ἡ δεξιὰ ἦν ξηρά. Sed similes loquendi modos ex profanis Scriptoribus affert *Horatius Vitringa* in Animadversionibus ad Vorstium p. 237. Vide v. c. *Antonin. Liberal.* c. 5. 8. 9. & 22. ubi postremo loco dicitur: καὶ αὐτὰ ἡτοίμασεν αὐτὸς, pro ἃ ἑτοίμασεν αὐτός. Quod ad rem ipsam attinet, hoc genus morbi phthisin particularem seu ἀτροφίαν vocant Medicorum filii, i. e. *cessationem nutrimenti* & *desertionem*, ut *Cælius Aurelianus* lib. II. c. 1. & 14. de Morbis Chronicis reddit. Conf. *Cornel Celsum* lib. III. c. 22. *Hippocrat.* lib. de intern. affectib. item de Morbis. Debeo hæc Cl. *Trillero*, in Notis MSS.

Vers. 7. παρετήρουν δὲ αὐτὸν -- εἰ) Eadem prorsus phrasi utitur *Theophrastus* c. VIII. Character. πάλαι σε παρετήρουν, εἰ &c.

εἰ ἐν τῷ σαββάτῳ θεραπεύσει) Lege huc *Serarium* in Trihæresio p. 36. & *Drusium* de Sectis p. 354.

Vers. 9. ἔξεστι τοῖς σάββασιν ἀγαθοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι) Ita Karæi circa opera, Sabbato licita, distinguunt inter opera Dei & nostra, docentes, *quodcunque opus nostrum vetari, cæli vero h. e. Dei opus cum maxime licere. Deum itaque*

itaque Sabbato benefacere, & hominem incolumem præstare. Vide huc *Triglandii* Diatribam de Karæis p. 135.

Vers. 11. ἐπλήσθησαν ἀνοίας) *Boistus* in Collat. p. 199. ait: quid si ἀνίας, i.e. *mœrore.* Sed rectè addit, reclamare Codices omnes.

Vers. 12. καὶ ἦν διανυκτερεύων ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ) B. *Olearius* Observatt. in Matthæum p. 171. verti hæc ita vult: *& pernoctabat in oratorio Dei;* existimans, verbum διανυκτερεύειν propriissime locum aliquem respicere, in quo nox exigatur, & προσευχὴν τοῦ Θεοῦ rectius dici locum sacrum, Deo destinatum, ut preces ibi fundantur, quam ipsas preces, cum *preces Dei* pro *precibus ad Deum* dicere a simplicitate sacræ orationis paulo alienius videatur. Enimvero διανυκτερεύειν non solum de locis dicitur, sed & de rebus & negotiis, in quibus aliquis versatur. Ita *Phalaris* epist. τῇ λύβῃ διανυκτερεύειν *in cruciatu persistere.* Genitivum autem non solum apud Hebræos, sed & N. T. Scriptores sæpe denotare objectum, in quo aliquis occupatur, ostendit B. *Glassius* in Grammat. Sacra p. 108. sq. & *Jo. Vorstius* Part. I. Philolog. Sacr. p. 165. & 287. Vide inprimis *Matth.* IX. 35. X. 1. *Act.* IV. 9. & 1 *Joh.* II. 5. ubi ἀγάπη Θεοῦ significat *amorem in Deum.* Ita *Isocrates* Orat. ad Nicoclem εὐεργεσίαν τῶν φίλων beneficentiam in amicos dixit. Nihilominus tamen ante *Olearium* idem de h. l. statuit *Schindlerus* in Lexico, voce תפלה & *Jos. Mede* in Operibus p. 67. Ceterum vocem προσευχὴν de oratorio dici alias non inficiamur, qua de re dicemus ad *Actor.* XVI. 13. Hoc vero loco idem dicitur, quod *Actor.* I. 14. exprimitur per προσκαρτερεῖν τῇ προσευχῇ καὶ τῇ δεήσει. Adde quæ pro nostra sententia erudite affert *Vitringa* de Vetere Synagoga p. 122.

Vers. 13. ἐς καὶ Ἀποστόλους ὠνόμασε) Cum Syriaca vel Chaldæo-Syriaca dialecto usus sit Salvator Optimus, suos illos discipulos κατ' ἐξοχὴν tales שליחין i.e. *missos* appellasse, visus est eruditis. Inter hos est *Isaacus Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 275. & *Colomesius* in Observatt. Sacris p. 25. Atque hoc *Apostoli* nomen, civitate donatum, inter Judæos jam ante receptum fuisse, contendit *Baronius*, Epiphanii quodam loco usus, ex Hæresi 30. Ebionitarum. Sed eum locum id non evincere, ostendit idem *Casaubonus* l. c. (qui Apostolorum nomen post eversam Rempublicam Judaicam inter Judæos frequentatum censet) & alii, quos, ipsis ὁμόψηφος, diligenter ad partes vocat B. *Joh. Frid. Mayerus* in Dissertat. singulari de Apostolis Hebræorum, *Gryphiswald.* 1704. habita. Vide, quæ de Apostolis Judæorum disputata quoque sunt a *Campeg. Vitringa* in Dissert. de vetere Synagoga p. 577. Ceterum de *Apostolis*, eorumque nomine, dignitate, officio &c. diligenter commentatur ex nostratibus B. *Dannhauerus* in Christeide Hypomnem. ad Act. I. Phænom. 3. B. *Bebelius* in Antiquitatibus Ecclesiast. Sec. I. p. 9. sq. *Joach. Hildebrandus* in Tractatu de Hierarchia Ecclesiast. §. 20-43. & B. *Ittigius* in Histor. Eccles. Sec. I. p 432. ex Reformatis *Montacutius* Tom. II. Originum Ecclesiastic. p. 119. sq. *Marc. Anton. de Dominis* de Republ Ecclesiast. I. 11. seq.

Frid.

Frid. Spanhemius in Dissertat. de Apostolis XII. & de Apostolatu, quæ exstat in Operibus ejus Tom. II. lib. III. & *Herm. Witsius* in Miscellaneis Sacris lib. I. c. XXI. De latissima vocis Ἀπόστολος notione in Sacris & Ecclesiast. Scriptoribus lege inprimis *Valesium* ad Eusebii Hist. Ecclesiast. p. 21. b. & 41. b. *Suicerum* in Thesauro Ecclesiast. Tom. I. voce ἀπόστολος. *Salmasium* item de Episcopis & Presbyt. p. 40. & in limine Apparatus de Primatu Papæ, *Basnage* ad A. C. XXI. §. 18. & *Hammond.* ad Roman. XVI. 7. Vitas eorum ex veteribus perscripsit præter alios *Pseudo-Abdias* in Historia Apostolica, a Cl. Fabricio Tom. I. Codicis Apocryphi N. T. recusus, quo & alia scripta huc pertinentia continentur: ex recentioribus vero *Guil. Cave* in Antiquitatibus Apostolicis Anglice editis, quibus utinam accensere liceret Historiam Apostolorum, quam *Pezronium* prelo parasse ex Memoriis Trivultinis 1703. Tom. I. p. 316. edit. Belg. constat. Biblica Apostolorum chronologia nectitur in Unschuldigen Nachrichten an. 1704. p. 405. sqq. Apostolorum quorundam nomina, sed non sine immutatione quadam, partim scurrili, partim inepta & ignorantiæ plena, in Talmudicis tabulis, speciatimque in *Sanhedrin* f. 37. occurrere eruditi pridem monuerunt. Vide tu inprimis *Constantin. Lempereur* ad Kimchii Grammaticam f. 43. a. *Altingium* in Schilo passim & Rev. *Gustav. Georg. Zeltnerum* in Dissert. de *Bircat Hamminim* p. 42. In recentioribus Judæorum scriptis injuriis, v. c. תולדות ישו idem frequentius fit. Quo lege speciatim illud, quod ab *Huldrico* editum est, p. 35. sq. cum notis p. 39. nec omitte *Eisenmengerum* in Judaismo Detecto.

Servatorem nostrum sapientissime ad scopum suum obtinendum tales, quales habuit, Apostolos elegisse, ostendit *Jo. Locke* in libro Anglicano, quem inscripsit *Reasonableness of Christian religion.* Confer Histor. Critic. Reip. Literar. Tom. X. p. 22. sqq.

Vers. 14. sqq. ubi Apostolorum nomina recensentur, illustrantur ab iis Scriptoribus, quos de Apostolis commentatos esse modo monuimus. Lege inprimis notas Cl. *Fabricii* ad Pseudo-Abdiæ Historiam Apostolic.

Vers. 17. ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ) τόπος πεδινὸς est locus in valle, monti contermina, observante *Keuchenio* p. 125. Idem Lucam cum Matthæo, qui Christum hæc, in monte sedentem, protulisse refert, ita conciliandum putat, quod juxta *Matthæum* Christus summo mane montem adscenderit, ibique discipulis nomina imposuerit, deinde vero populum docuerit. Atque hoc posterius simpliciter & nude innuit Matthæus v. 2. nulla facta loci mentione, quam hic Lucas adjicit.

Vers. 18. Καὶ οἱ ὀχλούμενοι ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων) Confer similem phrasin *Act.* V. 16. Similiter *Herodianus* dixit ἐνοχλεῖσθαι ὑπὸ νόσου lib. III. c. 11. & alii apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 37.

Vers.

Vers. 19. δύναμις παρ' αὐτοῦ ἐξήρχετο) Δύναμιν hic *Cyrillus* inconvenienter de Spiritu S. accipit. Vide *Petavii* Dogmata Theolog. Tom. II. p. 383.

Vers. 20. μακάριοι οἱ πτωχοὶ) Quod hæc phrasis interpretanda aliter sit, quam *Abrah. Scultetus* fecit in Exercitatt. Evang. cur item Lucas hic omittat vocem πνεύματι, quam habet Marcus, ostendit *Josua Arndius* in Miscellaneis Sacris p. 20. Vide quæ scripsimus ad *Matth.* V. 3.

Vers. 21. ὅτι χορτασθήσεσθε) χορτάζεσθαι proprie dicitur de jumentis, quorum pabulum χόρτος appellatur. Sed de hominibus inde translatum etiam a profanis adhibetur, v. c. *Athenæo* lib. III. c. 21. & XV. 14. Dipnosophistic. quæ loca affert *Bos* in Exercitatt. p. 37.

Vers. 22. ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς) De excommunicationis genere illo, quod נדוי appellant Hebræi, & per quod aliquis a Synagoga & familiari convictu excludebatur, verbum hoc capiendum esse, per se patet. Confer inprimis *Seldenum* de Synedriis p. 107.

καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν) Ut ὀνειδίζειν est probra jacere in præsentes, ita ἐκβάλλειν τὸ ὄνομα ὡς πονηρὸν fortasse est absentium nomina, tanquam pessimorum hominum, abominari, eaque non nisi cum exsecratione quadam appellare. Notat enim ἐκβάλλειν inter alia *rejicere, reprobare, aspernari* apud *Polybium* lib. I. c. 14. Ita Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 194. Malim equidem hoc, quam cum *Henr. Dodwello* in Diss. Cyprianica IV. §. 18. existimare, τὸ ἐκβάλλειν idem hic esse, quod ex albo aut diptychis expungere. Probandum enim prius fuerit, Apostolorum nomina a Judæis in diptycha Synagogarum relata fuisse, ut non dicam, expunctionem illam nominum, si eam admittamus, jam ἀφορισμῷ antea memorato inferri, quod recte ad h. l. monuit *Grotius*. Ceterum more etiam alias receptum fuit, ut, quorum mores & conditionem averšarentur, ab eorum quoque nominibus vel prorsus abstinerent, vel iis non nisi cum exsecratione uterentur. Vide huc *Rittershusium* ad Guntheri Ligurinum V. 120. Interpretes Lactantii de Mortibus Persecutorum c. 3. & Cl. *Schætgenii* notas ad Themistoclis Epistolas p. 7.

Vers. 23. καὶ σκιρτήσατε) Verbum σκιρτᾶν non modo de pecudibus, ut apud LXX. Intt. *Malach.* IV. 2. *Joel.* I. 17. verum etiam de hominibus, gaudio exsultantibus, adhibetur, ut apud *Aristidem* Orat. in Bacchum p. 55. *Aristophanem* in Pluto v. 761. & alias. Vide *Elsnerum* p. 206. Adde *Hombergium* p. 130.

Vers. 24. ὅτι ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν) h. e. *consolationem vestram omnem* seu mercedem omnem *penitus recepistis*, ut non habeatis, quod exspectetis. Vide *Gatackerum* ad Antonin. p. 178. & *Colomesii* Observatt. Sacras p. 169. *Vulg.* vertit: *quia habetis*; recte, judice *Boisio* in Collatione p. 199.

Adde, quæ dicta sunt ad *Matth.* VI. 2. & *Suicerum* Tom. I. Thesauri pag. 434.

Vers. 26. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες) Circa vocem ὑμᾶς & πάντες sibi non constat *Millius*, quippe eas nunc probans, nunc rejiciens, tanquam in Codd. nonnullis non exstantes. Vide huc *Whitbium* in Examine p. 92. & 45. a. De voce πάντες lege etiam *Lindanum* de optimo genere interpretandi II. 4. p. 71. a. & Rev. *Pfaffium* in Dissertat. de Variant. Lection. N. T. p. 245. qui ut γνήσιον recte tuetur.

ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις) Vulg. legit *Prophetis.* Atque ita quoque Theophylactus, Codices Erasmi, Paulinus, & Corsendonensis, atque Constantiensis, aliique, teste *Lindano* II. 4. p. 71. b. Confer *Millium*, qui receptam lectionem recte tuetur. Sensus verborum hic est: non desideranda aut exspectanda esse Judæorum encomia ab Apostolis, quippe quorum majores talia non in veros Prophetas, quorum vestigiis Apostoli insisterent, sed in falsos, & gratiam eorum aucupantes conferre consueverint.

Vers. 27. sqq. Ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς ὑμῶν &c.) De genuino sensu horum præceptorum Christi diximus ad *Matth.* V. 44. sq. Addemus hic ea, quæ cavillationi Judæorum opponit *Gussetus* in Confutatione libri *Chissuck Emuna* p. 398. Observat is, Christum ita hic loqui, *ac si quis Pater dicat Filio adultiori: ne sinas fratrem tuum minorem clamare, & animo exacerbari. Si petat unum pomum, dat duo: si unam e pileo tuo vittam, da duas: si vult a te circumduci per plateam, ducito bis. Si te feriat in vultu, ne desinas vultum ei obvertere, quanquam sic alteri ictui exponaris.* Addit idem, præcepta hæc versari in materia satis levi, quæque res hominis non mutet in statum insigniter deteriorem: nec aliter præcepturum Patrem inter filios: de gravibus autem injuriis id non esse accipiendum. Denique simile quid profert ex *Bava Kama* fol. 92. 6. ubi ita præcipitur. *Si socius tuus asinum te vocet, clitellam dorso tuo imponito.* Adde *Wagenseilii* Notas ad *Sota* p. 821. ubi ex commentario quodam Judæo-Germanico MS. in *Pirke Avoth* affert historiam Judæi de acceptis a gentili quodam injuriis, & cum gaudio ab ipso toleratis.

Vers. 30. τῷ αἰτοῦντί σε δίδου -- μὴ ἀπαίτει) Hinc patet τὸ αἰτεῖν esse ejus, qui petit beneficium, ἀπαιτεῖν vero illius, qui exigit debitum. Vide *Boissii* Collationem ad h. l. p. 200. qui idem confirmat loco *Andocidis* illustri.

Vers. 31. καὶ καθὼς θέλετε, ἵνα ὑμῖν ποιῶσιν) Similia profanorum dicta lege apud *Schottum* in Adagialibus N. T. p. 73.

Vers. 32. ποία ὑμῖν χάρις ἐστί) i. e. *quodnam aut quale præmium est* aut *erit vobis*, seu, *nullum præmium erit vobis.* Χάρις hic ponitur pro μισθὸς, quod habet Matthæus V. 46. Eodem sensu adhibet quoque Petrus 1 ep. II. 19. & 20.

& sic

& ſic *Plutarchus* in Pyrrho p. 396. Vide *Elsnerum* p. 207. qui addit, accuratius χάριν h. l. ſignificare poſſe ἀνταπόδοσιν, ſeu *gratiam pro beneficio accepto relatam*, non tam verbis, quam rebus ipſis. Atque id optime expreſſit Lutherus, quando vertit: was Danck habt ihr davon? In alia omnia abit hic *Hombergius* in Parergis p. 130. ſq. Is enim χάριν non de gratia, quæ pro accepto beneficio refertur, ſed de beneficio alteri collato, accipi vult, ut ſenſus ſit: *ſi velitis non niſi eos, qui vos diligunt, diligere, quantulum erit beneficium veſtrum?* Non nego, ſignificatum illum voci χάρις ex Sacris & externis Scriptoribus a Viro docto ſatis eſſe probatum. Sed is hic locum obtinere non poteſt. Repugnat enim Matthæus V. 46. qui, eandem Chriſti admonitionem afferens: ἐὰν γὰρ ἀγαπήσητε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς, addit: τίνα μισθὸν ἔχετε; Quod itaque ibi eſt μισθὸς, id per χάριν hic ſignificari neceſſe eſt. Adverſatur præterea huic explicationi *Dativus*, voci χάρις junctus. Dicitur enim: ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; pro quo dici omnino debuiſſet: ποία ὑμῶν χάρις ἐστί; ſi quidem de beneficio ab ipſis profecto intelligi hoc deberet. Ita Paulus 1 Cor. XVI. 3. Corinthiorum eleemoſynas vocat τὴν χάριν αὐτῶν. Vidit hoc Vir doctus, quando ſimul ibidem monet, Dativum pro Genitivo ſic accipi debere, quod alias etiam fieri, idem oſtendit p. 134. Sed qui exempla ibi allata inſpexerit, deprehendet, aliam eorum eſſe conditionem, quam ut ab iis ad h. l. argumentari liceat. Militat pro noſtra ſententia id, quod apud Lucam v. 35. ſequitur. Hic enim μισθὸς (i. e. χάρις illa, quæ iis abjudicabatur, qui amicos ſuos tantum diligunt) promittitur illis, qui rectius hac in parte agant, & amplius aliquid præſtent.

Verſ. 33. Καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῆτε) Reſpici hic ad eam *beneficentiæ* virtutem, quam Hebræi גמילות חסירים appellant, & quam illi præ ceteris commendant, ſuſpicatur *Vitringa* de vetere Synagoga p. 805.

Verſ. 34. Καὶ ἐὰν δανείζητε παρ᾽ ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν &c.) Verbum δανείζειν idem eſſe, quod *mutuum dare citra uſuram*, ex hoc & variis V. T. locis evinci putat *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 822. De ceteris vide huc omnino *Salmaſium* de Fœnore Trapezitico p. 280. ſq. ubi is oſtendit, locum hunc nec pro uſuris facere, nec contra eas, ſed phraſin ἀπολαβεῖν τὰ ἴσα id tantum velle, ut recipiat quisque pecuniam ſuam ſeu ſortem, ſine uſuris. Id ſcilicet feciſſe olim Judæos in Gentiles, imo etiam Gentiles in Gentiles, ut proinde Phariſæi, majorem ſanctitatem affectantes, nihil habuerint præcipui. Idem p. 282. contra *Cloppenburgium* evincit, vocem ἴσα hic non inferre *uſuras modicas, juſtas, æquabiles*, ſed ſortem ipſam, & pecuniæ ſummam alteri mutuo datam. Ita quoque olim *Theophylactus* ad h. l. δάνεισμα δὲ σὺν τόκῳ λέγει, ἀλλὰ τὴν ἁπλῶς χρῆσιν, ἐπεὶ καὶ ἐν τῷ νόμῳ χωρὶς τόκου ἐδάνεισαν. Confer in eandem ſententiam *Gerhard. Nodtii* lib. I. de Uſuris. Ceterum ſimilia his

profanorum dicta de beneficiis sine quæstu collocandis affert *Gatackerus* ad Antonin. lib. V. §. 6.

ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα) i. e. *ut recipiant sortem*, quod modo a Salmasio evictum esse diximus. Consentit *Rittershusius* in Lection. Sacris p. 545. sq. qui & alia huc pertinentia tradit. Atque hinc simul intelligitur, abstinendum esse a *Millii* conjectura, qui vocem ἴσα, tanquam quæ in Codice Cantabrig. desit, ex interpretamento natam putat. Confer *Whitbii* Examen p. 45. a.

Vers. 35. μηδὲν ἀπελπίζοντες) *nihil inde sperantes*, ut cum Vulgata *Beza* & alii, v. c. *Boisius* in Collatione p. 201. vertunt. Sed hanc significationem nondum probatam esse, existimat *Elsnerus* p. 208. qui nec eos probat, qui legere hic malint ἐλπίζοντες. Mallet idem legere ἐπελπίζοντες; quod *sperandi* notionem habeat apud *Arrianum* lib. I. Expedit. c. 19. & *Lucianum* in Timone p. 72. nisi Codicum deesset auctoritas. Ex recepta itaque lectione sensum commodum enasci putat, si vertatur: *nihil desperantes*; quasi scilicet irrita & pessime collocata sint hoc modo beneficia, cum ingenti fœnore credita recepturi, & Deo similes futuri sint. Constat sane, illam *desperandi* notionem verbo huic a profanis Scriptoribus frequentissime tribui, cujus exemplum quoque exstat apud *Laertium* I. 59. Sed id tamen non effecerit, ut in ea hic persistendum esse putemus, & communem, quam diximus, interpretationem deseramus. Pro ea in compendio diligenter pugnat *Hackspanius* in Sylloge Disputationum p. 308. cujus verba nihil vetat, quo minus hic apponamus. *Confert*, inquit is, *Servator eos peccatoribus, qui mutuum dant, ἵνα ἀπολάβωσι τὰ ἴσα, atque opponit illis, qui mutuum dant, μηδὲν ἀπελπίζοντες. Opponit τὰ ἴσα, quæ creditoribus restituunt, & μηδὲν* h. e. *fortem restituendam sorti non restituendæ. Sic itaque textus accipiendus atque explicandus, ne ruat ibidem instituta antithesis. Quo itaque nomine peccatores hic in dando mutuo male audiunt, ejus oppositum nobis Christus verbis, μηδὲν ἀπελπίζειν in mandatis dedit. Jam ipsi eo nomine hic in dando mutuo male audiunt, quod ex mutuo dato, non habita personarum ratione, τὰ ἴσα* h. e. *sortem semper se recuperaturos sperant. Ergo ex oppositio Christus nobis verbis, μηδὲν ἀπελπίζειν, in mandatis dedit, ut in mutuo dando, habita personarum ratione, non semper sortem, (vel τὰ ἴσα) speremus nos recuperaturos. Ergo etiam ἀπελπίζειν hic loci non est spem egeno præscindere, sed a debitore aliquid sperare. Vel magis ad phrasin si nos conferamus, opponuntur δανείζειν, παρ' ὧν τις ἐλπίζει ἀπολαβεῖν τὰ ἴσα, & δανείζειν καὶ μηδὲν ἐλπίζειν. Quid clarius, quid magis ad propositum? Nam quod ibi particula παρὰ, id hic syncategoremate ἀπὸ in verbo ἀπελπίζειν notatur. At ibi innuit sperare ab aliquo. Ergo hic μηδὲν ἀπελπίζειν erit, nil sperare ab aliquo.* Hæc ille, qui præterea *Arabis* exemplum affert, vertentis: *nolite sperare quidquam ex eo.* Ista ex contextu petita argumenta pro adstruendo hoc significatu assensum nostrum sibi vindicare posse putem, etiamsi nullo Scriptoris profani exemplo comprobari possit.

Neque

Neque tamen hic ſpes omnis abjicienda videtur. Nam *Salmaſius* ἑλληνικώτατος l. c. analogiam aliorum verborum Græcorum recte & feliciter huc advocat. *Hæc omnino*, inquiens, *vera eſt illius loci interpretatio, nec alia quærenda eſt*, Μηδὲν ἀπελπίζοντες, i. e. μηδὲν ἐλπίζοντες ἀπ' αὐτῶ, *nihil ab eo, cui mutuum dederitis, ſperantes recipere.* Sic ἀπέχειν eſt ἔχειν ἀπό τινος. Similiter *Beza* provocat ad verbum ἀπολαμβάνειν i. e. *ab alio accipere*, & ἀπογράφειν, *ab alio deſcribere.*

Ex his itaque judicium facile ferri poteſt de *Syri* Interpretis verſione, qui ita reddidit: *ne auferatis ſpem hominis.* Is ſcilicet τὸ ἀπελπίζω ſenſu tranſitivo accepit, ut idem ſit, quod *deſperare facio, ſpem aufero.* Idem pro μηδὲν propterea μηδέν' cum apoſtropho i. e. μηδένα legiſſe viſus eſt *Junio*, quam lectionem cum addita interpretatione ita ſuam facere non dubitavit *Ludov. de Dieu* ad h. l. ut pro divina habeat. Eundem in verſione ſequitur ex noſtratibus *Feſſelius* Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 21. Sed non facile in has partes concedet, qui legerit, quæ *Hackſpanius* l. c. erudite in eam notavit p. 305. ſqq. ubi ſpeciatim oſtendit, ſingula illa loca, quæ in adſtruendam hanc notionem ex LXX. Interpp. & Apocryphis ſcriptis attulit *Dieuſius* huc non pertinere. Improbavit idem antea *Camerarius* p. 165. in h. l. Non erat itaque, cur *Hammondus*, *Knatchbullus*, *Mart. Lydius* de Re militar. p. 211. & noviſſime *le Cene* in Projet p. 643. hanc ſententiam tam avide amplecterentur. Confer in h. l. *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 430. & *Hackſpanium*, ea, quæ in Sylloge ante diſputaverat, in ſummam conferentem, in Notis Philolog. ad h. l. p. 298. nec non *Hombergium* p. 130. ſq. Parergorum, qui, utut malit vertere: *plane non deſperantes*, ſcilicet de mercede veſtra; alteram tamen illam communiorem, quam nos adhuc defendimus, locum habere poſſe profitetur, inprimis ſi ad mentem Chriſti attendatur, & connexionis habeatur ratio. Idem vero contra *Knatchbullum* invicte oſtendit, legendum omnino eſſe μηδὲν ἀπελπίζοντες, non autem μηδὲν' ἀπελπίζοντες. Ita enim prorſus loquuntur & ſacri Scriptores, ut *Jac.* I. 6. *Act.* X. 20. & *Luc.* IV. 35. & profani, ut *Ælian.* Var. Hiſt. III. 2. μηδὲν διαταραχθείς.

ἐπὶ τὺς ἀχαρίστυς καὶ πονηρύς) Hos conjunxit quoque *Lucianus* in Timone p. 89. πάντες ἀχάριστοι καὶ πονηροὶ, iisque nihil benefaciendum monet. At aliter Deum agere, in tales etiam beneficum, Gentiles quoque prædicarunt. Vide huc *Gatackerum* ad Antonin. l. VII. §. 70. p. 235. & lib VIII. p. 258. Confer *Elsnerum* p. 209. Perſæ in judicium vocare ſolebant homines ingratos, quod *Xenophon* tradit Cyropæd. lib. I. p. 4. Lege huc *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 87.

Verſ. 36. Καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν) Ita *Antoninus* II. 5. jubet θεοδῆ βιῶσαι βίον. Vide ibi *Gatackerum*, nec non ad lib. X. §. 8. & quæ idem notavit in Adverſariis p. 226. De clementia ut divina virtute ad h. l. ex Auctoribus commentatur *Vicinellus* in Luminibus Reflexis p. 648.

Verſ. 37. Καὶ μὴ κρίνετε, ἵνα μὴ κριθῆτε) κρίνεσθαι *Arriano* dicuntur, de quibus in judicio agitur, καταρκίνεσθαι vero, qui condemnantur, in diſſ. Epictet. lib. I. c. 1. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 195.

Verſ. 38. μέτρον καλὸν, πεπιεσμένον &c.) Adagium hoc eſſe ab Hebræis deſumtum, qui populum ad decimarum menſuras, exuberantius porrigendas, excitare conſueverint, obſervat *Steph. le Moyne* in Notis ad Varia Sacra p. 320. Illi enim dicere ſolebant: *menſura preſſa & abundante menſus eſt: ideo menſura abundanti & liberali metiantur ei.* Lege inprimis *Sota* p. 52. ed. Wagenſeilii, ubi totidem fere verba habes: *qua menſura homo metitur, ea metiuntur ei:* item *Jevammoth* fol. 107. Erant vero apud Judæos menſuræ variæ, aliæ ſupernatantes, aliæ abraſæ, aliæ accumulatæ, preſſæ, agitatæ, & opertæ, de quibus exponit *Buxtorf.* in Lexico Talmud. vocibus טפח, כפש, גרוש & מחק. Confer *Sauberti* Palæſtram p. 277. & inprimis *Vorſtium* de Adagiis N. T. c. VIII. Adde *Amelium* Part. II. p. 852. ſqq. *Caſaubonus* in Notis ad Theophraſti Characteres p. 175. profitetur, loci hujus ſingularem & admirabilem ſibi viſam eſſe elegantiam. Idem eadem opera commentatur de verbo σαλεύειν ejusque ſynonymo σαλεύειν: probante *Boiſio* in Collatione p. 201. Confer *Schotti* Adagialia N. T. p. 74.

δώσουσιν εἰς τὸν κόλπον ὑμῶν) dabunt in poteſtatem & proprietatem veſtram, ut ex 2 *Sam.* XII. 8. exponit *Feſſelius* in Adverſar. Sacr. Tom. I. p. 383. Ita enim loquuntur Latini, de quibus confer *Eraſmum* Chiliad. I. Centur. III. Adag. 13. Alii ad amplitudinem togarum veterum hic volunt reſpici. Vide huc *Amelium* Part. II. p. 854. ex *Octav. Ferrario* lib. I. de re veſtiaria p. 663. Tom. VI. Theſauri Græviani.

Verſ. 40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται) *Sed quilibet eruditus*, aut *informatus erit, ut magiſter ſuus* h. e. eadem opinione imbutus, eosdemque, quod ſi ille erret, errores ſequetur. Nam ſi cœcus cœcum ducit, uterque in eandem foveam incidit, juxta comma præcedens. Ita Cl. *Elsnerus* p. 209. Hoc ſenſu τὸ καταρτίζειν ait ſumi *Hebr.* XIII. 21. καταρτίσαι ὑμᾶς ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, *erudiat vos omni opere bono;* & 2 *Tim.* III. 17. nec minus apud profanos, ut *Polybium* lib. V. p. 490. Confer Rev. *Raphelii* Notas Polybianas p. 195. Eodem modo olim quoque accepit *Lud. de Dieu*, non inconcinne. Vide etiam Biblioth. Bremenſem Claſſ. IV. p. 975. *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 60. ita παραφράζει: *quicunque bene, ac prout decet, inſtructus fuerit, non gravabitur eam ſubire ſortem, quam & ſubiit magiſter ejus.*

Verſ. 42. ἔκβαλε πρῶτον τὴν δοκὸν ἐκ τοῦ ὀφθαλμοῦ σου) Phraſin ἐκβάλλειν ἐκ pure Græcam eſſe, oſtenditur in Novis Reipubl. Liter. an. 1702. menſe Auguſt. p. 142. ſq.

Verſ. 44 ἕκαστον γὰρ δένδρον) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 75.

Verſ.

Vers. 45. ἐκ γὰρ τῦ περισσεύματος τῆς καρδίας λαλεῖ) h. e. *qui loquitur, de iis libenter loquitur, quæ vehementer amat.* Ita exponit *Alex. Morus* in Notis p. 67.

Vers. 46. Καὶ ὃ ποιεῖτε ἃ λέγω) Deus scilicet a mortalibus non adulationem sed obsequium requirit. Vide huc *Gatackerum* ad Antonin. X. 8 p. 359.

Vers. 48. ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε) *fodit, & profundum fecit* i. e. βαθὺν ἔσκαψε, *profunde fodit:* altero verbo adverbii vice posito. Atque id quidem Hebræorum more ita dici, opinati sunt eruditorum plerique. Sed nec a Græcorum elegantiorum consuetudine hanc phrasin abhorrere, Xenophontis exemplo ostendit *Raphelius* ad h. l. p. 88.

ἐπὶ τὴν πέτραν) i. e. non *super petram;* sed *super saxorum molem* & congeriem, cui tanquam fundamento (vid. v. 49.) domus superstructa sit. Ita statuit *Saubertus* in Operibus Posthum. p. 112. Sed non video, cur deserenda sit ordinaria *petræ* significatio, cum satis constet, veteris inprimis petris excavatis, domos inædificare consuevisse. Quo etiam pertinet dictum Christi ad Petrum *Matth.* XVI. 18. καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μȣ τὴν ἐκκλησίαν. Ita vero excavatio petræ diserte satis innuitur per verba ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, nempe petram ipsam, ut fundamenti scilicet loco esse posset.

CAP. VII.

VErs. 1. εἰσῆλθεν εἰς Καπερναὸμ) De urbe *Capernaum* ad h. l. nonnulla commentatur *Vitringa* de Decem Otiosis p. 243. ubi inter cetera contendit, non civitatem fuisse, sed pagum celebriorem & vicum, una tantum Synagoga, quæ centurioni isti gentili debebatur, instructum. Sed vide *Relandi* Palæstinam Sacram p. 683. in contrarium, tacito Vitringæ nomine, recte disputantem.

Vers. 2. ἤμελλε τελευτᾷν) scilicet τὸν βίον. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi, p. 28.

Vers. 3. ἀπέστειλε πρὸς ἀυτὸν πρεσβυτέρȣς) Matthæi VIII. 5. centurio ipse dicitur venisse, more loquendi Hebræis recepto, qui actionem quandam illi tribuere solent, quam aliorum opera perficiunt. Vide *le Cene* in Projet p. 344.

Vers. 6. μὴ σκύλλȣ) *ne vexator, ne fatiga te: Boisius* in Collatione p. 203. Conf. ad *Marc.* V. 35. & vide *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 981.

Vers. 7. ὁ παῖς μȣ) i. e. δοῦλος, qui vocatur v. 3. Atque ita quidem frequenter Hebræi *famulos* vocant *pueros*, ut *Genes.* XXI. 5. XXXVII. 2. &c.

Cave

Cave tamen, phrasin hanc ideo pro Hebraismo habeas. Nam *Græci* quoque profani ita loquuntur, ut *Aristophan.* Ranis v. 192. & alii, quos affert *Elsnerus* p. 210. Nec minus *Latini* Scriptores, de quibus lege *Dougtæi* Analecta N. T. p. 49.

Vers. 8. Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι &c.) Affertur hic tantum antecedens, & lectori consequens seu illatio subintelligenda relinquitur, hoc sensu: *Si ego id valeo, qui homo sum, multo magis tu potes imperare, ut morbus recedat.* Phrasis ipsa: ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τασσόμενος, idem vult, ac si dicatur: ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τάσσομαι, *constituor sub potestate.* Vide *Boisium* l. c. p. 203.

Vers. 11. πόλιν καλουμένην Naΐν) Vide *Relandi* Palæstinam p. 905.

ἱκανοὶ) deest in nonnullis Codicibus, hinc delendum vult *Millius*, quamvis alibi tueatur. Vide *Whitbii* Examen p. 45. a. & 92.

Vers. 12. ἐξεκομίζετο τεθνηκώς) ἐκκομίζειν est verbum funebre, ut Latinorum *efferre.* Vide *Artemidorum* Onirocrit. lib. II. c. 54. p. 144. *Æliani* Var. Histor. VIII. 4. Confer *Elsnerum* p. 211. & Cl. *Trillerum* in Not. MSS. qui videri vult *Kirchmannum* de Funeribus Roman. lib. II. c. 1. p. 76. sq. & de Latina phrasi *Lacerdam* ad Virgil. Georg. IV. *tum corpora luce carentum exportant tectis.* Idem monet, *Homerum* Iliad. ω & alibi, itemque Poetas alios eodem sensu adhibere verbum ἐκφέρεσθαι, *Theocritum* vero Idyll. V. ἔξω φέρειν, unde & ἐκφοραὶ pro funeris elatione dicantur apud *Diog. Laërtium* in Lycone.

υἱὸς μονογενὴς τῇ μητρὶ αὐτοῦ) Dativus interdum apud Græcos pro Genitivo ponitur, ut hic μητρὶ pro μητρός. Exempla vide apud *Hombergium* p. 134.

De sepulchris, extra civitatem olim constitutis, lege huc *Picinellum*, in Luminibus Reflexis p. 648. & *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 50. sqq.

ἤψατο τῆς σοροῦ) Simile quid de Apollonio confinxit Philostratus IV. 45. p. 186.

Vers. 14. σοὶ λέγω, ἐγέρθητι) Verbum λέγω hic idem est, quod præcipio, ut supra V. 24. & VI. 27. item apud profanos passim, quorum loca habes apud *Elsnerum* p. 211. De illis, qui per miraculum a Christo in vitam revocati sunt, varia solent disputari v. c. ubi eorum animæ exstiterint, quoad vinculum naturale fuerit solutum. Huc vide B. *Jo. Guil. Baieri* de statu & ubi animarum separatarum, & ad vitam naturalem rursus ordinatarum, *Jenæ* 4. item *Tobiæ Winckleri* Disput. de bis mortuis Tom. II. Thesauri Disputatt. p. 979. sqq. recusam. Atque hic quidem, enarratis variorum

rum ſententiis, nihil definit ipſe, ſed oſtendit tantum, nullam ex omnibus illis opinionibus Pontificiorum purgatorio patrocinari. Diſputatum & de eo eſt, num ſemel ita excitati mortem iterum oppetierint? Lege huc *Pitſchmanni* Dubia Vexata Hiſtor. Eccleſ. Sec. I. Faſcic. I. p. 36. Negat, eos repetita vice mortuos eſſe *Jo. Dav. Schwerdtnerus* Tom. I. Miſcellaneorum Lipſienſium n. XI. Sed iſta quidem ad alium locum pertinent.

Verſ. 17. ἐν ὅλῃ τῇ Ἰουδαίᾳ) pro εἰς ὅλην τὴν Ἰουδαίαν. Præpoſitiones enim iſtæ ſæpe permutari ſolent, etiam a profanis ſcriptoribus. Vide *Pfochenium* de Stylo N. T. §. 71.

Verſ. 19. ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν) i. e. *num alium exſpectare nos oportet?* quaſi dicatur ἢ ἄλλον δεῖ προσδοκᾶν. Ita enim loqui veteres, oſtendit *Grævius* in Lectionibus Heſiodeis p. 7.

Verſ. 20. σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος;) Chriſtus recte vocatur *venturus*. Venit enim ἐν σαρκὶ, venit ἐν νεφέλῃ, in exitium Judæorum, veniet vero etiam ἐν δόξῃ. Ita *le Moyne* in notis ad Varia Sacra p. 156. ſq.

Verſ. 24. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον) Sic & *Lucianus* hominem, vera a falſis diſcernendi facultate deſtitutum, quique cuicunque doctrinæ aut opinioni aſſurgere debet, *arundini a ventis agitatæ* ſimilem eſſe ait in *Hermotimo* p. 600. Confer *Elsnerum* p. 213.

Verſ. 25. ἐν μαλακοῖς ἱματίοις ἠμφιεσμένον) μαλακὰ ἱμάτια hic videntur eſſe purpurea, ut patet ex ſequentibus, ubi per ἱματισμὸν ἔνδοξον & τρυφὴν explicantur, qualem geſtant, qui ſunt ἐν βασιλείοις in Regiis ædibus, quippe qui a purpureo amictu acceperunt nomen *Purpuratorum*. Vide Biblioth. Bremenſ. Claſſ. III. p. 306. Sic *Diog. Laërtius* de Lycone lib. V. ἦν δὲ καὶ καθαρώτατος τὴν φωλὴν ὡς ἀνυπεράβλητῳ χρῆσθαι μαλακότητι ἱματίων. *Demoſtheni* quoque olim μαλακὸς χιτωνίσκος exprobratos fuiſſe, teſtis eſt *Gellius* Noct. Attic. lib. I. c. 5. Atque hæc obſervavit Cl. *Trillerus*, cui & μαλακοὶ 1 *Cor.* VI. 9. memorati, ideo appellati ſic videntur, quod molliculis veſtibus ad inflammandam infandam libidinem uterentur. Ejusmodi veſtes ἐσθῆτας σημειώδεις i. e. *ſplendidiores* appellat *Antoninus* I. p. 17. ubi vide Gatackerum p. 44. Conf. *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 1215. & Tom. II. p. 296.

ἐν τρυφῇ ὑπάρχοντες) *Gothus* videtur legiſſe ἐν τροφῇ & poſtea ἐκ βασιλείων. Vide *Mareſchalli* Obſervatt. p. 455.

Verſ. 28. ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ) ὁ μικρότερος communiter exponitur de minimo Eccleſiæ Chriſtianæ miniſtro, cui datum eſt Evangelium prædicare, qui major dicatur Johanne, ratione miniſterii, quod totum ſalutis myſterium multo luculentius exponere queat, quam unquam

factum sit a Johanne. Sed *Witsius* tamen intelligere mavult Christum ipsum, ita dictum, quia minor erat ætate & posterior in ministerio. Idem placuit *Epiphanio*, *Chrysostomo*, *Euthymio*, & aliis. Vide *Witsii* Miscellanea Tom. I. p. 297. Conf. ad *Matth.* XI. 11.

Vers. 29. ἐδικαίωσαν τὸν Θεὸν) *R. Simon* in Gallica sua versione reddiderat per: *laudaverunt Deum.* Sed, qui eam in Memor. Trivult. an. 1702. mense Majo p. 399. recensuit, mavult interpretari: *agnoverunt justitiam Dei. Hombergio* p. 135. publicani hic eo sensu justificasse Deum videntur, quod illi jus suum tribuerint, voluntati illius se accommodantes, quod Pharisæi non faciebant. Hanc in rem advocat *Aristotelem* ad Nicomach. lib. V. c. IX. n. 3. ubi δικαιεῖσθαι opponitur τῷ ἀδικεῖσθαι, eo sensu, ut prius idem sit, quod *justum obtinere*, posterius vero *accipere injuriam.* Vide, quæ dicta sunt de verbi hujus significatu ad *Matth.* XI.

Vers. 30. τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτούς) Voces εἰς ἑαυτούς varii varie interpretati sunt. *Castellioni* idem visæ sunt exprimere, ac si diceres: *quantum in se fuit;* pro qua interpretatione lege Vindicias ejus p. 440. Sed hujus quidem significatus exemplum apud Græcos frustra requiseveris. Alii τὸ εἰς ἑαυτούς acceperunt, ac si scriptum esset ἐν ἑαυτοῖς. Ita post *Bezam R. Simon* in versione Gallica. Plures denique per familiarem trajectionem τὸ, εἰς ἑαυτούς a voce βουλὴ hic putant remotum esse, ad quam ratione sensus omnino pertineat. Ita post *Camerarium*, *Grotius*, *Knatchbullus*, *Hombergius* p. 135. Auctores *Memoriarum Trivultinarum* 1702. Majo p. 399. & *le Cene* in Projet p. 480. Atque ita sensus foret: *resciderunt voluntatem Dei ad ipsos*, seu ipsorum commodum *pertinentem* sive relatam. Alii denique, voces has communi suo significatui & ordini, quem hic obtinent, relinquentes, ita interpretantur, ut sensus sit, Pharisæos se ipsos condemnasse, & αὐτοκατακρίτους fuisse, dum rejecerunt baptisma Johannis. Ita ex nostratibus B. *Dietericus* in Antiquitat. Bibl. Tom. I. p. 51. Observat is, ita loqui *Tertullianum*, his adhibitis phrasibus: *exprobrare in semetipsum*, & *dinumerare in semet ipsum.* Mihi fateor eam inprimis sententiam probari, quam ab ultima hac proxime recensuimus. Verbum ἀθετῆσαι cum Hebræo מָאַס confert *Gussetus* in Lexico Hebr. p. 490.

Vers. 33. μήτε ἄρτον ἐσθίων, μήτε οἶνον πίνων) i. e. non ea vivendi ratione usus est, qua honestiores Judæi solebant, & qualem sibi Sacerdotis filius in domo paterna, nec abjecta, nec sordida, vindicare poterat: sed cibo & potu usque adeo tenui usus, ut nullo uti videretur. Lege *Witsii* Miscellanea Sacr. Tom. II. p. 514. Ceterum de criminatione ista futili, in Salvatorem & Johannem conjecta, lege *Henr. Mori* Opera Theolog. p. 354. sq. qui p. 355. versum proxime antecedentem: *nos vobis fistula cecinimus* &c. ita ad scopum Christi accommodari vult: inepti hi spirituque segni & inhabi

homun

homunciones Phariſæi, nec per triſtem auſteramque vitam Johannis, nec per mores magis liberos & inaffectatos Servatoris ad id, quod revera bonum eſt, moveri poterant.

Verſ. 34. τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν) i. e. *publicanorum & meretricum amicus*, ut verti vult Cl. *Trillerus* in Notis MSS. quia mox v. 37. femina ejusmodi ἁμαρτωλὸς vocatur. Tales *Procopius* ἁμαρτάδας dixit, notante ad h. l. Caſaubono. In eandem ſententiam locum hunc interpretatur *Th. Munckerus* ad Anton. Liberal. c. XLI. p. 337. Addi in confirmationem poterat, quod τελῶναι καὶ πόρναι Matth. XXI. 31. & 32. conjungantur. Interim non crediderim, vocem ἁμαρτωλοὶ ſemper, quoties cum τελῶναι occurrit, ita explicandam eſſe. Nam interdum, ut Matth. IX. 10. & 11. memorantur utrique, ubi non videntur ſcorta adfuiſſe.

Verſ. 35. Καὶ ἐδικαιώθη) Vide ad Matth. XI. & adde hic, quod *Jo. Wilh. Zieroldus* in der deutlichen Erklärung p. 78. eorum ſententiam amplectitur, qui ſtatuunt, ſapientiam hic dici pro juſta agnitam & prædicatam a filiis ſuis h. e. ex Deo regenitis & ſanctis.

Verſ. 37. γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς) Diſputatum hic fuit frequenter, utrum mulier hæc peccatrix & Maria Magdalena, e qua Servator ſeptem dæmonia ejecit, *Luc.* VIII. 2. item Maria, ſoror Marthæ & Lazari Joh. XI. una eademque ſit. Longum eſſet, totam diſputationis hiſtoriam hic percenſere, & ſupervacaneum, cum hac opera diligenter perfunctus ſit Rev. *Salomon Deylingius* in Obſervatt. Sacris Part. III. p. 227. ſqq. Atque ille quidem exiſtimat, Mariam, Lazari Marthæque ſororem, a Maria Magdalena omnino diverſam eſſe, cum nullo Evangelicæ hiſtoriæ indicio, ubicunque Maria Magdalena memoratur, conſtet, eam ſororem Lazari ac Marthæ fuiſſe, viciſſim vero in hiſtoria ſacra argumenta exſtent, quibus conficiatur, Mariam, Lazari Marthæque ſororem, a Maria Magdalena eſſe diſtinctam. Vide eum p. 231. Idem præterea non contemnendis rationibus p. 232. ſq. evincit, mulierem peccatricem, hic memoratam, & a Maria, ſorore Lazari, & a Maria Magdalena diverſam eſſe. A *ſorore Lazari* enim hanc differre nomine, patria, moribus vitæque conditione: a *Magdalena* vero in eo ſatis diſtingui, quod hæc *Naimenſis* fuerit, peccatrix vero illa e Magdala, civitate in dimidia tribu Manaſſis Trans-Jordanica ſita, ortum traxerit. De eodem argumento vide præter auctores a Rev. *Deylingio* citatos *Pezronium* Tom. II. Hiſt. Evangelic. *Adrian. Bailletum* in Vitis Sanctorum 2. Julii, *Tillemontium* Memoriarum Hiſt. Eccleſ. Tom. II. p. 30. & 512. *Auguſt. Calmetum* in ſingulari Diſſert. quæ in limine Commentarii ejus ſuper Lucam exſtat, & *Memorias Trivultinas* an. 1714. p. 54. & 97. Ex noſtratibus inſpiciendi ſunt B. *Ittigius* in Opuſculis Variis p. 321. ſqq. B. *Caſp. Laſcherus* in Diſſert. quam inſcripſit: *Scylla & Charybdis*, & noviſſime Rev.

Zeibichius in Paßions-Stunden p. 54. ſq. Nec omittendus omnino fuerit *Ant. Bynæus* de Crucifixione Chriſti lib. III. p. 127.

ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς) i. e. *proſtibulum.* Ita *Suidas* vocem hanc exponit: ἁμαρτωλοὶ, οἱ παρανομίᾳ συζῆν προαιρούμενοι, καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι h. e. *peccatores ſunt ii, qui certo conſilio nequiter vivere volunt, & qui vitam depravatam cupide amplectuntur.* Atque hic ſignificatus variis N. T. locis conſtat. Adde *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 205. Proinde nec hic de levibus quibusdam peccatis ſermonem eſſe, neceſſe eſt. Quam in rem vide, quæ contra *Bernh. Lamium* in Harmonia Evangel. lib. II. c. 36. & in Diſſertat. ſubjuncta §. 3. ita ſentientem diſputat Rev. *Deylingius* Part. III. Obſſ. Sacr. p. 233.

ὅτι ἀνάκειται) i. e. *accumbit.* Eadem verbi notio eſt *Luc.* XXII. 27. & *Matth.* XXII. 10. nec non apud profanos v. c. *Athenæum* lib. I. p. 23. Confer *Elsnerum* p. 113.

ἀλάβαστρον μύρου) Vide, quæ de hac phraſi diximus ad *Matth.* XXVI. 7. & *Marc.* XIV. 3. Adde præterea, quæ ad h. l. obſervavit *Elsnerus* p. 113. Is vero docet, *Lucianum* ſimili prorſus modo in Dialog. Meretric. p. 751. ἀλάβαστρον μύρου dixiſſe, & *Dionyſ. Halicarnaſſ.* lib. VII. p. 424. μύρων ἀλαβάστρους, nec minus *Petronium* c. 60. p. 302. *alabaſtra unguenti,* ad quem locum dignus eſt, qui legatur, *Burmannus.*

Verſ. 38. καὶ τὰ ὀπίσω παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ &c.) Omnis hæc res in figura quadam ære repræſentatur a *Caſalio* de Conviviis veterum Tom. IX. Antiquitatt. Græcar. p. 139. ſq. ubi etiam in ſequentibus nonnulla ad illuſtrandam narrationem hanc afferuntur. Inprimis hic obſervari fas eſt, miniſtros triclinares ad pedes diſcumbentium olim ex Romanorum ritu ſtare conſueviſſe. Lege hanc in rem *Urſini* Appendicem ad Ciaconium de Triclinio p. 223. ſq. *Muretum* Var. Lect. lib. XVI. c. 6. Tom. II. Theſauri Critici Gruteriani p. 1160. *Aloyſ. Novarinum* lib. V. Sacrorum Electorum p. 100. ſq. *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 649. & alios ab *Amelio* Part. I. p. 1017. citatos.

ἤρξατο βρέχειν τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ τοῖς θριξὶ) De pedibus ante cœnam lavari ungique ſolitis apud veteres lege *Urſini* Append. ad Ciacon. de Triclinio p. 261. ſq. *Dougtæi* Analecta Sacr. N. Teſt. p. 52. ſq. *Prado* in Pentecontarcho p. 89. *Elsnerum* in Obſerv. Sacr. p. 214. ut alios omittam, citatos ab *Amelio* Part. II. p. 125. Neque tamen tam ad hunc ritum, quam ad eum potius reſpiciendum eſſe exiſtimant eruditorum nonnulli, ſecundum quem apud Romanos tempore peſtilentiæ aut atrocis cujusdam calamitatis matronæ virginesque omnia lamentis implebant, & paſſis crinibus templorum pavimenta verrebant. Vide huc *Witſium* Tom. II. Miſcellan. Exerc. XX. §. 9. & alios ab *Amelio* laudatos Part. I. p. 1018. quibus adde *Joſ. Arndii* Miſcellanea Sacra p. 101. *Quod igitur,* inquit is inter cetera, *illæ* (feminæ)

in

in templis ad placandos Deos, id illa magis pia in ipso Domino placanda facere voluit. Viciſſim *Elsnerus* p. 214. obſervat, feminam hanc lacrymis uſam eſſe aquæ loco, qua hoſpitum pedes lavare ſolebant apud veteres ancillæ: & p. 215. addit, deterſionem illam, capillis factam, rectius ex eo ritu illuſtrari, quo Domini olim in conviviis puerum ſibi adſtantem habere ſolebant, cujus capillis manus ſiccarent. Vide huc *Petronii* c. XXVII. p. 97. ibique notas Cl. *Burmanni*, nec non *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 649.

Ceterum ex hac unctione pedum Chriſti veterum quidam efficere conati ſunt, Chriſtum nudis pedibus inceſſiſſe, quia alias femina hæc officium hoc ipſi præſtare non potuiſſet. Vide huc *Balduinum* de Calceo p. 224. ſq. qui tamen huic & aliis, quas ex aliorum mente affert, rationibus id ponderis non eſſe recte oſtendit, ut non contrarium, inprimis ex *Joh.* I. 27. affirmetur, quemadmodum & Chriſtus diſcipulis ſuis calceos portare permiſit. Scilicet Servator noſter ex more ævi ſui nudis pedibus accubuit, demtis ante cœnandum ſoleis. Vide in eandem ſententiam *Bynæum* de Morte Chriſti lib. I. p. 260. & de Calceo lib. II. c. I. §. 8.

καὶ ταῖς θριξὶ ἐξέμαξε) Vide quæ paulo ante huc attulimus. *Lamius* in Diſſertat. de unica Magdalena §. 3. exiſtimans, Mariam Magdalenam per feminam lavantem hic innui, nomen Magdalenæ, non a nomine loci, *Magdala*, quod plerique huc advocant, repetit, ſed a Chaldaica voce מגדלא, quæ *plicatricem capillorum muliebrium* infert, atque ex hoc cognomento conjicit, eam antea non fuiſſe ſatis accuratam in lege Sabbati ſervanda, eo quod in Sabbatis quoque capillos ſuos componeret. Confer *Amelium* Part. II. p. 125. hæc approbantem. Sed cum ex ſuperioribus conſtet, feminam hanc vel falſo, vel dubia certe fide de Maria Magdalena accipi, per ſe apparet, de hoc momento amplius cogitandum eſſe. Confer tamen, quæ ſcripſimus ad Matth. XXVIII. 57. & adde Rev. *Salom. Deylingium* Part. III. Obſſ. Sacrar. p. 234. contra *Lamium* diſputantem.

κατεφίλει τοὺς πόδας αὐτοῦ) De ritu alterius pedes honoris cauſa oſculandi lege *Lomeieri* Dies Geniales Dec. I. p. 368. ſq. Confer *Hottingeri* notas ad *Goodwini* Moſen & Aaronem p. 480. qui morem iſtum vel prorſus non vel raro admodum in ſingularibus caſibus receptum fuiſſe affirmat. Adde *Amelium* Part. II. p. 367. & inprimis *Raphelium* in Notis Polybianis p. 197. ubi exempla ex profanis affert hominum, pedes aliorum oſculantium, quod & ſupplici ter eos rogarent, & amarent.

καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ) De unguentis, in convivis veterum adhiberi ſolitis, lege *Bulengerum* de Conviviis lib. III. c. 27. & 28. Tom. XII. Antiquitatt. Roman. p. 190. ſq. & alios ab *Amelio* citatos Part. II. p. 127. quibus adde *Elsnerum* p. 215. qui oſtendit, ſervorum & ancillarum has partes fuiſſe.

Verſ. 41. δανειστῇ τινι) B. Lutherus primum vertit per Lehnherr, deinde

vero per Wucherer. Pro utroque vide *Raithium* in Vindiciis Verſ. German. p. 388.

Verſ. 44. ὕδωρ ἐπὶ πόδας μου οὐκ ἔδωκας) Aqua ſcilicet ad lavandos convivarum pedes, ſoleis depoſitis, præſto eſſe ſolebat. Ita *Plautus* in Perſa: *locus hic tuus eſt; hic accumbe. Ferte aquam pedibus.* Confer *de Prado* Pentecontarchum p. 91. De convivis ſine calceis differit ad hoc comma *Picinellus* in Luminibus Reflex. p. 650.

Verſ. 46. μὲ τὸς πόδας) Hæc a Codice *Cantabr.* & alio quodam abſunt, ac proinde pro adſcititiis habentur a *Millio* in Prolegomenis: ſed vide *Whitbium* in Examine p. 45.

Verſ. 47. 48. illuſtrat B. *Thomas Ittigius* in Diſſertat. de iterata abſolutione Peccatricis, cui peccata jam remiſſa fuerant, quæ recuſa exſtat in ejus Opuſculis Variis p. 316. ſqq.

Verſ. 47. ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαὶ) *Vulg.* vertit: *remittuntur;* male, cum forma præteriti temporis, quæ hic exſtat, inferat, peccata illa jam olim *remiſſa eſſe.* Confer, quæ de hac voce diximus ad *Matth.* IX. 2. Ἁμαρτίαι hic cum articulo dicuntur αἱ πολλαὶ, non ſine emphaſi, ut ſcilicet remiſſa ipſi dicantur peccata omnia, quorum magna ſit copia. Lege huc B. *Geieri* Liebes-Sprüche p. 382. & *Franckii* Anmerckungen p. 110. ſq.

ὅτι ἠγάπησε πολύ) Quanta opera Pontificii ex hoc loco contenderint pro amore, tanquam cauſa meritoria remiſſionis peccatorum, nemini non conſtat. Sed argumenta eorum omnia uno quaſi ictu concidunt, ſi dixeris, τὸ ὅτι hic non eſſe αἰτιολογικὸν, ſed συλλογιστικὸν, h. e. non idem eſſe, quod *quia*, ſed potius idem, quod *ideo.* Atque hæc notio non ſolum in V. T. obtinet paſſim in particula כִּי, quæ τῷ ὅτι reſpondet, ut 1 *Sam.* II. 25. & *Pſalm* CXVI. 10. ubi ὅτι LXX. recte vertunt, *per* διὸ, ſed & in Novo, v. c. *Matth.* XVI. 2. 3. 1 *Cor.* X. 5. 1 *Theſſ.* II. 17. 1 *Timoth.* I. 13. Lege huc ex noſtratibus B. *Franzium* de Interpretatione Scripturæ Sacr. p. 541. *Jo. Gerhardum* in Loco de Juſtificatione §. 91. & in Confeſſione Cathol. Tom. IV. p. 32. *Mart. Geierum* in Liebes-Sprüchen p. 385. *Feſſelium* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 459. *Hackſpanium* in Notis p. 304. & *Thom. Ittigii* Opuſcula Varia p. 341. ſq. ex Anglis vero *Joſ. Mede* in Operibus p. 766. & *Jo. Boiſſium* in Collatione p. 205. ſq. qui idem tum ex Hebraiſmo, tum ex ſcopo parabolæ hujus evincit.

ᾧ δὲ ὀλίγον ἀφίεται) vide *Schotti* Adagialia N. T. p. 75.

Verſ. 48. ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι) Repetitur hic remiſſio peccatorum priſtina & confirmatur. Vide B. *Ittigii* Opuſcula Varia p. 343. ſq.

Verſ. 49. ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν) Verſio Montenſis Gallica reddiderat:

rat: *qui pretend remettre les pechez:* h. e. *qui peccata remittere audet.* Atque eam interpretationem a *Malleti* exceptionibus liberat *Arnaldus* in Continuatione Defensionis versionis illius p. 360. sqq.

πορεύε εἰς εἰρήνην) Per Hebraismum ita dici pro πορεύε ἐν εἰρήνῃ nonnulli judicarunt. Sed profanos quoque Scriptores præpositiones illas εἰς & ἐν secum invicem permutare, ostendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. LXXI. Confer tamen & *Gataker.um* de Stylo N. T. p. 180.

CAP. VIII.

VErs. 2. Μαρία ἡ καλεμένη Μαγδαληνή) Vide, quæ scripsimus ad *Matth.* IX. 2. idem ad *Luc.* VII. 37. & 38. unde tum alia constabunt, tum id inprimis, quod hæc Maria a magna illa peccatrice, de qua noster cap. VII. distincta sit.

Vers. 3. ἐπιτρόπε Ἡρώδε) De voce ἐπίτροπος vide scripta ad *Matth.* XX. 8. Confer *Brissonium* de Regno Persarum p. 697. & *Menagium* ad Laërtium p. 154. b.

Vers. 4. συνιόντος δὲ ὄχλε πολλῦ) De benignitate, omnes alliciente, lege huc *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 650.

εἶπε διὰ παραβολῆς) Ex hac parabola perperam colligi, quod quarta tantum pars auditorum salvetur, ostendit B. *Dannhauerus* in Memoriali Evangelico p. 185. sq. Eandem fere comparationem hominum naturam inter & varium locorum situm instituit *Hippocrates* in libro de Aëre, Locis & Aquis §. 34. & *Pausanias* in Bœoticis IX. c. 21. p. 752. ceu observavit Cl. *Trillerus*, qui & comparari hic vult *Casaubonum* ad Theophrasti Characteres p. 94.

Vers. 7. συμφυεῖσαι αἱ ἄκανθαι) *connexæ inter se spinæ*, ut reddendum putat *Boissus* in Collatione p. 207.

ἀπέπνιξαν) Eodem verbo in simili re utitur *Hippocrates* lib. de Glandulis §. 3. ἀποσήπεται καὶ ἀποπνίγεται τὸ σπέρμα τῇ πλεονεξίῃ. Simile quid legitur apud *Themistium* Orat. XXVII. Ita Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Vers. 8. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν ἀγαθὴν) i. e. in *solum succidum*, quomodo in Apologia dixit *Apulejus*, aut *feracissimum, pinguemque agrum*, ut Columella; *Bonam terram* alicubi vocat *Plinius*, sicut & *Plutarchus* de Puerorum Educat. ἐπὶ τῆς γεωργίας, inquit, πρῶτον μὲν ἀγαθὴν ὑπάρξαι δεῖ τὴν γῆν. Hæc eidem Viro doctissimo debeo.

ἐποίησε καρπὸν ἑκατονταπλασίονα) Ita etiam Scriptor. Fabul. Æsop. XXII. de vinea probe subacta: πολλαπλασίονα τὸν καρπὸν ἀνέδωκε. *Idem.*

Ταῦ-

Ταῦτα λέγων ἐφώνει &c.) Quia hæc a nonnullis Codd. absunt, ex *Matthæo* vel *Marco* huc translata credit *Millius*. Sed vide *Whitbium* in Examine p. 45.

Vers. 9. λέγοντες) i.e. ζητοῦντες, *quærentes*. Vid. *Boissius* l.c.

Vers. 11. ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ) Sic profani quoque animum agro culto, dogmata vero salubria semini comparant, ut *Hippocrates* in lib. de Lege, *Plutarchus* de Educat. γῇ μὲν ἔοικεν ἡ φύσις, γεωργῷ δὲ ὁ παιδεύων, σπέρματι δὲ αἱ τῶν λόγων ὑποθῆκαι, καὶ τὰ παραγγέλματα; item *Æschylus* in VII. ad Thebas v. 599. & iterum *Plutarchus* sub finem libri de Præceptis Nuptial. Loca hæc debeo Cl. *Trilleri* Notis MSS.

Vers. 12. οἱ δὲ παρὰ τὴν ὁδὸν) Subintellige: δεχόμενοι τὸν σπόρον, aut τὸν λόγον. Vid. *Boissium* l.c. qui idem v. 13. ad verba: οἱ δὲ ἐπὶ τῆς πέτρας, supplendum censet; nec minus ad v. 14.

Vers. 13. οἱ πρὸς καιρὸν πιστεύουσι) Vide huc B. *Mayeri* Disput. de προσκαίρεις, *Witteb.* 1686. & 1701. recusam.

Vers. 14. καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου καὶ ἡδονῶν τοῦ βίου πορευόμενοι) *Variæ prostant participii* πορευόμενος *in hoc textu expositiones, quibusdam proprie* eundi *significatum retinentibus, aliis per* impellere *convertentibus, multis trajectionem vocabulorum admittentibus, reliquis aliud quid excogitantibus.* Ita Cl. *Majus* Part. I. Observatt. Sacr. p. 94. Ipse novo modo Hebraismum hic locum habere suspicatur, eum scilicet, quo verbum הלך alteri verbo jungitur ad imminutiones rerum accretionesque per temporum momenta denotandas, ut *Genes.* VIII. 3. & 2 *Sam.* III. 1. ut sensus sit, miseros homines divitiis & voluptatibus sensim atque pedetentim suffocari, sic ut ipsi vix animadvertant. Displicuit & hæc & aliorum interpretatio *Elsnero* p. 216. qui verti mavult: *& a curis & voluptatibus vitæ digressi suffocantur:* reversi scilicet ab audito verbo ad alia & sueta negotia sua. Ita enim monet *Matth.* X. 7. dici πορευόμενοι κηρύσσετε i.e. *digressi prædicate.* Conf. epist. *Judæ* v. 10. Atque hanc sententiam & mihi potiorem videri non diffiteor, quam etiam expressisse video *Clericum* in versione N. T. Gallica. De μεριμναις βίε sive βιωτικαῖς lege quoque *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 695. Quo nomine divitiæ cum *spinis* hic comparentur, ostendit *Ursinus* in Analectis II. p. 341.

Καὶ ἀ τελεσφορεῖσι) Verbum τελεσφορεῖν fere semper de maturatis frugibus, iisque sanis atque integris usurpari, vocem vero τελεσφόρος ad res quaslibet perfectas & consummatas indicandas transferri, ostendit *Jensius* in Ferculo Literario p. 45. Similiter *Beza* & *Grotius* observarunt idem esse, quod *fructus perferre ad plenam maturitatem & messis tempus;* id quod confirmant veterum locis *Raphelius* in Notis Polybian. p. 199. & *Elsnerus* p. 216.

Vers.

Verſ. 15. ἐν καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ) i. e. *in corde vere bono.* Græci paſſim καλοκάγαθον & καλοκαγαθίαν adhibent, & poſteriorem quidem vocem de liberalitate ſpeciatim & beneficentia uſurpat *Euſebius.* Lege *Valeſium* ad Euſebium p. 206.

Verſ. 16. Οὐδεὶς δὲ λύχνον ἅψας &c.) Vide huc Programma Academicum Wittenbergenſe recuſum in *Gabr. Terne* Programmatibus p. 449. ſqq.

ἢ ὑποκάτω κλίνης τίθησιν) *Matth.* V. 15. & *Marc.* IV. 21. habent ὑπὸ τὸν μόδιον. Ubi notandum eſt, Dominum hæc diverſis temporibus & diverſa occaſione dixiſſe, ac proinde diverſis ſimilitudinibus uſum fuiſſe. Lege huc B. *Feſſelii* Adverſaria Sacr. Tom. II. p. 122.

Verſ. 17. ὃ δὲ φανερὸν γενήσεται) De operibus noſtris aliquando revelandis lege *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 650.

Verſ. 18. Καὶ ὃ δοκεῖ ἔχειν) Verbum δοκεῖ hic nonnullis viſum eſt παρέλκειν, ſed præter rationem, id quod oſtendunt *Wolfburgius* p. 136. contra Hammondum, & *Elsnerum* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. IV. p. 187. qui eadem opera ſimilem *Anacreontis* locum affert ex Ode XXVI. p. 80.

Δοκῶν δ' ἔχειν τὰ Κρείσσ
Θέλω καλῶς ἀείδειν.

Verſ. 20. ἀπηγγέλη αὐτῷ, λεγόντων) Alii Codices hic legunt: αὐτῶν λεγόντων, vel αὐτῷ λογόντων αὐτῶν, eo ſcilicet, quod minus Græca iſta phraſis videretur, ſi deeſſet αὐτῶν. Sed vide *Millium*, communem lectionem ex LXX. Interpretibus recte tuentem. *Boiſius* poſt ἀπηγγέλη αὐτῷ ſubintelligi vult, ὑπὸ τινῶν. Vide eum l. c. & *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 364.

ἰδεῖν σε θέλοντες) i. e. *colloqui tecum cupientes*, ζητοῦντες σοι λαλῆσαι *Matth.* XII. 47. Ἰδεῖν pro *colloqui* Atticum eſt, ut apud Thucyd. lib. IV. & alibi. Vide *H. Stephani* Appendicem de dialecto Attica, & *Boiſium* l. c. p. 208.

Verſ. 23. καὶ συνεπληροῦντο καὶ ἐκινδύνευον) i. e. *& navi undis completa periclitabantur.* Vide *Boiſium* p. 208.

Verſ. 24. προσελθόντες δὲ διήγειραν αὐτὸν &c.) Vide quæ ſcripſi ad *Marc.* IV. 39. & adde Biblioth. Bremenſem Claſſ. I. Faſcic. II. p. 61. ſqq.

καὶ ἐπαύσαντο) Alii Codd. hic legunt ἐπαύσατο, quod nonnulli præferunt. Sed loco minime omnium movenda eſt lectio communis, cum plurium numerus recte referatur ad *ventum* & *fluctus* maris, quos Chriſtus voce efficaciter compoſuit.

Verſ. 26. Καὶ κατέπλευσαν) *& appulerunt:* ut patet ex verſu ſequenti. Itaque de curſu navigationis verbum hoc non eſt accipiendum. Vide *Boiſium* p. 209.

Γαδαρηνῶν) Alii Codd. habent Γερασηνῶν. Vide, quæ ſcripſimus ad *Matth.* VIII. 28.

Verſ. 27. ἀλλ' ἐν τοῖς μνήμασιν) i. e. in locis ſolitariis & aridis. Vide *Keuchenium* ad h. l. & confer *Pſalm* LXVIII. 7. ſecundum verſionem τῶν LXX.

Verſ. 20. ἠλαύνετο ὑπὸ τῦ δαίμονος εἰς τὰς ἐρήμους) In deſertis enim locis ac incultis degere potiſſimum cacodæmones videntur. Vide *Matth.* XII. 43. & *Apocal.* XVIII. 2. Eadem erat Gentilium quoque perſuaſio. Vide *Luciani* Necyomant. p. 160. *Plutarchum* de Oracul. defectibus p. 421. & *Philoſtratum* lib. III. c. 38. Conf. *Elsnerum* p. 217.

Verſ. 31. εἰς τὴν ἄβυσσον) Per abyſſum hanc *infernum* alii intelligunt, alii vero loca ab hominibus deſerta, quale πῦ etiam eſt vorago aquis plena. Cum poſterioribus recte facit *Hackſpanius* in Notis p. 310. De voce hac ipſa lege differentes *Rechenbergium* in Diſſertat. ſingulari ad 2 Pet. II. 4. §. 11. & *Camerar.* in Notat. ad N. T. p. 169. qui obſervat, ſub voce ἄβυσσος intelligi debere χώρα.

Verſ. 33. καὶ ἀπεπνίγη) De ſuffocatione in aquis idem verbum adhibet *Arrianus* Epictet. lib. II. c. 5. apud *Raphelium* in Notis Polybian. p. 199.

Verſ. 34. καὶ ἀπελθόντες) Abeſt a variis Codd. quamvis in ſe genuinum. Vide *Whitbii* Examen p. 45.

Verſ. 40. ἀπεδέξατο αὐτὸν) h. e. *libenter & cum gaudio eum excipiebat.* Eandem notionem habet verbum ἀποδέχεσθαι *Actor.* XV. 4. & XXIV. 3. nec non apud profanos Scriptores, quorum loca affert *Raphelius* in Polyb. p. 199.

Verſ. 42. καὶ αὕτη ἀπέθνησκεν) i. e. & *illa morti proxima erat*, nondum tamen mortua: παρ' αὐτὰς ἦν τὰς πύλας τῦ θανάτυ. Ita *Boiſius* l. c. p. 209. qui *Lucianum* in Gallo hanc phraſin eadem ratione uſurpaſſe oſtendit.

Verſ. 43. ἅσα ἐν ῥύσει αἵματος) Ita *Polybius* lib. II. c. 11. p. 138. ait: ὁ Δημήτριος ἐν διαβολαῖς ὤν. Conf. *Raphelium* p. 200.

Verſ. 46. δύναμιν ἐξελθοῦσαν ἀπ' ἐμοῦ) Vide ad *Marc.* V. 30.

Verſ. 49. Ἔρχεταί τις παρὰ τῦ Ἀρχισυναγώγυ) i. e. *venit aliquis de famulis aut domeſticis Archiſynagogi.* Ita *Polybius* lib. V. c. 14. οἱ παρὰ τῦ βασιλέως i. e. *Regii.* Sic *Marcus* IV. 21. οἱ παρ' αὐτῦ, *ſui.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. ad *Marci* l. c. & *Elsnerum* hic p. 218.

Verſ. 50. μόνον πίστευε, καὶ σωθήσεται) Τὸ καὶ hoc modo poſitum *effectivum* vocat *Eraſmus Schmidius* ad Matth. V. 29. quale etiam occurrit *Matth.* IX. 18.

IX. 18. Eodem modo loquitur *Arrianus* Differt. lib. II. c. 20. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 201.

Verſ. 54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας) *Marci* eſſe hæc ſuſpicatur *Millius*. Sed vide *Whitbii* Examen p. 45.

Verſ. 55. διέταξεν αὐτῇ δοθῆναι φαγεῖν) partim ad vires amiſſas per cibum reſtituendas, partim ad nutritionis negotium redintegrandum: inprimis vero, ut oſtenderet Salvator, puellam revera in vitam a ſe eſſe reſtitutam: quemadmodum ipſe, Dominus noſter, poſt reſurrectionem ſuam, ut fidem faceret diſcipulis ſuis, cibum comedit *Luc.* XXIV. 41. 43. Animæ enim, ut Homerus ait Iliad. γ. ἃ σῖτον ἔδῃσι, ἃ πίνῃσι ἄιθοπα οἶνον. Ita Cl. *Trillerus* in notis MSS. qui addit, τὸ διατάσσειν de Medicis uſurpari, quando formulas præſcribunt, vel diætam *ordinant*, qua voce τὸ διατάσσειν Græcorum exprimit ſæpe *Cælius Aurelianus* & *Scribonius Largus*. *Hippocrati*, in lib. de Arte, medicamenta vocantur τὰ διαταχθέντα, & προσαχθέντα: frequentius tamen τὸ ἐπιτάσσειν in hoc argumento ipſi in uſu eſt, quod ex dicto ejus libro, item ex alio de Vet. Medic. & de morbis patet. *Seneca* dixit *ægrotantibus imperare* lib. I. de Ira c. 16. Conf. *Meibomii* Commentar. ad Caſſiodori formulam Comitis Archiatrorum p. 80.

CAP. IX.

VErſ. 1. μαθητὰς αὐτοῦ) In variis Codd. deeſt. Tuetur tamen recte ut genuinum *Whithy* in Examine p. 45.

ἔδωκεν αὐτοῖς δύναμιν καὶ ἐξουσίαν) Dedit illis non tantum ἐξουσίαν i. e. *poteſtatem* imperandi, ſed etiam δύναμιν i. e. *potentiam*, dæmones ad imperata cogendi. *Hackſpanius* in Notis p. 312. quod quidem malim, quam cum *Hombergio* in Parergis p. 135. vocem δύναμιν ad δαιμόνια, ἐξουσίαν vero ad νόσους referre.

Verſ. 3. μήτε ῥάβδους, μήτε πήραν &c.) Vide ad *Matth.* X. 9. & *Marc.* VI. 8. Iſtis, quæ ibi obſervavimus, adde ſingularem *Jo. Albæ* ſententiam in Selectis Annotatt. p. 338. allatam. *Virgam*, inquit is, *ni fallor, vocat, quam gentes quædam vocabant teſſeram hoſpitii & amicitiæ. Cum enim quidam amicitiam contrahebant, in virga, communi conſenſu, ſymbolum quoddam ſculpebant, quæ quidem virga teſtimonium erat contractæ amicitiæ.* Atque ea utebantur in itineribus hoſpitii jure uſuri. De re ipſa dubitari non poteſt, tanquam inter Gentiles receptiſſima, quam ex veterum monimentis ediſſeruit *Thomaſſinus* de teſſeris hoſpitalitatis. Sed eundem morem Judæis receptum fuiſſe nusquam apparet: multo minus autem conſtat, teſſeram ejusmodi ῥάβδος nomine appellari conſueviſſe. Et quomodo, quæſo, ſi hæc eſſet vocis notio, ῥάβδοι in plurium numero hic memorentur?

Verſ. 4. καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε) Codices nonnulli addunt hic particulam μὴ, quam ſciolus addidiſſe primum videtur ideo, ut cum antecedenti ἐκεῖ μένετε conciliari poſſet. Sed nihil hic eſt periculi, nec opus iſta additione. Senſus enim hic eſt, commorandum in domo illa eſſe, donec exire jubeantur, vel donec urbe ipſa excedant. Confer Memorias Trivultinas an. 1702. Majo p. 399. ed. Amſtelod.

Verſ. 6. διήρχοντο κατὰ τὰς κώμας) h. e. *ibant vicos*, in quos ſcilicet ire ſolebat Jeſus. Id patet ex *Luc.* X. 1. ubi Chriſtus dicitur miſiſſe diſcipulos ſuos in omnes urbes & locos, quo ipſe erat venturus. Confer *Lempereur* ad Bava Kamma p. 178.

Verſ. 7. ἐγήγερται) De forma verbi hujus lege *Feſſelii* Adverſaria Sacra Tom. II. p. 395. ubi ſimilia affert exempla.

Verſ. 8. ὅτι Ἠλίας ἐφάνη) i. e. ἦλθε, *venit*. Sic *Theocriti* Scholiaſtes φανεὶς explicat per ἐλθών. Conf. 2 *Maccab.* VII. 22. & alia veterum loca apud *Boiſium* in Collat. p. 211.

Verſ. 10. πόλεως καλουμένης) Omittunt voces has verſiones nonnullæ, ideo forte, quod *Bethſaida* urbis nomine appellari non poſſe videretur: quæ *Whitbii* conjectura eſt in Examine Milliano p. 45. Sed ſalva res eſt. Nam idem locus nunc κώμης ſeu vici, nunc πόλεως ſeu *civitatis* nomine appellari ſolet. Lege *Relandi* Palæſtinam Sacram p. 654. ſq.

Verſ. 12. ἤρξατο κλίνειν) ſubintellige εἰς δείλην. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Græc. L. p. 46. Sic *Arrianus* de Expedit. Alex. III. 4. 4. ait ἐγκλίναντος ἡλίου εἰς ἑσπέραν & *Curtius* IV. 7. 22. *die inclinato in veſperam.* Dicitur vero etiam nox κλίνειν, quando vergit ad lucem. Lege *Raphelii* Notas Polybian. p. 201.

εἰς τὰς κύκλῳ κώμας) i. e. ἐν κύκλῳ ὄσας. Videatur idem p. 318.

καὶ τοὺς ἀγρούς) i. e. villas in agris obvias, quæ diverſorium præberent. Lege J. C. *Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. p. 31. & *Campeg. Vitringæ* Diſſert. de Decem Otioſis p. 230. ſq.

ἐπισιτισμὸν) Eadem voce utitur *Xenophon* Hiſt. Græc. lib. III. p. 383.

Verſ. 13. εἰ μήτι πορευθέντες ἡμεῖς ἀγοράσωμεν) Subeſſe hic quandam quaſi ἐιρωνείαν, quaſi dicerent: niſi nos id faciamus, ut abeuntes ipſi tantæ populi multitudini cibos emamus; quod tamen fieri non poſſe ſimul ſubindicent: ſtatuit *Camerarius* ad h. l. non improbante *Eraſmo Schmidio*, & ſuccinente quoque *Hombergio* in Parergis p. 136. qui reprehenſionem quandam hic agnoſcit. Atque idem proptera τὸ εἰ μὴ, pro *ſed* accipit, ut *Matth.* XII. 4. & *Galat.* I. 7. τὸ τι autem interrogative, hoc ſenſu: *Sed quid euntes nos emamus pro omni hoc populo cibos?* Præterea vult comma poni poſt εἰ μὴ, & in fine periodi ſignum interrogandi: niſi quis malit pro εἰ μήτι lege-

legere: καὶ μήτι. Quicquid sit de *ironia* illa sive *reprehensione*, quam tamen non nisi difficulter admiserimus; non crediderim, de particula εἰ μήτι ejusque genuina notione hic adeo laborandum esse. Nihil enim prohibet, quo minus particulæ εἰ μὴ communiorem significatum vindicemus, ut idem sit, quod *nisi*. Hæc enim est discipulorum mens: non esse spem plures vel panes vel pisces hoc in loco nanciscendi, nisi forte *hinc inde* digressi conquirant & emant plures. Τὸ τι hic vel superfluum est, vel ad viam *nonnihil* faciendam referri debet. In hunc sensum convertit *Erasmus Schmidius: nisi quid euntes.*

Vers. 14. κατακλίνατε αὐτοὺς) i. e. *collocate eos accumbendi causa.* Eandem notionem verbo huic tribuit *Appianus* de Bello Parth. p. 216. & *Ælianus* Var. Histor. VIII. 7. Confer *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 38.

Vers. 16. κατέκλασε) i. e. non panes solum, sed & pisces. Vide huc *Covellum in Memoriis Literariis M. Britanniæ*, Tom. IX. p. 150.

Vers. 18. προσευχόμενον κατα μόνας, συνῆσαν αὐτῷ) Christus solus & seorsim oravit, discipulis nonnihil ab ipso remotis, qui tamen ipsi hic præsto fuisse dicuntur, respectu scilicet turbarum, quæ nullæ tum aderant. Ita recte *Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 311. Fortasse vero τὸ συνῆσαν rectius verteris per: *ad eum conveniebant*, ut scilicet interveniisse dicantur discipuli cum solus oraret. Ita *Beza*, adstipulante *Raphelio* in Notis Polybian. p. 202. qui ostendit, verbum συνεῖναι *accedendi* significatum habere apud *Arrianum* de Expedit. Alex. I. 25. 6. sicut τὸ παρεῖναι *Coloss.* I. 6. ubi confer eundem *Raphel.*

Vers. 20. τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ) *Gothicus* hic habet: *tu es Christus filius Dei.* Ita quoque Arabica versio Romanæ & Erpenianæ editionis. *Coptus* vertit: *tu es Christus Deus*, & *Persa* similiter. Vide huc *Mareschalli* notas ad vers. Gothic. & Cl. *Wilkinsii* Prolegom. ad Vers. Coptic. p. 23. Scilicet varietatum harum inventores conciliare Lucam cum Matthæi XVI. conati sunt, præter rem, cum re ipsa illi inter se conveniant, quamvis verbis discrepantes. Dum enim *Christus* vocatur *Christus Dei*, κατ' ἐξοχήν, divina ejus natura vel sic innuitur. Hinc & idem appellatur Χριστὸς Κυρίου *Luc.* II. 26. & *Apocal.* XI. 15.

Vers. 22. ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ) τὸ ἀπὸ hic positum est pro ὑπὸ, id quod non solum a LXX. Interpretibus frequenter fit, sed & a profanis Scriptoribus. Vide *Pfochenium* §. CXV. In V. T. sæpe Judæi dicuntur Deum reprobasse, מאס. Hoc vero nunquam magis apparuisse observat *Gussetus* in Lexico Hebr. p. 453. quam cum Christum rejicerent.

Vers. 28. Ἐγένετο δὲ &c.) Totam istam pericopen illustrat B. *Jo. Fridr.*

Mayerus in Dissertat. singulari, quam *Comitia Taboritica* inscripsit, quæque recusa exstat in Disputatt. ejus Selectis Kilonienſ. & Hamburgenſ. p. 59. ſqq.

ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ) Subintellige ἦσαν. Sic nulla hic opus est emendatione, quod recte monet *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 268. & ante eum *Boisius* in Collatione p. 212. In eandem sententiam Cl. *Elsnerus* tria hæc verba parenthesi vult includi.

Καὶ παραλαβὼν τὸν Πέτρον) i. e. *cum, assumtis Petro* &c. *adscenderet.* Hic enim est particulæ καὶ significatus, v. c. infra c. XXIII. 44. καὶ σκότος ἐγένετο i. e. *cum tenebræ fierent.* Ita quoque profani, v. c. *Arrian.* de Expedit. Alex. V. c. 24. &c. Vide huc *Elsnerum* p. 218.

Vers. 29. Καὶ ἐγένετο ἐν τῷ προσεύχεσθαι αὐτὸν τὸ εἶδος αὐτοῦ ἕτερον) Verbum ἐγένετο ut plurimum hic cum εἶδος construitur: sed *Boisius* in Collatione p. 212. ab ea voce per comma distinguit, & vertit: *factum est.* Deinde vero post vocem εἶδος subintelligit ἦν ut v. 30. *Et factum est, dum precaretur, ut species vultus ejus esset alia* &c. Conferri idem jubet infra v. 33.

Vers. 31. τὴν ἔξοδον αὐτοῦ) Vocem ἔξοδον Interpretes tantum non omnes de morte Jesu, Hierosolymis sustinenda, recte accipiunt. Hic enim vocis significatus non solum contextui sermonis & circumstantiis ibi obviis apprime respondet, quia scilicet discipuli Christi hoc doctrinæ caput inprimis averſabantur, idque vel ideo edoceri debebant; sed & Sacrorum & profanorum Scriptorum utriusque linguæ exemplis confirmatur. Vide 2 *Pet.* I. 15. *Sapient. Salomonis* III. 2. *Aristidem* p. 553. & alios apud *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 77. & *Elsnerum* p. 219. *Josephus* Antiquitt. IV. c. 8. plene dicit ἔξοδον τοῦ ζῆν, ut *Antoninus* ἐξιέναι τοῦ ζῆν lib. V. §. 29. & II. 11. Adde *Gatackerum* ad illa loca, *Suicerum* in Thesauro Tom. I. p. 287. & 1142. Cl. *Lederlini* Disput. de Euphemismo, & *Ritmeieri* aliam de Nominibus mortis emphaticis. Eodem consilio *Vulg.* vertit per *excessum*, recte & ex usu veterum, quos ea voce *mortem* indicare, ostendit *Boisius* in Collatione p. 214. Nihilominus tamen *Hammondus* & cum eo *Clericus* vocem accipiunt de expeditione, quam Christus contra Hierosolymas susceperturus esset. Hoc vero sensu Hebræi verbo יצא passim utuntur v. c. 2 *Sam.* XI. *Jes.* XLII. 13. & alias. Confer *Grellotum* in Prodromo p. 77. Imo & Græci profani ἔξοδον de expeditione militari accipiunt, ut *Thucydid.* lib. II. p. 106. & *Arrianus* de Expedit. frequenter, ceu recte contra B. *Olearium* in Observatt. ad Matth. p. 490. id negantem monuit *Elsnerus.* Adde locis istis *Aristophanis* Nubes v. 579. & Pacem v. 1182. ibique *Kusteri* notas. Sed iste vocis usus non efficit, ut & h. l. hunc significatum admittamus, præcipue, cum, hoc admisso, Christus non ἔξοδον ἐν Ἱερουσαλὴμ, sed εἰς Ἱερουσαλὴμ dicturus fuisse videretur, quod recte observat *Olearius* l. c. p. 489. Adde *Amelium* Part. II. p. 135. sq. Non magis probem veterum nonnullos, qui ἔξοδον hanc de Christi spirituali egressu

ſu e Synagoga Judaica accipi voluerunt, vel recentiorum illos, qui exitum ad perpeſſionem ſalutarem Hieroſolymæ ſuſcipiendam hic indicari opinantur. Inter hos eſt *Eraſm. Schmidius*, & *Guil. Saldenus* in Otiis Theolog. p. 801.

Verſ. 38. ἀνὴρ ἀπὸ τῆς ὄχλου) Poſſet quidem hic ἀνὴρ ἀπὸ τῆς ὄχλου h. l. notare *hominem plebejum*, ex *plebe*, quam עם הארץ vulgo vocabant Rabbini, qualis homo a *Luciano* vocatur τῆς πολλῆς δήμου ἕης in Somn. p. 7. attamen notari potius putem *hominem ex illa turba*, quæ ibidem confluxerat, juxta comma præcedens: qui turbæ illi immiſtus etſi plebejus eſſe potuerit, non tamen id hoc nomine potiſſimum indicatur. Ita idem hic a *Marc.* IX. 17. vocatur ἷς ἐκ τῆς ὄχλου. Vide *Elsnerum* p. 220.

ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου) ἐπιβλέπειν hic gratiam & auxilium infert, unde & de Deo auxiliante uſurpatur *Luc.* I. 48. *Jeſ.* LXIV. 9. &c. nec minus apud profanos Græcos & Latinos, quorum loca affert idem *Elsnerus* p. 221. Hebræos & τὸς LXX. ſæpe illo verbo ad favorem indicandum uti, oſtendit *Keuchenius* ad h. l.

Verſ. 39. πνεῦμα λαμβάνει αὐτὸν, καὶ ἐξαίφνης κράζει) Verbum κράζει pertinet ad puerum, ſicut τὸ λαμβάνει & reliqua verba ad dæmonium. Hujus loquendi rationis ſimile exemplum ex *Xenophonte* affert Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 89.

καὶ σπαράσσει αὐτὸν μετὰ ἀφροῦ) Lucam verbo σπαράττειν vehementiorem irritationem partium intelligere, ex quibus ſpuma eliciatur, has vero partes judice *Hippocrate* de morbo Sacr. c. 8. p. 334. pulmones eſſe, ac proinde phraſin hanc idem indicare, quod: *pulmones ita irritare, ut ſpuma ore egeratur*, obſervat B. *Olearius* Obſſ. Sacr. ad Matthæum p. 522. ubi idem contra *Jo. Bodinum* diſputat in Colloquio Heptaplomere MS. ex ſpuma illa ſtatuentem, epilepticum hunc morbum, non dæmoniacum, fuiſſe.

Verſ. 41. ἀνέξομαι ὑμῶν) *ſufferam vos.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. pag. 343.

Verſ. 42. ἔῤῥηξεν) i. e. ἔῤῥαξε, κατέβαλε. *Boiſius* in Collat. p. 214.

Verſ. 46. μείζων αὐτῶν) i. e. *maximus eorum.* Ita & profani Comparativo pro Superlativo utuntur. Vide *Gatackerum* de Stylo N. T. p. 221.

Verſ. 47. ἰδὼν τὸν διαλογισμὸν τῆς καρδίας αὐτῶν) Hoc ſcilicet Dei proprium eſt. Vide *Suiceri* Theſaurum p. 878.

Verſ. 49. ὅτι ἐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν) Similiter profani, ut *Lucianus* Navigat. p. 505. ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν, & alii, quos affert *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 39. & *Vorſtius* Part. II. Philolog. Sacr. p. 192. ſeq. ubi recte diſputat contra

contra Grotium, qui hic vult ſubintelligi σοὶ, quod putat ad Chriſtum referendum eſſe, ſicut τὸ μεθ' ὑμῶν ad diſcipulos pertineat.

Verſ. 51. τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλύψεως αὐτοῦ) Mortem Chriſti, ſeu potius mortis ſpeciem, i. e. crucifixionem per ἀνάληψιν hic indicari, cenſuit *Heinſius*. Sed vide contra eum *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 282. qui rectius acquieſcit in communi vocis ſignificatu, & pervulgata veterum interpretatione, *aſcenſionem* Chriſti hic indicari ſtatuens, ut *Marc.* XVI. 19. *Act.* I. 2. 11. 22. & 1 *Tim.* III. 16.

τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε) *faciem ſuam obſtirmavit.* Ita εἰ LXX. paſſim, v.c. *Ezech.* XIV. 8. & VI. 2. quemadmodum Hebr. dicunt, נתן פנים & העז פנים שום פנים. Vide huc omnino *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 249. ſq.

Verſ. 52. καὶ ἀπέστειλεν ἀγγέλους πρὸ προσώπου αὐτοῦ) Lucem his & ſequentibus afferunt, quæ *Andr. Maſius* huc monet Tom. II. Supplementi Criticorum p. 1788. *Chriſtus*, inquit, *non receptus in vico Samaritanorum cum Hieroſolymam abiret, aliquo uſque progreſſus eſt, deſignatisque in munere aliis ſeptuaginta, paucisque dictis & factis pervenit ad Bethaniam, Caſtellum Mariæ & Marthæ ſororum & Lazari, priusquam ingrederetur, Lazarum quatriduanum ſuſcitavit. Quo nuncio excitati ſunt Judæi ad ponendas ipſi inſidias, auctore Caipha. Igitur, quia nondum aderat Paſcha, in quo erat occidendus, ceſſit furori illorum, abiitque ex Bethania verſus Septentrionem ad deſerta Ephraim, ibique ea docuit & fecit, quæ Lucas a principio cap. XI. usque ad XVII. caput deſcribit* &c.

ὡστε ἑτοιμάσαι αὐτῷ) ſubintellige ξενίαν i. e. hoſpitium. Paulus epiſt. ad Philemonem v. 22. plene dixit: ἑτοίμαζέ μοι ξενίαν. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 132.

Verſ. 53. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον) *Vulg.* vertit: *erat euntis*: Itaque *Boiſio* in Collat. p. 215. videtur legiſſe πορευομένου ſc. ἀνθρώπου, hoc ſenſu: *Hieroſolymam verſus dirigebatur.*

Verſ. 54. ὡς καὶ Ἠλίας ἐποίησε) Deſunt hæc in paucis quibusdam Codd. & in Vulg. ſed plerique tamen Codd. & verſiones quoque agnoſcunt. Hinc & recte ut γνήσια defendit poſt *Grotium*, *Millius* in notis, qui tamen deinde, mutata ſententia, in Prolegomenis pro ſcholio habenda putat, quod ex margine in contextum irrepſerint.

Verſ. 56. ἀλλὰ σῶσαι) Scilicet proprietas Dei eſt, ſalvare homines. Vide huc *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 650.

Verſ. 58. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι &c.) Totum hoc comma illuſtrat *Amelius* Part. I. p. 478. ſq. ubi ſpeciatim quoque disquirit, cur Chriſtus *filius hominis* vocari ſoleat. Confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XIII. 10. & *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 1477.

Verſ.

Vers. 60. ἄφες τὸς νεκρὸς θάψαι τὸς ἑαυτῶν νεκρὸς) Veterum interpretationes varias lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 392. b.

Vers. 61. ἀποτάξασθαι) verbum hoc in significatu valedicendi pro barbaro & idiotico habet *Salmasius* p. 98. de Lingua Hellenist. *Theophylactus* reddit per ἀποχαιρετίσαι i. e. λέγειν χαίρειν. Vide *Boisii* Collationem p. 215. Verbum ipsum alii per: *valedicere*, alii per: *mandata dare* cum *Heinsio* interpretantur. Vide *Suicerum* Tom. I. p. 483. qui recte facit cum prioribus.

Vers. 62. βλεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα) Similia Gentilium effata habes apud *Lomeierum* de Lustrationibus p. 455. & *Andr. Schottum* in Adagialibus N. T. p. 75. sq.

καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω) i. e. qui orationi non est intentus, sed oculis aliorsum vagatur. Vid. *Jo. Clericum* ad Hesiodi ἔργ. v. 444.

εὐθετός ἐστιν) i. e. *aptus, idoneus.* Sic *Diodoro Siculo* lib. II. p. 123. εὔθετος τόπος, *locus commodus.* Similiter in bono aratore requirit *Hesiodus* in Opp. & Dieb. v. 443. ut, relictis sodalibus, soli operi vacet. Vide ibi *Clericum* & *Lamb. Bos* in Observ. Critic. p. 29 inprimis vero Cl. *Elsnerum* ad h. l. p. 222.

CAP. X.

Vers. 1. ἑτέρους ἑβδομήκοντα) De LXX. his discipulis lege, quos laudat Cl. *Fabricius* in Bibliographia Antiquaria p. 446. Singularis hic est *Allixii* observatio, respici scilicet per XII. Apostolos ad XII. tribus, per LXX. vero illos discipulos ad Seniores, a Mose selectos. Vide ejus Betrachtungen p. 256. Alii, nominatim *Origenes* in Homilia VII. in Exodum Apostolos cum XII. fontibus, LXX. vero illos cum 70. palmis comparant, de quibus *Exod.* XV. 27. mentio est. Confer omnino *Seldenum* de Synedriis veterum Hebræorum p. 603. sqq. ubi vir doctus ostendit, & Codd. plerosque omnes, & versiones, & Doctores veteres, si paucos excipias, non 72. sed 70. numerum hic legisse: quam in rem lege quoque *Humfred Hody* de textibus Original. lib. II. p. 128. qui communem lectionem nostram itidem tuetur, & Christus in seligendis LXX. illis ad numerum Assessorum Synedrii respexisse putat. Adde *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 288.

Vers. 4. μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε) i. e. nolite in itinere istis gestibus & prolixæ salutationi immorari, sed pergite, & quod vestrum est, peragite, ne obstante hac mora cursus Evangelii impediatur. Ita recte vim vocis hujus exprimit *Hackspanius* in Notis p. 303. sq. ubi etiam observat, τὸ ἀσπάζομαι respondere verbis Hebræis ברך i. e. *benedixit*, quod facere erga ullum vetabat Propheta 2 *Regg.* IV. 29. & שאל שלום i. e. *quæsivit de pace*, quod cum paucis verbis fieri non soleat, ita argumento esse, sermones

prolixiores hic prohiberi. Præterea ratio quoque habenda est salutationum, populis Orientis receptarum, quippe quæ in prolixa apprecatione, votis conceptis & percontatione benevola constiterunt. Vide hanc in rem *Grotium* & Rev. *Læscherum* in Stromatibus p. 36. Pertinet huc *Orphei* præceptum *de Lapidibus* v. 100. illis datum, qui a sacris domum revertantur. Hos enim jubet *viatorem neminem alloqui, donec domum perveniant.* Confer *Elsnerum* p. 223. Sic *Lucianus* in Necromant. p. 329. de Mithrobarzane narrat, quod ἐπανήει πάλιν, οὐδένα τῶν ἀπαντώντων προσβλέπων, h. e. *quod redierit, obviorum nullum intuens.* Cl. *Trillerus* in Not. MSS. Ita non opus est, ut hyperbolice Christum locutum hic esse dicamus, quod cum nonnullis statuit *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 552.

Vers. 5. εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ) De phrasi hac hebraizante lege *Vorstii* Philolog. Part. I. p. 91.

Vers. 6. ὁ υἱὸς εἰρήνης) i. e. homo salute & prosperitate dignus. Vide huc eundem *Vorstium* Part. II. p. 57. Articulum ὁ hic indefinite usurpari manifestum est. Similem *Xenophontis* locum habes apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 89.

Vers. 7. ἐσθίοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν) *Lamb. Bos* hic subintelligi vult παρατιθέμενα de Ellipsi Gr. L. p. 152. *Bezam* secutus, cum quo facit *Boissius* in Collatione p. 216. Sed Cl. *Elsnerus* p. 223. & incommodam & vix obviam hanc ellipsin esse existimans, non paulo melius suppleri vult ἀγαθά i. e. *bona*, sicut *Marc.* V. 26. femina dicitur δαπανήσασα τὰ παρ' ἑαυτῆς πάντα. Similiter *Plutarchus* in Pyrrho p. 394.

Vers. 8. Καὶ εἰς ἣν δ' ἂν πόλιν) Particula δὲ cum καὶ a disertioribus Græcis conjungi solere *Beza* monuit, & ex uno *Xenophonte* variis exemplis demonstrat *Raphelius* in Not. Xenophont. p. 90.

τὰ παρατιθέμενα) eodem verbo in argumento simili utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. II. p. 36.

Vers. 11. πλὴν τοῦτο γινώσκετε) Τὸ πλὴν hic significat *cæterum*, aut *interim*, ut infra v. 14. & XVIII. 8. item XIX. 27. qui significatus etiam *Polybio* receptus fuit. Vide *Elsnerum* p. 223.

Vers. 14. Πλὴν) *Ideo*, ut *Beza* vertit: quem significatum huic voci unquam tribui dubitat *Lud. de Dieu.* At talem haberi apud *Polybium* lib. V. p. 597. ostendit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 202. eundemque huic loco apprime convenire recte judicat. Conf. ad v. 11.

Vers. 16. ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς) Vide de verbo ἀθετεῖν *Gussetum* in Lexico sub radice מאס nota A.

ἐμὲ ἀθετεῖ) De hac sententia, alibi etiam in Scripturis expressa, lege *Hackspanii* Miscellanea p. 432. & *Jo. Vorstium* in Dissertatt. Sacris lib. I. p. 291.

Vers.

Vers. 18. ἐθεώρεν τὸν Σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα) Loquitur hic Christus non de lapsu Angelorum malorum, sed de Satana, ex hominibus obsessis fugiente, quando per nomen Christi ex obsessis per Apostolos exire compellebatur. Lege huc B. *Franzium* de Interpretat. Scripturæ Sacr. p. 609. Veterum Doctorum de his verbis sententias exponunt *Petavius* in Dogmatibus Theolog. de Angelis p. 97. *Wetstenius* ad Origenem p. 55. & *Boïsius* in Collatione p. 216.

ὡς ἀστραπὴν) velocitatem lapsus hac comparatione indicari plerisque Interpretibus recte persuasum est. Similem comparationem in re simili habes, observante Cl. *Trillero*, apud *Homerum* Iliad. IV. 74. sq.

Vers. 19. δίδωμι ὑμῖν τὴν ἐξουσίαν τοῦ πατεῖν ἐπάνω ὄφεων) h. e. *do vobis potestatem inimicos vestros vincendi.* Vide *Lambertum Bos* in Observatt. Criticis p. 108. ubi ex *Astrampsychi* Onirocritico ostendit, serpentes calcare, idem esse, ac aculeos inimicorum solvere. Adstipulatur illi *Amelius* Part. I. p. 181. qui & videri jubet *Schelium* ad Hyginum de castris Romanorum, Tom. X. Antiquitt. Grævii p. 1053.

Vers. 20. πλὴν) vide supra v. 14.

ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγγέγραπται ἐν τοῖς οὐρανοῖς) Τὸ ὅτι *Wolfburgius* in Observatt. Sacris p. 440. accipi vult pro ἐὰν vel ὅταν, quam in rem affert *Luc.* XVII. 10. & 1 *Joh.* III. 9. addens, infallibilem & absolutam certitudinem salutis discipulorum ipsis ibi non revelari ἀσφαλῶς absque omni conditione, sed monere Dominum, ne discipuli sua spe excidant. Quæ Reformati pro absoluto decreto Electionis hinc eliciunt, ea diluit *Hackspanius* in Notis p. 314. In eandem rem confer *Philip. Mulleri* differt. de nomine in cœlis scripto, *Jen.* 1689.

Vers. 21. ἠγαλλιάσατο τῷ πνεύματι) Codd. nonnulli & versiones addunt ἁγίῳ, forte ideo, quod articulum voci πνεύματι additum non nisi Spiritum S. inferre censerent. Expressit quoque in gratiam Vulgatæ *Rich. Simon*, qui tamen eadem opera in notis fatetur, optimos Interpretes non agnovisse vocem ἅγιος, atque adeo de Jesu, apud animum suum exsultante, hæc accepisse. Et recte quidem illi. Nam τῷ πνεύματι idem hic est, quod ἐν ἑαυτῷ. ἐν ψυχῇ. Confer *Joh.* XIII. 21. cum *Matth.* XXVI. 38.

Vers. 23. & 24. Μακάριοι οἱ ὀφθαλμοὶ &c.) Vide huc B. *Mayeri* Eclogam ad Evangel. Dom. XIII. p. Trinitat. Varietates lectionum nonnullas, apud *Methodium* & alios occurrentes, & *Millio* neglectas, observavit *Jo. Clericus* in epistola de N. T. Milliano, quæ exstat Tom. XVI. Biblioth. ejus Selectæ, & recusa est in limine editionis illius N. T. Amstelodamensis.

Vers. 24. καὶ βασιλεῖς) Justi alias vocantur Reges. Vide *Picinelli* Lumina Reflexa p. 651.

Vers. 52. νομικός τις) i. e. *Karaeus* quidam seu בעל מקרא Scripturæ aut Legis peritus. Vide *Relandi* Dissert. Miscellan. Part. II. p. 90. Conf. ad *Matth.* XXII. 35. Per *Legis peritum* potius, quam *Legis Interpretem* verti vult *Boissius* in Collatione p. 217.

Τί ποιήσας κληρονομήσω) Similiter *Polybius* lib. XVII. c. 1. p. 1035. Τί δεῖν ποιήσαντα τὴν ἐμφύτου ἄγειν. Conf. *Raphel* Notas Polyb. p. 203. Verbum κληρονομεῖν generale est, atque idem, quod consequi quocunque jure. Vide eundem *Raphelium* l. c. & ad *Matth.* V. 5. item ad *Hebr.* I. 4. Adde *Hackspanii* Notas p. 318. qui confert verbum Græcum cum Hebraicis duobus ירש & נחל quæ non semper denotant stricte *hereditate consequi*, sed, quacunque ratione consequi & acquirere.

ζωὴν αἰώνιον) Nonnulli vocem αἰώνιον omittunt, quam nunc ut genuinam probat, nunc ut spuriam rejicit *Millius*. Vide hanc in rem Cl. *Longium* in epist. singulari, quæ exstat Tom. XXI. Biblioth. Select. Part. I. p. 106.

Vers. 26. πῶς ἀναγινώσκεις;) i. e. *quid legis vel recitas quotidie in Schema?* Lectio enim sive recitatio *Schemæ* emphatice קריאה lectio dicebatur. Quem sensum verborum Domini cum perciperet Legis peritus, confestim respondit: *Amabis Dominum, Deum tuum* &c. Hæc enim verba בקריאת שמע *in lectione Schemæ quotidiana* tam matutina quam vespertina recitantur. Ita *Vitringa* de vetere Synagoga p. 1060. ubi lege plura.

Vers. 27. ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν) Non sine Hebraismo & hic, & alibi, ita dici, ostendit *Vorstius* in Philolog. Sacr. Part. II p. 152.

ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σε) Lege de hac phrasi *Noldium* ad Concordantias Particular. Hebraic. not. 1362. *Antoninus* IV. 31. ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς.

ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σε) Hebr. בכל מאדך, de qua phrasi consulendus est *Gussetius* in Lexico Hebr. p. 452.

καὶ τὸν πλησίον σε) Græci hic omittere solent particulam σε, quam ex Hebraismo repetit *Vorstius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 117.

Vers. 28. τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ) h. e. *si feceris hoc, vives.* Ita enim Hebræi loqui amant v. c. *Psalm* IV. 5. *irascimini, & nolite peccare.* h. e. si ad iram fueritis commoti, videte, ne peccetis. Conf. *Hackspanii* Notas p. 318.

Vers. 30. ὑπολαβὼν εἶπεν) i. e. *excipiens Jesus dixit.* Ita etiam externi Scriptores loquuntur, ut *Elian.* l. 34. Var. Histor. & II 1. Confer *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. p. 153. & *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 91.

Ἄνθρωπός τις κατέβαινεν) De scopo hujus parabolæ lege inprimis *Franzium* de Interpretat. Script Sacr. p. 763. sq. ubi inprimis castigat illos, qui ad allegoriam hic statim confugiant, eamque de primo homine, ex sententia

Adam

ſtatu in miſerrimum prolapſo, interpretentur, cum tamen Chriſtus hic proprie id ſpectarit, ut Levitas, Sacerdotes & Samaritanos inter ſe conferret. Adde B. *Caſp. Læſcheri* Scyllam & Charybdin §. XIIX.

λῃσῶν περιέπεσεν) Inverſa conſtructione *Polybius* p. 1201. dicit τὸς λῃ-ςὰς περιπεσόντας ἐν τῷ πολέμῳ.

πληγὰς ἐπιθέντες) Plagas ſimili ſenſu crebro, monente Cl. *Trillero*, uſurpat *Celſus*, inprimis lib. V. de Medicina.

Verſ. 31. ἱερεύς τις κατέβαινεν) Sacerdos & poſtea Levita hic in exemplum immiſericodiæ ideo proponi videntur, eo quod illud hominum genus olim credebatur inprimis miſeris & pauperibus ſuccurrere debere, unde & חסידים appellari ſolebant. Vide huc *Amelium* Part. II. p. 857. ſq.

γενόμενος κατὰ τὸν τόπον) *cum veniſſet ad eum locum.* Phraſis hæc profanis quoque recepta eſt. Lege *Raphelii* Notas *Xenophonteas* p. 91. & *Polybianas* p. 204. Idem priori loco contra *Bezam* oſtendit, participium ἐλθὼν, quod ſtatum ſequitur, non eſſe ſuperfluum, ſed id potius inferre, quod Levita non in tranſitu tantum, nihilve moratus, quod Sacerdos feciſſe videtur, hominem vulneratum adſpexerit, ſed propius ad eum acceſſerit, cognoſcendi ſaltem cupidus, quid rei eſſet?

Verſ. 33. Σαμαρείτης δέ τις ὁδεύων) Per Samaritanum Chriſtum hic indicari multi volunt, aliis recte repugnantibus. Vide utriusque partis patronos laudatos a B. *Samuele Bened. Carpzovio* in der fruchtbringenden Geſellſchaft Part. II. p. 725. ſq. Inprimis autem lege B. *Dannhaueri* Hermeneutic. Sacr. p. 456. ſq. & confer dicta ad v. 30.

De odio Samaritanorum & Judæorum mutuo, antequam Iſraelitarum connubiis impliciti religioni eorum propius accederent, lege *Herm. Witſii* librum de X. tribubus Iſraelis, qui in Ægyptiacis ejus exſtat p. 339. ſq.

Verſ. 34. ἐπιχέων ἔλαιον καὶ οἶνον) De olei & vini uſu in vulneribus ſanandis lege *Prunelli* Lumina Reflexa p. 651. De *oleo* vero ſpeciatim huc adhibito *Adrian. Cocquium* in Phytologia Sacra p. 144. Similem huic ex *Petronio* locum affert *Bos* in Exercitatt. p. 41. Ἴσεον πρότερον hic obſervat Cl. *Trillerus*, cum prius vino vulnera curantur, tum ut repurgentur a ſordibus, cum ut a putredine defendantur, ſanguinisque fluxus propter vim vini συσπικὴν ſiſtatur: poſtea vero cum ad dolores mitigandos, tum & ut vulnus placide coalescat, oleum & linimenta adhibeantur. De priori, vino puta, vulneribus utili, lege *Hippocratem* lib. de humidorum uſu §. IX. de oleo autem lib. de Ulceribus §. IV. & alibi. Conf. *Celſum* V. 26. n. 23. ubi ita: *Non alienum eſt, ubi vulnus eſt grave, inſuper circumdare lanam ſuccidam ex aceto* (ſive vino) *& oleo*, Hæc Cl. *Trillerus*.

ἤγαγον αὐτὸν εἰς τὸ πανδοχεῖον) i. e. *in ſtabulum*, ut *Vulg.* vertit, quod idem eſt, ac *diverſorium*. Vide Suicerum Tom. II. Theſauri p. 558. Conf. *Stuckii* Antt. Convivales lib. I. c. 28. & Zimmermanni Analecta p. 552.

Verſ. 36. πλησίον γεγονέναι) ὁ πλησίον hic, ut in V. T. רֵעַ dicitur is, qui alicui occurrit, cum quo eſt, & verſatur, ſeu qui cum ei res eſt. Vide huc omnino *Lempereur* ad Bava Kamma p. 72. ſq. qui & p. 74. illuſtrem *Kimchii* locum ex Comment. in Pſalm XV. 3. affert, ita præcipientem, *quod ſocius ſeu proximus is alteri ſit, cum quo intercedat ipſi commercium & converſatio.* Gentilium quorundam dicta, proximi cujusque amorem præcipientia, lege apud *Gatackerum* ad Antonin. III. 4. p. 97.

Verſ. 39. ἣ καὶ παρακαθίσασα) Diſcentes etiam ſedere ſolebant coram doctoribus: vide *Vitringam* de vetere Synagoga lib. I. Part. II. c. 6. & ad *Jeſaiæ* XXIII. 18. p. 695. a. Ex profanis Scriptoribus lege ad hæc diſſerentem *Dougtæum* in Analectis N. T. p. 53. ſq. ubi inter cetera locus *Plutarchi* notandus eſt in *Mario* ita habens: Σύρα γυναῖξ μαντεύεσθαι λεγομένη, ἡ παρακαθιζομένη παρὰ τὰς πόδας τῆς Μαρίας.

Verſ. 40. περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν) h. e. in miniſtrando nimia ſolicitudine & moleſto labore diſtrahebatur. Vide *Keuchenium* ad h. l. Phraſi eadem utitur frequenter *Polybius*, v. c. lib. X. p. 819. & lib. III. c. 105. & alias. Vide *Raphelii* Notas Polybian. p. 205. Præter rem itaque *Thom. Magiſter* improbavit, quod contra eum oſtendit *Lamb. Bos* p. 34. ſuæ editionis. Adde locis, ab iſtis citatis, *Antonini* illum XII. 2. τὸν πολὺν περισπασμὸν σεαυτῷ περιαιρήσεις. De turbis illis *Marthæ* confer *Picinelli* Lumina Reflexa p. 651.

Verſ. 41. τυρβάζῃ περὶ πολλά) τυρβάζεσθαι περί τι eleganter dicitur pro: *turbas dare circa aliquid.* Ita *Ariſtophanes* in Pace p. 667. ubi Scholiaſtes obſervat τυρβάσαι proprie dici πηλὸν τηράξαι i. e. *lutum turbare.* Confer *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 39. & *Amelium* Part. II. p. 652.

Verſ. 42. Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία) eandem ſententiam habet *Plato* lib. X. de Republica p. 520. & *Seneca* paſſim. Vide *Gatackerum* ad Antoninum lib. III. §. 10. & *Elsnerum* p. 224. Ceterum Auctor Moralium, quæ *Baſilio* tribuuntur, Reg. XXXVIII. aliter hæc verba affert, atque ita quidem: ὀλίγων δέ ἐστι χρεία, ἢ ἑνός. Eadem fere in paucis quibusdam Codd. & verſionibus, itemque Patribus nonnullis occurrunt, quam in rem præter *Millium* ad h. l. & in Prolegom. §. 802. lege *Jo. Crojum* in Obſervatt. Sacris p. 138. ſqq. qui recte communem lectionem tuetur. Iidem, qui ita citant de cavenda ferculorum copia Chriſtum hic loqui præter rem crediderunt, quos ſermonis ſeries facile confutat. Vide etiam Cl. *Fabricium* ad Tom. I. Apocryph. N. T. p. 330.

Μαρία δὲ τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο) Phraſi iſta ad illum veterum morem

morem respici quidam volunt secundum quem singulis convivis partes suæ, potioribus vero præstantiores aut duplæ quoque, in propriis scutellis distributæ sint. Vide huc *Borremansium* in Var. Lect. p. 153. hæc monentem: *Martha in eduliis parandis, quorum optimam partem destinabat Servatori, occupata erat, cui Christus opponit eam partem, quam ipse docendo Mariæ largiebatur.* Confer *Rivetum* ad Genes. XLIII. ad quem provocat *Borremansius*, & *Stuckium* lib. III. Antiqu. Convival. c. 3. p. 456. tum vero novissime Cl. *Majum* in Obss. Sacr. Part. II. p. 36. provocantem ad 1 *Sam.* I. 15. & *Xenophontem* Orat. de Agesilao p. 665. Alii alludi putant ad portionem, quæ in distributione Terræ Sanctæ emblematica Levitis assignabatur. Ita statuit *Keuchenius* ad h. l. LXX. inquit is, *apud Ezech. XLVIII. 8. 21. partes unicuique tribui assignatas* μερίδας *appellant, quemadmodum ab iisdem alibi terræ portio voce* μερίδος *denotatur, de Levitarum autem terra Deus Ezech. XLVIII. 13. 14. edixerat, ne de ejus longitudine & latitudine quicquam vendant, nec permutent, nec transire faciant primitias terræ, quod LXX. tum hic tum alibi vertunt:* ἐδὲ ἀφαιρεθήσεται, *qua eadem phrasi Lucas hic etiam portionem vel* μερίδα, *Mariæ electam memorans utitur.* Posterius hoc placere videtur *Amelio* Part. II. p. 837. Ex parte huc accedit *Elsnerus* p. 225. per μερίδα illam intelligi posse putans beneficia eximia, quæ curam Mariæ, qua neglectis aliis negotiis soli Christo vacabat, consequi debebant, ipseque Christus cum omnibus divitiis suis fieri ἀγαθὴ ejus μερὶς, perinde atque olim Deus Sacerdotibus & Levitis, qui bonis, quibus ceterorum animi occupabantur, relictis, soli cultui divino vacabant, idem promiserat *Numer.* XVIII. 20. μερὶς σὺ ἔσῃ ἐν αὐτοῖς, ὅτι ἐγὼ μερὶς σε. At idem tamen l. c. mavult hac phrasi intelligere *rectam curam, & justum negotium*, cui vacabat Maria, oppositum curis Marthæ mundanis. Ita *Julianus* ad Themist. p. 253. & 266. voce hac utitur, quando posteriori loco ait: ὃ μικρᾶς μερίδος ὁ Φιλόσοφος προέσηκεν h. e. *non exiguo muneri præfectus est Philosophus.* Mihi quidem penultima ex his sententia inprimis arridet. Mireris vero omnio, ex Romanensibus nonnullos hæc ad vitam Monasticam rapere potuisse v. c. *Barradium* in Concord. Evangel. Tom. III. p. 140. *Maldonatum* ad h. l. & *Toletum.* Lege contra eos B. *Dannhauerum* in Lacte Catechetico Tom. IX. p. 433. in Append. B. *Lutherus* Græco textui convenienter vertit: ein gutes Theil, quod contra Emserum tuetur *Raithius* in Vindiciis Vers. German. p. 388.

ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται) i. e. *quæ auferri non potest ab ea*, ut *Joh.* X. 28. collato cum v. 29.

CAP. XI.

VErs. 2. γενηθήτω τὸ θέλημά σου &c.) Petitionem hanc ut & ultimam unus alterque Codex, itemque versiones quædam & nominatim *Vulg.* omittunt, quemadmodum *Origenes*, & veterum Patrum alii eas a Luca abesse scripserunt. Sed vide γνησιότητα utriusque adstruentem *Whitbium* in Examine p. 31. a.

Vers.

Verſ. 3. τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον - τὸ καθ' ἡμέραν) *Heliodorus* lib. VI. v. 17. τῆς τε καθ' ἡμέραν ἀναγκαίας τροφῆς ῥᾷον ἐυπορήσομεν, & *quotidie neceſſarium victum facilius adipiſcemur.* Confer *Bos* Exercitatt. p. 40. Ἄρτον τὰς LXX. de quovis alimento dicere, oſtendit *Keuchenius* ad h. l. Quæ in B. Lutheri verſione commatum 2. & 3. reprehendit *Emſerus*, ea diluta vide a B. *Raithio* in Vindiciis p. 388.

Τὸ καθ' ἡμέραν) De ταυτολογίᾳ, quam hic nonnulli videre ſibi viſi ſunt, lege *Stolbergii* Exercitatt. Gr. L. p. 248. ſq. *Joſ. Mede* p. 86. phraſin hanc æque ac τὸ σήμερον Matthæi VI. de *tota hominis vita* accipi vult, quam per ἡμέραν vel diem indicari contendit *Hebr.* III. 7.

Verſ. 4. ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ) Ex articulo τοῦ colligere nonnulli inſtituerunt, petitionem hanc ultimam eſſe tantum expoſitionem proxime antecedentis, ut intelligatur, quid per πειρασμὸν indicetur. Sed vide *Hackſpanium* in Notis p. 321.

Verſ. 7. Κἀκεῖνος ἔσωθεν &c.) *Boiſius* in Collatione p. 219. interrogative totum hoc comma accipi vult, hoc ſenſu: *num ille intus reſpondens, dicet: ne mihi moleſtiam exhibe?* &c.

μή μοι κόπους πάρεχε &c.) Confert cum his Cl. *Trillerus* Anacreont. Oden III.

Verſ. 8. διάγε τὴν ἀναίδειαν) *Vulg.* vertit: *propter improbitatem ejus.* Et ſic quoque *Eraſmus*, cumque eo *Boiſius* in Collatione p. 219. his uſus verbis: Ἀναίδεια *hic talis eſt impudentia, qualis eſt muſcæ ſubinde revolantis ad locum, unde abigitur, & repulſas, quamtumvis crebras & multiplices, usque contemnentis. Atque hoc genus impudentiæ proprio nomine a Plinio* improbitas *dici videtur Hiſtor. Nat.* XXIX. 1. *Vide Adagium:* Improbitas muſcæ. B. *Lutherus* vertit geiſen: de qua voce lege B. *Stadenium* in Explicatione vocum difficiliorum p. 241.

Verſ. 11. μὴ λίθον ἐπιδώσει αὐτῷ;) Similiter *Plautus* in Aulularia Act. I. Sc. II. de divite pauperi blandiente:

Altera manu fert *lapidem*, *panem* oſtendat altera.

Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 245. & *Homberg.* in Parergis p. 137.

Verſ. 12. ἢ καὶ ἐὰν αἰτήσει ᾠόν, μὴ ἐπιδώσει αὐτῷ σκορπίον;) Cum nulla ſit inter *ovum* & *ſcorpionem* ſimilitudo, qualis datur inter *panem* & *lapidem*, & inter *piſcem* ac *ſerpentem*, de quibus antea; Cl. *Almeloveenius* de alio vocis hujus σκόρπιος ſignificatu cogitandum cenſuit, eamque h. l. *globum* quendam, ovalem formam referentem, denotare putat. Monet hoc ex adverſariis ejus MSS. *Joh. d'Outrein* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. V. p. 465. nec ipſe diſſentiens, quamvis ſimul obſervet, reſponderi forte poſſe, quod Salvator reſpexerit ad ovum ſcorpionis, illudque oppoſuerit ovis gallinarum

rum. Mihi quidem probabile eſt, Chriſtum non habuiſſe hic ullam ſimilitudinis rationem aut facilitatis, decipiendi puerum petentem, quæ res ab inſtituto ſermonis hic prorſus aliena eſt; ſed id tantum docere voluiſſe, neminem parentum liberorum ſuorum preces ita negligere, ut pro re, quæ petatur, bona noxiam, qualis eſt ſcorpio, ſuggerat. Hæc ſententia confirmatur commate ſequenti, ubi homines, quamvis natura mali, bona tamen dona ſuis exhibere dicuntur. Accedit, quod, commemoratione ὄφεως facta, Chriſtus meminiſſe videatur σκορπίου, ſicut *Luc.* X. 19. ὄφεις & σκορπίους conjungit.

Verſ. 13. Πνεῦμα ἅγιον) Pro ἅγιον quidam legunt ἀγαθόν· ſed vide *Whitbium* in Examine p. 31.

Verſ. 14. καὶ ἦν ἐκβάλλων τὸ δαιμόνιον) Id ἐξελαύνειν τὸν δαίμονα appellat *Lucianus* in Philopſeude p. 337. Confer *Bos* Exercitatt. p. 40.

Verſ. 17. πᾶσα βασιλεία ἐφ' ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα) De diſcordia, ruinam afferente, lege *Picinelli* Lumina Reflexa p. 652.

καὶ οἶκος ἐπὶ οἶκον πίπτει) Phraſin hanc nonnulli, mutata nonnihil interpunctione, & commate poſt οἶκον poſito, prætereaque voce διαμερισθεὶς ſubintellecta, ita interpretantur: *& domus contra domum* (ſive ſe ipſam, ex antecedente phraſi βασιλεία ἐφ ἑαυτὴν διαμερισθεῖσα) *diviſa, corruit.* Ita poſt Interpretem *Syrum*, & *Theophylactum*, *Grotius*, & *Gatakerus* Adverſar. c. 17. ex noſtratibus vero *Erasm. Schmidius* ad h. l. & nuperrime Cl. *Starckius* in Notis Select. ad Loca Dubia N. T. p. 90.

Verſ. 20. ἐν δακτύλῳ Θεοῦ) Per Dei digitum Patres hic intelligunt communiter *Spiritum Sanctum.* Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 820. Obſervatt. Sacr. c. XI. p. 273. ſq. & *Petavium* Tom. I. Opp. p. 231. qui phraſin hanc ſcite illuſtrat.

Verſ. 21. ὁ ἰσχυρὸς) Veterum *atrienſem* huc advocat *Aug. Calmetus* in Comment. ad Matthæum p 285. qui ſcilicet Virgilio dicatur *armiger, fidusque ad limina cuſtos, ædituus*, a tuendis ædibus, teſte *Servio*, appellatus. Conf. Acta Erudit. Lipſienſ. 1716. p. 205. De *Atrienſibus* vero iſtis lege *Pignorium* de Servis p. 457. ſq. *Pet. Burmannum* ad Petronium p. 102. ubi & differentiam ediſſerit, quæ inter *oſtiarios* & *atrienſes* intercedit.

φυλάσσῃ τὴν ἑαυτοῦ αὐλήν) Indicare vult Chriſtus, eum, qui domum tutam ſervare velit, inprimis aulam ſive atrium cuſtodire debere. Vide *Keuchenium* ad h. l.

Verſ. 22. καὶ τὰ σκῦλα αὐτοῦ διαδίδωσιν) De phraſi hac lege *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 63. ubi oſtendit, σκῦλα, quæ alias Græcis ſpolia denotant, hic nova ratione reſpondere voci σκεύη, quam *Matthæus* adhibuit.

Vers. 27. ἐπάρασά τις φωνὴν) Eadem phrasi utuntur & profani Scriptores, quos affert *Vorstius* l. c. Part. II. p. 233. sq. qui tamen vel sic inter Hebraismos numerat, quod phrasis hæc fere παρελκόντως in historia Sacra occurrat, & verbis εἰπεῖν, λέγειν, & ἀποφθέγγεσθαι præmittatur.

μακαρία ἡ κοιλία &c.) Ita etiam loquuntur Gemarici Scriptores. Vide *Hottingerum* ad Discurs. Gemaric. de Incestu p. 96. Nec non profani utriusque linguæ Auctores apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 92. & *Elsnerum* p. 226. Vide tu *Musæum* v. 138. & *Ovidium* Metamorphos. IV. 321.

Vers. 28. Μενοῦνγε) *Enimvero.* Vide de hac particula *Vigerium* de Idiotismis p. 425. *Salmasius* in Funere Linguæ Hellenist. p. 152. affirmat, eam a τοῖς ἔξω sermoni tantum interponi. At *Aristoteles* Poëtic. c. 22. itidem ab initio adhibet μενοῦν φαίνεσθαί πως χρώμενον τούτῳ τῷ τρόπῳ γελοῖον. Confer Cl. *Schwarzii* notas ad Olearium de Stylo N. T. p. 289.

Φυλάσσοντες αὐτὸν) Phrasin istam ab Hebraismo vindicare conatur *Pfochenius* §. 60. Confer tamen *Gatackerum* p. 173. de Stylo N. T.

Vers. 29. Ιωνᾶ τοῦ προφήτου) Nomen *Prophetæ* omittunt hic nonnulli, præter rem, quamvis *Millius* in Prolegom. ex Matthæo huc translatum credat. Conf. *Mareschalli* Obss. ad Vers. Anglo-Saxonic. p. 504.

Vers. 32. Ἄνδρες Νινευῖ) Pro Hebraismo reputat hanc loquendi formam *Vorstius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 35. Sed vide in contrariam sententiam *Horat. Vitringæ* Animadversiones in Vorstium p. 234.

Vers. 38. ὅτι δὲ πρῶτον ἐβαπτίσθη) *Waserus* lib. III. c. 5. de mensuris Hebræorum de totius corporis lavatione verbum hoc accipit, & ad Hemerobaptistarum superstitionem refert. Alii rectius de lotione manuum, alias Pharisæis recepta, interpretantur. Atque hic forte unus in N. T. locus est, in quo verbum hoc lotionem inferat, adspersione factam. Conf. Rev. *Deylingii* Observatt. Sacr. Part. III. p. 197.

Vers. 39. Νῦν ὑμεῖς) Τὸ νῦν admirationem vel potius indignationem quandam hic infert, ut apud *Arrianum* lib. III. Epictet. c. 23. quem huc scite advocat Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 206. Ita Germani fere; nun ihr Pharisäer. Vide etiam, quæ de hac voce commentatur *Boissius* in Collatione p. 221. qui dispici jubet, an non τὸ νῦν hic sit adverbium temporis hoc sensu, *ut nunc sint tempora, ut nunc mores vestri sunt:* τὸ νῦν, τὸ νῦν εἶναι, ἐν τῷ παρόντι &c.

τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καθαρίζετε) De nimio ejusmodi munditiei studio apud Pharisæos lege *Lightfootum* & *Wagenseilium* ad Sota. Græcos idem habuisse, patet ex *Homeri* Odyss. XX. v. 151. sq. & *Athenæo*, monente hic Cl. *Trillero.*

τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν) Cavillationi Judaicæ in hanc animadversionem conjectæ occurrit *Gussetius* in *Chissuk Emuna* p. 398.

Vers.

Vers. 40. ἄφρονες, οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε) Vertitur: *Stulti, nonne, qui fecit, quod foris est, etiam id, quod intus est, fecit?* miro sensu, & proxime antecedentibus contrario: annè igitur & Pharisæi, qui tam diligenter exteriora purgabant, simul interiora purgasse censendi erunt? Verte: *Stulti: non, qui exterius purgavit, etiam* (eadem opera) *interius purgavit*, sine interrogatione, quæ huc non pertinet. Ποιεῖν autem est *purgare*, ut apud LXX. Interpretes 3. Regg. XIX. 24. & apud *Aristophanem* in Pace v. 287. Ita ad h. l. Cl. *Elsnerus* p. 227. non inconcinne quidem, sed violente nonnihil, si quid video, cum & communior interpunctio mutetur, & insolentior significatus verbo ποιεῖν tribuatur. Si communem interpretationem retineas, sensus oritur satis commodus. Salvator scilicet non satis habuit castigare Pharisæorum in animi sordibus purgandis negligentiam, sed argumentum præterea censuit addendum esse, quo stultitiæ & impietatis suæ convincerentur. Id vero petit a Deo, qui & corporis & animi sit conditor, atque adeo utriusque curam cuique imposuerit. In altera Viri docti interpretatione Christus id iterum ipsis tantum exprobraret, quod antea castigaverat. Omitto, quæ nuper contra hanc sententiam disputavit Cl. *Starckius* in Notis Select. ad Loca Dubia N. T. p. 91. qui recte hæc verba Christi ita παραφράζει: *Stulti! nonne, qui fecit exterius*, (i. e. materiale patinæ & poculi) *etiam interius* (i. e. cibum & potum) *fecit?* Ergo non minus hi, quam illa pure & sancte a vobis habenda sunt. Interim apprime huc quadrat locus *Porphyrii* de Abstinentia ab Animalibus, p. 88. ab *Elsnero* allatus: ἀπεχόμενοι τῶν ἀκαθάρτων βρώσεων μεσοὶ ὄντες ἀκαθαρσίας.

Vers. 41. Πλὴν) *Erasmus* vertit: *veruntamen*; at Beza: *imo*; quod malim.

τὰ ἐνόντα) i. e. χρήματα, quemadmodum alias eodem modo dicitur τὰ δυνατὰ i. e. *pro viribus, quantum res* seu facultates *ferunt*. Ita phrasin hanc interpretatur *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 1120. *Lamb. Bos* de Ellipsi Græc. L. p. 211. & in Exercitatt. p. 42. allatis variis veterum locis, qui pro τὰ ἐνόντα eodem sensu adhibent phrasin: ἐκ τῶν ἐνόντων. Adstipulatur ei *Amelius* Part. II. p. 167. nec dissentiunt Auctores Memoriarum Trivultinarum 1702. Majo, p. 399. Ante hos idem statuit *Boissius* in Collatione p. 222. qui & *Vulgatum*, vertentem, *quod superest*, in eandem sententiam interpretatur. Sed his se opponit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 92. *Assentior iis*, inquiens, *qui τὰ ἐνόντα interpretantur ea, quæ in poculis & patinis sunt, h. e. potum cibumque* τὸ ἐντὸς τῆ ποτηρίε καὶ τῆς παροψίδος, *ut est apud Matthæum* XXIII. 26. *Ut sententia hæc sit: De vasibus eorumque nitore non multum laborandum esse, potiorem curam habendam eorum, quæ in vasibus sunt, esculentorum & potulentorum: tunc enim cibum potumque & cetera omnia pura censeri, si ex iis liberales simus in pauperes.* Ita enim observat, propius accedi ad etymologiam nominis ἐνόντα, & ad usum τῶν ἔξω, inprimis *Xenophontis*. Neque exiftimandum esse, τὰ ἐνόντα idem esse, quod ἐκ τῶν ἐνόντων. De hac phrasi allata esse a dissentientibus exempla,

non æque de illa. Confer ὁμόψηφον Cl. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 210. qui duobus *Aristotelis* & *Hippocratis* locis hunc significatum confirmat. Utrumque significatum conjungi vult *Hombergius* in Parergis p. 137. per ἐνόντα quidem ὑπάρχοντα indicari existimans, ita tamen, ut Christus existimetur respexisse simul ad τὸ ἔσωθεν, quod v. 39. dixerat γέμειν ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας. Illam *Raphelii* interpretationem mihi quidem & vocis ἐνόντα notio propria & contextus orationis inprimis stabilire videtur.

Vers. 44. γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι) Non agnoscit hæc *Vulg.* nec habent Codd. quidam MSS. unde *Millius* post *Grotium* pro adscititiis reputat. Sed vide *Whitbii* Examen p. 46. a.

ὡς μνημεῖα τὰ ἄδηλα) i. e. *sepulchra non conspicua.* Eadem hæc esse cum τάφοις κεκονιαμένοις ἔξωθεν ὡραίοις, cum quibus Pharisæos Christus comparat Matth. XXIII. 27. *Pocockio* ad Portam Mosis visum est, cujus sententiam ad Matthæum edisseruimus. Sed non persuasit rem *Alex. Moro*, quod patet ex notis ejus ad h. l. ita scribentis: *Contraria sunt* (Matthæi ὡραῖα & Lucæ ἄδηλα) *non minus quam destructa & ædificata denuo,* ἠφανισμένα, *parietina, ut habes in Glossis, &* φαινόμενα, *spectabilia, ut habet Matthæus; vel si liceret* μυθολογεῖν, *ut Latona & Delia; seu mavis, ut ædificanda atque ignorabilia, & ædificata jam notissima. Nihil tamen contrarium Evangelistæ dicunt. Bipartita similitudine, quantum arbitror, usus erat Dominus, cujus parte altera contentus fuit Matthæus, alteram supplevit Lucas. Dixerat Dominus: Vos latere putatis & dissimillimi Patrum vobis videmini sub illo specioso colore, dum instauratis sepulchra Prophetarum ab illis interemptorum. Nugæ. Vestro ipsi vos indicio proditis: nam in hoc ipso, quod affectatis, opere bis pellucetis, & ante inceptum opus, cum adhuc sunt ἄδηλα sepulchra; & post peractum opus, cum jam sunt ὡραῖα.* Hæc ille l. c. ubi plura in eandem sententiam legantur. In hanc explicationem concessit *Alethæus* Tom. II. p. 181. sq. quam & ipse puto amplectendam. Ceterum morem veterum sepulchra vel in ipsa via, vel in agrorum finibus viæ publicæ contiguis exstruendi, ad illustrandum hunc Lucæ locum, ex antiquitate Græca & Latina curate edisserit, & simul hujus consilii causas exponit Cl. *Jo. Gottlob Nimptsch* in Dissert. singulari de Sepulchris ad Viam publicam, Lipsiæ 1721.

Vers. 45. τὶς τῶν νομικῶν) Per νομικὸν hic intelligi Karæum, soli Scripturæ Sacræ, sine habita traditionum ratione, inhærentem, ostendit *Jac. Triglandius* in Diatriba de Karæis p. 58. sq. Observat scilicet 1) νομικὸν hic a Scribis & Pharisæis, de quibus v. 44. discerni. 2) ita tamen, ut injuriæ loco ὁ νομικὸς accipiat, cum Christus intonat: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi!* quasi per hæc verba & ipse cum suis peteretur, qui scilicet antea, cum Christus v. 42. & 43. solis Pharisæis immineret, acquiescebat. Hinc autem putat

putat consequi, νομικὰς a Pharisæis ita diversos fuisse, ut adversi fuerint, & unus sub altero non comprehenderetur; a Scribis vero certo quodam sensu ita distinctos, ut simul, alio respectu, eodem nomine quidem venirent, & censerentur: alioquin enim, audito Scribarum nomine, non majorem conquerendi occasionem, quam Pharisæorum illi fuisse. Lege ibidem plura. Adde præterea aliorum de hoc momento, num quod, & quale discrimen inter γραμματεῖς & νομικὰς statuendum sit, sententias enarratas a *Jo. Lomeiero* in diebus Genialibus Dec. II. p. 406. sq. & *Jac. Lydio* Florum Sparsione ad Passionem J. C. p. 47. Ex nostratibus B. *Fessélius* Adversar. Sacr. lib. I. c. 1. §. 10. recte observat, certissimum esse ex h. l. Christum Scribas & Pharisæos a Νομικοῖς seu Legis peritis distinxisse, quia, cum Pharisæis & Scribis *Væ* denunciasset, subjecerit statim: καὶ ὑμῖν τοῖς Νομικοῖς ἐγὼ, ubi illud καὶ emphasin habeat. Hoc argumento adductus olim *Aug. Herman. Franckius* in Annotationibus super loca quædam Scripturæ p. 1. τὰς νομικὰς maluit vertere per Gesetz-Gelahrten, ut sic illi a Scribis seu γραμματεῦσι distinguerentur. Confer in eandem sententiam *Jo. Wilh. Zieroldi* deutliche Erklärung p. 678. sqq. ubi eadem opera ostendit, quomodo hæc verba Christi adversus Jure Consultos & patronos causarum, legibus abutentes, adhiberi possint.

Vers. 47. Καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς ἐγὼ) Distinguuntur hic diserte οἱ νομικοὶ a τοῖς γραμματεῦσι, quos Dominus noster v. 44. adloquitur. Hoc itaque loco recte usi sunt multi, ut ostenderent, Scribas a νομικοῖς distinctos certis momentis fuisse. De hac causa diximus satis ad Matthæum. Interim conferendus ad h. l. inprimis fuerit *Jo. Lomeierus* in Diebus Genialibus Dec. II. p. 406. sq. & *Serarius* in Trihæresio p. 48. Compara tamen *Knoblachii* Disput. I. Anti-Franckianam Obs. 1.

ὅτι φορτίζετε τοὺς ἀνθρώπους &c.) Vide scripta ad *Matth.* XXIII. 27.

Vers. 47. Οὐαὶ ὑμῖν, ὅτι οἰκοδομεῖτε τὰ μνημεῖα τῶν Προφητῶν &c.) Non repetemus hic, quæ Matth. XXIII. 29. allata sunt, sed spicilegio quodam augebimus. Illius materiam suppuditat *Pet. Possinus* in Spicilegio Evangelico p. 19. sqq. *Notandum*, inquit is, *hæc ad Legis peritos dirigi, cui generi, ut in litibus & judiciis exercitato, peculiariter convenit hæc testificationis & conjecturæ crimen arguentis mentis. Et fortasse oblique reprehenditur injusta calliditas eorum, ex argumentis nihil minus per se concludentibus, per cavillatiunculas argutas crimina in insontes trahentibus: quasi diceret: Væ vobis! qui tam injuste ac calumniose versamini in hominibus ex vana conjectura criminandis, ut, si vestro exemplo in vos agatur, jure rei peragi possitis cædis Prophetarum a Patribus vestris patratæ: quod eorundem Prophetarum sepulchris ædificandis consequens quoddam ad eorum necem operemini, sic eisdem assentiri ac cooperari visi.* Nimis hæc ingeniosa mihi vi-

dentur, quam ut cum aperta & simplici dicendi ratione, Domino nostro recepta, conciliari possint, qui revera hic Legis peritos reos agit hypocriseos, id quod ex annotatis ad Matthæum amplius innotescet. Rectius omnino in nexu verborum Christi eruendo versatus est auctor epistolæ Anonymus, quæ exstat in *Memoriis Trivultinis* an. 1710. *Februar.* p. 298. sqq. Is observat, Dominum τὰς νομικὰς & Pharisæos convictos dare hypocriseos, eo quod sepulchra Prophetarum occisorum a majoribus ornarent, & simul (v. Matth. XXIII. 30.) verbis animum a majorum suorum crudelitate & moribus alienum significarent, cum tamen intra se scelera eorum probarent, & ad eadem perpetranda paulo post proclives se & promtos præstituri essent. Hoc enim imposterum ab iis ipsis in Apostolos susceptum iri *Matth.* XXIII. 32. Dominus noster prædicit. Non displicent quoque, quæ *Alex. Morus* in Notis ad h. l. p. 70. commentatur. Is scilicet falsè hoc a Christo dici autumat in hanc sententiam: *Quos patres vestri funerarunt, iis vos sepulchri honorem non invidetis. Quod unum supererat, eos componitis mortuos, quos ipsi interfecerunt. Hoc est vere* ***patrissare.*** *Scilicet, quod ille de fratre Geta dixisse fertur:* ***Sit Divus, modo non sit vivus:*** *ita hi perlibenter supremum hunc honorem habebant Prophetis, quos noluissent vivere, ut ex eo satis constat, quod continuantès ac perficientes doctrinam eorum ferre non poterant.* Atque hac specie prætexta eosdem putat dici *implevisse mensuram* Patrum suorum, ab illis scilicet animo non discedentes, quem alium verbis & facto hoc simulabant.

Vers. 49. Διὰ τοῦτο καὶ ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν) Per *Sapientiam* hic Christum ipsum intelligi debere, patet ex collatione *Matthæi* XXIII. 34. ubi Dominus noster eadem quod ad sensum prænunciat ipse disertis verbis, quæ hic Sapientiæ loquenti tribuuntur. Vide in hanc sententiam recte differentem *Jo. Marckium* in Exercitatt. Biblicis p. 669. & Auctorem epistolæ in Memoriis Trivultinis obviæ l. c. p. 304. Conferendus vero etiam est *Martianæus* in Conatibus p. 248. sq. Itaque non opus hic est violenta *Whistoni* conjectura, quando is in Tentamine contextum Hebr. V. T. restituendi p. 228. suspicatur, oraculum hoc in antiqui Fœderis tabulis alias obvium a Judæis temere sublatum esse. Conf. Rev. *Jo. Gottlob Carpzovii* Vindicias Criticas Codicis Hebr. adversus *Whistonum* p. 102. qui cum *Dorschæo* fere statuit, Lucam hic quasi per parenthesin ex aliis Christi sermonibus hic afferre, quod in Pharisæos dixerit.

Vers. 52. ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως &c.) Vide ad hoc comma B. *Jo. Henr. Maji* Exercitatt. Selectas Tom. I. num. II. & *Jo. Marckii* Exercitatt. Exegetic. XXXIII. p. 591. sq.

ἤρατε) i. e. *abstuliſtis, vobis solis vindicaſtis*, ut hic explicat probe *Elsnerus* p. 228.

p. 228. ex *Luc.* VI. 30. aliique Interpretes, de quibus lege Cl. *Wolfburgii* Obſſ. Sacras p. 333. Conf. *Camerar.* & *Erasm. Schmidium* ad h. l. *Aug. Herm. Franckium* in Obſervatt. vernaculis p. 193. ſq. & noviſſime *Starckium* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. p. 92. *Habebant*, inquit hic, *clavem, i. e. poteſtatem docendi regnum cœlorum, & veram ſalutiferam, & divinam cognitionem; illa autem non recte utebantur, ipſi cœci, eamque variis heterodidaſcaliis ſuis commacularant & contorſerant, ut plane inutilis fuerit reddita.* Ex his eadem opera intelligitur, quid idem per

τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως) intellectum velit, nempe *poteſtatem docendi regnum cœlorum.* Atque ita alii bene multi. Ita *Elsnerus* l. c. ait: *elegans locutio, qua notatur veræ religionis docendæ interpretandæque munus, quo ſi recte defungaris, mens auditorum ut clave aperitur, h. e. nova ſcientiæ luce illuſtratur.* Vid. *Act.* XVI. 14. Atque illorum quidem, qui ita interpretantur, alii phraſin hanc ex more veterum Judæorum repetunt, qui clavem iis tradere ſolebant, quos docendi officio publice volebant defungi. Vide huc Rev. *Zeltneri* *Bircat Hamminim* p. 34. & *Georg. Urſini* Antiquitates Hebræorum Scholaſtico-Academic. Alii malunt potius reſpici ad illam conſuetudinem, qua miniſtris ſacris clavium Templi cura committi ſoleret, ejusque ut aperiendi ſic claudendi arbitrium. Ita ſentit Cl. *Elsnerus* p. 228. qui præterea obſervat, ea de cauſa Sacerdotes Gentilium κληδέχους i. e. *clavigeros*, ut *Æſchylo* Supplic. v. 299. & deas quoque nonnullas vocari conſueviſſe. Confer *Spanhemium* ad Callimachi hymnum in Cererem v. 45. Mihi quidem prius illud ad h. l. ubi de doctoribus, non vero Sacerdotibus, ſermo eſt, magis accommodatum videtur.

Sunt vero, qui *clavem* illam cognitionis de ipſa *Scriptura Sacra* interpretantur. Sed illi audiendi non videntur, ideo, quod Sacer Codex Iſraëlitis omnibus communis fuit *Rom.* III. 1. 2. imo eum legendi facultas nemini interdicta. Jam vero h. l. de ea clave Dominus diſſerit, tanquam tali, quæ propria ſit & aſſignata Doctoribus. Confer *Vitringæ* Obſervatt. Sac. Part. I. p. 115.

Atque idem *Vitringa* intelligi hic potius vult *veritatem* ejusmodi, per quam ad cognitionem aliarum veritatum perduci poſſimus, ut illa clavis reſerantis loco inſervire poſſit. Talem vero idem ait eſſe doctrinam de Jeſu Chriſto, aliquando in carne revelando, & juſtitia per ipſum adducenda. Hæc exſtabat & obvia erat in ſcriptis Moſis & Prophetarum: hanc vero ſenſim occultaverant & ſubduxerant illius temporis Doctores auditoribus ſuis, eosque eadem opera clave cognitionis ſalutaris privaverant. Conferatur idem l. c. & lib. V. Obſſ. Sacr. p. 29.

Non inepte hæc quidem dicuntur, ſed malim tamen cum iis facere, qui clavem cognitionis de *interpretatione Scripturæ* accipiunt, cum *Tertulliano.* Hæc enim ut ſcribis & doctoribus populi Judaici commiſſa erat; ita, ſi recte ab illis inſtituta fuiſſet, poterat omnino inſervire auditoribus ad veram

ram regni Christi cognitionem perducendis, qua nunc quidem illi privabantur, postquam interpretatio Scripturæ ex se ipsâ, cum interpretatione ejusdem ex præjudiciis & traditionibus majorum recentioribus permutata erat.

αὐτοὶ οὐκ εἰσήλθετε καὶ τοὺς εἰσερχομένους ἐκωλύσατε) h. e. *ipsi vos ingredi non vultis, & qui ingredi alioquin vellent, impeditis.* Similis loquendi ratio occurrit *Gal.* V. 4. *Joh.* IV. 24. IX. 34. & X. 31. ubi λιθάζετε idem est, quod: *lapidare vultis.* Ita vero Græcos & Latinos loqui patet ex *Polyæni* Strategemat. p. 237. *Euripide* in Andromache v. 810. & *Petronio* c. 89. ubi Cl. *Burmanni* notas conferri fas est. Vide *Elsnerum* p. 229. & B. *Olearium* in Obss. ad Matth. p. 89.

Vers. 53. ἐνέχειν καὶ ἀποστοματίζειν) Τὸ ἐνέχειν idem hic esse, quod ἐργίζεσθαι & ἀγανακτεῖν h. e. *iratum esse, & indignari*, existimat *Boisius* ad h. l. p. 223. cujus judicio eadem hujus verbi notio occurrit *Marc.* VI. 19. Cum vero & eo D. *Marci* loco, & apud alios Scriptores verbum ἐνέχειν de *insidiis* alteri diligenter structis commode exponi possit, de iisdem hoc quoque loco accipi malim, ubi de Pharisæis sermo est, omnem alias occasionem Christo *imminendi* captantibus. Felicior est idem *Boisius* in eruenda alterius verbi ἀποστοματίζειν notione, quæ idem ipsi est, ac: *subinde interrogare*, h. e. quæstionibus variis & multis exercere, & ad respondendum prolicere. Illum enim proprium hujus verbi significatum esse post *Bezam, Grotium, Pricæum* ad h. l. laudatus *Boisius* idoneis veterum locis evicit, quam in rem confer *Suiceri* Thesaurum Tom I. p. 478. In eandem sententiam pronunciat *Possinus* in Spicileg. Evangelico p. 120. ita παραφράζων: *Isti Legisperiti Magistrorum jure ac supercilio lacessebant eum crebris & captiosis interrogationibus, ac tanquam discipulum examinantes infenso animo, quo elicerent, si possent ex ore ejus, quod plausibiliter traducere apud populum, aut apud Judices accusare possent.* Germanice id diceres: ausholen. Confer *Trilleri* Untersuchung p. 13. sq. & *Franckii* Observationes vernaculas p. 9. sq. collatis *Schönlandii* p. 29. & *Pfeiferi* p. 27. tum vero *Knoblachii* in Disp. I. Obs. II. animadversionibus. Adde pro nostra sententia ex nostratibus B. *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 22. & B. *Sonntagii* Spicileg. Observationum in Voces sex ἅπαξ λεγομένας p. 7. sqq.

Vulgatus vertit per: *os opprimere*, quemadmodum & B. *Lutherus* noster interpretatus est. Qui proinde nonnullis visi sunt legisse ἐπισομίζειν, quod unus alterve Codex MS. exhibet. Sed id quidem parum veri simile mihi fit. Nam uterque id, quod nos hic tradidimus, in versione exprimere voluisse videtur. *Quid enim* (ita *Boisius* in Collatione p. 224.) *est*, os opprimere, *nisi quæstionibus & interrogationibus obruere, eoque tandem adigere, ut, quid respondendum sit, dubites.*

CAP.

CAP. XII.

Vers. 1. Ἐν οἷς) *interea*, ut *Beza* vertit, quem vocum harum significatum ex *Æliani* Var. Histor. IX. 4. confirmat *Hombergius* p. 138.

Vers. 2. οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν) Τὸ δὲ hic pro γὰρ positum est, Atticorum more. Id patet ex locis *Matthæi* X. 26. & *Marci* IV. 22. parallelis, ubi utrinque pro δὲ legitur γὰρ, quemadmodum & ipsius sermonis series evincit, Christum hic causam afferre, cur discipuli sibi a Pharisæorum hypocrisi cavere debeant. Ita vero etiam *Aristophan.* in Avibus p. 596. τὸ δὲ pro γὰρ adhibet, ut ibi diserte monet Scholiastes, & *Homerus* passim. Lege loca eorum apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 43. Conf. Rev. *Rapkelii* Annotatt. Philolog. Semicenturiam p. 6. ex Eusebio. Quod ad rem ipsam attinet, Christum hic, & in sequentibus contra illud hypocriseos genus, quo credentes & pii se non credentes & impios simulant, verba facere contendit Rev. *Jo. Wilh. Zieroldus* in der deutlichen Erklärung p. 874. sqq.

Vers. 6. ἀσσαρίων δύο) De voce ἀσσάριον lege ad Matth. X. 29. *Lempereur* ad Bava Kamma p. 216. contra *Tremellium* ostendit, non idem esse, quod *astira* vel *istira* Talmudicorum: *astir* enim valere tribus tressibus, sive dimidio denarii, qui denarius duplicatus siclum communem reddat, seu decimam sextam partem coronati. Addit idem, in *Bava Metzia* c. IV. Sect. 5. & alias nomen aliud non dissimile monetæ memorari, nempe איסר vel אסר, quod rectius cum ἀσσαρίῳ conferatur. Valuisse autem idem, quod partem quartam.

Vers. 8. πᾶς ὃς ἂν ὁμολογήσῃ ἐν ἐμοὶ) De confessione Christi hic præcepta lege *Amelium* Parte II. p. 158. sqq. Phrasis ἐν ἐμοὶ idem hic est, quod ἐμὲ, sicut patet ex sequenti ὁμολογήσω κἀγὼ ἐν αὐτῷ, per Hebraismum *Nehem.* IX. 2. Itaque subtiliores hic sunt Patres nonnulli, de quibus lege *Suiceri* Thesaur. Tom. II. p. 476.

Vers. 9. εἰς τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου) i. e. *adversus filium hominis.* Τὸ εἰς non tam ex Hebraismo, quam ex profanorum quoque Scriptorum usu, hunc significatum habere, ostendit *Pfochenius* de Stylo N. T. §. XCIII.

Vers. 11. & 12. pro infallibilitate Prophetarum adstruenda recte afferri contra *Judicia Theologorum Batavorum super Historia Critica Rich. Simonis* ostendit *Herm. Witsius* in Miscellan. lib. I. c. XXII. §. 9. sq.

Vers. 13. μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν) *Seneca* ep. 88. *Quid mihi prodest, scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere?* Debeo locum *Boisio* in Collatione p. 225.

Vers. 15. ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν) *Hombergius* p. 138.

ita hæc vult construi: ὅτι ἐ τινὶ ἡ ζωὴ αὐτῦ ἐςιν ἐν τῷ περισσεύειν, ut sensus sit: *nemini vita sua est in abundantia facultatis*, ut *Syrus* vertit. *Xenophonti* περισσεύειν dicuntur, quæ necessariis sumtibus supersunt. Vide *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 95. B. *Lutheri* versionem, omnino optimam, a Photinianorum animadversionibus vindicat B. *Hackspanius* in Notis p. 332. *Boisius* in Collatione p. 226. particulam ἐ ait pertinere ad ἐςὶ hoc sensu: *tametsi abundet quis, & plus aliis habeat, tamen vita ejus ab opibus suis non pendet.*

ἡ ζωὴ αὐτῦ ἐςιν) *Budæus* in prioribus Annotatt. in Pandectas legere mavult αὐτῷ. Sed receptam lectionem adstruit *Schottus* in Adagial. N. T. p. 77.

Vers. 18. τῦτο ποιήσω) Ita *Xenophon* Cyropæd. lib. III. p. 59. ἑτοιμὰ τοίνυν ἐγὼ ποιήσω.

τὰ γεννήματά μȣ) γεννήματα de frugibus agri apud *Polybium* aliquoties. Vide Rev. *Raphelii* Notas Polybian. p. 206.

καὶ τὰ ἀγαθά μȣ) Pro glossemate habet *Millius*: sed vide *Whitbii* Examen p. 46. a.

καθελῶ μȣ τὰς ἀποθήκας &c.) Confer cum his Cl. *Trillerus* Philemonis Comici fragmentum LXXXIII. p. 370. & *Horatii* II. 2. Epistol. v. 175. sqq.

Vers. 19. ψυχὴ &c.) Quomodo homo iste non corpus, sed animam ad edendum & bibendum excitarit, disquirit *Henr. Stephanus* in Schediasmatibus lib. I. c. 1. Tomo V. Lampadis Gruterianæ p. 3. sq. Affert autem similes *Platonis* & *Xenophontis* locos, quorum hic p. 414. edit. Stephani ita ait: τὸ μὲν ἓν ὑπερεθίοντα ὑπερπονεῖν ἀπεδοκίμαζε, τὸ δὲ ὅσα ἡδέως ἡ ψυχὴ δέχεται, ταῦτα ἱκανῶς ἐκπονεῖν ἐδοκίμαζε.

ἀναπαύȣ, φάγε, πίε) Ita prorsus *Plautus* in Milite Glorioso III. 1. 82. apud *Heumannum* in Poecile lib. I. Tom. I. pag. 85. Vide & *Schotti* Adagialia N. T. pag. 77.

εὐφραίνȣ) Phrasin εὐφραίνειν τὴν ψυχὴν habet *Ælianus* Var. Histor. I. 32. & *Herodianus* II. 8. Sententiam geminam profert *Euripides* Alceste v. 787. Confer *Elsnerum* p. 230. De eodem verbo lege omnino *Casaubonum* ad Suetonium lib. I. c. 38. & in *Athenæum* in limine lib VII. Dipnosophist. nec non *Boisium* in Collatione p. 227.

Vers. 20. ἀπαιτῦσιν ἀπὸ σȣ) Αἰτεῖν poscere a volente, ἀπαιτεῖν a nolente infert, observante *Casaubono* ad Theophrasti Characteres p. 292. & approbante *Arrowsmithio* in Tacticis Sacris p. 53. & *Gatackero* ad Antoninum pag. 180. Atque id quidem & ego malim, quam cum *Pricæo* ad h. l. & *Amelio* Part. I. pag. 68. statuere, quod τὸ ἀπαιτεῖν inferat exactionem rei, mutuo datæ. Solent vero & profani Scriptores τὸ ἀπαιτεῖν in simili argumento adhibere, v. c. *Arrianus* Epictet. IV. 1. pag. 441. ἀπαιτȣντι τῷ Θεῷ, ἃ δέδωκεν. Vide alia loca apud *Raphelium*

phelium in Notis Polybianis p. 207. Formam verbi ipsam, per quam ἀπαιτῆσι ponitur passive pro: *repetetur*, ex Chaldaismo derivat *Keuchenius* p. 135. ad h. l. qui ibidem observat, ex usu τῶν LXX. Intt. inferri violentiam, cum qua aliquid repetatur. Confer in eandem sententiam *Vorstii* Philologiam Sacr. Part. II. p. 129. Adde tamen, quæ scribentur infra ad XIV. 35. Idem p. 131. monet, numerum pluralem hic pro singulari positum esse, cum de re illa sermo sit, quæ soli Deo competat: quod ipsum quoque fit in hoc capite v. 48. & *Luc.* VI. 38. & 44. *Elsnerus* autem pag. 231. non inconcinne observat, per plurium numerum videri respici ad opinionem Judæorum, credentium, Angelum mortis per legatos suos animas ab hominibus improbis maxime repetere secundum Gemaram *Chagiga* fol. 4. 2. ab improbis quidem adhibita vi, cum piorum animæ facilem exitum nanciscantur: quod Magistri tradunt in *Berachoth* fol. 8. 1. & in *Sohar* Part. III. fol. 88. ed. Sulsbac. Tale quid Alcoranum Sura LXXIX. 1. & 2. & Socratem apud *Platonem* in Phaedone p. 298. tradere, monet *Elsnerus* idem l. c. Vide quoque *Hackspanium* de Usu librorum Rabbinic. pag. 455.

ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται;) De spe mundi subito deficiente tradit ad h. l. nonnulla *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 652.

Vers. 21. οὕτως ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν) *Beza*, *Grotius* & Interpretes tantum non omnes τὸ εἰς Θεὸν vertunt per: *in Deo*, ut εἰς positum existimetur pro ἐν. Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 758. *Vulg.* vero habet: *non dives in Deum.* Atque hoc mavult *Elsnerus* p. 232. ut scilicet denotetur is, qui divitias suas non impendit ad gloriam Dei, & sublevandam egenorum inopiam, quod ubi fit, ita Deus interpretatur, quasi idem sibi datum esset. Eo sensu monet, *Lucianum* Epist. Saturnal. p. 830. dixisse, εἰς τὸ κοινὸν πλουτεῖν, *in commune divites esse*, de iis, qui aliquid de suis conferant pauperibus. Eandem phrasin habet & *Philostratus* in Vita Apollonii IV. 8. sicut *Philo Byzantinus* de septem orbis miraculis capite de Jove Olympio ait, πλουτήσας εἰς θεῶν κόσμον, h. e. *divitiis ad Deorum splendorem adhibitis abundans.* Postremum hunc locum annotavit Cl. *Majus* in Observatt. Sacris Part. II. p. 14. atque in eundem usum convertit, ut probaret, eum dici πλουτεῖν εἰς θεὸν, qui divitias suas amplificandæ majestati nominis divini impendat. Sic demum, eodem judice, elegantissime sibi opponentur θησαυρίζων ἑαυτῷ & εἰς Θεὸν πλουτῶν. Et parum abest, quin utrique Viro docto assentiar, nisi forte cum *Vorstio* in Philologia Sacr. Part. II. p. 327. τὸν εἰς θεὸν πλουτοῦντα interpretari malis de eo, qui multa faciat Deo grata, ut idem sit, quem Paulus 1. *Tim.* VI. 19. πλουτοῦντα ἐν ἔργοις καλοῖς appellat.

Vers. 24. κατανοήσατε τοὺς κόρακας, ὅτι οὐ σπείρουσιν) Ita *Terentius*: *observa filium, quid agat*, pro: *observa, quid filius agat.* Conf. *Raphelii* Notas Polybian. pag. 207.

Vers. 29. καὶ μὴ μετεωρίζεσθε) In genuino verbi hujus sensu adsequendo vehementer dissentiunt Interpretes. *Erasmus* eo prohiberi putat curam rerum, quæ supra nos sint, quia μετέωρα vocentur, quæ sint in nubibus. Plerique alii, ut *Strigelius*, *Castalio*, *Grotius*, *Hammondus*, *Pricæus* &c. de fluctuatione animi, inter spem metumque hærentis & suspensi, accipiunt. Ita ex nostratibus post B. *Chemnitium* in Harmonia Evangelic. ad h. l. B. *Dilherrus* de Usu Scriptorum Secularium in Sacris, *Seb. Schmidius* in versione sua Latina, *ne animo suspendimini*, *Aug. Herm. Franckius* in Anmerckungen über etliche Oerter Heil. Schrifft p. 14. sqq. & in Continuat. p. 322. sq. & *Jo. Saubertus* in Opp. Posthumis p. 103. (qui tamen verti quoque posse censet, *ne tristitia afficiamini*, ideo quod LXX. Intt. eandem vocem Hebraicam, quam *Proverb.* XIV. 10. reddunt per λυπηρὸς, Ezech. III. 14. interpretantur per μετέωρος.) Ad animum dubium itidem refert Cl. *Jo. Albert. Fabricius* in notis ad Sextum Empiricum p. 221. Ibi enim Sextus memorat τὰ ἔτι ἐπίδικα καὶ ἐν μετεώροις ἀμφισβητήσεσι κείμενα, h. e. *res controversas & in suspensis dubitationibus versantes*. Atque ad illum locum Vir doctus annotat, μετέωρον sonare suspensum & incertum instar nubium. Ita Scholiastes Hermogenis p. 192. μετεώρως ἔσης τῆς δίκης, *lite dubia*, Scholiastes Euripidis Oreste v. 1537. μετεωρίζεται δὲ τὴν γνώμην ὁ χορὸς h. e. *dubius hæret chorus*. Confer in eandem sententiam Auctores des Heb. Opffers Tom. II. p. 428. & 436.

At alii significatum hunc non satis idoneis veterum exemplis confirmatum esse existimantes; (quo vide præter *Raphelium* & *Elsnerum* locis citandis, *Knoblachii* Disp. I. §. 3. Franckianis Observationibus oppositam) præterea vero videntes, veteres μετέωρα dicere de rebus *inutilissimis* & *vanis*, *curam rerum inutilium* hic inprimis dissuaderi censuerunt. Ita ex *Xenophonte*, qui voci μετέωρος, non autem verbo μετεωρίζεσθαι hanc notionem tribuit, Rev. *Raphelius* in Notis *Xenophonteis* p. 97. sq. suspicatur. Idem tamen in Annotationibus Polybianis p. 209. sq. aliam ingreditur viam. Observavit is, *Arriano* id quoque μετέωρον dici, quod est in superficie atque exterius apparet, neque alte penetrat. Ex quo fieri posse censet, ut vestimenta etiam, tanquam quæ superficiem tantum corporis tangunt, μετέωρα dicantur, consequenter autem μετεωρίζεσθαι ii dicantur, qui in hisce rebus externis & superficiariis animum occupent; atque sic tota hæc phrasis: μὴ μετεωρίζεσθε idem sit, quod *Matth.* VI. 31. Christus: μὴ μεριμνήσητε λέγοντες· τί περιβαλώμεθα;

Priorem ex his conjecturam adoptavit *Amelius* Part. I. p. 41. ita quidem, ut curam & meditationem, in rebus inutilibus collocatam, sed cum animi turbis & irrequie conjunctam (quam in rem consuli vult *Pricæum*) innui existimet. Idem visum est *Jo. Boisio* in Collatione p. 228. sq. ubi ita: τὸ μετεωρίζεσθαι *non potest aliter hic intelligi, quam de iis, qui vilioribus & inferioribus curis occupati, quod summum & præcipuum est, negligunt. Quare mea sententia,* μὴ μετεωρίζεσθε, *perinde est, ac si Latine dicas:* Ne mens vobis distrahatur.

Neu-

Neutram amplectitur Cl. *Elsnerus*, p. 233. sq. cui potius τὸ μετεωρίζεσθαι idem videtur esse, quod *incitari aut impelli, ut singulari quis studio in rem aliquam feratur, eamque sectetur.* Itaque refert ad verbum ζητεῖτε, ut sit: *non quæratis, neque impellamini, ut valde curetis, quid edere debeatis, aut bibere.* Ita *Dionys. Halicarn.* lib. VI. p. 360. ἐὰν δέ τι κινεῖν ἢ μετεωρίζειν προενεχθέντες ἐπιβάλωνται, h. e. *Si vero eo progrediantur, ut seditionem moveant, animosque solicitent.* Conf. *Polyb.* Excerpt. Legat. p. 1332. Atque hanc locutionem desumtam ait esse a navibus, quæ μετεωρίζεσθαι dicantur, ubi æstu subeunte ferri incipiant: ut apud *Arrianum* de Expedit. VI. 19. & *Philostratum* Vita Apollonii VI. c. 12. pag. 250.

Noviſſime Cl. *Jo. Georg. Schelhornius* accurata industria in verbi hujus sensum & notionem inquisivit in Biblioth. Bremensi Class VI. p. 209. sq. prolatisque idoneis veterum locis ostendit, illud innuere magnas de futura felicitate cogitationes, & præsumtam de prosperis rerum nostrarum eventibus spem, cum timore quodam animique elatione conjunctam, qua tamen plerumque miseri excidant. Atque hunc significatum nexui & scopo orationis Christi apprime convenire eodem in loco multis evincere conatur. Præivit ei ex parte *Pricæus*, illique assentiens *Suicerus* Tom. II. Thesauri p. 367. qui uterque vertunt per: *ex futuro suspendi, in futurum prominere.* Omiseram fere monere, *Possino* in Spicilegio Evangelico p. 97. videri, curam de rebus futuris hoc verbo amoveri. Ita enim is vocem hanc μεταφράζει: *Nolite animo evagari, & præsentibus parum attenti nubes & astra suspicere.*

Potiores ex his sententias conjungendas esse ratus Cl. *Wolfburgius* in Observatt. Sacris p. 400. per μετεωρισμὸν indicari affirmat *curas inutiles, vanas de variis rebus nullius pretii cogitationes, magnas & elatas speculationes de victu, cultu & opibus comparandis, fluctuationem item animi & dubitationem perpetuam.*

Ego ut facile largior, pleraque horum cogitatorum eximiam veri speciem secum ferre, ita eorum tamen sententiam inprimis mihi arridere profiteor, qui ad animum in rebus incertis versantem & dubium ac suspensum verbum hoc transferunt. Hunc enim significatum suis exemplis satis adstructum, & præterea sermoni Christi inprimis accommodatum esse existimo.

Ceterum plura de vocibus μετέωρος, μετεωρισμὸς, & μετεωρίζεσθαι commentantes lege *Jac. Tollium* & ceteros Interpretes ad Longinum περὶ ὕψους Sect. III. n. 7. nec non *Ezechiel. Spanhemium* ad Juliani Orationes p. 229. & *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 367.

Vers. 39. τὰ ἔθνη τοῦ κόσμου) Hæc est consueta illa appellatio, qua Judæi adhuc populos omnes, qui non Judæi sunt, comprehendunt. Eos enim appellant אומות העולם.

Verſ. 31. ταῦτα πάντα) Vocem πάντα ex Matthæo huc translatam credit *Millius*. Sed vide *Whitbii* Examen p. 46. a.

Verſ. 33. δότε ἐλεημοσύνην) i. e. *date in ſtipem*. Vox enim ἐλεημοσύνη non ſolum *beneficentiam* denotat, ſed & *ſtipem* ipſam, ejus effectum. Vide omnino *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 47.

θησαυρὸς ἀνέκλειπτος) i. e. *theſaurus non deficiens*, ut *Vulg.* habet, ſeu *inexhauſtus*: Vox rara, ſed paris elegantiæ cum altera ἀνεκλιπὴς, quam adhibet auctor libri *Sapient.* VII. 14. VIII. 18. ubi habes θησαυρὸς ἀνεκλιπὴς, & πλοῦτος ἀνεκλιπής. Vide *Jenſii* Ferculum Literarium p. 45. & *Suicerum* Tom. I. Theſauri pag. 332. & 1402.

ὅπου κλέπτης οὐκ ἐγγίζει) Conferendum cum his *Pindarum* in Pyth. Od. VI. init. ſuadet Cl. *Trillerus*.

Verſ. 35. Ἔστωσαν ὑμῶν αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι &c.) Præſtolari ſcilicet ſervi nonnulli ſolebant Dominos a cœna revertentes, aliqui vero illis prælucebant. Vide *Pignorium* de Servis p. 256. ſq. Idem p. 271. ſq. oſtendit, ſervos olim præcinctos eſſe debuiſſe ad curſum eo expeditiorem reddendum. Conf. *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 619.

καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι) Confer huc de *Prado* in Pentecontarcho p. 97. *de Roa* in Singularibus lib. II. p. 223. ſq. qui & ſequentia commata illuſtrat, tum vero *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 652. nec non *Schotti* Adagialia N. T. p. 77. & 78.

Verſ. 36. ὁμοίοις ἀνθρώποις) i. e. *ſimiles ſervis*. Qui enim hic vocantur ἄνθρωποι, illi v. 37. audiunt δοῦλοι. Sic οἱ LXX. 2. *Paral.* XXIV. 6. Moſen vocant ἄνθρωπον Θεοῦ, qui in *Hebræo* dicitur עבד i. e. *ſervus*. Eadem notio vocis ἄνθρωπος eſt 1. *Tim.* VI. 11. & 2. *Tim.* III. 17. nec non apud profanos, ut *Demoſthenem* adv. Pantænet. p. 629. Nec minus apud Latinos *hominem* de ſervo dici invenias, v. c. apud *Petronium* c. 63. p. 317. ubi conf. notas Cl. *Burmanni*.

πότε ἀναλύσει) De hoc verbo lege *Pfochenium* de Stylo N. T. §. XXXV. & *Gatackerum* pag. 75. item *Boiſium* in Collatione pag. 230. & *Suicerum* Tom. II. pag. 286.

Verſ. 37. ὅτι περιζώσεται καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς &c.) Vide huc *de Roa* lib. II. p. 230. & *Urſini* Analecta I. pag. 46. *Picinellus* quoque in Luminibus Reflexis p. 652. hic præcipit de ſervis ſuccinctis & de Domino ſervis ſuis miniſtrante. Conf. infra ad XVII. 8.

Verſ. 38. τῇ τρίτῃ φυλακῇ) *Epiphanius* teſtatur, *Marcionem* pro τρίτῃ legiſſe ἑσπερινῇ. At hanc pro germana Lucæ lectione habendam & *Epipha-*

Epiphanium vitioſo exemplari deceptum eſſe, exiſtimat. Sed vide in contrarium recte nitentem *Whitbium* p. 46. Examinis. *Tertiam* vigiliam pro *ultima* habuiſſe Lucas videtur *Bocharto* Hierozoici Part. I. p. 397. qua de re judicari poterit ex iis, quæ ad *Matth.* XIV. 25. annotavimus de numero vigiliarum apud veteres.

Verſ. 42. τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς οἰκονόμος &c.) Vide hoc comma illuſtratum a *Joſ. Arndio* in Miſcellaneis Sacr. pag. 57. ſq. Obſervat is recte, veteres Judæos, Græcos & Romanos varios habuiſſe ſervos, v. c. *Atrienſes*, ſeu διαιτάρχας, *arcarios* &c. horum vero ſupremum fuiſſe *actorem* ſeu οἰκονόμον, cui concredita fuerint τὰ ὑπάρχοντα τῷ δεσπότῃ. Eum a *Theophylo* appellari διοικητὴν πάσης οὐσίας, & *Joſepho* Antt. Judaic. XVIII. 6. τῆς οὐσίας ἐπίτροπον.

ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτῆ) i. e. *ſuper famulitium ſuum.* Id enim infert vox θεραπεία apud *Ariſtidem* Sermon. Sacr. 5. p. 618. *Herodotum* V. 21. p. 293. & *Ælian.* Var. Hiſtor. XIV. 49. quæ loca affert Cl. *Elsnerus* p. 235.

τῆ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον) Σιτομέτριον idem eſt, quod σιτοδοσία h. e. *annonæ diſtributio*, juxta *Suidam*, qua certa annonæ menſura diſtribui ſolebat. Tale σιτομέτριον dabatur populo Romano: vide *Plutarch.* Parallel. p. 313. & *militibus*, teſte *Suida*, voce σιτομέτριον, tum vero & *ſervis* idque ſingulis menſibus. Latini vocant *cibum demenſum*, ut *Plautus* in Sticho Act. I. Sc. II. v. 3. Confer huc Cl. *Elsnerum* p. 236. & Rev. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 207. tum vero Cl. *Monfaconium* in Palæographia p. 154. ſq. & *Arndium* l. c. p. 58. *Heſiodus* initio Operum & Dierum vocat ἀρμαλιὴν δατέασθαι, *demenſum diſtribuere*, & *Theocritus* Idyll. XVI. ἀρμαλιὴν ἔμμηνον μετρεῖσθαι. Vide *Boiſſii* Collationem p. 231. De voce σιτομέτριον lege præterea *Suiceri* Theſaurum Tom. II. p. 963. De annona *populo Romano* ab Imperatoribus diſtribui ſolita diligenter commentatur *Adrianus Valeſius* ad Ammianum p. 22.

Verſ. 44. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν) Vocem ἀληθῶς non ad phraſin λέγω ὑμῖν, ſed ad ſequentia referri, atque ideo per comma diſtingui, vult *Hombergius* pag. 138. Sed ſeparatione iſta opus non eſt. Eodem enim modo *Lucas* ſupra IX. 27. ait: λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς, & infra XXI. 3. ἀληθῶς λέγω ὑμῖν. Ita *Johannis* IV. 18. Codices nonnulli habent: τοῦτο ἀληθῶς εἴρηκας. Scilicet ἀληθῶς λέγω ὑμῖν idem eſt, quod alias Chriſtus frequenter effert: ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Neque video, quomodo illud ἀληθῶς a reliquis commatis hujus vocibus diſtinctum locum habere poſſit in hac ſtructura, quando ſtatim ſequitur ὅτι ἀληθῶς λέγω ὑμῖν, ὅτι &c.

καὶ ἄρξηται τύπτειν) Nonnulli hic verbum ἄρξηται per pleonasmum poni arbitrantur, & ſimpliciter vertunt: *& verberaverit.* Cum vero contextus indicet, ſervum iſtum, de quo hic ſermo eſt, antea frugi fuiſſe, deinde vero, domino moram faciente, in deterius mutatum, manifeſtum eſt, verbum illud non otioſum eſſe, ſed potius factæ mutationis initium inferre

inferre. Conf. Cl. *Wolfburgii* Obſervatt. Sacr. p. 137. Exemplum ſervi hujusmodi, in reliquos domeſticos verberibus & plagis ſævientis, affertur ex Ariſtophanis *Equitibus* in Biblioth. Bremenſ. Cl. I. p. 245.

Verſ. 47. δαρήσεται πολλάς) ſcilicet πληγάς. Vide *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 156. & *Henr. Stephanum* in Append. ad Atticam Dialectum p. 112. Viciſſim *Xenophon* de Expedit. lib. V. p. 287. ὀλίγας παίειν dixit.

Verſ. 48. παντὶ δὲ, ᾧ ἐδόθη πολύ) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 78.

καὶ ᾧ παρέθεντο πολύ) i. e. *apud quem depoſitum fuerit multum.* Per Hebraiſmum ita formam Paſſivam efferri nonnullis perſuaſum eſt, inter quos numeratur *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 129. Confer dicta ſupra ad v. 20. Alii vero recte monuerunt, in hac phraſi ſubintelligendam eſſe vocem *homines* per ellipſin, Græcis æque ac Latinis familiariſſimam. Lege huc *Perizonium* ad Sanctii Minervam Ellipſ. *Homines.* Conf. dicenda infra ad XIV. 35.

Verſ. 49. Καὶ τί θέλω; εἰ ἤδη ἀνήφθη) *Camerarius* ita vertit: *& quid volo? ſi ille jam eſt accenſus.* Hanc interpretationem eo confirmat *Raphelius* in Notis Polybianis p. 212. quod particula καὶ hunc uſum præſtat Græcis, ut ea utantur, cum nihil ulterius dictu factuve opus eſſe ſignificare volunt, ut *Hebr.* XI. 32. καὶ τί ἔτι λέγω, & *Arrianus* Diſſert. Epictet. IV. 9. extremo. *Hombergius* mavult ita: *& quid volo? Atqui jam accenſus eſt.* Chriſtum ait teſtari, ob duo momenta ſe in mundum veniſſe, primum, ut ignem in terram mittat, deinde, ut mortem ſuſtineat. Alterum jam eſſe perfectum, alterum adhuc imminere. Itaque non eſſe hic ſermonem optantis. Eodem modo particula εἰ uſurpatur *Marc.* XV. v. 44. ὁ Πιλάτος ἐθαύμασεν, εἰ ἤδη τέθνηκεν. Omitto alia loca ab eodem *Hombergio* allata. Mihi quidem in communi ſignificatu τοῦ εἰ, ut idem ſit, quod *ſi*, acquieſcendum videtur cum *Camerario.* Ceterum meditationes Vener. *Val. Ern. Læſcheri* aſceticas ad h. l. lege in ejus Decimis Evangelicis Part. IV. p. 108. Quæ in B. Lutheri verſione hic reprehendit *Emſerus*, ad ea reſpondet *Raithius* in Vindiciis pag. 391.

Verſ. 50. Βάπτισμα δὲ ἔχω βαπτισθῆναι) *Vulg.* vertit: *baptisma autem habeo baptizari;* quod Latine dici, pro *baptizandus ſum*, ex *Lactantio* & aliis oſtendit *Boiſius* in Collatione p. 131. & ad Chryſoſt. Tom. I. col. 41. 42. Interpretes plerique omnes hæc de baptismo ſanguinis ſeu perpeſſione Chriſti ſalutari accipiunt, quam in rem confer *Sauberti* Palæſtram p. 198. At B. *Jo. Bened. Carpzovius* in Diſſert. ſingulari ad h. l. quæ in Diſputt. ejus Academicis p. 1488. ſqq. recuſa eſt, de Baptismo Flaminis ſeu miraculoſa Spiritus S. effuſione interpretanda eſſe contendit.

Verſ.

Verſ. 51. Δοκεῖτε, ὅτι εἰρήνην παρεγενόμην δοῦναι &c.) Lege huc *Jo. Clerici* libellum de Incredulitate p. 190. ſq.

Verſ. 55. νότον πνέοντα) νότος hic eſt קרים i. e. *orientalis ventus.* Vide huc *Keuchenium.*

Verſ. 56. δοκιμάζειν) Pro eo *Matthæus* XVI. 3. habet διακρίνειν. Utrumque verbum aliquoties conjungit *Epictetus* Diſſert. lib. I. c. 20. p. 84. & alias. Vide *Raphelii* Annott. Polybian. p. 213.

Verſ. 57. ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε) i. e. *proprio Marte, ex vobis*, ut infra XXI. 30. *Joh.* V. 19. & XV. 4. Sic *Theophilus* Paraphraſ. Inſt. p. 16. ἀφ' ἑαυτῆς ἐξεῦρεν, *ex ſe invenit.* Vide *Hombergium* p. 140.

Verſ. 58. μετὰ τοῦ ἀντιδίκου σου) Ἀντίδικος eſt *adverſarius* in judicio, ut infra XVIII. 3. Sic apud *Iſæum* Orat. IV. p. 427. & *Jamblich.* Vit. Pythag. c. 27. p. 104. qui ait, μεθ' ἑκατέρου τῶν ἀντιδίκων ἐδῶ προάγειν, i. e. *cum adverſariorum altero in via procedere.* Eodem ſenſu hac voce uſus eſt *Ariſtophanes* in Nubibus v. 774. ubi vide *Ezech. Spanhemii* Annotatt. qui & Iſæi locum affert. Inprimis vero lege huc *Elsnerum* p. 236.

δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ) *Da illi uſuram debiti, ut ab eo libereris.* Ita verti vult *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 478. *Nam ἔργον & ἐργασία*, (ita pergit idem) *uſura eſt, quæ pro fœnerata pecunia exigitur. Eam interpretationem attigit Theophylactus, ſed ab Interpretibus animadverſa non eſt, nec ab Exercitatore nupero Sacro* (i. e. Heinſio) *intellecta.* In eandem ſententiam vide ibidem plura, quibus Theophylacti verbis lux affunditur, & ipſa illa interpretatio, quoad fieri potuit, confirmatur. Sed non perſuaſit rem *Dionyſio Petavio* in Diſſertatt. Eccleſiaſticis lib. II. c. 10. §. 7. ita commentanti. *Non ſum neſcius, tum ἐργασίαν uſuram eſſe ac fructum occupatæ fœnore pecuniæ: tum Theophylactum ita illum locum explicaſſe, ut Trapezitæ placet. Sed uterque fallitur. Nam neque ſatis emendatum iſtud eſt, δὸς ἐργασίαν ἀπηλλάχθαι, da uſuram liberari*, h. e. *ut te liberes. Dixiſſet enim τοῦ ἀπηλλάχθαι.* Ibi quidem, puto, nihil fecerit contra Salmaſianam explicationem omiſſio articuli τοῦ, nam eadem quoque urgeri poterat adverſus alteram iſtam interpretationem *Vulgati*, *da operam*, ad quam non minus articulo illo opus eſt ex communi Græce loquendi uſu. Sed iſte tamen non ſemper obtinet, cum etiam ſine articulo infinitivus poni ſoleat, ubi ſcopus rei alicuius indicandus venit. Sed, quicquid huius erit, malim in *Vulgati* ſententia perſiſtere, ut in genere *diligentia* & *opera omnis* indicetur, quam in conciliando ſibi adverſario aliquis collocet. Ita cum plerisque aliis *Henr. Stephanus* de infidis Gr. L. Magiſtris p. 17. *Caſaubonus* ad h. l. *Jo. Olearius* de Stylo N. T. p. 374. cum notis Cl. *Schwarzii*, qui omnes Latinismum hic agnoſcunt. Iis accedit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 101. qui ſimul exemplum hujusmodi reconciliationis privatæ affert

ex *Xenophonte* lib. II. Memorabil. p. 600. ὁ δὲ συνειδὼς αὐτῷ πολλὰ καὶ πονηρὰ, πάντ' ἐποίει, ὅπως ἀπαλλαγήναι τοῦ Ἀρχεδήμου. i. e. *Ille vero multorum sibi malorumque facinorum conscius omnia moliebatur, ut ab Archedemo liberaretur.* *Salmasii* sententiam amplexus est *le Cene* in Projet p. 576.

ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ) Minus recte vertit *Beza : ut libereris ab eo;* cum sit : *ut discedas* aut *discedere ac abire possis ab eo.* Ita Cl. *Elsnerus* p. 237. qui provocat ad *Actor.* XIX. 12. & *Aristophan.* Plut. v. 66. Vel verti potius posse censet idem : *ut dimittaris ab eo placato.* *Nam* ἀπαλλάττειν *est actoris, qui, ubi placatus est, reum dimittit, aut, lite composita, in gratiam redit.* Vide *Harpocrationem* in Ἄφεις & *Aristophan.* in Nubib. v. 1194.

καὶ ὁ πρᾶκλωρ) πράκλωρ *Suidæ* est ὁ τὸν ἐπικείμενον εἰσπράττόμενος φόρον, *qui tributum impositum exigit*, observante ad h. l. Cl. *Trillero.* Conf. de hac voce *Suiceri* Thesaur. Tom. II. p. 819.

Vers. 59. ἕως ἔσχατον λεπτὸν ἀποδῷς) Latini id *ad assem solvere* dicebant, monente *Salmasio* de Fœnore Trapezitico p. 481.

CAP. XIII.

VErs. 1. περὶ τῶν Γαλιλαίων) Plerique hoc interpretantur de sectatoribus Judæ Galilæi, de quo *Actor.* V. 37. Inter hos ex recentioribus est *Rich. Simon* in notis ad Vers. Gallic. Cædem Galilæorum istam illius seditionis, de qua *Luc.* XXII. 19. mentio est, tempore contigisse, statuit *Jo. Harduinus* in Opp. Select. p. 380. b. Negat vero in Galilæa factam, quippe non Pilato, sed Herodi subjecta. Hierosolymis potius peractam esse contendit, & quidem in templo, quo illi ad sacrificandum convenerant, sex fere mensibus ante Christi mortem, in Festo Expiationis, eo tempore, quo Galilæi, a ceteris sejuncti, Hierosolymis sacra fecerint, quia alioquin a reliquis secerni non potuissent. Sed his aliisque ita sentientibus se nuper opposuit M. *Aug. Theod. Hofkuntz* in Dissert. singulari de ἀνθρωποθυσίᾳ Pilati Lips. 1721. edita, qua contendit, homines hos non a Juda Galilæo, tanquam cœtus sui primipilo, sed a patria Galilæos appellari, & præter omnem suam culpam neci datos esse. Nec dubito cum eo facere, cum quotiescunque in N. T. memorantur Galilæi, toties intelligantur homines vel gente, vel educatione, vel commoratione Galilæi : Christo vero vel eo nomine nuncius de cæde eorum allatus est, quod & ipse talis esset. Imo Servator noster v. 2. trucidatos hos cum reliquis Galilæis comparat, qui cum de aliis accipi non possint, quam de civibus patria Galilæis, etiam istos de his interpretari fas esse duco.

Vers. 2. παρὰ πάντας) *Beza* hic subintelligi vult ἄλλους vel λοιπούς i. e. *reliquos.* Atque ita *Polybium* loqui lib. IV. c. 73. p. 468. ubi Eleorum agrum

παρὰ

παρὰ τὸν ἄλλην Πελοπόννησον rerum copia abundare scribat, observat Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 213.

Vers. 4. ἔπεσεν ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ) Turrim hic intelligi par est, quæ vel juxta piscinam Σιλωὰμ, vel aquæductum ejus exstructa fuit. De ipso illo tum fonte, tum piscina *Siloam* lege *Adriani Relandi* Palæstinam Sacram p. 857. sq. & B. *Carpzovium* ad Schickardum de Jure Regio Hebræorum p. 72. Fons erat extra urbem Hierosolymam, piscina vero instar aquæductus in urbe fluebat.

Vers. 6. Συκῆν εἶχέ τις) Vide huc *Adrian. Cocquii* Phytologiam Sacr. p. 101. sq.

Vers. 7. ἔκκοψον αὐτήν) De tarditate in ferenda sententia monet huc quædam *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 653.

ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ;) *Vulg* reddit: *ut quid etiam terram occupat?* Sed parum probat *Beza*, existimans, verbum καταργεῖν pro *inutiliter occupare* vel *onerare* nusquam dici. Idem statuit *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 325. qui observat, verbum hoc respondere Hebræo בטל, quod intransitive significet *cessare* & *otiosum esse*, ut *Eccles.* XII. 3. transitive autem, *vim alicujus rei imminuere*, aut *arcere eam* & e medio tollere, ut 1. *Esdr.* IV. v. ult. Hoc itaque in loco idem esse, quod: *inutilem & inefficacem reddere terram* Conf. *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 58. Sed fuit, qui *Vulgati* causam ageret adversus *Bezam*, in Bibliotheca Bremensi Class. IV. p. 351. ubi inter cetera monetur, τὸ καταργεῖν positum esse pro ἀργεῖν, quod locis ab *Hackspanio* citatis apud τὸς LXX. occurrat: opponi vero τῷ ἐνεργεῖν, quod ut rem notet, quæ *utilitatem afferat*, ita καταργεῖν dici de re, quæ *nullius sit usus*, quæque, si adsit, rem aliam *occupet* inutiliter.

ἵνα τί) *ut quid?* pro διὰ τί, *quare.* Græce ita recte adhiberi tribus ex *Aristophane* locis ex *Nubibus* p. 190. & aliunde allatis probat *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 44. Adde *Pfochenium*, qui in *Platone* quoque ita exstare monuit.

καὶ τὴν γῆν) *vel terram:* ut loco etiam indigna arbor esse intelligatur. Ita vero particula καὶ usurpatur apud *Polybium* & *Arrianum.* Vide *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 213.

Vers. 8. σκάψω περὶ αὐτήν) i. e. *ablaqueabo eam.* Est enim *ablaqueatio* fossio circa radices, ut humus sterilior, & quicquid eas illigat, aut impedit, amoveatur. Vide eundem *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 101.

Vers. 9. κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν εἰ δὲ μήγε) *Et si quidem fecerit fructum;* subaudi, *bene est;* vel simile quid. Per Atticissimum, ut *Budæus* recte observavit, cujus exempla varia ex *Xenophonte*, Scriptore ἁπλικωτάτῳ, affert laudatus *Raphelius* p. 102 & in Notis Polybian. p. 214. Adde *Lamb. Bos* de

Ellipsi Gr. Linguæ p. 389. Junge *Grævii* Lectiones Hesiodeas p. 68. Post παρὸν subintelligi quoque potest ἔασον, i. e. *sines*; quod verbum deest quoque apud *Aristophanem*, Plut. v. 468. in loco simillimo, quem produxit Cl. *Elsnerus* p. 238. Confer ibi Scholia & *Kusteri* notas. Adde in eandem sententiam *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 187. ed. primæ & *Hombergium* p. 140. qui eadem opera recte contra *Knatchbullum*, alia hic tradentem, disputat. Cur *Vulg.* nihil hic suppleverit, ostendit *Boisius* in Collatione p. 232.

Vers. 11. πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας) πνεῦμα ἀσθενείας dicetur esse morbus a malo spiritu inflixus. Vide v. 16. ut apud *Euripidem* Iphigen. in Taurum v. 1317. πνεῦμα συμφορᾶς, notante *Elsnero* p. 138. Πνεῦμα ἀσθενείας Hebraice diceres רוח המחלה sicut *Jes.* XXIX. 30. רוח תרדמה i. e. πνεῦμα κατανύξεως, ut οἱ LXX. reddunt, unde D. Paulus repetiit *Rom.* XI. 8. Hebræi scilicet, Talmudistæ speciatim & Rabbini, cuique fere rei, v. c. aquæ, igni, aeri, bello, pesti, conceptioni, generationi, matrimonio, studiis, felicitati, calamitati, somniis, sanitati, morbo, morti denique &c. certos genios & spiritus, ceu totidem præsides, præfecerunt, quos רוחות item מלאכים appellant, quod ostendit *Wagenseilius* ad Sota. Ex Philosophis Græcis idem Thaleti, Pythagoræ, Platoni, Plotino, Chalcidio, Max. Tyrio, Alcinoo, Apulejo, aliisque visum esse ex *Laertio* VIII. §. 32. & ipsis eorum scriptis patet. Morbos speciatim a dæmonibus immitti *Josephus*, & Interpretes Judæi ad Ps. XCI. 6. observant. Ita Saulem afflixisse רוח הרעה *Spiritus malus* & Jobum Satanas percussisse בשחין רע dicitur. Idem de morbis visum est *Pythagoræ* l. c. apud Laertium, & *Homero* Odyss. v. v. 394. sqq. Inprimis in morbis atrocioribus dæmonicum aliquid annotabant. Sic apoplexiam δαιμόνιον appellatam fuisse, notat alicubi *Galenus*. De epilepsia vero simile quid tradidisse multos, observat *Hippocrates* lib. de morbo sacro §. XIV. Hanc posteriorem inprimis a Proserpina repetebant, ut patet ex *Hippocratis* libro de aere, aquis & locis §. 4. νομίζουσι τὸ παιδίον ποιεῖν, καὶ ἱερὴν νόσον εἶναι. Ibi enim τὸ παιδίον idem est, quod κόρη *puella*, quo nomine *Proserpina* vocatur. Vide etiam *Cæl. Aurelian.* de morb. Chronic. I. 4. a quo ægroti passim hac illave passione obsessi dicuntur. Poetæ morbis in ipso tartaro habitacula assignant, ut *Virgil.* VI. Æneid. v. 275. *Seneca* Oedip. v. 593. &c. Hæc ex Notis MSS. Cl. *Trilleri*, qui præterea addit, Beckerianam sententiam inprimis profligari verbis v. 16. ἣν ἔδησεν ὁ Σατανᾶς.

ἦν συγκύπτουσα) *corpore incurvata.* Ita *Appian.* Bello Civili lib. I. p. 707. συγκύψας εἰς τὸ γόνυ & *Lucian.* Bis Accusat. p. 309. monente *Elsnero* p. 239. Phrasis est elliptica, quam plenam reddes, si subintellexeris πρόσωπον vel ἑαυτήν. *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 171. Ipsius hujus morbi interiorem rationem fuse describit *Conr. Johrenius* de morbis Biblicis N. T. p. 8. sq. *Wedelius* Centur. I. Decad. VI. Exercitat. II. ubi de *Contractura dæmoniaca* exponit.

nit. Oſtendit ibi, morbum hunc a dæmone fuiſſe profectum, quia v. 16. ὁ Σατανᾶς diſerte nominatur. Addit, eum fuiſſe morbum, quem Hippocrates ξύμπλωσιν i. e. *contractionem* vocet. Contractam ſcilicet & incurvatam hanc feminam fuiſſe, & cernuam, nec ullo modo ſuſpicere valentem, malumque non in collo ſolum, ſed & in dorſo & nucha reſediſſe. Duæ alioquin ſunt Tetani ſpecies, quanquam alii tertiam addunt, ceu videre eſt apud Hippocrat. de intern. affect. & de dieb. Judicat. improbante id quamvis *Celſo* loco mox citando; una nimirum ὀπισθοτονικὴ, altera ἐμπροσθοτονικὴ, quarum illa *poſtterganeus colli raptus* elegantiſſime *Cæl. Aureliano* lib. III. de acutis morbis cap. 6. dicta, *caput ſcapulis adnectit quodam nervorum rigore*, ut *Corn. Celſus* inquit lib. IV. c. 3. hæc vero *pronus raptus*, a laudato *Cælio* vocata, *mentum pectori adnectit*, ut *Celſus* ait l. c. Hac poſteriore tetani ſpecie miſeram feminam laboraſſe, vox συγκύπλασα declarat, quippe quæ idem valet, ac ἐμπροσθοτονικὴ, *cernua*: unde & v. 13. dicitur ἐνωρθώθη, i. e. *erigebatur, recta iterum incedebat.* Ita Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

καὶ μὴ δυναμένη ἀνακύψαι) ἀνακύπλειν eſt *caput corpusque erigere.* Vide *Lucian.* de Gymnaſ. p. 385. & Toxari p. 67.

εἰς τὸ παντελὲς) i. e. *omnino, prorſus*, ut *Hebr.* VII. 25. & apud profanos, de quibus lege *Elsnerum* p. 239.

Verſ. 12. ἀπολέλυσαι τῆς ἀσθενείας σου) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 1213. & 818. Vide *Raphelium* p. 214.

Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ Ἀρχισυνάγωγος) i. e. *reſpondens vero aliquis Synagogæ præfectus.* Plures enim Archiſynagogi alibi memorantur. Hinc *Jairus* εἷς τῶν Ἀρχισυναγώγων audit *Marco* V. 22. Confer *Vitringæ* Archiſynagog. p. 287. & 382. & de Vetere Synagoga p. 585.

Verſ. 14. ἀγανακτῶν, ὅτι ἐν σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς) Hypocriſin hominis hujus ex ipſis Judæorum principiis detegit, & Sabbaticam hanc curationem ab exceptionibus liberat Cl. *Jo. Andr. Danzius* in Diſputat. de Curatione Chriſti Sabbatica p. 49. ſq.

Verſ. 15. ὁ λύει τὸν βοῦν) Animalium rationem habuiſſe Judæos Sabbato, patet ex ſcriptis eorum, v. c. *Beza* cap. III. §. 4. in Miſchna & c. V. fol. 37. a. l. 17. ſq. item fol. 26. a. l. 13. ſq. tum vero in *Schabbat* p. 128. b. l. 8. ſq. & alibi paſſim. Vide loca hæc diligenter allata a *Danzio* Diſputat. citata p. 65. ſqq.

Verſ. 16. θυγατέρα Ἀβραὰμ οὖσαν) Quantum huic prærogativæ tribuerint Judæi, quod Abrahami poſteri ſint, patet ex *Bava Mezia* c. VII. §. I. Ibi enim R. *Jochanan b. Matthiæ* ait, operarios quosdam non ſatis digne ex-

cipi, si convivia, Salomoneis paria, illis parentur, quia sint filii Abrahami, Isaaci & Jacobi.

ἣν ἔδησεν ὁ Σατανᾶς λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου) Revera hæc femina ἐμπροσθοτονικὴ ligata, &, ut Celsus loquitur, *mento corpori adnexa erat.* Eadem phrasi utitur in eodem fere morbo *Hippocrates* lib V. Epidem. §. XII. καὶ ἐλέλυτο πάντα, πλὴν μετὰ τὸν ὕπνον, ὅτε ἐξέγροιτο, ὀλίγον τι ξυνεδέδετο τὰ ἄρθρα. Et paulo post §. 20. de Opisthotonico quodam, spiculo percusso, loquens αἱ γένυες ἐδέδεντο i. e. *maxillæ ligatæ erant*: item lib. de Fract. §. XLI. φλεγμονὴ ἐμεγάλη προσγίνεται, ἐδὲ δεσμὸς τοῦ ἄρθρου. Conf. *Foesii* Oeconom. p. 91. Similiter *Seneca* in Oedipode v. 181. - - *piger ignavos*

Alligat artus languor.

Morbus hic tum ex naturalibus causis, tum præcipue ob cacodæmonem contra nitentem erat absolute desperatus καὶ ἀνήκεστος, unde & hic luculentum divinitatis specimen edebat Salvator. Hæc idem laudatissimus *Trillerus.*

Vers. 21. Ἀγωνίζεσθε) i. e. *summa ope nitamini.* Vide *Keuchenium* ad h. l.

διὰ τῆς στενῆς πύλης) Cur Christus hac phrasi usus sit, ostendit *Amelius* Part. I. p. 677. & 1029. Similem locum ex *Porphyrii* lib. de Styge affert *Elsnerus* p. 284. Alium huic similem Cl. *Trillerus* promit ex *Maximo Tyrio* Diss. XXIII. p. 236. de angusta, anfractuosa & aspera virtutis via: item ex *Platone* lib. X. de Republ. & *Plutarcho* de Socratis genio. *Hesiodi* alium & *Silii Italici* adduxit *Grotius* ad Matth. VII. Versionem & glossam B. Lutheri ad h. v. contra Emserum defendit B. *Raithius* p. 393. Vindiciarum.

Vers. 27. πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας) *Rich. Simon* in Vers. sua Gallica ita reddiderat: *vous tous, qui vivez dans l' iniquité:* i. e. *vos omnes, qui vivitis in peccatis.* At eam versionem Sociniani postulavit *Bossuetus*, Meldensis Episcopus, quia *Wolzogenius* eodem sensu dixerat, per operationem iniquitatis non unum tantum aut alterum actum intelligi, sed habitum & consuetudinem totius vitæ. Atque hunc verum esse illorum verborum sensum, ostendit *Rich. Simon* in Epistolis Selectis Tom. III. p. 276. sqq. ubi eadem opera negat, se ista debere *Wolzogenio.*

Vers. 32. τῇ ἀλώπεκι ταύτῃ) Et Hebræos & Græcos vafros quosque homines *vulpium* nomine appellare, ostendit Cl. *Majus* in Observatt. Sacr. Part. II. pag. 69. sq. Vide v. c. *Schemoth Rabba* fol. 113. col. 4. & *Sota* fol. 12. a. tum *Maccoth.* fol. 24. a. *Theocritum* Idyll. V. 25. & *Sophoclem* in Ajace Flagellifero v. 103. &c. Conf. Biblioth. Bremens. Class. I. p. 246. & Cl. *Trillerum* in Notis MSS. qui affert *Pindari* Pyth. Od. II. *Sophocl.* l. c. *Aristophan.* in Thesmophoriazusis & alios. Conferri idem vult *Barthium* in Adversar. VIII. 19. p. 403.

p. 403. & LIV. 3. p. 2586. & *Bochartum* Hierozoic. Part. I. lib. III. c. 13. Adde *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 202. De homine vulpino differit hic ex Scriptoribus variis *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 653.

σήμερον καὶ ἄυριον, καὶ τῇ τρίτῃ) Hac phrasi tres annos ministerii Christi indicari, putant nostratium Theologorum nonnulli, nominatim *Gerhardus & Chemnitius*, quos alii deserunt. Vide inprimis *Hackspanii* Notas p. 326. sq. qui recte monet, phrasin esse Hebraicam. Hebræi enim tempus præteritum quodcunque per תמול ושלשום i. e. *heri & nudius tertius* exprimunt, ut *Exod.* V. 14. & IV. 10. tempora autem secutura per מיומים ביום השלישי i. e. *post duos dies in die tertia*, ut *Hos.* VI. 2. Sensus itaque est, Christum adhuc aliquandiu victurum et res suas acturum esse, invito etiam Herode. *Altingius* Tom. V. Opp. p. 414. itidem de tribus ultimis annis ministerii Christi hic agi putat, sicut v. 7. & 8. de universo ministerii quadriennio exponatur.

τελειοῦμαι) i. e. *morte afficiar*. Vide huc *Raphelii* Semicentur. Annotationum p. 7.

Vers. 33. Πλὴν) Verti potest *interim*, vel *ceterum*: vide dicta supra ad X. 11. Vel per: *igitur*. Vide ibid. ad X. 14.

σήμερον καὶ ἄυριον) Post ἄυριον subaudiri ἀπὸ τῆ κοινῆ vult *Elsnerus*: ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια, καὶ ἐπιτελεῖν ἰάσεις. Id præstare putat, quam cum aliis subaudire ἐργάζεσθαι, aut omnia referre ad τὸ πορεύεσθαι.

τῇ ἐχομένῃ) i. e. *sequenti die*, subintellecta scilicet voce ἡμέρᾳ. Ita *Polybius* III. p. 112. & V. 13. p. 505.

πορεύεσθαι) Verbum hoc duplicem eidem *Elsnero* p. 241. habere notionem videtur, nempe & *proficiscendi*, h. e. ex loco, ubi tunc erat, neglectis Herodis insidiis, discedendi, & *moriendi*, quo sensu occurrit infra cap. XXII. 22. & 3 Regg. II. 2. Mihi quidem simplicius & contextui convenientius videtur, totam phrasin σήμερον καὶ ἄυριον καὶ τῇ ἐχομένῃ referre, sine supplemento interjecto, ad unum verbum πορεύεσθαι; hoc vero de vitæ actionumque Christi productione & continuatione interpretari. Hunc enim significatum verbum πορεύεσθαι eo magis tuebitur, quod tempus ministerii, a Christo gesti, fere omne itineribus comprehensum est. Sensum hunc confirmat ratio statim addita: ὅτι οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἱερουσαλήμ. Jesus enim hæc loquebatur in urbe Hierosolymitana, quod ex v. 34. patet, si conferatur *Matth.* XXIII. 37. ubi eadem allocutio ad urbem facta exstat. Id itaque sibi vult Christus, se ex urbe iterum salvum abiturum, & paulo post pro lubitu reversurum, donec morte defungatur. Taceo, si Viri docti interpretatio obtineat, Christum idem omnino dicere, quod jam dixerat commate proxime antecedente. Interim *moriendi* significatus probabilior quoque visus est *Carolo le Cene* in Projet p. 759.

ὅτι

ὅτι οὐκ ἐνδέχεται) *non fieri poteſt, non uſu venit*, aut *convenit*. Vide *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 334. & *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 228. qui ſubintelligi vult χρῆμα, ut ſit χρῆμα ἐνδέχεται, *res* vel *uſus admittit, capit;* quemadmodum h. l. *Vulg.* vertit per: *capit*. Eadem phraſi utuntur *Thucydides* lib. I. p. 81. & alii apud *Elsnerum* p. 243. qui vertendum putat, vel: *non convenit, ut* &c. vel: *fieri* (facile) *non poteſt, ut* &c. Scilicet Chriſtus omnino loquitur de eo, quod communiter inter Judæos uſu hactenus venerat, ut ſcilicet cædis Prophetarum ipſi auctores exiſterent. Conf. v. 34. Fortaſſe reſpexit Chriſtus ad illud Judæorum inſtitutum, ſecundum quod Synedrium ſibi ſoli integrum eſſe volebat, Prophetarum cauſam cognoſcere. Vide *Sanhedrin* f. 2. 1. & 89. 1. item *Sepher Mizvot*, 187. 1. Huc tendunt *Druſius, Grotius, L. de Dieu, Knatchbullus, Lightfootus, Seldenus* in Otiis Theolog. p. 801. & *le Cene* in Projet p. 506.

Verſ. 34. ὄρνις) i. e. *gallina. Vulg.* hic vertit *avis*, ſed *Matth.* XXIII. 37. *gallina*, quod argumento eſt, eum *avis* nomine *gallinam* hic indicatam voluiſſe, tanquam voce ἰσοδυναμῶ. Ita vero & *Horatius* & *Martialis* XIII. Epigr. 73. *avis* nomine in ſpeciali hoc ſignificatu utuntur. Vide *Jac. Haſæum* in Biblioth. Bremenſ. Claſſ. IV. p. 343. Conf. *Rich. Simonis* Hiſtor. Crit. N. T. lib. II. p. 426.

Verſ. 35. ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος) Vocem poſtremam MSS. quædam omittunt, atque hinc ex *Matthæo* huc translatam putat *Millius*: ſed vide *Whitbii* Examen p. 46. b.

ἕως ἂν ἥξῃ) ſcilicet χρόνος, *tempus*. Vide *Bos* de Ellipſi p. 232.

CAP. XIV.

PRæcipuas Capitis hujus integri phraſes illuſtrat *Joh. Olearius* in libro de Stylo N. T. quem eruditis notis ſuis illuſtratum nobis dedit Cl. *Jo. Conr. Schwarzius*, p. 7. ſqq. Eum itaque conſuli velim.

Verſ. 1. σαββάτῳ φαγεῖν ἄρτον) Judæi Sabbata & feſta ſua hilariter, & conviviis celebratis, tranſigere ſolebant. Vide huc *Keuchenium*. De phraſi φαγεῖν ἄρτον lege *Guſſetii* Lexicon Hebr. voce לחם J. 2. Adde *Scherlogi* Antiquitt. Hebr. lib. II. Diſſ. p. 275. & *Spencerum* de Legibus Hebræorum Ritualibus p. 112.

Verſ. 2. ἄνθρωπός τις ἦν ὑδρωπικὸς) Vide huc *Wedelii* Exercitatt. Centur. II. Decad. V. p. 52. ſqq.

Verſ. 3. καὶ ἀποκριθεὶς εἶπε) Pro Hebraiſmo hanc phraſin poſt alios habet B. *Olearius* de Stylo N. T. p. 12. ſqq. Sed vide ibi Cl. *Schwarzium* & adde eun-

de eundem p. 134. ubi vel eandem vel similes loquendi rationes ex profanis Scriptoribus affert.

Vers. 4. *οἱ δὲ ὑσήχασαν*) *illi vero tacuerunt.* Hunc sensum illi voci tribuunt *οἱ* LXX: *Jes.* VII. 4. *Nehem.* V. 8. item *Appianus* de Bello Syr. p. 149. Similiter alii profanorum Scriptorum dicunt *ὑσηχίαν ἄγειν.* Vide huc *Elsnerum* p. 242. Confer *Boissum* in Collatione p. 235.

Vers. 5. *ὄνος ἢ βοῦς*) Nonnulli Codd. legunt hic *οἷς*, quod genuinum esse putat *Millius:* sed vide *Whitbii* Examen p. 46. b.

ἀνασπάσει αὐτὸν ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῷ σαββάτῳ) Si bestia in foveam aquæ inciderit Sabbato, pulvini adducendi sunt eique substernendi, ut possit ascendere: aut si pabulo solo ibi conservari in vita possit, pabulum ei illic datur. Ita tradunt Magistri in Gemara *Schabbath* f. 128. 1. Adde *Relandi* Antiquitates Hebr. p. 484. qui & p. 483. ex Gemara *Joma* XV. 2. recitat, Hillelem, cum nive tectus reperiretur, Sabbato ablutum, unctum, & in hypocaustum portatum fuisse, Schemaja interim & Abtalione pronunciante; *dignus hic est, ob quem Sabbatum profanetur.* Judæi, inter Turcas versantes, communi proverbio dicunt: *Peligno dal alma quaebra el Sabbato* h. e. *periculum animæ dispensat Sabbatum.* Vide *Addisonum* de Præsenti statu Judæorum p. 118. Conf. dicta ad c. XIII. 14.

Vers. 7. *ἐπέχων*) scilicet *τοῖς ὀφθαλμοῖς, intendens oculos.* Phrasi ista plene usus est *Lucianus.* Conf. *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 149.

Vers. 9. *καὶ τότε ἄρξῃ κατέχειν*) Nonnulli *τὸ ἄρξῃ* pro superfluo habent, qua de re alibi diximus. At Cl. *Wolfburgius* Observatt. Sacr. p. 138. verbo hoc putat opponi præsentem ad inferiora remoti convivæ statum pristino, quem paulo ante occupaverat.

Vers. 10. *προσανάβηθι ἀνώτερον*) *ascendo adhuc superius: τὸ πρὸς* enim in compositione sæpe idem valet, quod *insuper*, & *adhuc.* Id quod ostendit *Boissius* in Collat. p. 235. Sic apud *Plautum* in Sticho Act. V. Sc. 4. *abi tu sane superior;* ubi Sc. 5. legis: *date mihi locum*, quod cum phrasi v. 9. comparat Cl. *Trillerus.*

Vers. 11. *ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται* &c.) Idem totidem fere verbis effertur in Codice *Erubin* f. 13. b. lin. 35. *Qui semetipsum deprimit, eum Sanctus Benedictus exaltat; & qui se ipsum exaltat, eum S. B. deprimit. Quicunque sectatur dignitatem, ab eo dignitas fugit: qui vero fugit dignitatem, ad eum dignitas reverti solet.* Confer *Hackspanium* de Usu librorum Rabbinic. p. 456.

Vers. 12. *ὅταν ποιῇς ἄριστον ἢ δεῖπνον*) *ubi feceris prandium vel cœnam.* De discrimine harum vocum lege *Suiceri* Thesaur. T. I. p. 826.

μὴ φώνει) scilicet μόνον *non solum invita amicos* &c. De ellipsi hac lege *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 323. τὸ φωνεῖν idem hic est, quod καλεῖν, quod Græci utuntur alias de invitandis ad cœnam aliis, cui apud Latinos respondet *vocare*. Vide eundem Fesselium. Ita *Sophocles*: Αἴαντα φωνῶ, & Martialis ait: *clamare servum*. Conf. *Arndii* Miscell. p. 81.

ἀντικαλέσωσι) Ita prorsus *Xenophon* in Convivio p. 690. ἔτε μὴν ὡς ἀντικληθησόμενος καλεῖ μέ τις i. e. *neque vocabit me quisquam, ut vicissim a me invitetur*. Eundem significatum verbo *revocare* tribuunt Latini. Vide exempla apud *Fesselium* l. c. p. 324. & plura apud *Boissium* in Collatione p. 236. qui addit, non posse inveniri vocabulum, quod aptius & adæquatius Græco ἀντικαλεῖν respondeat, quam illud *revocare* Latinorum. Adde *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 374. De eo, quod bene faciendum sit sine spe compensationis, differit hic *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 653.

Vers. 14. ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων) Nihil hic esse, quod jubeat nos recedere a consueta *resurrectionis* significatione, contra *Hammondum* ostendit B. *Olearius* in Obss. Sacris ad Matthæum p. 609.

Vers. 17. ἀπέστειλε τὸν δοῦλον αὐτοῦ τῇ ὥρᾳ τοῦ δείπνου) Vocati enim iterum appellabantur sub ipsam horam Cœnæ, & quandoque cum cibi jam allati erant. Vide *Athenæum* lib. VI. p. 240. Conf. *Cornel. Adami* Observatt. p. 152. & *Jos. Arndii* Miscellanea Sacra p. 80. *Plutarchus* Sympos. VIII. 6. monet tardos, ubi invitati essent, vocatos esse κωλυσιδείπνους & Ζοφοδορπίδας.

Vers. 18. ἀπὸ μιᾶς) Phrasin hanc alii ex Syriasmo exponunt cum *Fullero*, subintellecta voce ὥρας, ut idem sit quod *simul*, *una*, quemadmodum Syri dicunt מחדא sc. שעא. Vide eum *Miscell.* lib. I. c. 1. & IV. 1. Eum probat *Mareschallus* ad Vers. Gothicam p. 458. in qua itidem vox *hora* suppletur, tum vero *Jac. Cappellus* in Observatt. nec non *Boissius* in Collatione p. 237. & ex nostratibus *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 328. vicissim vero recte rejicit B. *Joh. Olearius* de Stylo N. T. p. 21. & *Ostermannus* Diss. I. Posit. Philolog. N. T. §. 25. sqq.

Alii subintelligunt φωνῆς, ut *Pricæus*, & *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 217. qui tamen p. 247. monet suppleri quoque posse vocem ψυχῆς, quam *Drusius* & *Grotius* noviss imeque *Starckius* in notis ad Loca Dubia N. T. p. 93. malunt, vel γνώμης, videatur idem p. 41. vel ψήφου, vide p. 244.

Alii addi volunt γνώμης, quam in hac locutione ἀπὸ μιᾶς adhibuit *Dio* lib. LVIII. & Schol. *Callimachi*, quæ sententia est Cl. *Schætgenii* in Notis ad Bosium de Ellipsi p. 39. ubi tamen de loco Scholiastæ comparandus fuerit Cl. *Elsnerus* p. 243. *Schætgenium* sequitur Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 215. & *Dan. Fidlerus* in Positionibus Philolog. super loca N. T. Coroll. 2. qui Dionis Cassii locum affert ex lib. LVIII.

Lon-

Longius abit *Isaacus Casaubonus*, qui pro Græca habet locutione eaque e circo petita, cum supplemento βαλβίδος, ut idem sit, quod *similiter, pariter*. Vide eum in Casaubonianis p. 75. & adde notas meas p. 278.

Nec magis puto audiendum *Camerarium*, qui ex verbo παραιτεῖσθαι suppleri vult nomen παραιτήσεως, ut idem sit, quod *pariter cœperunt recusare*.

Kuchenius in Notis ad h. l. pro Chaldaismo habet, secundum quem Fœmininum pro Neutro ponatur, neque admodum putat inquirendum, quid intelligi debeat. Verti autem vult *a primo* sive *a principio*, sicut Chaldæi תחלה primum denotat.

Phrasin pure Græcam esse, dubitare me non sinunt tot exempla optimorum Scriptorum: supplendum vero putem vel γνώμης vel γλώσσης. Variorum sententias collegit quoque *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 1040. & B. *Jo. Olearius* de Stylo N. T. p. 22. quem ut in ceteris probo, ita vix putem sequendum, quando sub phrasi ἀπὸ μιᾶν intelligi quoque posse putat αἰτίας, quæ vox inclusa esse videatur in verbo παραιτεῖσθαι, ut sensus sit: *inceperunt ex una causa se excusare* i. e. ex una eademque aversatione. Excusantes enim se diversis utebantur causis; neque αἰτίαν Græce de aversatione recte, meo judicio, interpreteris.

ἔχω ἀνάγκην) *habeo necessitatem*. Inter Latinismos numerat *Olearius* l. c. p. 22. At in notis Cl. *Schwarzius* recte dubitat, utrum Latini ita loquantur: *necessitatem habeo*, qui potius dicant: *necesse habeo*. Idem aversatur *Wolfburgius* in *Pricæum*, idem sententiam animadvertens, p. 11. Obss. Sacr. Græcos frequentissime ista phrasi, ἀνάγκην ἔχω, uti, ostendit *Schwarzius* l. c.

ἔχε με παρῃτημένον) Et hic Latinissimum agnoscit *Olearius* p. 23. recte ibidem monente *Schwarzio*, se non videre, cur Lucas hic Latinos potius, quam Græcos secutus fuisse dicatur. Frequentissimum enim est Græcis, verbum ἔχειν jungere casui quarto participii cujusdam, quod idem ostendit. Idem vero verti hæc vult ita: *memoria tene, me deprecatum esse*; vel; *tene me deprecatum; habe me totum, qui deprecatus sum*. Sed malim omnino in *recusandi* seu *aversandi* notione communi & simplici acquiescere, inprimis quod hoc sensu eadem phrasi in simili negotio usus est *Athenæus* IV. 10. Dipnosophist. ubi lege Casaubonum p. 281. Adde *Cornel. Adami* Observatt. p. 155.

Vers. 19. ζεύγη βοῶν ἠγόρασα) Tauri inprimis in V. T. immolari solebant, quod patet ex *Hebr.* IX. 13. Atque huc respexisse videtur Salvator *Cornelio Adami* in Exercitatt. Exegeticis p. 303. referens, quosdam bubus i. e. sacrificiis legalibus ita fuisse affixos, & tanti boves seu sacrificia fecisse, ut fercula divinæ spiritualisque gratiæ, ad quæ a Christo, ministro Patris, invitabantur, contemnerent, id a bubus, juxta Legem oblatis, exspectantes, quod unico tantum immaculatoque agno Dei debebant. Probat hanc

conjecturam *Amelius* Part. II. pag. 787. Sed vix ego crediderim, eam Christi mentem fuisse, qui, quod ex reliquis excusationum argumentis apparet, Judæis tunc temporis exprobrare voluisse videtur animum, in secularia negotia ita intentum, ut divina libentissime & cum voluptate negligerent, atque adeo & suam invitationem averterentur. Constat vero & alium usum boum fuisse, quam ut de sacro hic tantum cogitare fas sit.

Vers. 21. εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας) πλατεῖα scilicet ὁδὸς, quod ipsa vox sonat, est *via latior*, ῥύμη autem angustior. Quo sensu sæpius usurpatur in descriptione castrametationis Romanorum apud Polyb. VI. c. 26. & alibi. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 216. *Vitruvius* I. 6. extr. *Ita dirigantur plateæ & angiportorum divisiones.*

Vers. 22 γέγονεν ὡς ἐπέταξας) ita Latini frequenter. Vide *Heumanni* Pœcilen Tom. I. lib. I. p. 85.

Ad v. 22--32. vide Rev. *Val. Ern. Læscheri* meditationes in Decimis Evangelicis Part. IV. p. 116. sqq.

Vers. 23. ἀνάγκασον εἰσελθεῖν) De vi & coactione verbum hoc accipi h. l. non potest. Neque enim vi ad convivium coguntur homines, neque servus unus tantam multitudinem cogere potuisset. Præterea vero verbum ἀναγκάζειν apud Græcos, & *cogere* apud Latinos idem est, quod *persuadere* & *permovere rationibus.* Vide *Matth.* XIV. 22. Gal. II. 14. *Platonem* in Gorgia p. 291. *Aristophan.* Equitib. v. 504. *Ciceronem* lib. V. ep. 6. Confer B. *Dieterici* Antiquitates Biblicas N. T. Tom. I. p. 92. *Elsnerum* p. 244. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 169. & *Heumannum* in Pœcile Tom. I. lib 1. p. 85. Adde & *le Cene* in Projet. p. 94. Quid veteres Ecclesiæ Doctores aliique de ἀναγκασμῷ in causa religionis senserint, contra Pontificiorum inprimis instituta *Pet. Bailium* expostuisse constat in libro singulari, quem *Commentarium Philosoph.* in hæc Christi verba inscripsit, *Roterod.* novissime an. 1713. 12. editum.

Vers. 24. γεύσεταί μου τοῦ δείπνου) ita *Polybius* p. 996. dixit, γεύσειν τῶν ἰδίων τέκνων, i. e. *liberos edere.*

Vers. 26. καὶ οὐ μισεῖ τὸν πατέρα) h. e. *& non minus* (scil. quam me) *diligit curatque Patrem:* quem genuinum hujus verbi h. l. sensum esse, patet ex loco parallelo *Matth.* X. 37. ubi dicitur: ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπέρ ἐμε, h. e. *qui amat Patrem aut Matrem plus, quam me.* Confer *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 121. *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 372. *Hackspanium* in Notis p. 329. qui uterque Hebraicam loquendi rationem hic inveniunt, *Fessel ium* Tom. II. Adversariorum Sacrorum p. 447. *Olearium* de Stylo N. T. p. 25. & *le Cene* in Projet, item *Trillerum* in der Untersuchung etlicher Oerter Heil. Schrifft p. 277. Eodem modo reddiderat phrasin hanc *Rich. Simon* in Versione sua Gallica, qui

qui, cum ideo aliorum animadversionibus exciperetur, causam suam egit in Biblioth. Critic Tom. IV. ep. 51. Lege in eandem sententiam *Possini* Spicilegium Evangelicum p. 113. sq. Sed non putat hac sensus emollitione opus esse doctissimus *Val. Ern. Lœscherus* in Stromatibus suis pag. 36. cujus hæc sunt verba: *Non hic intelligitur odium naturale, vel philosophicum, sed singulare & Theologice dictum, quod in abnegatione mundi locum habet. Sensus enim hic est: Si quis, quem Parentes, vel uxor, liberique suis illecebris, vel auctoritate, impedire in cursu salutis voluerint, hanc ipsorum actionem, imo in tantum, in quantum impedimenta salutis sunt, eos ipsos non habeat odio, & ceu adversarium eorum se gerat, (quod est μισεῖν ex usu N. T.) ille in vera salutis via non consistet, vel progredietur.* Conf. idem in eandem sententiam fusius differens in Decimis Evangelicis Part. III. p. 210. sqq. Parum hinc abit *Campeg. Vitringa* lib. III. Obss. Sacrar. p. 82. ***Odio habere*** *Patrem, Matrem,* &c. inquit is, *hoc loci est ita se gerere erga Patrem, & Matrem, & liberos, & uxorem, ut alii se gerunt circa rem, quam odio habent. Sic agere oportet sanctos circa id, quod in vita humana sibi carissimum est, si interest gloriæ Christi. Hæc est illa famosa & vera sui ipsius* abnegatio, *quam inter summa præcepta Christus ponit Matth.* XVI. 24.

Similia huic sententiæ Gentilium consilia & præcepta affert *Elsnerus* pag. 246. ex *Hierocle* in Carmina Pythagoræ pag. 44. & *Jamblicho* in Vita Pythag. cap. XXXIII. p. 197. *Hierocles* ita: *Sin autem aliud quidem lex divina, aliud autem Parentes suadeant, ut, utrum eligas, id pugnet alteri, meliora sequenda sunt, in iis solum Parentum mandatis neglectis, in quibus ipsi legibus divinis obsequium negant.* Pertinet huc, quod *Philo* de Therapeutis memorat in Vita Contemplat. p. 892. Relictis opibus φεύγεσι ἀμεταχειρίστως καταλιπόντες ἀδελφὰς, τέκνα, γυναῖκας, γονεῖς, πολυανθρώπους συγγενείας, φιλικὰς ἑταιρείας, καὶ τὰς πατρίδας &c.

ἔτι δὲ) i. e. *præterea, insuper, quin etiam,* ut Hebr. XI. 36. & apud *Polybium* aliquoties, quo vide *Raphelii* Annott. Polyb. p. 217. Sic *Act.* XXI. 28. ἔτι τε.

Vers. 27. καὶ ὅστις οὐ βαστάζει τὸν σταυρὸν αὐτοῦ &c.) Vide huc ex Patribus commentantem Cl. *Bernh. Raupachium* in Dec. II. Obss. Sacr. ex Patribus ad N. T. Obs. 1.

τὸν ἑαυτοῦ ψυχήν) i. e. *vitam suam.* Vide Cl. *Schwarzii* notas ad Olearium de Stylo N. T. p. 26. qui malebat vertere per *semetipsum.*

Vers. 28. τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν &c) Christus vult, ut vires quisque suas exploret, num pares sint Christiani officiis sustinendis? Idem *Epictetus* fieri vult ab eo, qui Philosophi personam agere meditetur. Vide eum in Enchiridio c. 35. & 36. & *Arriani* Dissertt. III. 15. & 22. Conf. *Raphelii* Notas Polyb. p. 217. sq.

τὰ πρὸς ἀπαρτισμὸν) scilicet ἀνήκοντα, ut v. 32. τὰ πρὸς εἰρήνην. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 17.

Verſ. 30. ἔτος ὁ ἄνθρωπος ἤρξατο οἰκοδομεῖν) Vid. *Schotti* Adagialia N. Teſt. p. 79.

Verſ. 31. πορευόμενος συμβαλεῖν ἑτέρῳ βασιλεῖ εἰς πόλεμον) *proficiſcens, ut cum alio Rege prælium committat.* Ita Interpretes tantum non omnes, qui ſcilicet τὸ συμβαλεῖν cum vocibus εἰς πόλεμον conjungunt. At doctiſſimus *Raphelius* in Annotatt. Polybian. p. 218. exemplum hujus ſtructuræ adhuc requirit, inprimis, cum verbum συμβαλεῖν habeat, cum quo conſtruatur, nempe cum ἑτέρῳ βασιλεῖ, quæ uſitata ſit conſtructio apud *Polyb.* lib. I. c. 32. p. 47. & 69. verba autem εἰς πόλεμον commode ad πορευόμενος referri poſſint. Enimvero attulit hujus ſtructuræ exempla luculenta Cl. *Elsnerus* p. 247. ex ipſo *Polybio*, qui lib. III. c. 56. p. 290. habet τοῖς πολεμίοις συμβαλεῖν εἰς μάχην, & aliis, *Strabone* lib. VIII. p. 540. & *Joſepho* lib. I. de Bello p. 724. De verbo συμβάλλειν pro *confligere*, lege præterea Cl. *Schwarzii* notas ad Olear. l. c. p. 30. ſq. Ceterum eadem ſimilitudine Socratem uti apud *Xenophontem* in Ἀπομνημον. lib. IV. p. 501. obſervavit *Battierius* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. IV. p. 90.

ἐν δέκα χιλιάσιν) ἐν pro μετὰ, ut mox μετὰ εἴκοσι χιλιάδων. Ita & *Xenoph.* Cyropæd. lib. I. p. 30.

ἐρχομένῳ ἐπ' αὐτὸν) Eadem phraſi in ſimili negotio utitur *Xenophon*: vide *Raphelii* Notas Xenophont. p 103.

ἀπαντῆσαι τῷ) Ἀπαντᾶν eſt quacunque ratione occurrere, ſive hoſtiliter, ſive amice, ſive indifferenter. Hoſtiliter quidem h. l. & apud *Polybium* lib. II. p. 149. & 1036. Amice vero, *Matth.* XXVIII. 19. & apud *Polyb.* p. 566. Neutraliter denique *Marc.* XIV. 13. Vide huc *Raphelii* Notas Polybian. p. 221.

Verſ. 32. ἐρωτᾷ τὰ πρὸς εἰρήνην) h. e. *petit talia, quæ ad pacem pertinent*, ſeu *petit pacem.* Vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 93. ubi & oſtendit, nihil huic phraſi commune eſſe cum alia admodum frequente in V. T. apud τὸς LXX. ἐρωτᾶν τινα τὰ εἰς εἰρήνην vel ἐρωτᾶν τινα εἰς εἰρήνην, ut 1 *Sam.* X. 4. & XVII. 22. quod idem eſt, ac *percontari de pace, de incolumitate, & felicitate.*

Verſ. 33. ὃς οὐκ ἀποτάσσεται) *qui non valere jubet.* Vide omnino *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 480.

Verſ. 34. ἐν τίνι ἀρτυθήσεται) Vide huc *Olearium* de Stylo N. T. p. 31. qui oſtendit, τὸ ἐν hic vel abundare, ut alias *Matth.* III. 11. quemadmodum & τὸ ב Hebræorum, vel poni pro *per.* Conf. ibi *Schwarzii* notas, & adde *Pfochenium* §. 63. ac in contrariam ſententiam *Gatackerum* de Stylo N. T. c. XVIII. & *Vorſtium* Philolog. Sacr. Part. I. p. 213. ſq. & II. p. 223. qui uterque Hebraiſmum hic agnoſcunt. De re ipſa confer D. *Jo. Dan. Majoris* Faſcicul. Diſpp. Exerc. VII. p. 35. ſq. ubi de Sale fatuo.

Verſ.

Vers. 35. ἔξω βάλλεσιν αὐτὸ) Hebraismum hic post alios statuit *Olearius* l. c. p. 33. quia scilicet verbum Activum tertiæ pluralis pro Passivo ponatur. Conf. *Glassii* Philolog. Sacr. p. 301. Sed *Latinos* æque ac *Græcos* passim ita loqui, ostendunt *Perizonius* ad Sanctii Minervam lib. IV. c. 4. & *Schwarzius* ad Olearium in Notis p. 34. Confer scripta supra ad *Luc.* XII. 20. & 48.

CAP. XV.

VErs. 1. & sqq. illustrati leguntur a B. *Jo. Frid. Mayero* in Ecloga Evangel. ad Dom. III. p. Trinit. *Witteb.* 1686.

Vers. 1. ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες) Τὸ ἐγγίζειν hic significare videtur studium versandi cum Jesu, appetitionem consuetudinis & familiaritatis ejus, sicut apud reliquos Græcos τὸ πλησιάζειν hanc potestatem habet. Vide Cl. *Schwarzium* ad Olearium l. c. p. 35.

ἀκούειν αὐτοῦ) i. e. audire, ut scilicet Christi præcepta perdiscerent, qua ratione hoc verbo utitur Laërtius II. 19.

Vers. 2. προσδέχεται) i. e. benevolo vultu & affectu recipit. Vide *Keuchenium* in notis ad h. l.

Vers. 4. ὃς καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ) *Knatchbullus* hæc distinguit: *relinquit nonaginta novem, & vadit in deserto* &c. Nimis dilute: nam intelligendum utique est, illud unum perditum esse in deserto, & nonaginta novem ibidem relicta, adeoque & sine eo intelligendum, quem ire in deserto eodem, ut quærat amissum. Ita *Hombergius* in Parergis p. 141.

ἐν τῇ ἐρήμῳ) Per ἔρημον hic non desertum proprie dictum indicatur, sed locus, ab agricolis quidem non cultus, interim pecorum pastionibus relictus, quem Græci μηλόβοτα vocant, h. e. Weyde auf dem Felde. Vide *Rechenbergii* Dissert. singularem ad h. l. de voce ἔρημος. In eandem sententiam commentatur doctissimus *Theod. Hasæus* in Biblioth. Bremensi Class. I. p. 122. seq. ubi ostendit, ἔρημον hic non tam significare locum plane asperum, ἀνέργαστον καὶ ἀπάνθρωπον, in quo nihil præter sabulum, saxa, ferasque reperias, quam non nimis quidem cultum, si cum aliis locis eleganter instructis compares, irriguum tamen ac custodiendis pascendisque gregibus idoneum. Ita Hebræi utuntur voce æquipollente מרבר *Jos.* XV. 61. 1 *Regg.* II. 34. & 2 *Regg.* III. 8. Ita Scriptores N. T. adhibent vocem ἔρημος alias, ut *Matth.* III. 1. & *Marc.* VI. 31. imo & profani Auctores, ut *Strabo*, qui lib. XVI. Arabiam ἐρήμην vocat. Quid quod apud Hebræos מרבר illum terrarum tractum denotat, in quo natura animantibus pastum large & copiose largitur. Vide ibidem p. 127. Unum est, quod hic opponi possit,

poſſit, nempe quod ex teſtimonio Judæorum in *Bava Kama* c. VII. §. 7. conſtet, in Syria ubique ali pecudes parvas, in terra Iſraëlis vero tantum in ſylvis & locis deſertis. Conf. *Relandi* Palæſtinam p. 13.

Verſ. 7. χαρὰ ἔσται) Viciſſim Angeli dolere dicuntur, hominibus in peccata labentibus. Vide *Baſilium* in Pſ. XXXIII. Tom. I. p. 220. Idem Judæis & Muhamedanis perſuaſum eſſe, docet *Gaulminus* in notis ad lib. de morte Moſis p. 337. & *Jo. Gregorius* Obſerv. in loca S. Script. c. 30. Conf. Cl. *Fabric.* ad Codic. Apoc. N. T. p. 569.

ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα δικαίοις) Variis difficultatibus hæc verba obnoxia ſunt, quas ſummatim repræſentatas leges in Biblioth. Bremenſi l. c. p. 99. & apud *Marckium* in Exercitat. Textual. XXXII. p. 345. ſq. item *Spanhemium* in Dubiis Evangelic. Part. III. p. 14. ſq. Inprimis autem diſquiritur, quinam per δικαίους, qui pœnitentia non egeant, veniant intelligendi. Atque eos quidem alii de *juſtis ſpecie talibus*, v. c. Phariſæis interpretati ſunt, inter quos eſt *Hackſpanius* in Notis Philolog. ad h. l. p. 332. & *Jo. Saubertus* in Operibus Poſthumis p. 114. Poſterior provocat ad *Joh.* XIII. 18. ubi verbum אצרק a τοῖς LXX. vertitur per: δικαίος ἀναφαίνεται. Iidem ſequentia verba: οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας ita explicant, quod illi quidem opinione ſua juſti pœnitentia ſe opus habere non exiſtiment, adeoque de ea nec cogitent. Ita ajunt verbum Hebr חפץ i. e. *delector aliqua re*, a τοῖς LXX. *Prov.* XVIII. 2. & *Jeſ.* XIII. 17. reddi per χρείαν ἔχω.

Alii δικαίους illos de beatis in cœlo interpretantur. Hanc ſententiam præ ceteris ornavit nuper laudatus modo *Haſæus* l. c. p. 104. ſq. Hic enim per IC. illos intelligit totam illam multitudinem, qui ſub temporibus promiſſionis & V. T. uſque ad ea, quibus Chriſtus loquebatur, peracto vitæ hujus curſu, in cœlum jam recepti erant, quos D. Paulus dixit ad gloriam introductos *Ebr.* II. 10. idemque cap. XIII. 23. vocat πνεύματα τῶν δικαίων τετελειωμένων. Per hunc autem unicum unumquemque intelligit hominum, qui vorticordia Spiritus S. gratia adjutus, priſtinis moribus relictis, ad Deum ſerio ſe convertit. Hanc interpretationem ille & vocum ſignificationi & contextui ac ſcopo ſermonis apprime convenire, ac præterea talem eſſe exiſtimat, ex qua difficultatibus obviis omnium optime conſulatur. Obſervat idem p. 121. Patrum nonnullos idem ſenſiſſe, & XCIX. oves in deſerto de Angelicis Spiritibus in *cælo* relictis accepiſſe, nominatim S. *Gregorium* Tom. I. Opp. p. 1601. & *Haymonem* in Homiliis ad Pericopas Evangelicas p. 305. Ita Cl. *Jo. Alb. Fabricius* in notis ad Codic. Apocryphum N. Teſt. p. 572. affirmat, verba hæc ad ſcopum Chriſti optime interpretari eum, qui de beatis jam in cœlum receptis accipiat. Nec video, quid obſtet, quo minus in has partes eamus, inprimis, ſi recogitemus, omnem iſtam loquendi rationem a moribus hominum petitam eſſe, qui ſcilicet ex

recu-

recuperatione rei ante amissæ majus gaudium capere consueverunt, quam percipiunt ex usu rei, qua adhuc fruuntur. Similia Rabbinorum effata lege apud *Hackspanium* de Usu librorum Rabbinic. p. 456. sq. & *Jo. Morinum* de Pœnitentia p. 63. a. ubi Judæi tradunt, unum testem pœnitentiæ prævalere 999. testibus peccatorum hominis. *Kimchi* ad Jes. LVII. 19. scribit, peccatorem resipiscentem plus æstimari in conspectu Dei, quam qui nunquam lapsus est.

Comma hoc a Pontificiorum argumentatione, qui ex gaudio Angelorum hic memorato invocationem cœlitum adstruere conantur, vindicat *Marckius* Exercitatt. Textual. l. c. p. 345. sqq.

ἢ ἐπὶ ἐννενήκοντα ἐννέα) subintellige μᾶλλον ἤ. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 373. item *Hombergium* in Parergis p. 141. & *Camerar.* ad Iliad. α.

Vers. 8. καὶ σαροῖ) Vide de hac voce, apud profanos Scriptores vix obvia, *Olearium* de Stylo N. T. p. 37. & 288. ibique *Schwarzium*. Adde ad *Matth.* XII. 44.

Vers. 11. ἄνθρωπός τις εἶχε δύο υἱεὺς) Paradoxam parabolæ hujus explicationem habes apud Auctorem Quæstionum de Revolutione Animarum Quæst. 26. & 58. Eandem commentatione Belgica singulari persecutus est *Jo. d' Outrein*, cui supplementa philologica & antiquaria adjecit in Obsservatt. Miscellan. p. 163. sqq. Confer etiam Rev. *Jo. Wilh. Zieroldi* meditationes in hanc parabolam in der deutlichen Erklärung p. 595. sq.

Vers. 12. τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας) *portionem bonorum competentem.* Eadem phrasi utuntur *Herodotus* Melpomene p. 134. & *Demosthenes* p. 349. περὶ στεφάν. Conf. *Camerar.* ad h. l. *Olear.* de Stylo N. T. p. 38. & inprimis *Boissius* in Collatione p. 238. sqq. qui varia veterum loca affert, tum vero *Suicerus* Tom. I. Thesauri p. 1162.

διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον) βίον i. e. *facultates*: χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσι, teste *Hesiodo* II. 304.

Vers. 13. διεσκόρπισε τὴν οὐσίαν αὐτοῦ) Ejusmodi homo dicebatur ὁ τὰ πατρῶα κατεδηδοκώς, isque habebatur apud Athenienses infamis. Vide *Meursii* Themidem Attic. lib. II. c. 10. Conf. *d' Outrein* Obss. Miscellan. p. 167.

ζῶν ἀσώτως) *vivens perdite*, vel *nequiter*. Vide de hac phrasi *Olearium* l. c. p. 38. *Hombergium* p. 141. Parergorum, Rev. *Deylingium* Part. III. Obss. Sacr. p. 340. Celeb. *Fabricium* ad Sextum p. 496. *d' Outrein* l. c. & *Suicerum* Tom. I. Thesaur. f. 567. Sextus l. c. utitur verbo ἡσωτεῦσθαι. De re ipsa lege *Esaiæ Helt* Diss. de vita & victu filii prodigi, *Hafn.* 1702. & 1703. nec non B. *Kirchmayeri* Disp. de Johannis Baptistæ & Filii nequam cibo, *Witteb.* 1684. 4.

δαπανήσαντος δὲ αὐτῆ πάντα) *cum omnia consumsisset.* Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 823.

Vers. 15. ἐκολλήθη ἑνὶ) *adhæsit uni.* Vide omnino *Suiceri* Thesaurum Tom. II. p. 134.

καὶ ἔπεμψεν αὐτὸν) i. e. *qui misit eum.* Καὶ h. l. est pro ὅς, ut infra v. 25. καὶ ὡς ἐρχόμενος. Eodem sensu occurrit apud *Ælianum* Var. Histor. VIII. 17. & XIII. 40. Conf. *Elsnerum* p. 248.

Vers. 16. ἐπὶ τῶν κερατίων) Κεράτια Græcam esse vocem negat *Casaubonus* in Casaubonian. p. 96. Latinam vero Vulgati versionem ait esse ambiguam. Addit, vulgo pro eo accipi, quod tegit legumina, puta fabas, & id genus. Sed locum *Plinii* XV. 24. de arbore accipiendum suadere, quippe qui inter arbores siliquam ponat, quod & faciunt Columella & alii. *Horatius*, *Juvenal.* & *Persius* inter ciborum genera numerant. De certarum arborum fructibus interpretatur *Steph le Moyne* in Prolegom. ad Varia Sacra p. 76. *Bochartus* Hierozoic. Part. I. p. 708. de fructibus arboris ceratoniæ accipit siliquis digitalibus inclusis. Conf. quæ scripsi olim ad Casauboniana p. 266. *Salmasius* ad Solinum p. 326. b. de siliquis silvaticis explicat, quibus in Syria & Judæa nutriti olim sint porci. Idem p. 327. b. ostendit, nullo modo de siliquis leguminum cum aliis accipi debere.

Adrianus Turnebus Adversar. XXVI. 24. dubius est, quando post *Lambinum* hic vel *legumina* ipsa intelligit, vel fructum quendam viliſſimum. B. *Saubertus* in Opp. Posthumis p. 206. pro fructu arboreo habet, siliquis falcatis tecto, quæ digiti humani longitudinem æquent, & instar sacchari dulces sint & ad cibum valde expetitæ. Addit, vocari alias Johannis-Brodt, ab Arabibus *Charnub*, Syrum vero expressisse per *Carub.* Monet præterea, servile fuisse cibi genus, & levi pretio emtum: quam in rem veterum loca profert. Compara cum his B. *Tenzelii* Dialogos menstruos an. 1692. p. 83. ubi ex literis, Aleppo ad B. *Ludolfum* datis, refertur, siliquas illas dulces Arabice *Charabtes*, Germanice vero Johannes-Brodt vocari, & in regno Cypri inprimis tanta copia inveniri, ut leviſſimo pretio emi possint. Adde, quæ de eadem hac voce disserit B. *J. Diecmannus* in Specimine Glossarii MS. Latino-Theotisci p. 116. sq. Is inter cetera observat, neminem orientalium Interpretum Græcum κεράτια propius origini suæ expressisse, quam Codicem Argenteum per *haurne*, quod sit ipsum nostrum Horn. Geminum vocis significatum *Lundium* singulari Dissert. Aboæ an. 1697. investigasse, &, rejecta vulgari per legumina explicatione, arboris siliquiferæ, quæ Græce κερατόνια dicitur, fructus, aut ipsas illius siliquas ea denotari, argumentis aliquot eviciſſe. Conf. Nova Literar. Maris Balthici 1701. p. 302. & adde, quæ de Bocharti sententia paulo ante attulimus. Lege præterea *Salmasium* in Homonymis Hyles Iatricæ p. 113. *Harduin.* ad Plinii III. 206. *Relandum* in Palæstina Sacra p. 379. Bocharto ὁμόψηφον *Ursinum* in Arboreto Biblico p. 556. sqq. *Voglerum* de Rebus

bus naturalibus Scr. S. p. 326. *Wheſerum* in Itineribus II. 497. *Chabotium* item ad Horatium p. 875. b. & *Schookium* de Cereviſia p. 116 ſqq. *Rabanus* vertit per *glandes*, B. Lutherus autem per Treber, exotica ſcilicet more ſuo ad conſuetudines noſtræ regionis accommodans, ut recte h. l. judicat B. *Dietericus* in Antiquitt. Biblicis N. T. Tom. I. p. 434. b. Eundem ſecuti ſunt & alii Interpretes Germani, etiam illi, qui paſſim verſionem optimam præter rem & loco non ſuo laceſſiverunt. Afferam denique huc, quæ *Thom. Brown* in Tractatibus Miſcellaneis, Anglice Lond. 1684. 8. editis, Num. I. de κερατίοις his obſervavit. Statuit is, intelligendum eſſe fructum arboris, quæ vocetur *ſiliqua*. Hunc fructum copioſum dari in Syria, quo & homines & beſtiæ veſcantur: a nonnullis vocari *panem Johannis*, quia Johannem eo uſum eſſe credant in deſerto. Non ſolum vero in Syria & aliis Orientis locis frequentari, ſed & in regno Neapolitano: ſpeciatim *Viam Appiam* arboribus hujusmodi conſpicuam eſſe, fructumque a Gallis appellari *Carrougas*. Secundum Plinium veteres inde certum vini genus expreſſiſſe: quo facto reliqua porcis in eſcam ceſſiſſe videantur. Conf. *Memoires Literaires de la G. B.* Tom. VIII. p. 478. ſqq. ubi alia in eandem ſententiam ex *Leonh. Rauwolfii* Itinere in Orientem de his κερατίοις adducantur.

καὶ ἔδει ἐδίδε αὐτῷ) Non ἀπὸ τῶν κερατίων, quippe quæ ipſe ſibi ſumere poterat, ſed fruſtum panis, quod ederet, & quod petiiſſet. *Boiſius* in Collat. p. 241.

Verſ. 17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθών) Vide de hac phraſi *Olearium* de Stylo N. T. p. 40. ibique *Schwarzium*. *Xenophon* lib. I. de Expedit. Cyri p. 258. ait, ἐν ἑαυτῷ ἐγένετο. *Perſius* Satyr. IV. 23. *Ut nemo in ſeſe tentat deſcendere*. Latinorum Auctorum loca habes apud *Jo. d' Outrein* in Obſſ. Miſcellan. p. 169. ſq.

Verſ. 18. ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανόν) *peccavi in Deum*. Cœlum enim pro Deo ſumi, apud Sacros & profanos Scriptores utriusque Linguæ, inprimis vero apud Hebræos, pervulgatum eſt. Vide huc *Hackſpanium* in Notis, p. 333. *Pfochenium* §. L. *Gatackerum* Adverſar. p. 185. *Steph. Morinum* Diſſert. VIII. p. 161. *le Cene* in Projet p. 756. *Jo. Lomeierum* de Luſtrationibus p. 205. *Jac. Lydium* in diſſert. de Juramento, quæ ſuffixa eſt Syntagmati ejus de re militari c. III. §. 7. *d' Outrein* l. c. p. 171. & *Olearium* l. c. p. 41.

ἐνώπιόν σου) i. e. εἰς σὲ, *adverſus te*. Inter Hebraiſmos recte numeratur a *Vorſtio* Part. II. p. 181. ſq. *Beza* vertit: *te teſte*.

Verſ. 19. ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου) i. e. *compara me tibi, ut mercenariorum tuorum aliquem*. Ita *Heſiod.* Opp. & Dier. v. 602. θῆτα ἄοικον πρίασθαι, *ſervum familia carentem conducere*. Vide ibi notas Grævii & adde *Elsnerum* p. 249.

Verſ. 20. ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ) i. e. *amplexatus eſt collum ejus*. Simili phraſi utitur *Homerus* Odyſſ. ψ. v. 208. & 240. Conf. *d' Outrein* l. c. pag. 171.

καὶ κατεφίλησεν αὐτὸν) De oſculis in abitu & reditu differit huc *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 654. & de oſculo indicio amicitiæ ibidem. Confer & *d'Outrein* l. c. p. 172. ſq. De oſculo, reconciliationis indicio, lege *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 553.

Verſ. 22. ἐξενέγκατε τὴν ϛολὴν τὴν πρώτην &c.) Ad ſervi conditionem, diſſipatis bonis paternis, detruſus erat degener ille filius v. 15. & præclare actum ſecum putabat, ſi ſervi gradum a Patre receptus obtineret v. 17. & 19. Itaque, quando h. l. *ſtola*, *annulo* & *calceis* donatur, indicio eſt, in libertatem eum vindicari a Patre, atque in poſterum non ſervi, ſed liberi hominis & filii locum recuperare. Ita Cl. *Elsnerus* in Biblioth. Bremenſi Claſſ. III. p. 938. ſq. qui id in ſequentibus per ſingula capita, hic memorata, demonſtrat.

ϛολὴν) i. e. *veſtem virilem*, ſeu *togam*. Vide *Gatackerum* ad Antonin. I. 7. & *Ægid. Menagium* ad Laertium p. 218. a. Erat autem ingenuis proprium veſtimenti genus, non ſervis: vide *Octav. Ferrarium* de Re Veſtiaria lib. III. c. 24. unde & ſervi manumiſſi *ſtola* & *toga* donabantur, ut apud *Quintilianum* Declamat. 347. edit. Burmannian. Interdum tamen ϛολὴ de toto ornatu & cultu corporis adhibetur, ut apud *Ælianum* Var. Hiſtor. III. 24. ubi confer *Perizonium*. Adde cap. 40. & 43. item *Philoſtratum* in Vita Apollonii l. 27. p. 35. Ceterum *Xenophon* Cyropæd. lib. VIII. p. 176. dixit: ἐξήνεγκε γυναικεῖον κόσμον, i. e. *protulit mundum muliebrem*.

τὴν ϛολὴν τὴν πρώτην) i. e. *ſtolam præcipuam*. Verſio *Montenſis* Gall. verterat *la premiere robe*, in margine autem ſcripſerat: *la plus belle*. Vindicias hujus explicationis, quæ *Malleto* diſplicuerat, tum ex verbis ipſis, tum ex conſenſu aliorum Interpretum, etiam Pontificiorum, petitas, lege in *Continuatione Defenſionis* illius verſionis p. 365. ſqq. Non crediderim, hac phraſi *veſtem Primogeniti*, ſeu, quæ Primogenitum deceat, indicari, quamvis ita viſum ſit *d'Outreinio* in Commentatione Belgica ad hanc parabolam §. 192. & in Obſſ. Miſcellan. p. 175. ubi ſpeciatim Gen. XXXV. 15. affert ex LXX. Interpr. λαβοῦσα Ρεβέκκα τὴν ϛολὴν πρεσβυτέρου τὴν καλήν.

Toga ejusmodi ingenuorum hominum *alba* ſeu *candida* eſſe ſolebat. Vide, quæ huc affert *d'Outrein* l. c. p. 175. ſqq.

Καὶ δότε δακτύλιον) Annulus *aureus* hic intelligendus venit: talis enim erat ingenuorum, teſte *Appiano* de Bello Punico p. 104. cum viciſſim ſervi *ferreo* uterentur, auctore *Apulejo* Metamorph. X. p. 326. Conf. *Elsnerum* l. c. p. 940. *d'Outrein* p. 180. & inprimis *Kirchmannum* de Annulis cap. XVI.

καὶ ὑποδήματα εἰς τοὺς πόδας) Calceis carebant ſervi, teſte *Servio* ad Virgil. Æneid. I. 286. Conf. *Balduinum* de Calceo antiquo c. 23. p. 210. & *Ferrarium* de Re Veſtiaria lib. I. cap. 11. Adde *d'Outrein* l. c. p. 182.

Cur

Cur calceos, non autem pileum Pater filio dari hic jusserit, frigide quærit *Balduinus* de Calceo p. 279. & æque frigide respondet ibidem.

Vers. 23. καὶ ἐνέγκαντες τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν θύσατε) Τὸ θύσατε per *sacrificare* verti vult Cl. *Elsnerus* p. 249. primum, quia hic filius, ut recens natus, considerabatur: vid. v. 32. filiis autem recens natis sacrificare solebant, teste *Suida* ad phrasin: δεκάτην ἔθυσαν. Deinde vero, quod, liberis ex improviso Parentibus redditis, & ex periculo servatis, offerri sacrificia moris erat, & de reliquiis convivia parari, quod vocabant σῶτρα θύειν. Vide *Herodot.* lib. I. c. 118. *Euripid.* Jone v. 1123. & *Orpheum* de Lapid. v. 60. In eandem sententiam interpretatur is v. 27. ἔθυσεν ὁ πατήρ σε τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, *immolavit Pater tuus* sc. Deo, incolumitatis auctori. Erudite hæc omnino scribuntur, sed vereor, ut ad mentem Christi accommodate. Is enim ad mores ritusque Judæorum, vel domesticos, vel aliunde successu temporis adoptatos, parabolas suas instruere solebat. Jam vero non memini me legere, quod Judæi unquam in his casibus sacrificia Deo obtulerint. Patet præterea ex contextu, omnem illam mactationem eo spectasse, ut hilarem sumeret diem Pater cum domesticis. Hinc ipse cum θύσατε conjungit statim: καὶ φαγόντες εὐφρανθῶμεν. Hinc. v. 24. καὶ ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι.

Vers. 24. ἔτος ὁ υἱός μὲ νεκρὸς ἦν) *mortui* nomine venire hic potest degener filius ob flagitia & perditam vitæ rationem: vide 1. *Tim.* V. 6. & *Ephes.* II. 5. quemadmodum & Hebræi simili phrasi uti solent: vide *Hackspanium* pag. 334. Notarum, & *Olearium* de Stylo N. T. p. 43. Vel vocatur ita ideo, quod morte dignus sit. Vide *le Cene* in Projet p. 758. Crediderim equidem mortuum a Patre hic dici, quod eum pro tali adhuc habuerit. Manifestum id est ex v. 32. ubi idem Pater ad filium alterum: ὅτι ὁ ἀδελφός σε ἔτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε· καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη. Ibi posterior phrasis: *perditus erat, & recuperatus est*, ostendit, quomodo prior sit accipienda.

καὶ ἀνέζησε) i. e. *resipuit a peccatis.* Vide *Suiceri* Thesaurum Tom. I. pag. 263.

Vers. 25. ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν) Nonnulli verba hæc de *Musicorum & saltantium* choro accipi volunt; alii ad musicam tantum referunt, & forte rectius, ut scilicet indicentur varii eorum chori, qui fidibus canebant. Ita locum accipit *Martianæus* in Essais p. 258. vertens: *les concerts & le chœur de Musique*, nec non *Clericus* in notis ad Vers. Gallicam. De Musica in conviviis differit ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Reflexis p. 655.

Vers. 32. χαρῆναι ἔδει) i. e. *conveniebat, decebat.* Vide huc *Hackspanium* in Notis pag. 333. De conviviis, revertente amico, celebratis *Picinellus* l. c. pag. 655.

ἀπολωλὼς ἦν καὶ εὑρέθη) Vide huc *Schotti* Adagial. N. T. p. 80.

CAP. XVI.

AD hoc caput universum lege *Jo. Lomeieri* Observationes Analytico-Didacticas, quibus fatum Synagogæ sub N. T. τυπωδῶς describitur. *Ultrajecti* 1683. 12. Generatim is observat, γογγυσμὸν Pharisæorum & Scribarum nimiam, ut ipsi quidem judicabant, familiaritatem, quam Dominus noster cum peccatoribus & publicanis colebat, iniquiore animo ferentium, de quo cap. XV. occasionem feciſſe duabus parabolis ibi enarratis, quibus nempe malignitatem & invidiam eorum ostenderit, cum peccatoris resipiscentia gaudii potius quam querimoniæ causa sit etiam apud Angelos in cœlo. Tertiam vero parabolam de filio perdito vocationem Gentium & Judæorum ex ea indignationem prædicere, huic vero aptissime per ἀποσροφὴν, ad discipulos cap. XVI. factam, annecti parabolas novas, quæ ad *rejectionem Judæorum* indicandam pertineant, & simul Ecclesiæ Judaicæ statum, qui tunc fuerit, graphice delineent. In hanc sententiam deinde singula parabolarum hic enarratarum capita distincte explicat.

Exstat in idem hoc caput speciatimque in historiam de divite & Lazaro *Henr. Teelmanni* Commentarius Criticus & Theolog. Amstelod. 1695. 4.

Parabolam de *Oeconomo injusto* singulari Commentatione Belgica illustravit *Jo. d' Outrein*, qui observata sua accessionibus nonnullis auget in Observatt. Miscellan. p. 203. sqq. Ita & *Anton. Driessen*, Theologus Rheno-Trajectinus, in Diatribe de Principiis & legibus Theologiæ emblematicæ &c. *Ultraj.* 1717. 4. editis, curas suas ad ejusdem parabolæ illustrationem retulit cap. IV. p. 93. sqq. statuens, Christum in ea istos ex discipulis suis respicere, qui antea fuerint publicani. Per divitem Virum intelligit Imperatorem Romanum, qui vectigalibus colligendis publicanos præfecerat. Hos ait minus fideliter in negotio versatos & ad procuratorem Cæsaris delatos esse, atque adeo merito metuisse, ne sibi ab officio repulsis misere vivendum sit. Itaque tabulas, in quibus facultates cujusque consignatæ fuerint, immutandas dedisse, atque eadem opera amicos sibi conciliasse. Hunc procuratorem addit artes has laudasse, tanquam tales, quibus & ipse in majoribus ad Cæsarem defraudandum utatur. Christum vero graviter monere, ut publicani bona injuste parta reddant, vel ex facultatibus suis pauperibus succurrant. Confer *Acta Eruditor. Lipsiens.* an. 1717. p. 345 sq.

Scopum hujus parabolæ esse monitum prudentiæ Christianæ e comparata prudentia mundana, observat B. *Dannhauerus* in Hermeneut. Sacr. p. 459. sq. Hæc monita generalia pro instituto nostro sufficerint.

Vers. 1. ὃς εἶχεν οἰκονόμον) Similem parabolam e Judæorum scriptis affert

affert *Jac. Altingius* Comment. in Deuteron. c. XV. Tom. I. Opp. atque inde repetit *Jo. d' Outrein* in Obſſ. Miſcellan. p. 203. ſq.

Verſ. 2. ἀπόδος τὸν λόγον) De tarditate in judicando differit ad h. l. *Picinellus* in Luminibus Refl. p. 655.

οὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν) i. e. *non enim amplius villicabis.* Ita paſſim τὸ δύνασθαι uſurpatur. Vid. *Petavium* Tom. III. Dogmatum Theolog. p. 243. De verbo οἰκονομέω in hoc ſenſu lege *Suiceri* Theſaur. Tom. II. p. 457.

Verſ. 3. Εἶπε δὲ ἐν ἑαυτῷ) Similiter fere *Iſocrates* ad Nicoclem II. 3. §. 10. εὐβέλτερος δὲ νομίζομεν, ὅστινες ἂν αὐτοὶ πρὸς αὑτοὺς ἄριστα περὶ τῶν πραγμάτων διαλεχθῶσιν.

σκάπτειν οὐκ ἰσχύω) Intelligitur agri foſſio, ſementis faciendæ cauſa, quod hujus laboris copia detur ubivis locorum. Eo autem victum quæritare olim non minus, atque nunc, ſolitos fuiſſe, qui ad incitas redacti eſſent, ex *Luciani* Timone patet p. 247. & aliis veterum locis a Rev. *Raphelio* allatis in Notis Xenophonteis p. 103. ſq. & Cl. *Elsnero* p. 258. qui inter cetera *Pauſaniam* memorat in Arcadic. c. 47. p. 695. ita ſcribentem: Λακεδαιμονίων οἱ ἀκμάλωτοι τὸ πεδίον Τεγεάταις ἔσκαπτον. Confer *Maſſonium* in Hiſtoria Critica Reip. Tom. XIII. p. 130. qui oſtendit, apud veteres hominibus, ad incitas redactis, hoc operæ genus ultimum fuiſſe refugium.

οὐκ ἰσχύω) non poteſt, quia non vult. Sunt enim homines, qui τὴν δύναμιν τῷ τῆς προαιρέσεως μέτρῳ κανονίζουσι, *qui vires ſuas voluntate metiuntur*, ut ait *Hierocles* in Aurea Carm. p. 52. Similis huic eſt formula *Ariſtophanis* in Avibus v. 1430.

Τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι.

Atque hinc proverbium illud repetiit *Suidas* voce οὐκ ἐπίσταμαι, non autem ex D. *Luca*, ceu viſum eſt ad h. l. *Millio*, exiſtimanti præterea, *Suidam*, in ſuo exemplari Evangelii Lucæ pro ἰσχύω legiſſe ἐπίσταμαι. Sed vide, quæ recte in contrarium affert *Kuſterus* ad editionem N. T. Millianam Amſtelodamenſem.

ἐπαιτεῖν αἰσχύνομαι) Vide J. C. *Dieterici* Antiquitates Biblic. N. T. Tom. I. p. 62. a. Apud Hebræos turpiſſimum habebatur ab Ethnicis eleemoſynam accipere. Vide *Coccejum* ad *Maccoth.* cap. I.

Verſ. 4. ὅταν μεταστάθῶ τῆς οἰκονομίας) Eadem phraſi utitur *Polybius* p. 485. l. 17.

Verſ. 6. δέξαι σου τὸ γράμμα) *accipe ſyngraphum, chirographum, cautionem tuam. Boiſius* in Collat. p. 243.

ἑκατὸν βάτους) De menſura, quæ hic βάτος vocatur, vide *Olear.* de Stylo N. T. p. 45. *Waſerum* de Numis & Menſuris Hebr. lib. III. c. 4. & *Eiſenſchmidium* de Menſur. Sect. II. c. 3. p. 77. & p. 87.

Verſ.

Vers. 7. ἑκατὸν κόρους) De mensura hac lege *Waserum* II. 6. 7. *Olearium* l. c. p. 46. *Bochartum* Part. II. Hierozoici p. 105. & *Eisenschmid.* l. c. p. 88.

καὶ λέγει αὐτῷ) Verbum λέγειν hic videtur habere significationem jubendi, quam ei notionem tribuit *Demosth.* adversus Phœnipp. p. 654. & 655. item *Xenophon* passim. Conf. *Schwarz.* ad Olearium l. c. p. 46.

Vers. 8. οἰκονόμον τῆς ἀδικίας) i. e. ἄδικον, *injustum*, ex Hebraismo. Vide *Olearium* l. c. p. 47. contra *Pfochenium* §. 42.

οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου - ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς) De phrasibus his hebraizantibus lege *Glass.* lib. III. Tr. I. can. 36. *Vorstium* Part. II. p. 60. & 44. *Fesselium* Tom. II. p. 149. & *Olearium* l. c. p. 48. Patrum expositionem lege apud *Suicerum* Tom. II. p. 1357.

φρονιμώτεροι) Vide *Schotti* Adagial. N. T. p. 81. *Picinellus* in Luminib. Resl. p. 655. hic de homine differit solicito ad mala & tardo ad bona.

εἰς τὴν γενεὰν αὐτῶν) i. e. *erga genus suum*, ut interpretatur *Scaliger* in Actis Literariis apud Schurzfleischium p. 25. *Grotius* exponit per: *in rebus suis agentes: Olearius* l. c. p. 49. per: *in hominibus suæ ætatis*, cum *Walthero* in Harmonia Biblica p. 86.

Vers. 9. Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλους &c.) Vide huc B. *Jo. Pet. Grünenbergii* Dissertatt. 2. de discipulis Christi ex mammona iniquitatis sibi susceptores in æterna tabernacula conciliare jussis, *Rostoch.* 1700. Summa illarum hæc est, quod Christus moneat, ut auditores sui, qui erant tunc temporis, inprimis vero publicani & peccatores, amicos sibi faciant Apostolos suos & Evangelistas, eorumque successores opis indigos, ex opibus suis injuste partis & detentis, idque quibusvis liberalitatis indiciis, benigne excipiendo, lavando, cibando, potando, quo deinde, ubi gratia divina & fiducia lapsuræ nunc veteris Synagogæ caruerint, & in fata tristia ac nullis divitiis amolienda inciderint, ab illis Apostolis, & Evangelistis, conferendi πολιτεύματος jure in regno Messiæ imminente instructis, per informationem, preces, baptismum, absolutionem, in æterna Ecclesiæ tabernacula, in cœlos tandem transferenda, recipiantur. Adde *Jo. Conr. Wakii* Disputat. Jen. 1701. ad h. l. habitam, qui ita hoc comma παραφράζει: *Parate vobis amicos opibus vestris temporalibus* (sive incertis, ac non perpetuo duraturis) *ut, cum ad inopiam redacti fueritis, propter easdem iterum amici perpetuo vos nutrimento adjuvent.* Plerique nostratium receptionem illam in cœlum non de egenis, qui opibus amici redditi sint, sed de Deo, cujus unius est, æternam beatitatem conferre, recte interpretantur, vocato in subsidium Hebraismo, secundum quem personæ tertiæ pluralis numeri passiva notione adhibentur, hoc sensu: *ut recipiamini in æterna tabernacula.* Confer similem phrasin *Luc.* XII. 20. Ita supra v. 4. Oeconomus injustus ait: ἵνα με δέξωνται

δέξωνται non facta illorum, qui id facere debeant, mentione, i. e. *ut recipiar.* Confer huc *Olearium* de Stylo N. T. p. 54. & *Gatackerum* p. 71. it. *Hackſpanii* Notas p. 335. Alii receptionem iſtam pauperibus tribuunt eo ſenſu, quo alias alicui id tribuitur, quod approbat, & effectum cupit. Vide huc *Glaſſium* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. 3. can. 22. & *Amelium* Part. II. p. 762.

ἐκ τῆ μαμωνᾶ) Vide, quos de hac voce ſupra ad *Matth.* VI. 24. laudavimus. Illis adde *Wakium* in Diſſertat. citata, *Faëſium* ad Bullam Jubil. p. 168. ſq. & *Olearium* de Stylo N. T. pag. 49. ſeq. B. Lutheri de hac voce cogitata adverſus Emſerum defendit *Raithius* in Vindiciis p. 396.

μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας) Multa de hac phraſi habet ad h. l. *Keuchenius.* Alludi hic ad etymon vocis Mammon, quod commemoret Hieronymus, ut ſit quaſi מן אין h. e. *ab iniquitate*, unde divitiæ plerumque ortum habeant, ſcribit *Poſſinus* in Spicilegio Evangelico p. 109. Confer *Guſſetii* Lexicon Hebr. rad. און lit. B. & B. *Dieterici* Antiquitates Bibl. N. T. Part. I. p. 46. Divitias *injuſtas* hic appellari eas putant permulti, quæ *injuſte partæ* ſint. Huc vide præ ceteris *Gatackerum* in Miſcellan. lib. I. c. 7. *Lightfootum* in Horis, & ex noſtratibus *Olearium* de Stylo N. T. p. 52. ſq. Viciſſim alia non tam *injuſtas* aut fraudibus partas, quam *falſas* & *adulterinas*, indicari exiſtimant, ut *le Cene* in Projet p. 577. & Cl. *Elsnerus* p. 252. *Notantur*, inquit hîc, *fallaces incertæque divitiæ*, ἡ ἀπάτη τῆ πλέτε, *Matth.* XIII. 22. & πλέτε ἀδηλότης 1 *Tim. VI. 17. quæ verum illud* τὸ ἀληθινὸν v. 11. *ſtabileque bonum non ſunt. Nam* ἀδικία, *præſertim* τῇ ἀληθείᾳ *aut* τῷ ἀληθινῷ *oppoſita mendacium notat. Vide Rom.* I. 18. & II. 8. *ita LXX. Interpr. pro Hebræo* שקר *habent* ἀδικία, *Deuter. XIX. 18. Mich. VI. 12.* Adſtipulatur *Lud. de Dieu*, & noviſſime Cl. *Schwarzius* in Notis ad Olearium l. c. p. 52. Ita non minus olim *Joſ. Mede* in Opp. p. 170. qui Hebraice dici ait ממון שקר & Chald. ממון רשקר i. e. *divitias deceptrices* & comparat cum 1 *Tim.* VI. 17. Utrumque hunc ſignificatum, nempe *injuſtitiæ* & *falſitatis*, cónjunctum in voce ἀδικίας cupit *Hackſpanius* in Notis p. 337. nempe ut priorem obtineat v. 9. ubi reſpicitur ad diſpenſatorem fraudulenter agentem: poſteriorem autem v. 11. ubi *inſtabile* adeoque *fallax* opponitur vero. Ceterum quod ad phraſin ad D. Lucam accedit prope *Euripides*, πλέτον ἄδικον *divitias male partas* appellans in Helena v. 911. & Electra v. 943. ſicut δίκαιον πλέτον vocat *Plutarchus* in Pericle p. 162. Conf. *Elsnerum* l. c.

ὅταν ἐκλίπητε) Plerique Interpretes de *morte* hoc verbum interpretantur. Hac enim voce LXX. Interpretes Hebræum גוע i. e. *exſpiravit*, paſſim exprimunt, ut *Geneſ.* XXV. 8. καὶ ἐκλείπων ἀπέθανεν Αβραάμ. Confer omnino *Jo. Pearſonii* præfat. ad LXX. Intt. & adde conſentientes Rev. *Pfaffium* in Diſſ. de Variant. Lect. N. T. pag. 165. & *Amelium* Part. II. pag. 762. Ex Patribus ita interpretatus eſt *Theophylactus.* Confer de hac phraſi Cl. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. pag. 55. ubi ex profanis oſtendit, vocem βίος addi ſolere, quando τὸ ἐκλείπειν de *morte ſeu exitio* uſurpatur. De morte quoque accipit

Elsnerus p. 253. sed ad *facultates deficientes* refert *d'Outrein* in Obss. Miscellan. p. 209.

δέξωνται ὑμᾶς εἰς τὰς αἰωνίους σκηνὰς) Ita *Heraclitus* morti suæ vicinus ad Amphidamantem scribit in Collect. Aldin. Epistol. Part. II. p. 289. δέξονται δέ με αἰθέριοι δόμοι, observante Cl. *Trillero* in Notis MSS.

Vers. 10. Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ &c.) Vide huc *Schotti* Adagial. N. T. p. 81. Pertinent huc, quæ in *Schemoth Rabba* Sect. II. §. 2. a Judæis de Mose & Davide traduntur, quod scilicet Deus utrumque eorum ad gubernandum populum suum vocavit, postquam fidem eorum & dexteritatem in curandis ovium gregibus expertus esset. Lege locum apud *Jac. Rhenferdium* in Investigatione Præfectorum & Ministrorum Synagogæ p. 75. sqq.

Vers. 11. Εἰ οὖν ἐν τῷ ἀδίκῳ &c.) Τὸ ἄδικον hic, quippe τῷ ἀληθινῷ oppositum, permulti de opibus, non injuste & male partis, sed *fluxis* & *incertis* recte interpretantur, quam in rem vide, quæ diximus ad v. 9. Adde illis, quæ in eandem sententiam habet *Wakius* in dissert. de Mamona injusto, c. I. §. 9. & Cl. *Schwarzius* ad Olearium l. c. p. 56. sq. qui cum *Lightfooto injustitiæ* notionem hic præfert.

Vers. 12. τὸ ὑμέτερον) Patres nonnulli legunt ἡμέτερον, quod parum abest, quin probet *Millius*. Sed vide *Whitbii* Examen p. 46. Comparantur scilicet bona *secularia*, *externa*, & tandem peritura, quæ hic vocantur *aliena*, tanquam ab arbitrio nostro non pendentia, cum *internis* animi, & in altera quoque vita *duraturis*, quæ vocantur τὰ ἡμέτερα, tanquam quæ *nostra* sint, & fructum inposterum quoque exsertura. Ita Gentiles quoque opes & alia sæculi bona aliena & non nostra, atque adeo non vere bona appellabant, ea viciſſim pro *nostris* & vere bonis habentes, quæ animo ineſſent & cognitione veritatis, virtute &c. continerentur. Vide huc *Longinum* de sublimitate dicendi Sect. VII. n. 1. Ita de Helvidio Prisco *Tacitus* Histor. lib. IV. *Doctores sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta; mala tantum, quæ turpia; potentiam, nobilitatem, cæteraque extra animum, neque bonis, neque malis annumerant.* Confer alia hujusmodi apud *Gatackerum* ad Antoninum II. 1. p. 47. item ad II. §. 11. III. §. 11. & VI. §. 45. Spectat huc quoque illud *Horatii* Epist. II. 2. v. 170. ubi de avaro: *Sed vocat usque* ***Suum*** &c. subjungit:

\- - - - *tamquam*
Sit ***proprium*** *quidquam, puncto quod mobilis horæ*
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc sorte suprema
Permutat dominos & cedat in altera jura.

Sic *Antoninus* XII. 26. ὅτι ἐδὲν ἴδιον ἐδενός. Vide ibi *Gatackerum*. & confer *d'Outrein* in Obss. Misc. p. 212. sq.

Vers. 13. οὐδεὶς οἰκέτης δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν) Illustrat hæc *Jac. Hasæus*

ſæus exemplo vaſalli ligii, qui a Domino directo accepit feudum ligium ſeu homologatum. Vide Biblioth. Bremenſ. Claſſ. I. p. 310. Confer *Picinelli* Lumina Refl. p. 655. Οἰκέτης proprie eſt *famulus*, δοῦλος ſervus. Vide *Boiſii* Collationem p. 243.

Verſ. 14. ἐξεμυκτήριζον αὐτὸν) Τὸ ἐκμυκτηρίζειν ſignificat *inſignem deriſionem*, adhibito quodam narium geſtu. Latini dicunt *adunco naſo ſuſpendere*. Conf. *Olearium* de Stylo N. T. p. 59. Utitur eodem verbo *Lucas* XXIII. 35. & ſimplici μυκτηρίζεσθαι *Paulus* Galat. VI. 7. Conf. *Brodæi* Miſcell. Part. II. cap. 32. Tom. II. Theſauri Critici Gruteriani p. 530. & *d'Outrein* l. c. p. 215.

Verſ. 15 ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς) h. e. vos vobismet ipſis laudem juſtitiæ tribuitis, & magno molimine ceremoniarum, quas admiratur populus, juſti videri vultis. Itaque τὸ δικαιοῦν idem hic eſt, quod ὁμολογεῖν, δοξολογεῖν. Conf. *Luc.* VII. 35. & X. 29. Adde *Glaſſii* Philolog. Sacr. lib. III. Tr. 3. can. 15. & *Olearium* l. c. p. 59.

βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ) Abſtractum hic ponitur pro concreto βδέλυγμα pro βδελυκτόν. Exempla Scriptorum Sacrorum utriusque Fœderis ſimilia habes apud *Glaſſium* l. c. lib. III. Tract. 3. can. 7. *Vorſtium* Philol. Sacr. Part. I. c. VIII. & *Gatackerum* in Adverſariis c. XVIII. & in Cinno lib. II. c. IV. Ita vero non minus *Græci* profani loqui amant. Sic apud *Philoſtratum* in Vita Apollonii lib. III. c. 32. p. 123. Græci vocantur ἀναρχία, & lib. IV. 3. ἄσωτοι audiunt ἀσωτία. Confer ibi B. *Olearii* notas. Σοφὸν ἀστρονόμημα *Laertio* l. 34. idem eſt, quod σοφὸς Ἀστρόνομος. Plura hujusmodi legas, ſi placet, apud *Stolbergium* in notis ad Sophoclis Ajacem p. 158. & *Perizonium* ad *Æliani* Var. Hiſtor. XIV. 11. Sic & *Latini* iſtum loquendi morem imitati ſunt. *Aviditatem* & *pudorem* pro avido & verecundo dixit *Phædrus* II. 1. Adde *Diſpontinii* Collectanea in Phædrum, voce : *Abſtracta pro Concretis*; & *Vechneri* Hellenolexiam p. 330. De re ipſa lege ſimilia Patrum dicta apud *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 676.

Verſ. 16. ὁ νόμος καὶ οἱ Προφῆται ἕως Ἰωάννου) ſcil. προεφήτευσαν, quod exſtat in loco parallelo *Matth.* XI. 13. ex quo etiam verbum hoc a librario in Codic. *Cantabrig.* translatum eſt. Atque hic τὸ προφητεύειν B. *Olearius* in Obſervatt. ad Matthæum p. 335. idem eſſe vult, quod : *munere & auctoritate ſacri vatis defungi*, ut proinde auctoritas legis & Vatum uſque ad Joannis tempora duraſſe dicatur. At Cl. *Moshemius* in Vindiciis antiquæ Chriſtianorum diſciplinæ Anti-Tolandinis p. 296. planius ita hæc explicari poſſe exiſtimat: *Prædictiones Legis & antiquorum vatum poſteaquam Johannes docere cœpit, deſinunt eſſe prædictiones, quoniam eventu corroborantur, resque, quas diu ante annunciaverunt, fieri incipiunt.*

Καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται) i. e. *unusquisque in illud vi irrumpit.* Cum nempe Scribæ & Phariſæi, quaſi oſtiarii, advenienti populo occluſerint regnum cœlorum, & cupientes intrare non admiſerint, vis adhibenda

erat, ut irrumperent etiam non admissi. Ita scite hic Rev. *Kypkelius* in Notis Polybianis p. 222 sq. ubi deinde varia *Polybii* & *Arriani* loca affert, in quibus verbum βιάζεσθαι usurpatur de iis, qui omni contentione ingredi laborant. Confer ejusdem Notas Xenophonteas p. 105. & *Erasmi Schmidii* notas ad h. l. Fortasse hic subintelligendum est εἰσελθεῖν, quemadmodum *Exod.* XIX. 24. dicitur, μὴ βιαζέσθωσαν ἀναβῆναι, & *Sextus Empiricus* lib. VIII. pag. 529. ait, βιαζόμενος λαμβάνειν. Confer ibi Cl. *Fabricii* Notas. Ex *Josephi Mede* sententia hæc verborum mens est: *Regnum cœlorum a prima ejus prædictione* βιαστικὸν *esse, utpote violentiæ Judæorum, & inter Gentes præcipue draconis & Antichristi expositum, donec impleta fuerint tempora Gentium. In hoc tempore Spiritum multa lenitate hostes* τροποφορεῖντα *admirabilem vim suam exserturum esse in Ecclesia, e mundi facibus colligenda & adversus tantas calamitates sustinenda.* Vide ejus Fragmenta Sacra, in Fasciculo X. Opusculorum ad Philolog. Sacram pertinentium recusa p. 236. sq. In eandem sententiam verbum βιάζεται interpretatur *le Cene* in Projet pag. 643. ut scilicet regnum cœlorum dicatur expositum esse violentiæ & injuriis adversariorum. Idem statuit, cum *Lightfooto*, *Olearius* de Stylo N. T. pag. 63.

Vers. 17. ἢ τῆς νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν) Virulentus auctor libri *Chissuk Emuna* c. 49. hinc exsculpere conatur, Christianos temere loqui de Lege Mosaica abrogata, quæ tamen hic nunquam præteritura dicatur. Sed vide, quæ recte obvertit *Gussetus* in Confutatione libri illius Part. I. c. XV. XIX. & XX. & summatim c. 49. p. 351. Eodem loco in eandem sententiam, ut scilicet cerimonias Mosaicas adhuc ratas esse debere ostenderet, abusus est *Tolandus*, contra quem vide, quæ erudite monuit Cl. *Mosheimius* in Vindiciis Anti-Tolandinis p. 293. sqq. Ostendit is, Salvatorem per νόμον & Προφήτας hic intelligere vaticinationes, prædictiones & oracula Legis & Prophetarum, quorum scilicet nullum eventu suo sit carituram. Nec exiguum robur huic interpretationi accedere videtur ex *Matth.* V. 18. ubi cum eadem sententia ita expressa esset: ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, statim subjicitur: ἕως ἂν πάντα γένηται. Quæ non inepte de impletione eorum omnium acceperis, quæ tanquam a Christo & in Christo perficienda in Lege unquam prædicta sint.

μίαν κεραίαν πεσεῖν) de κεραίᾳ diximus satis ad *Matth.* V. 18. Verbum πεσεῖν nonnullis idem hic videtur esse, quod: *non fieri, non præstari, quod prædictum, aut præceptum est.* Vide *Olearium* de Stylo N. T. p. 67. In eandem sententiam Rev. *Mosheimius* l. c. p. 294. observat, duplicem posse esse hujus locutionis significationem, nempe, vel hanc: *nullam legis partem eventu carituram esse;* vel istam: *nullam legis partem abrogatum iri.* Priorem hic præferendam idem putat ex *Rom.* IX. 6. ubi Paulus ita: οὐχ οἷον δὲ, ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ, quæ de oraculis & sermonibus Dei unquam irritis interpreta-

pretatur. Alias Græci τὸ πίπτειν vel πεσεῖν eo ſenſu uſurpant, ut idem ſit, quod *carere, privari & orbari ſuæ virtutis & facultatis opinione*, quod ex *Ariſtotelis* Rhetor. ad Alex. c. 3. probat Cl. *Schwarzius* ad Olearium l. c. p. 67.

Verſ. 19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος &c.) Veterum de hac narratione, quæ ad Lazarum & divitem epulonem ſpectat, ſententias, utrum pro hiſtoria, an parabola, an paraboliſtoria, ſeu ex utraque miſta, habenda ſit, ediſſerit diligenter *Voſſius* Tom VI. Opp. p. 371. & *Suicerus* Tom. II. Theſauri p. 206. ſq. Veterum & recentiorum opiniones affert B. *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſputatt. Theolog. Philologic. p. 878. ſq. Vide etiam B. *Mayeri* Eclogam ad Evangelium Domin. I. poſt Trinitat. *Witteb.* 1686.

Pro *parabola* habent plerique veterum Patrum, quos appellat Cl. *Fabricius* in Codice Pſeudepigr. V. T. p. 425. noſtratium, atque inter hos ſpeciatim *Seb. Schmidius* l. c. qui argumenta *Maldonati*, pro hiſtoria habentis, confutat. Huc ſe confert ex Reformatis *Saldenus* in Otiis Theolog. p. 701. ſqq.

Pro *hiſtoria* reputat ex Pontificiis *Maldonatus*, cui reſpondit *Schmidius* l. c. & *Nic. Serarius* in *Rabbinis* lib. II. Scrupulo XXXIX. p. 361. ſq. ex noſtratibus vero *Jo. Brunsmannus* in Hendecade Diſſertationum Miſcellan. p. 44. Diſſ. VIII.

Pro *parabolo-hiſtoria* accipit ex noſtratibus *Henr. Müllerus* in Catena Evangelica p. 660. Cl. *Andr. Ludov. Kœnigsmannus* in Diſput. de divite epulone §. 34. & *Seb. Niemannus* in diſput. de divite & Lazaro Jen. 1669. & ex Reformatis *Voſſius* l. c. p. 372. qui nempe rem vere geſtam parabolice hic enarrari contendit. Contra hanc ſententiam inprimis diſputat *Saldenus* l. c. p. 702.

Qui pro *parabola* habent, de *ſcopo* ejus definiendo diſſentiunt. Alii *Herodem* hic inprimis peti putant apud *Montacutium* p. 238. Apparatus. *Andr. Celichius* in h. l. per divitem, purpura & byſſo amictum, Principes Imperii Romani, ſed dubitanter tamen, intelligit, qui ſe & Cæſares Auguſtos & Pontifices Maximos appellarint. Alii *Statum Judaiſmi & Gentiliſmi* hic delineari contendunt, tum quia hoc cum ſcopo & præcedentis & hujus capitis & aliarum parabolarum, in Evangelicis hiſtoriis occurrentium, quam maxime conveniat, tum, quia eventus, vaticiniorum interpres infallibilis, omnibus hujus textus circumſtantiis exacte reſpondeat. Id agit *Jo. Lomeierus* in Obſervatt. Analytico-Didacticis ad Luc. XVI. p. 91. ſqq.

Per *Lazarum* is ſpeciatim intelligit Eccleſiam Judaicam illius ætatis attritam & deturpatam: per *canes*, Sacerdotes Gentilium & Philoſophos, inprimis Cynicos, unde non majus, quam mendico illi a canibus, auxilium fuerit profectum: per *infernum*, ſtatum Judæorum incredulorum calamitoſiſſimum; per *ſinum Abrahæ*, Judæorum, ad Chriſtum converſorum, felicitaten; per quinque denique fratres quinque Sectas, Eccleſiam Judaicam tunc temporis diſtinguentes. Sed invenit idem in Belgio, qui

conjecturis his omnem veri ſpeciem demerent, contra quos non felicius ſe tutatus eſt in Vindiciis, quas repetitæ editioni illarum Obſervationum *Daventrienſi* an. 1690. additas videbis. Confer *Amelium* Part. I. p. 318.

Nic. Lynckens in ſingulari commentatione ad hanc parabolam *Lazarum* ſpeciatim habet pro emblemate pauperum & miſerabilium inter Judæos, qui in Chriſtum credebant, *Henr. Teelmannus* in Commentat. belgice primum edita *Amſtelod.* 1686. 8. & germanice converſa & edita ſub titulo: Der Paraboliſche reiche Mann und Lazarus, Francof. 1691. 4. divitem de populo Judaico & inprimis Phariſæis interpretatur, tanquam Moſis & Prophetarum ſcripta negligentibus, & cerimonias externas cum ſalutis fiducia ſectantibus, *Lazarum* vero de *Chriſto* accipit, quippe quem iidem, utut unicus ſalutis fons eſſet, contemnerent & averſarentur. Summam ſententiæ ejus habes in Cl. *Clerici* Bibliotheca Univerſali Tom. II. p. 302. ſqq. & in *Amelio* Part. I. p. 943. usque ad p. 1012. qui Auctoris cogitata obſervationibus ſuis auxit. Sicut eadem commendarunt *Chriſtoph. Wittichius* & *Campeg. Vitringa*. Sed vide in contrarias partes Cl. *Kœnigsmanni* Diſputat. citatam §. 35. qui recte nihil tale hic agnoſcit. Conſtat quoque, *Johannem d' Outrein* eandem hanc parabolam belgice expoſuiſſe, atque ad eandem nova quædam protuliſſe in Obſſ. Miſcellaneis p. 218. ſqq.

Mihi quidem illi rationes ſuas inprimis probant, qui parabolam meram invenire ſibi hic videntur. Ea enim in contextu narrationis occurrunt, quæ ne quidem per tropos & figuras Rhetoricas feliciter ſatis exponantur, quod recte monet *Seb. Schmidius* in Faſciculo Diſputationum p. 880. Præterea, quod idem obſervat, hiſtoria divitis & Lazari, ſi qua fuiſſet, procul dubio in Judæa contigiſſet. Atqui omnis hiſtoria ſacra & profana de ipſis nihil habet. Fuiſſet ſaltem Judæis tempore Chriſti nota: jam vero Chriſtus eam non narrat illis, tanquam ſcientibus, ſed tanquam ignaris, cum dicit: *erat homo quidam dives* &c. Et quomodo, quæſo, aut in quo angulo Judææ vir adeo dives cum quinque fratribus exſtiterit, qui quotidie purpura & byſſo indutus adeo laute vixerit? Accedit, ſimilis parabolæ veſtigia reperiri in Gemara Codicis *Beraçhoth* cap. V. fol. 31. quam in rem vide *Vorſtii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 125. & *Saubertum* in Palæſtra p. 278. Scopum parabolæ eum eſſe crediderim cum *Schmidio* p. 854. ut oſtendatur, divites ſuperbos, pauperumque contemtores, ſtatim poſt mortem, & tandem in æternum vehementer ſine remiſſione adfligi, viciſſim vero pauperes contemtos cum Abrahamo æternum gaudere. Hoc ut edocerentur Phariſæi, eorum maximopere intererat, quippe qui & opibus valebant, & earum fiducia pauperes contemtim habebant. Ita διατύπωσιν ſtatus poſt mortem hic olim agnovit *Juſtinus* Quæſt. XLIX. ad Orthodoxos. Nonnihil abit Cl. *Kœnigsmannus* in Diſput. de divite epulone §. 30. exiſtimans, Chriſtum inprimis ob oculos ponere voluiſſe pernicioſum amorem, in ſolis hujus vitæ opibus defixum.

Ἄνθρω-

Ἄνθρωπος δέτις ἦν πλούσιος) *Euthymius* ad h. l. tradit, eum divitem a nonnullis vocatum esse *Nimeusin*. Ædes ejus suo adhuc tempore Hierosolymis monstratas esse, testatur *Adrichomius* in Descriptione Terræ Sanctæ. Conf. Cl. *Fabricii* Notas ad Codicem Apocr. N. T. p. 562. Alii *Herodem* perstringi putant. Vide *Montacutii* Origines Tom. II. p. 223. sq.

ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον) Strabo *Brachmanas* memorat σινδονοφορεῖντας καὶ χρυσοφορεῖντας μετρίως ἐν ταῖς χερσὶ καὶ ἐν τοῖς ὠσί. Vide *Kirchmannum* de Annulis c. XVI. *Byssinæ*, *purpureæ* & *coccineæ* vestes passim in sacris & profanis monimentis ut splendidiores memorantur. Vide huc Biblioth. Bremens. Class. III. p. 306. & 311. *De purpura* & *bysso* commentatur *Wedelius* in Exercitatt. Medico-Philolog. Centur. II. Dec. II. Exerc. III. ad quam supplementa habes Dec. III. p. 99. sqq. Byssum vestitum muliebrem & delicatulum fuisse, ex *Theocriti* Idyll. II. 72. probat Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Vers. 20. ὀνόματι Λάζαρος) De etymologia *Lazari* vide inprimis *Fulleri* Miscellanea lib. I. c. X. Nonnulli idem putant esse, quod אלעזר *Eleasar*, & hominem denotare, cui solus *Deus auxilio* sit, sicut ex veteribus *Gregorius* Moralium XXV. 18. per *Adjutum* vertit. Sed rectius alii ex Hebr. לא עזר i. e. *cui non est auxilium*, derivant, quem Græce dixeris ἀβοήθητον. Vide huc laudatum *Fullerum*, & *Saldenum* ll. cc. tum *Ludov. Cappellum* in notis ad h. l. *Jo. Lomeierum* in Observatt. ad Luc. XVI. p. 97. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 68. Ut nomen *Proprium*, non vero *Appellativum* a Christo hic adhibitum esse, ostendit idem *Saldenus*.

ὃς ἐβέβλητο) *Lamb. Bos* elliptice hic dici existimat pro: ὃς ἐ μόνον ἐβέβλητο, quia scilicet statim sequitur: ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες, ut sensus sit, cum non solum jacuisse ad fores divitis, sed & canes venisse &c. Confer paulo post ad v. 21. Pictores, Lazarum in domo divitis flagellatum repræsentantes, castigat *Philipp Rohr* in Pictore Errante Tom. II. Thesauri p. 867. Confer & *Dilherri* Dissert. Academ. Tom. I. p. 723.

πρὸς τὸν πυλῶνα) Vestibulum, atque adeo fores exteriores hic indicantur. Conf. *Steph. Clerici* Quæst. Sacr. p. 351.

ἡλκωμένος) i. e. *admodum ulcerosus*. Vide *Hackspanii* Notas p. 339. De morbo ejus lege *Wedelium* in Exercitatt. Centur. II. Dec. II. Exerc. II. qui ἑλεεὶν ἀιματίτην eum putat adflixisse.

Vers. 21. καὶ ἐπιθυμῶν) Plerique vertunt: *desiderabat*, *cupiebat*. Sed Cl. *Elsnerus* p. 253. mavult: *contentus erat*, *magni æstimabat*, satiari micis de mensa cadentibus. Ita LXX. Hebræum חפץ Jes. LVIII. 2. reddunt per ἐπιθυμεῖν. Eandem verbo huic notionem tribuit *Lysias* Orat. XXIV. p. 31, & forte *Petrus* I Ep. I. 12.

χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης) Commemorat heic *d'Outrein* l. c. p. 219. Pythagoræ symbolum, quo cavit, τὰ πί-

πτοντα

πίοντα ἀπὸ τῆς τραπέζης μὴ ἀναιρεῖσθαι, i. e. *quæ ceciderunt de mensa, non tollito.* Quod quidem ille ita accipi vult, ut ea non in proprios usus convertenda, sed pauperibus relinquenda dicantur.

Ceterum ex his, quæ hoc commate traduntur, plerique omnes indicium sumserunt immisericordiæ a divite isto in pauperem probatæ. Vicissim nihil tale hic dici statuit laudatus antea *Kœnigsmannus* in Disput. de divite epulone, *Kilon* 1708. edita, sententiæque suæ argumenta petit ex antecedentibus ex silentio Christi & Abrahami, tale quid epuloni non exprobrantium, ex scopo denique Servatoris Optimi, qui ad vanitatem & perniciem amoris secularis referatur. Imo misericordem potius fuisse ex eo patere putat §. 19. quod passus sit, ut ad fores jaceret mendicus ex mensa sua sustentandus: quam in rem in sequentibus alias conjecturas affert. Similiter Cl. *Elsnerus* p. 254. non agnoscit tam crudelem epulonis avaritiam, quæ vel micas pauperi negasset, quippe quod alioquin ab Abrahamo ipsi opportune exprobratum fuisset. Sed ista quidem suo nos loco relinquimus. Confer interim ὁμόψηφον *Jo. Melchiorem* in Opp. Theolog. Part. I. p. 371.

Ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες) Canes scilicet apud Hebræos interdiu foribus alligari solebant, ne versarentur in ædibus & damnum afferrent. Vide *Maimonidem* de damnis opum c. V. §. 9. Soliciti hic sunt Interpretes de genuino sensu particularum ἀλλὰ καὶ, quippe quas alii ita accipiunt, ut canes opponi videantur epuloni tanquam nihil curanti Lazarum, alii vero sic interpretantur, ut, per eas augeatur calamitas pauperis hominis, quippe cui nec ipsi canes peperce-rint, qui scilicet lambendo ulcera purulenta, alioquin nullo modo curata, dolorem miseri hominis exacerbarint. Hoc præstructo vertendum esset: *sed & canes veniebant;* ut post Syrum habent *Erasmus* & *Beza:* vel; *quin etiam*, ut *Castalio.* Hunc sensum amplexus postea est Vir ἑλληνικώτατος, *Erasmus Schmidius*, in Notis ad h. l. observans, hic non esse ἀντίθεσιν, sed αὔξησιν, non *oppositionem*, sed *amplificationem. Si enim*, ita pergit, ἀντίθεσις *esset*, τὸ καὶ *esset non otiosum tantum & supervacuum, sed male insertum.* Eum secutus est Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 105. sq. qui varia Xenophontis loca affert, in quibus τὸ ἀλλὰ καὶ vim augendi obtinet. Pro eadem notione pugnat Auctor der Erörterung etlicher schweren Schriftstellen p. 278. sq. tum vero Cl. *Kœnigsmannus* in Disputatione laudata §. 12. & *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 384. Confer modo dicta ad v. 20. Vide tamen, quæ pro priori sententia attulit *Schœnlandius* in Vindiciis versionis B. Lutheri p. 254. sq. & ipse judica, me quidem in priores illas partes non difficulter discedente.

Quicquid hujus erit, non puto facile inventurum quenquam esse *Amelium*, in eo sibi consentientem, quod canes illi, relicta propria vocis significatione, de servis *ostiariis* epulonis accipiendi sint. Vide eum Part. I. p. 8. Rationes ita sentiendi has quidem affert. Ostiarios, ait, Græcis & Latinis *canum* nomine passim appellari, qui æque ac canes foribus olim ca-

tenarum

tenarum ope alligati sint: quam in rem videri vult *Sagittarium* de Januis veterum & alios, a *Sauberto* c. XIV. de Sacrificiis veterum p. 337. laudatos, tum vero *Pithœum* Subseciv. lib. II. c. 9. *Fruterium* lib. II. Verisimilium cap. XI. & *Gatackerum* in Adversariis Posthumis c. 43. Hos itaque servos medelam putat attulisse Lazaro, paratis emplastris, atque id verbo ἀπολείχειν indicari censet per metalepsin vel synthesin alias in N. T. frequentem, ita ut non tantum significet *lingere* & *lambere*, sed & *emollire*, *lenire* &c. Non repetam hic, quæ novæ huic interpretationi opposita sunt a M. *Christiano Gabr. Fischero* in Disp. Philolog. *Regiomonti* 1712 edita, qua Ameliana cogitata de loco hoc, & Paulino 2 *Cor.* XI. 23. examinavit. Sed id tantum monebo, rariorem vocum significatum, ex uno alterove Scriptore ostensum, non statim ad cujusvis alterius Scriptoris sermonem accommodandum esse, nisi contextus ejus & circumstantiæ manifeste vel admittant, vel exposcant. Hoc vero frustra hic quæsiveris; imo vero contraria inveneris omnia, inprimis si illam particularum ἀλλὰ καὶ notionem hic admiseris, quæ, canes non levamentum sed majorem dolorem homini attulisse, infert. Tum vero probandum adhuc fuerit, τὸ ἀπολείχειν alio, quam lambendi, sensu Scriptori cuiquam adhibitum esse.

Vers. 22-24. exponit *Cappellus* in Operibus p. 254. sq.

Vers. 22. ἀπενεχθῆναι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων) De Angelorum cura in deportandis piorum animabus, ex Judæorum mente hic commentatur *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum & *Hackspanius* in Notis p. 339. De deductoribus animarum ex Gentilium sententia differit *Hieron. Magius* in Miscellaneis Tom. II. Thesauri Critici p. 1421. sqq. inprimis vero *Elsnerus* in Obss. ad h. l. p. 254. Illustris est *Hieroclis* locus ad aurea Carmina Pythag. p. 36.

εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ) De sinu illo Abrahami legantur præ ceteris *Georg. Vechnerus* in libello singulari de Palo Pauli & Sinu Abrahæ an. 1678. *Seb. Schmidius* in Fasciculo Dispp. Theolog. Philolog. p. 866 sqq. *Jo. Adam Osiander*, *Tubing.* 1662. & 1693. *Aug. Varenius* in Thesauro Disputt. super N. T. fol. 324. *Jo. Saubertus* in Palæstra p. 274. sq. Alethæus in der Erläuterung Tom. III. p. 301. sq. & Observatt. Miscellan. Cl. *Kochii* Tom. III. p. 653. Nonnulli eorum ex phrasi Judaica repetunt, cujus exemplum exstat in *Kidduschin* fol. 72. p. 2. היום יושב בחיקו שר אברהם i. e. *hodie recumbit in sinu Abrahæ*, quem locum *Saubertus* l. c. p. 278. sq. tum ex contextu, tum ex aliis Talmudicarum Pandectarum locis ita interpretatur, ut appareat, phrasin illam non simpliciter de morte, sed de placido & quieto post mortem statu adhiberi. Iidem similibus aliis utuntur v. c. *cubare in ulnis* vel *inter brachia Saræ* in *Bava Bathra* f. 38. col. 1. Si quæratur, unde tandem & ipsa hæc locutio depromta sit, non inconcinne respondent, rationem veterum Judæorum & aliorum Orientalium accumbendi ad cibum capiendum originem illi dedisse: inprimis cum Servator Matth. VIII. 11. de beatis dicat, ὅτι ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραάμ.

Lazarum itaque hic dici esse ἐν κόλπῳ Ἀβραάμ, sicut Johannes in Cœna Paschali recubuit ἐν κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ *Joh.* XIII. 23. Hæc fusius explicat *Saubertus* l.c. *Varenius* item & *Osiander* in laudatis Disputationibus, nec minus *Bashuysenius* Tom. II. Animadversionum Sacrarum p. 326. Ex horum itaque mente in sinu Abrahæ esse dicitur, qui cum eo eique proximus (is enim erat in sinu alterius accumbentis) cœlestibus deliciis & epulis fruitur. In horum partes concedit *Vechnerus* de Sinu Abrahæ Sect. VII. p. 22. cujus hæc sunt verba: *Agnoscamus, sic dici Lazarum in sinum Abrahæ translatum, & in sinibus ejus conspectum esse a divite, ut non tantum ad Abrahami mensam admissus sic proponatur, felicitatis cum illo ejusdem consors: sed &, ut præcipuo apud illum honore, & cum manifesto singularis dilectionis indicio, ad sinum ejus delatus, atque ab ipsomet arctiore amplexu in sinus receptus conspiciatur, ad pudefaciendam per ejusmodi ideam tanto efficacius divitum in hac vita insolentiam, & erga pauperes ærumnososque homines inhumanitatem.*

Alii, ab his alioquin non per omnia diffidentes, sinum Abrahami, de *sinu Dei Patris*, tanquam Dei Abrahami, interpretantur, ut proinde Deus ipse, qui alibi ut Pater familias repræsentatur, hic per Abrahamum, tanquam Patrem credentium, indicetur, præcipue, cum dives Abrahamum ut Deum, alloquatur, Abraham vero ut Deus respondeat. Hæc est sententia B. *Schmidii* l.c. p. 901. quem sequitur Celeb. *Fabricius* noster in Codice Pseudepigrapho N. T. p. 426. *Idem vero est*, inquiens, *cum Abrahamo, patre fidelium, in cœlesti mensa accumbere, atque accumbere cum Deo Abrahami, & in sinu ejus, in quo Abraham acquieverit, ut genus hoc loquendi interpretatur B. Seb. Schmidius, vel, ut Asterius Tom. I. Auctarii Cambefisiani p. 16. explicat, cubare in sinu Christi, filii Abrahæ.*

Alludi itaque hi omnes contendunt ad accumbendi ritum in cœna, rectius omnino, quam alii, qui ad *Parentes* hic putant respici, *qui liberos, quos in oculis ferunt, reponere in sinu, fovere gremio, blande alloqui, &, si forte quid acciderit molesti, consolari soleant.* Ita *Jos. Arndius* in Miscellan. Sacr. p. 146. phrasin hanc ediserit, ex eo inprimis, quod v. 25. dicatur ὁ δὲ παρακαλεῖται. Abrahamum itaque ait esse patrem credentium, ejus sinum autem regnum cœlorum, in quo nos hoc carcere exutos tanquam cariissimos liberos recreari a Christo dicamur. Eodem modo sensum loci repræsentat B. *Fesselius* Adversar. Sacror. lib. I. cap. 10. p. 63. ubi simul morem illum veterum tollendi fovendique liberos erudite commonstrat. Idem tamen lib. VIII. p. 375. *Brentii* ad h. l. sententiam sine animadversione ulla affert, qui per sinum Abrahæ vel *promissionem de Christo*, (de qua etiam accipit *Jo. Henr. Majus* in Supplementis ad Theolog. Lutheri Loc. VIII. §. 3.) ad Abrahamum prolatam, vel ipsum *Christum* de sinu aut semine Abrahæ natum intelligit. Ex parte *Fesselianam* interpretationem, quæ & *Lud. Cappelli* est, amplectitur Cl. *Frider. Adolphus Lampe* in Exercitatt. ad Psalm. XLV. p. 587. eadem opera non de gloria cœlesti, sed communione cum Ecclesia sermonem hic esse con-

contendens. *Metaphoram*, inquit is, *sumtam esse a Patre, in cujus veluti sinu filii convenirent, dum vesperi ab operis diurnis congregantur, agnovere* Cornel. a Lapide, Salmero, Piscator, Cappellus, Flacius, Fesselius, *aliique, quamvis passim non satis accurate genium symboli perspexerint, dum de gloria cœlesti id explicant, cum potius generalem cum Ecclesia communionem, quæ jam in terris, præcipue in N. T. inchoanda, significet.*

De loco in quo erat Abraham, i. e. *cœlo*, simpliciter, vel de conversatione cum Abrahamo, *sinum*, illum accipit *Hackspanius* in Notis p. 342. ita quidem, ut vox חיק pleonastica sit, sicut 1 *Regg.* XXII. 35. sanguis effluxisse dicitur *in sinum currus* i. e. in medium currum.

Alii per κόλπον ad sinum maris seu portum alludi arbitrantur, qui Græcis hoc nomine vocetur. Præsens enim vita sicut æstuans & procellorum mare sistit, ita futuræ beatitatis conditio cum tranquillo portu comparari commode posse videtur. Sic multi veterum Patrum statuerunt, quos appellatos vide a *Suicero* Tom. II. Thesauri Eccles. voce κόλπος p. 138. Adde *Ritmeieri* Dissert. de Nomenclaturis Mortis emphaticis §. 11. qui tamen in prima, quam attulimus, sententia, ceteris nostro quoque judicio præferenda, merito acquiescit, proque ea alios ὁμοψήφους affert.

Vers. 23. ἐν τῷ ᾅδῃ) De voce ᾅδης diximus satis ad *Matth.* XVI. 18. & alias.

ὑπάρχων ἐν βασάνοις) i. e. *siti* inprimis vexatus. De ea enim proprie βάσανον adhibet *Sextus Empiricus* lib. XI. p. 706. edit. Fabric. ἵνα φύγῃ τὴν ἐν τῷ διψᾷν βάσανον.

ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ) idem est, quod v. 22. singulari numero dicitur εἰς τὸν κόλπον. De ista numeri Enallage, Hebræis inprimis recepta, lege *Hackspanium* in Notis p. 340.

Vers. 24. Καὶ αὐτὸς φωνήσας εἶπε) Similem apologum ex Platone affert, & cum præsente comparat *Spencerus* ad Origenem contra Celsum p. 36. sq.

ἵνα βάψῃ - - ὕδατος) i. e. ἐφ' ὕδατος. Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 329.

καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου) Epulo hic ea maxime parte, qua deliquit, punitur. Vide huc *Ezech. Spanhemium* ad Callimachum p. 702. & 718. Simile quid de inferni incolis, aquam a paradisi inhabitatoribus flagitantibus, Muhammedani tradunt. Lege *Pocockium* ad Portam Mosis p. 309.

ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ) *Flammam* hic de igne minus Græce dici, visum est nonnullis: contra quos lege *Pfochenium* §. 101. Sed confer Dissertat. *Gatackeri* illi oppositam p. 241.

Vers. 25. ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου) Sensus est: *non habes, quod in posterum exspectes.* Græcorum enim affirmativa verba, in Præterito posita, æquipollere solent negativis in futuro. Vide *Pocockium* ad Hos. XI. 5. & adde *Amelium* Part. I. pag. 125. qui scite hinc argumentum peti posse observat ad-

versus eos, qui futuram damnatorum a tormentis liberationem somniant. Judæi in *Taanith* f. 11. a. tradunt, *uti in æterna vita piis rependatur præmium pro bono opere, etiam levissimo, quod præstiterunt; ita in hac vita rependi impiis præmium pro bono opere etiam levissimo.* Conf. *Wagenseilium* ad Sota p. 467.

Vers. 26. καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις) i. e. *propter hæc omnia*, ut interpretanda hæc putat *Keuchenius* ad h. l. Ita quoque *Polybius* hac phrasi utitur p. 384. qui tamen eandem quoque alibi eo sensu adhibet, ut idem sit, quod *præter hæc omnia*, qui plerisque Interpretibus h. l. non præter rationem probatur. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 224.

μεταξὺ ἡμῶν καὶ ὑμῶν χάσμα μέγα ἐστήρικται) *Hesiodus* quoque Theogon. v. 740. apud inferos μέγα χάσμα ponit, ubi confer *Grævii* notas ad v. 700. Pertinet quoque huc *chaos ingens*, quod inferorum sedibus adsignant Latini. De utrisque lege *Elsnerum* p. 256. qui præterea observat, Muhamedem quoque Sura VII. com. 46. χάσμα ejusmodi Arabice vocare *Auraph*, ibique animas secum colloquentes introducere. Conf. *Maraccii* Prodromum III. ad Refutat. Alcorani pag. 91. Ex scriptis Ecclesiasticis lege huc Acta Perpetuæ & Felicitatis in Actis Martyrum Selectis Theodor. Ruinarti p. 87. Quomodo *Swindenius* hiatum illum ex hypothesi sua precario assumta de Sole, inferni sede, explicet, lege in Actis Eruditorum Lips. an. 1715. p. 108. In versione B. Lutheri præter rem hic nonnihil desiderare Emserum, ostendit B. *Raithius* in Vindiciis p. 398.

πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν) Eodem verbo utitur *Polybius* p. 262.

Vers. 27. ἵνα πέμψῃς αὐτὸν) *Plato* lib. X. de Republ. p. 518. Erin Armenium ex locis inferis ad mortales superstites missum fingit, qui nuncius esset rerum, quas ibi vidisset.

Vers. 29. ἔχουσι Μωσέα καὶ τοὺς προφήτας) Hagiographa hic ideo omitti censuit *Lightfootus*, quod illa in Synagogis singulis hebdomadibus, non æque ac reliqui Scripturæ libri legerentur. Sed malim cum *Hackspanio* in Miscellan. p. 171. sub προφητῶν nomine & illa complecti.

CAP. XVII.

Vers. 1. ἀνένδεκτόν ἐστι) subintellige χρῆμα; h. e. *fieri non potest*, vel *fieri aliter non solet*, quam ut veniant scandala. Conf. supra ad *Luc.* XIII. 33. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 74 item *le Cene* in Projet p. 503. De voce ἀνένδεκτον lege quoque *Andr. Dunæi* Annotatt. in *Chrysostomi* homiliam XXVII. super 1. ep. ad Corinth. & *Suiceri* Thes. Tom. I. p. 334. De re ipsa, quæ hic tanquam necessaria certo modo infertur, lege *Petavium* Tom. II. Dogmat. Theolog. p. 257.

Vers.

Vers. 2. *περίκειται*) Codex quidam Evangeliorum MS. Biblioth. Reg. n. 2247. habet *περιτεθῇ*, quam lectionem etiam habes apud *Clementem* Romanum, in epist. I. ad Romanos c. 46. & alios nonnullos, Græce & Latine Ecclesiæ, Patres, inter quos alii, v. c. *Origenes* & *Tertullianus* legisse videntur *περιδεῖται*. Vide huc omnino *Cotelerium* ad Patres Apostolicos Tom. I. p. 173. & ad Tom. II. Monumentorum Ecclesiæ Græcæ p. 595. Scilicet omnis hujus varietatis causa in eo posita est, quod Doctores veteris Ecclesiæ, memoriæ fiducia, voces alias cum aliis frequenter permutarunt.

ἢ ἵνα σκανδαλίσῃ) subintellige *μᾶλλον* ante *ἤ*, nisi id post *λυσιτελεῖ αὐτῷ* in limine commatis hujus collocare malis. Confer similia ellipseos hujus exempla *Luc.* XV. 7. & XVIII. 4. & adde *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 373. sq.

Vers. 3. *προσέχετε ἑαυτοῖς*) Ita fere *Antoninus* VII. §. 58. *μόνον πρόσεχε, καὶ θέλε σεαυτῷ καλὸς εἶναι*. Confer ibi *Gatackerum* p. 283.

ἐὰν δὲ ἁμάρτῃ εἰς σὲ &c.) Similia his de peccatis alteri remittendis affert *Lempereur* ad Bava Kamma p. 222. sq. ex Judæorum scriptis, ubi in Gemara Bava Kamma f. 92. dicitur: *Etiamsi offerat omnes arietes Nabathææ, qui in mundo reperiuntur, non remittitur ipsi, donec veniam ab illo petat:* Confer *Maimonidem* in Hilchoth *Chobel* c. V. Sect. 10. qui ita: *Quandoquidem petit ab ipso lædens, & deprecatur semel atque iterum, adeo ut agnoscat, lædentem a peccato suo se convertisse, & pravitatis suæ pœnitentiam agere, ignoscet ipsi: &, quicunque ad ignoscendum festinat, is laudandus & sapientum animus ab ipso resocillatur.* Ex Gentilibus *Antoninus* I. §. 7. mortales vult *εὐκαναλήτως καὶ εὐδιαλλάκτως διακεῖσθαι* h. e. *reconciliatu faciles esse.* Conf. ibi *Gatackerum* p. 11.

Vers. 6. *τῇ συκαμίνῳ ταύτῃ*) Lege huc *Salmasii* Exercitatt. ad Solinum p. 328. a. qui, cum de *συκαμίνῳ* & *συκομόρῳ* differuisset, addit: *Συκάμινος apud Lucam hoc loco non est sycomorus, vel morus Ægyptia, sed simpliciter morus, quamvis contrarium pertendat Erasmus: nam συκομορέαν alio capite nominat, diversam utique a moro sive συκαμίνῳ vulgari.* Idem statuit ad h. l. *Grotius* & cum eo *Gussetus* in Lexico Hebraico p. 886. radice שקם. Hujus hæc habe verba: *Porro συκάμινον esse ipsam, quam aliter μορέαν Græci, morum Latini dicunt, docent argumentis ad Luc. XVII. 6. Beza & Grotius: ut &, differre συκάμινον a sycomoro. Certe apud Theophr. συκαμίνῳ tribuuntur ea, quæ moro congruunt Hist. Plantar.* lib. I. c. 15. *ὀψιβλαστεῖ sero germinat, nec tamen eo tardius folia deperdit cap.* 19. *χυλὸς οἰνώδης, succus vinosus &c.*

Vers. 7. *παρελθὼν ἀνάπεσαι*) Qui se conferunt in eam ædium partem, ubi cibum capiunt, *παρέρχεσθαι* dicuntur a Græcis, a nostris hominibus similiter hineingehen. Ita *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 107. qui in hanc rem producit *Xenophontem* in Convivio, initio p. 689. & p. 711. Pro *παρέρχεσθαι* apud eundem Cyropæd. II. p. 36. invenitur *εἰσέναι*. Itaque *transeundi* significatus hinc exsulat.

Vers. 8. καὶ περιζωσάμενος) Servi scilicet olim in conviviis præcincti erant, ut ad ministrandum expeditiores essent. Vide *Horatium* lib. II. Serm. 8. v. 69. & v. 10. item *Anacreontem* Od. IV. p. 12. & ibi *Barnesium*, inprimis vero *Elsnerum* p. 258. & *de Prado* in Pentecontarcho p. 95. Lege &, quæ supra scripta sunt ad *Luc.* XII. 37. Similia veterum loca in notis MSS. affert Cl. *Trillerus*, idemque videri jubet *Barnesium* & *Baxterum* ad Anacreont. l. c. Interpretes ad *Phædri* II. Fab. V. v. 36. *Taubman.* ad Plautum, *Pignorium* de Servis, *Barthium* ad Claudian. p. 529. & *Munckerum* ad Fulgentium.

διακόνει μοι) Hoc verbo servorum circa convivia ministeria indicantur. Sic *Theophrastus* Character. c. XI. παῖδας διακονοῦντας vocat, & Regibus Persarum cœnantibus servos omnes λελουμένους διακονεῖν h. e. *lotos ministrare*, testatur *Athenæus* IV. 10. Διακονεῖν τραπέζας plene dicitur *Actor.* VI. 2. & apud *Heliodorum* lib. V. p. 218. Sic Latini dicunt eodem sensu *ministrare*, ut *Plautus* Stich. Act. V. Sc. IV. v. 7. unde & *ministratores* passim in Inscriptionibus servi, in conviviis ministrantes, appellantur. Vide Cl. *Elsnerus* p. 259. & *de Prado* in Pentecontarcho p. 96. sq.

Vers. 10. Οὕτω καὶ ὑμεῖς &c.) Totum hoc comma diligenter illustrat *Seb. Schmidius* in Fasciculo Disputatt. Theologico-Philolog. p. 1041. sqq. & inprimis contra Pontificios ostendit, nihil hinc ad stabiliendam bonorum operum perfectionem aut meritum peti posse. Lege etiam, sed cum grano salis, *Erasmum* Tom. IX. Opp. p. 1239. *Schmidius* quidem id singulare hic habet, quod ad connexionem cum antecedentibus necesse esse putat, ut ex v. 9. repetatur verbum δοκῶ, quo utitur Christus, dicens: ἃ δοκῶ. Quo præstructo, verba v. 10. ita fluerent: ἕτω καὶ ὑμεῖς δοκοῦντες -- λέγετε, h. e. *Sic & vos arbitrantes*, (quemadmodum ego me arbitrari & judicare dixi) *quando feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus.*

ὅταν ποιήσητε) i. e. ἐὰν, *si*, pro qua significatione inprimis pugnat *Hackspanius* in Notis ad h. l. p. 340. sq. ubi observat, τὸ ὅταν respondere præfixo Hebræorum ב, quod duo denotare soleat, nempe vel כי i. e. ὅταν, *cum*; vel אם ἐὰν, *si*. Vide Ps. LI. 1. & *Ezech.* III. 18. 19. 20. Atque sic optime responderi putat posse Pontificiis, hinc affirmantibus, posse nos implere omnia Dei præcepta, quia hoc loco dicatur: ὅταν, *cum feceritis*. Mihi quidem parum referre videtur, cum *Schmidio* l. c. p. 1050. utro modo vertatur. Sensus enim omnino conditionalis est, ut nihil dicat, certo futurum, doceat vero tantum, quid, si fiat, faciendum vel judicandum sit. Interim exstant exempla τῷ ὅταν pro ἐὰν positi apud *Aristotel.* Politic. V. 7. & 10. p. 510. item Rhetoric. I. 12. quæ affert Cl. *Schwarzius* in Notis ad Olear. de Stylo N. T. p. 76. sqq. qui & ipse hanc notionem ibi tuetur.

δοῦλοι ἀχρεῖοί ἐσμεν) Vox ἀχρεῖοι in una versione *Æthiopica* deest, unde, quod mireris, suspicatur *Millius*, e margine in contextum irrepsisse. Sed

Sed vide *Whitbii* Examen p. 47. a. Itaque recte Interpretes de genuino vocis hujus significatu soliciti fuerunt, quorum sententias vide apud *Schmidium* l. c. p. 1063. sq. Is vero inprimis confutandum sibi sumit *Heinsium* in Exercitatt. Sacr. cap. XV. affirmantem, ἀχρεῖον hic denotare *humilem* & *abjectum*, quam in rem provocat ad 2 *Sam.* VI. 22. quo & in eandem rem utitur *Hackspanius* in Notis p. 345. Sed idem tamen alio propendet, monetque servum inutilem dici *negative* pro eo, qui plane nihil operatus est, sed otium agit, qualis describitur *Matth.* XXV. 30. *positive* autem de eo, qui operatur quidem aliquid, sed operando nihil promeretur. *Schmidius* recte p. 1065. in notiore significatione acquievit, ut nempe servi *nequam* h. e. tales indicentur, qui non præstant præstanda, etiamsi omnia præstent. Hæc est vocis notio *Rom.* III. 12. & *Matth.* XXV. 30. Atque in hoc & ipse puto perstistendum, inprimis, cum is Christi scopus sit, ut unumquemque impotentiæ suæ graviter admoneat, & ad modeste de se coram Deo sentiendum impellat. *Heinsii* tamen expositio ita se probavit *Carolo le Cene*, ut pro ea acriter contenderit in Projet p. 497. Sed argumenta ejus sub examen revocata lege a *Gusseto* in Considerationibus Theologicis lib. III. Sect. 5. qui mavult, per ἀχρεῖος tales indicari, quibus gratiæ haberi non debeant. Glossam B. Lutheri a cavillis Emseri vindicat B. *Raithius* in Vindiciis Vers. German. p. 399.

ὅτι ὃ ὀφείλομεν ποιῆσαι, πεποιήκαμεν) Scilicet servo, mandata facienti, non debetur gratia. Vide huc veterum Patrum effata apud *Suicerum* Tom. I. p. 958.

Vers. 11. διὰ μέσου Σαμαρείας) Vox μέσου videtur παρέλκειν nonnullis, ut nihil aliud hic indicetur, quam Jesum per Samariam profectum esse. Sed secus videtur *Vorstio* Philolog. Sacr. Part. I. p. 305. quo judice Christi iter per mediam Samariam factum innuitur. Alii phrases διὰ μέσου, ἀνὰ μέσου, ἐν μέσῳ per Hebraismum, in quo frequens est בתוך & בקרב, poni ita hic & alibi locorum putant, ut nihil adjiciant nomini, cui adjunguntur, vel non præcise ipsum medium, sed id omne significent, quod rei prope est. Ita post alios statuit *Olearius* de Stylo N. T. p. 78. sq. Atque id quidem admitti in tantum potest, & nonnunquam debet, modo ne negetur, similes loquendi rationes profanis quoque Scriptoribus receptas esse. Atque hoc ipsum luculente ostendit *Schwarzius* ad Olearium p. 78. sq. ubi loca veterum exstant, in quibus phrases εἰς τὸ μέσον, ἀνὰ μέσον & ἐν τῷ μέσῳ occurrunt, ex quibus ἀνὰ μέσον Theophrasto inprimis familiarissimum est. Non minus vero & τὸ διὰ μέσου occurrit, ut apud *Xenophontem* de Cyri Expedit. lib. I. p. 246. διὰ μέσου δὲ τοῦ παραδείσου ἐρεῖ ὁ Μαίανδρος ποταμός. *Per medium hortum decurrebat amnis Mæander*; & apud alios passim, quos commemorat idem *Schwarzius* p. 81. Conf. idem in Addendis p. 463.

Vers.

Verſ. 12. Καὶ εἰσερχομένῳ αὐτῷ &c.) Vide ad totam hanc pericopen B. *Jo. Frider. Mayeri* Eclogam Evangelic. ad Dominic. XIV. poſt Trinitat. ubi varias de lepra quæſtiones excuſſas videbis, qualis ſcilicet fuerit morbus? an Jobus ea laborarit? an ad eum cavendum a carne ſuilla abſtineant Judæi? quomodo Sacerdotes de lepra judicare potuerint? qui in leproſi purificatione ritus adhibiti ſint? num denique Chriſtus lepra laborarit, quod *Elipandum*, Archiepiſcopum Toletanum, temere affirmaſſe oſtendit.

Verſ. 13. Καὶ αὐτοὶ ἦραν φωνὴν λέγοντες) Phraſis iſta Hebraiſmum referre videtur in hac ſtructura, quamvis alias phraſis nuda ἐπᾶραι τὴν φωνὴν ſine εἰπεῖν, λέγειν &c. etiam apud profanos exſtet. Vide hanc in rem *Vorſtii* Philol. Sacr. Part. II. p. 115. & 232. item *Olearium* l. c. cum notis *Schwarzii*.

Verſ. 16. εὐχαριστῶν) εὐχαριστεῖν pro χάριν εἰδέναι inter idioticas phraſes N. T. numerat *Olearius* l. c. p. 287. adductus forte *Pollucis* auctoritate, qui V. 32. præcipit, uſurpari εὐχαριστεῖν ἐπὶ τῷ διδόναι χάριν, οὐκ ἐπὶ τῷ εἰδέναι. Interim exſtat in *Hippocratis* epiſtola ad Damaget. Tom. II. p. 925. locus, in quo verbum hoc eadem notione, qua in N. T. valet, occurrit, quem contra *Pollucem* urget *Schwarzius* in Notis ad Olearium. Confer tamen viciſſim *Salmaſium* de Helleniſtica p. 980. Pertinet huc inprimis, quod primus, ni fallor, ad h. l. obſervavit Cl. *Trillerus*, more receptum fuiſſe ægrotis, inprimis egenis, ubi ſanitatem recuperaſſent, in grati animi ſignum ad Medicorum genua ſe proſternere. Probat id ex *Hippocratis* Præceptionibus §. VI. & *Seneca* in lib. de Brevitate vitæ c. VIII. qui ita: *At eosdem ægros vide, ſi mortis periculum admotum eſt propius, Medicorum genua tangentes.*

καὶ αὐτὸς ἦν Σαμαρείτης) καὶ αὐτὸς i. e. ὃς, *qui*. Ita ſæpe Scriptores N. T. ut *Luc.* XIX. 2. *Act.* VIII. 26. & X. 36. Conf. *Glaſſii* Philolog. Sacr. lib. III. Tract. II. can. 14. unde & nonnulli de Hebraiſmo hic cogitant. Ita vero *Ariſtotelem* de Plantis II. c. 6. & c. 7. p. 1066. loqui, oſtendit *Schwarzius* ad Olearium p. 463.

Verſ. 18. οὐχ εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες) Dupliciter hæc verba verti poſſe, viſa ſunt Interpretibus, vel: *non apparuerunt reverſi*, ut *Grotius*; vel: *non ſunt reperti, qui redierint i. e.* non ſunt reverſi. Atque illi quidem more verbi Hebraici נמצא quod & *eſſe*, & *apparere* ſignificat, id fieri putant. Vide huc *Suicerum* Tom. I. p. 1264. *Olearium* l. c. p. 84. & *Pricæum*, qui per pleonaſmum dici putat εὑρέθησαν ὑποστρέψαντες pro ὑπέστρεψαν. Sed & profanos Scriptores utriusque Linguæ *invenire* & εὑρίσκειν pro verbis *habere*, *videre*, *intelligere*, & paſſiva *inveniri* ac εὑρίσκεσθαι pro verbis *eſſe* vel *apparere*, poſuiſſe, tot & tam luculentis exemplis oſtendit Cl. *Schwarzius* in Notis ad Olearium p. 84. ſq. ut dubitare nefas ſit. Vide huc v. c. *Ciceronem* IX. epiſt. 25. *Herodot.*

dot. lib. I. p 68. & lib. II. p. 61. &c. Adde *Elsnerum* p. 260. qui recte ſtatuit, verborum Chriſti hanc eſſe ſententiam: *nemone animadvertit, eos rediiſſe;* aut: *num a nemine deprehenſi ſunt?* Ita D. *Lucas* XXIII. 2. τοῦτον εὑρομεν διαστρέφοντα τὸ ἔθνος. *Hunc deprehendimus ſolicitare populum.* Ita quoque *Actor.* XXIV. 5. & ſic *Xenophon* de Expedit. Cyri lib. VI. p. 373. ἐὰν εὑρήσετέ με στασιάζοντα, *non deprehendetis me ſeditionem movere.* Confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* I. 18.

δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ) i. e. *Deum publice prædicare, ut beneficii accepti auctorem.* Vid. *Apocal.* XIX. 7. Similiter *Julianus* epiſt. ad Judæos p. 398. ubi pollicetur, ſe, Perſico bello finito, Hieroſolymam reſtauraturum eſſe, καὶ ἐν αὐτῷ δόξαν δώσειν τῷ κρείττονι, h. e. *in ea Numini gratias acturum.* Conf. *Elsnerum* l. c.

Ceterum totum hoc comma interrogative accipit rectiſſime B. *Lutherus*, quod fieri debere etiam *Pricæus* monuit.

Verſ. 19. ἡ πίστις σου) Vocem πίστις priſcis Græcis pro *fidelitate* plerumque, rarius pro *fiducia* adhiberi affirmat ad h. l. *Olearius* de Stylo N. T. p. 86. Poſteriori tamen ſignificatu non ſolum apud Poëtas aut recentiores Scriptores, ſed & apud nobiliſſimos ex antiquitate, v. c. *Ariſtotelem* Politic. V. 11. & VI. cap. ult. occurrere evincit *Schwarzius* in Notis ibidem, eademque opera oſtendit, phraſin πίστις εἰς Κύριον, quamvis in N. T. amplius aliquid quam ſolam fiduciam inferat, in ſe ſatis Græcam eſſe, quemadmodum & τὸ πιστεύειν εἰς τινα, quia τὸ εἰς ſæpe idem apud profanos infert, quod Latini dicunt: *quod attinet ad.* Ceterum de phraſibus πίστις εἰς Κύριον, εἰς Χριστὸν, ἐν Χριστῷ, item πιστεύειν εἰς τινα, ἐπί τινι &c. lege omnino *Vorſtium* Part. II. Philolog. Sacr. c. XXXVI. *Driſium* Obſervatt. lib. III. cap. 1. & in Miſcellan. lib. I. c. 21. tum *Gatackerum* in Cinno II. 20. *Guſſetum* in Lexico Hebr. radice אמן & *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtolic. p. 26. ſq.

σέσωκέ σε) *liberavit*, ſeu *ſanavit te.* Verbum σώζειν frequentiſſime quidem in N. T. de ſalute æterna adhibetur, interdum tamen & de liberatione ab incommodis adhiberi manifeſtum eſt. Vide *Matth.* XXVII. 40. 42. & 49. Pertinet huc, quod etiam apud profanos τὸ σώζεσθαι idem interdum ſit, quod *a vitiis liberari, & ab incommodis illis, quæ vitam vitiis inquinatam ſequuntur.* Hanc verbo notionem paſſim tribuit *Cebes* in Tabula ſua. Conf. Cl. *Clerici* Silvas Philolog. c. IX. p. 260.

Verſ. 20. & ſqq. illuſtratos vide im Heb. Opfer Tom. II. p. 375. ſqq. ubi inprimis oſtenditur, quomodo hic ſermones Chriſti usque ad finem capitis hujus & initium capitis XVIII. cohæreant.

Οὐκ ἔρχεται ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ μετὰ παρατηρήσεως) Voces ultimas μετὰ παρατηρήσεως de *ſplendore* & *pompa* externa, & in oculos incurrente, accipiunt plerique, quorum ſententiam locis nonnullis veterum confirmare conatur *Hombergius* in Parergis p. 261. qui inprimis hic *ſolennitatis obſervationem* indicari

contendit. Sed eam quidem significationem nec in locis ab ipso allatis exstare, nec sibi alias occurrisse affirmat Cl. *Elsnerus* p. 261. sed perpetuo inferre *observationem*, ut apud *Plutarchum* de Iside & Osiride p. 363. *Heliodorum* lib. III. p. 138. qui ita: ἐγὼ δὲ πρὸς μίαν τὴν παρατήρησιν τῶν νέων ἠχολέμην, h. e. *Ego autem observationi adolescentum unice vacabam*: item lib. IV. p. 160. & apud *Arrianum* Epictet. III. 16. Vertere itaque mavult simpliciter: *cum observatione*, i. e. *ita ut observetur*, ut Vulg. vertit; hoc sensu: glorioſum regni Dei & Christi ejus adventum a nemine obſervatum iri, neque fore, ut a quopiam dicatur: ecce hic vel illic adventat. Atque hæc recte adnotari facile conceſſerint, qui veram notionem verbi παρατήρησις ex uſu auctorum, & verbo παρατηρεῖν æſtimare velint. Si vero ad rem ipſam, de qua hic ſermo eſt, attendamus, externa quædam indicia, ſive ea in pompa & majeſtate, ſive in aliis ſimilibus collocare velis, non penitus exſulare debebunt. Illæ enim res inprimis obſervationi aliorum patent, quæ ſe ſpecie externa contemplantibus obiter & alioquin neglecturis, ingerunt. Hoc ipſum innuere videtur Salvator, quando ait, neminem dicturum: *hic vel illic regnum ejus eſſe*. Hoc idem ſuggerit & quaſi poſcit communis Judæorum perſuaſio, qui, regnum Chriſti ſeculare opinantes, apparatum neſcio quem ſomniabant, atque, eo non conſpecto, omnia alia de Chriſto cogitabant. Meditationes aſceticas in hæc verba lege apud Rev. *Valent. Ern. Læſcherum* in Decimis Evangelicis Part. I. p. 477. Verſionem B. Lutheri & gloſſam ejus hic tuetur B. *Raithius* in Vindiciis p. 401.

Verſ. 21. Ἰδὲ, γὰρ ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἐντὸς ὑμῶν ἐστι) Vide huc B. *Hanneckenii* Diſputat. de Regno Dei in nobis, *Vitemberg.* 1705. in qua inprimis oſtendit, de regno gratiæ hic ſermonem eſſe. Particula ἐντὸς duplicem habere ſenſum poteſt, ut vel idem ſit, quod *intra hominem*, in interiore ejus parte, i. e. animo, vel etiam æquipolleat præpoſitioni ἐν i. e. *in* vel *inter*, ut ſic regnum illud jam inter Judæos tunc temporis verſari, & ad eos adventaſſe dicatur. Prioris ſignificatus exemplum exſtat *Matth.* XXIII. 26. ubi dicitur τὸ ἐντὸς τοῦ ποτηρίου· poſterioris vero apud *Xenophontem* lib. I. Cyropædiæ p. 212. ubi ἐντὸς αὐτῶν eſſe dicuntur, quæ aliqui intus in caſtris h. e. extra ſe quidem, ſed prope ſe habebant. Atque huc etiam non inepte retulerim *Æliani* locum ex Var. Hiſtor. IX. 3. pag. 529. edit. Perizon. quamvis eum *Alethæus* loco mox citando pro priori notione ſtabilienda afferat. Interpretes plerique h. l. de animo accipiunt, provocantes inprimis ad *Rom.* XIV. 17. Nonnulli vero in tantum dici volunt, eſſe jam regnum Dei inter populum Judaicum. Atque hic præter vim vocis ipſam urgent, quod Dominus noſter alloquatur Phariſæos, ſeorſim a diſcipulis, ad quos deinde v. 22. ſermonem convertit: illi vero animis a regno Dei erant alieniſſimis: deinde, quod Phariſæi non quærierint de regno Chriſti in Eccleſia, ſed de ipſius adventu in mundum. Ita vero aptiſſime reſpondet Salva-

Salvator, inchoatum jam esse regnum Dei inter ipsos. Pro hac sententia pugnat ex Reformatis *Beza*, ex nostratibus *Winckelmannus*, *Chemnitius*, *Derscheu*, *Hackspanius* in Notis pag. 348. qui τὸ ἐντὸς cum Hebræorum בקרב & בתיך confert, & novissime Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 109. Idem statuit *Limborchius* in Theologia Christiana I. 5. §. 19. ubi observat, particulam ἐν, cui hic τὸ ἐντὸς æquipollere existimat, idem esse, quod *in medio vestri*, *Matth.* XX. 26. *Luc.* XVI. 15. *Rom.* XVI. 7. proque eo firmando affert, quod *Matth.* XXI. 43. Christus ait, ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τ. Θ. i. e. *tollitur a vobis regnum Dei:* quod fieri non potuisset, si prorsus esset internum. Alii utramque notionem conjungunt, ita tamen, ut prior prævaleat. Huc pertinent *Hombergius* in Parergis p. 144. & *Alethæus* Tom. I. p. 54. sqq. qui idem comma a ψευδεξηγήσεως nonnemini fanatici eadem opera vindicat.

Mihi quidem Christus inprimis docere videtur Pharisæos, revera regnum Dei inter ipsos ortum esse, per prædicatam scilicet pœnitentiam, promulgatum Evangelium, & miracula perpetrata, quemadmodum Johannes testabatur, *appropinquasse regnum cœlorum*, & Christus ipse dicebat, *venisse jam Eliam*, quem ut prodromum exspectabant Judæi. Ceterum pro βασιλεία τ. Θ. Doctores Græci & Latini plures habent βασιλεία τῶν οὐρανῶν, sensu eodem. Vide eos diligenter citatos a *Cotelerio* ad Tom. II. Monumentorum p. 596. sq.

Vers. 22. ἐλεύσονται ἡμέραι) Phrasis est τοῖς LXX. ad imitationem Hebræorum, atque hinc Scriptoribus N. T. frequens & familiaris. Vide B. *Olearium* de Stylo N. T. p. 89. cum notis *Schwarzii*, qui in notis tamen *Hippocratis* & *Aristotelis* loca affert, in quibus vox ἡμέραι itidem de tempore protractiore usurpatur.

ὅτε ἐπιθυμήσετε μίαν τῶν ἡμερῶν τ. υ. τ. ἀ. ἰδεῖν) Quæritur hic, quid per dies Christi, filii hominis, & speciatim per *unum* illorum indicetur. Plerique intelligunt de tempore, quod tunc agebatur, Christo in terris versante, quod brevi sit præteriturum, ipso scilicet per mortem sublato. Atque hic alii cum *Hammondo* tempus gratiæ seu prædicationis Evangelii, a Christo ipso nunciati, indicari censent, quod Judæi ex ore ejus non amplius sint audituri. Cum vero Christus hic non ad Judæos, sed ad discipulos, ab ipso ad agnitionem veritatis ductos, & inposterum per Spiritum S. magis magisque ducendos, sermonem faciat, alii rectius *dies Christi* de corporali ejus præsentia & familiari cum discipulis consuetudine interpretati sunt, quam scilicet ipsi inposterum, calamitatibus variis pressi, vehementer, sed frustra expetituri sint. Id arrisit ex Reformatis *Bezæ*, & nostratium plerisque, interque eos nominatim B. *Lysero* in Harmonia Evangelica ad h. l. & B. *Calovio* in Bibliis Illustratis, tum vero Auctoribus des Heb. Opffers Tom. II. pag. 375. Adstipulatur his *Jo. Clericus* in Notis ad

Verſionem Gallicam N. T. Alii per diem illum intelligunt tempus judicii in Judæos paulo poſt exercendi, de quo v. 24. & ſqq.

Ab omnibus his abiit nuper Cl. *Frider. Adolphus Lampe* in Bibliotheca Bremenſi Claſſ. I. p. 492. ſqq. exiſtimans, ſermonem Chriſti inde a v. 22. uſque ad finem capitis *non reſpicere ad tempus judicii in Judæos, ſed ad tempus glorioſi regni Chriſti per judicia, de hoſtibus & præcipue de Antichriſto ſumenda, aperiundi.* Eam igitur putat eſſe Chriſti mentem, quod diſcipuli diem illum glorioſum non viſuri, h. e. eo uſque vitam ſuam non producturi ſint. In hanc ſententiam interpretatur idem vocem μίαν τῶν ἡμερῶν de *præſtantiſſimo* & *præcipuo* die, h. e. de illa regni ejus periodo, quæ omnium præſtantiſſima & glorioſiſſima futura ſit, qualis *Apocal.* XXI. 25. XXII. 5. & *Zachar.* XIV. 7. 8. prædicatur. Addit tamen, μίαν ἡμερῶν etiam de initio regni illius glorioſi accipi poſſe. Hanc ſententiam jam ante prodidit *Leopold. Frider. Gans* in libro vernaculo der vorher verkündigte Zuſtand der Kirchen N. T. de quo diximus ad Matth. XXIV. 3. Diem ſcilicet Evangelicorum, ſub Antichriſto ſuſpirantium, indicari putat. Hic obſervo, *Jo. Meinckium* eſſe, qui ibi per literas J. M. indicatur. Conf. Nova Literar. Germ. Lipſienſ. 1719. p. 182. ſq.

Enimvero cum hic aliquid præſtruatur, judicium ſcilicet in Antichriſtum exercendum hic prædici, quod nec probatum eſt, nec, meo judicio, ſi ratio contextus habeatur, probari unquam poteſt, malim cum illis facere, qui Chriſti cum diſcipulis ſuis converſationem indicari hic cenſent, quam Apoſtoli fruſtra expetituri ſint. De eadem re diſcipulos ſuos paſſim monuit ſapientiſſimus Salvator, v. c. *Matth.* IX. 15. *Johan.* XVI. 16. & alias, ideo ſcilicet, ut ipſos hoc magis excitaret ad agnoſcendum, qua nunc fruerentur felicitate, &, ut animos eorum præmuniret, ne, ubi hæc contingerent, offenderentur, & animum deſponderent. Hic vero cur idem prædiceret, eam habebat cauſam, quod paulo poſt commemoraturus erat imminentem temporum difficultatem, quibus ſcilicet deceptores futuri ſint & falſi Prophetæ, atque adeo perſecutores ipſorum tanquam verorum Chriſti teſtium: quæ omnia effectura ſint, ut Chriſti præſentis conſilia requirerent & vehementer expeterent.

Verſ. 24. ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν) ſcilicet χώρας, quæ vox ſuppleri etiam paulo poſt debet ad voces εἰς τὴν ὑπ' οὐρανόν. Conf. *Lamb. Bos* de Ellipſi Gr. L. p. 240. &, quæ dixi ad *Theophil. Antioch.* p. 54.

ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ) Diem hunc de die reſurrectionis Chriſti nonnulli interpretantur, qui ſcilicet per prædicationem Evangelii confeſtim innotuerit: alii de extremo judicio. Vide *Rich. Simonem* in notis ad Verſ. Gall. Plures autem iique rectiſſime, ceu ex tota ſermonis ſerie, & iis, quæ ad ſuperiora commata dicta ſunt, apparet, de die vindictæ & gravium judiciorum

ciorum in Judæos tempore excidii Hieroſolymitani, quod vehementes calamitates ſecum ferebat. Pro hac ſententia lege, quæ ex noſtratibus attulit inprimis B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis ad h. l. & Auctores des freywilligen Heb-Opffers Tom. II. p. 377. Confer inprimis in hanc ſententiam v. 30. hujus capitis & ſequentes. Pertinet huc, quod Græci æque ac Latini Scriptores nomen ἡμέρας & *diei* ſimpliciter pro *judicio* ponant. Lege hanc in rem *Hieron. Wolfii* notas ad Demoſthenem Tom. V. p. 360. *Guil. Budæum* in Comment. Gr. L. p. 20. & Cl. *Schwarzium* ad Olearium de Stylo N. T. p. 94. Confer, quæ dicentur, Deo dante, ad 1 *Cor.* IV. 3. Alii tamen tum ad *judicium particulare* ſuper Judæos, tum ad *judicium extremum*, quod per illud ſignatum ſit, reſpici contendunt. Inter hos eſt B. *Olearius* de Stylo N. T. p. 94.

Verſ. 29. ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον) Hinc eſt illud exuſtum ſolum, & in litore occidentali lacus incendii veſtigia, quorum profani ſcriptores meminerunt. Vide *Relandi* Palæſtinam p. 256.

Verſ. 30. ἀποκαλύπτεται) Præſens hic ponitur pro *futuro*, quæ enallage apud ſacros æque ac profanos Scriptores ſæpe occurrit. Vide *Pfochenium* §. 31. & *Eraſm. Schmidium* ad *Matth.* III. 10. Indicatur vero hic ultimus Chriſti adventus. Conf. *Suiceri* Theſaurum Tom. I. p. 448.

Verſ. 31. ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος) Vox δῶμα hic ex more ſtructuræ in Palæſtina uſitatæ, per Hebraiſmum pro גג i. e. στέγος ſeu *tecto* uſurpatur. Vide huc *Olearium* l. c. p. 96. *Gatackerum* de Stylo N. T. c. XXIII. & *Ramireſium de Prado* in Pentecontarcho cap. XXVII.

Verſ. 32. μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ) Simile dictum, licet alio ſenſu, legitur in Maſſechet *Tamid*, cap. IV. apud *Lud. Cappell.* in Spicilegio notarum ad h. l. Vide & *Schotti* Adagialia N. T. p. 82. Totum comma & ſimul hiſtoriam uxoris Lothi, in ſtatuam converſæ, exponit *Herm. Witſius* in Exercitat. Theolog. III. p. 120. ſqq. quæ recuſa exſtat in Miſcellaneis ejus Tom. II. Exerc. VII. pag. 186. ſqq. Atque hic quidem inprimis pugnat pro vera feminæ μεταμορφώσει, qua *corpus ejus divina virtute mutatum ſit in ſtatuam ſive acervum ſalis, i. e. materiæ ſolidæ & ſtabilis, quod eſt ſal minerale, quod marmoris inſtar exſcinditur ex rupibus, & nullo imbre liqueſcit, & pro ſaxis ad ædificandas domos idoneum eſt.* Eadem opera confutat *Jo. Clerici* ſententiam, in Diſſertatione ejus de Statua Salis, commentario in Geneſin ſubjuncta, propoſitam, ſecundum quam uxor Lothi diriguiſſe, & inſtar ſtatuæ in ſolo ſalſo immota remanſiſſe credi debeat. Non multum abit hinc *Wedelius* in Exercitatt. Médico-Philolog. Centur. I. Dec. VI. Exerc. IV. quando feminam, fulmine tactam, obriguiſſe, neque tamen in ſaxum mutatam, ſed velut arboris exuſtæ ſimulacrum evaſiſſe contendit. Accedit his ex parte Cl. *Hermannus Hardtius* in Ephemeridibus Philolog. Diſc. IV. de Monumento uxoris, quo judice uxor Lothi propius ad urbem reverſa, in agro, bitumine & ſulphu-

re ardente, flammis absumta est, in cujus rei memoriam statua destinato consilio erecta sit. In hanc sententiam confirmandam adhibet idem v. 31. nostri capitis, in cujus calce Christus præcipit, ne quisquam rebus tam difficilibus & periculosis ad sua revertatur. Sed vide, quæ in contrarias partes attulit Cl. *Casp. Calvörius* in Gloria Mosis p. 216. sqq. & *Henr. Pontanus* in Oratione de Sale Sacrificiorum *Traject.* 1703. 4. Petræ instar obstupuisse statuit *Chevræus* in Chevræanis Tom. I. p. 61. Instar statuæ subsititisse videtur *Aaroni Karæo*, de quo *Rich. Simon* Tom. IV. Biblioth. Critic. ep. 43. pag. 418. Cumulum seu tumulum bituminis evasisse in reditu ex causis naturalibus, contendit post *Heumannum* in diss. singulari de fato uxoris Lothi non miraculoso, Jen. 1708. Cl. *Starckius* in Notis Selectis ad Genes. p. 43. De monumento sepulchrali, eidem posito, explicat *Jo. Henr. Majus* Obss. Sacrar. Part. I. p. 125.

Viciſſim communem interpretationem, quam *Witsius* defendit, recte tuentur *Jo. Saubertus*, *Sam. Schelguigius* & *Hector Gothofr. Masius*, *Henr. Baumannus*, *Dan. Lundius*, & *Mich. Christ. Tierof*, dissertationibus singularibus, *Frid. Ulricus Calixtus* in Tractatu de vario hominis statu Sect. VI. § 1. sqq. *Jo. Cæso Grammius* in Quæstionibus Physicis Kilon 1669. 4. *Jo. Jac. Schudtius* in Compendio Hist. Jud. p. 320. sqq. J. H. *Ursinus* in Analectis lib. III. cap. 4. *Bartholinus* de morbis Biblicis cap. III. *Cluverus* in *Dethlev* Observationibus super res orbis utilissimas Germanice editis an. 1706. p. 302. & alii. Fuerunt, qui statuam hanc vel a se vel ab aliis visam esse nunciarent. Vide huc Patrum loca in *Colomesii* Obss. Sacr. p. 108. Aliorum, idem testantium, meminit *Schudtius* l. c. p. 323. De se id negat R. *Petachia* in Itinerario, quod exstat in Exercitat. IV. Wagenseiliana pag. 197.

Vers. 33. ζωογονήσει αὐτήν) i. e. *conservabit eam*, quod patet ex *Matth.* X. 39. *Marc.* VIII. 35. *Luc.* IX. 24. ubi idem hoc verbum exprimitur per alia, nempe, σώσει, εὑρήσει, φυλάξει. Nomina enim & verba apud Hebræos sæpe ponuntur pro contrariis negatis. Lege huc *Fesselii* Adversaria Sacra Tom. I. p. 438. *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 348. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 96. sq. ubi Cl. *Schwarzius* ostendit, eandem loquendi rationem Græcis quoque & Latinis receptam esse. Adde *Suicerī* Thesaurum Tom. I. p. 1310.

Vers. 34. ὁ εἷς παραληφθήσεται, καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται) Quandoquidem omnes circumstantiæ suadent, adventum hostilem hac capitis parte describi, ab hoste autem παραλαμβάνεσθαι nullum beneficium, neque ab eodem ἀφίεσθαι malum esse potest, verba hæc Cl. *Elsnerus* pag. 262. ita verti vult: *unus comprehendetur* (aut captus tenebitur) *alter demittetur*. Atque eo quidem sensu τὸ παραλαμβάνεσθαι de hoste capto utitur *Thucydides* lib. I. p. 14. & *Diodorus Siculus* lib. XIV. pag. 245. τὸ ἀφίεσθαι vero de libertate, ab hoste concessa, *Arrianus* Expedit. lib. 1. pag. 42. & alii. Eodem modo utrumque

que verbum interpretatus *Johan. Clericus* in Notis ad Verſionem ſuam Gallicam.

Verſ. 35. Δύο ἔσονται ἀλήθουσαι) Apud veteres *molere* mulierum erat. Vid. *Jeſ.* XLVII. & *Exod.* XI. 5. ex quo poſteriore loco patet, morem hunc Ægyptiis inprimis receptum fuiſſe; quod idem de *Lesbo* & *Athenis* teſtantur alii, laudati ab *Elsnero* p. 263. Confer ſcripta ad *Matth.* XXIV. 40. & *Lamb. Bos* in Exercitatt. ad h. l. p. 45.

Verſ. 36. Δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ) Totum hoc comma cum in variis Codd. MSS. & verſionibus, tum vero Patribus non occurrat, ex Matthæi loco parallelo huc translatum poſt *Grotium* ſuſpicantur *Millius* & *Pfaffius* Variant. Lection. N. T. p. 188. & *Rich. Simon* in Notis ad Verſ. Gall. N. T. Hinc & ipſa *Eraſmi*, *Stephani*, atque hanc ſecuta *Millii* editio non exprimit. Imo nec in editionibus Verſionis B. Lutheri vernaculæ ante eam, quæ a Theologis Wittebergenſibus an. 1662. curata eſt, exſtitiſſe obſervat Cl. *Pet. Adolph. Boyſen* in Diſſertat. de Codice Græco N. T. & conſilio, quo uſus eſt B. Lutherus in conficienda Interpretatione Germanica.

Verſ. 37. Πῦ Κύριε) Vide huc *Wolfburgii* Obſervatt. Sacr. p. 499. qui τὸ πῦ novo modo explicat, ut denotet *quo?* referendo nempe ad *locum*, quo *aſſumendi* ſint nonnulli, alii vero, nempe improbi, *repudiandi*. Atque hic illud πῦ reſpectu piorum de Chriſto, quem ſub voce πτῶμα intelligit, interpretatur. Sed rectius, puto, communis interpretatio tenetur, ut diſcipuli credantur interrogaſſe, *ubi locorum* bellicæ ejusmodi calamitates, de quibus dixerat Salvator, inprimis exſpectandæ ſint? Reſponſio Chriſti ſubjecta indicat, eas futuras eſſe in omnibus locis, ubi Judæi inſtar cadaveris conſumendi aquilis, i. e. Romanorum copiis, ſe oppoſituri ſint. Per πτῶμα enim non alios, quam Judæos, per ἀετοὺς autem Romanorum copias intelligendas eſſe ad *Matth.* XXIV. 28. oſtenſum eſt.

CAP. XVIII.

VErſ. 1. Ἔλεγε δὲ καὶ παραβολὴν αὐτοῖς &c.) Particula δὲ non obſcure oſtendit, ſequentem parabolam prioribus ſermonibus Chriſti arctiſſime conjunctam fuiſſe & eodem tempore pronunciatam. Scopus ejus eſt, ut diſcipuli excitentur ad ſtudium precum conſtanter continuandum, & exſpectandum divini Numinis auxilium. Ea vero cohortatione opus erat, ideo inprimis, ut intelligerent, qua tandem ratione ipſi calamitates, Apoſtolis ante excidium Hieroſolymitanum, de quo hactenus dixerat, imminentes, levare & ſuperare tandem debeant. Illas enim calamitates ante pœnam de Judæis ſumendam exſpectandas ipſis eſſe *Luc.*

XXI.

XXI. 12. seqq. Dominus diserte profitetur. Confer Heb. Opfer Tom. II. p. 383. sqq.

πάντοτε προσεύχεσθαι) i. e. *frequentissime precari*, quemadmodum etiam alias voces, διὰ παντὸς, item νυκτὸς καὶ ἡμέρας in simili argumento usurpatæ, ita explicari debent, ut frequentia actus & studium fervens nec facile remittens indicetur. Ita *Joh.* XVII. 20. Christus ait, se πάντοτε docuisse in Synagoga & in templo, h. e. *sæpissime*. Conf. *Luc.* II. 37. & XXIV. 53. & adde Cl. *Majum* Parte IV. Observatt. Sacrar. p. 93. sq. qui inter cetera ostendit, *Palladium* de Bragmanibus p. 8. testari, quod ἀδιαλείπτως, *indesinenter* (vid. 1 *Thess.* V. 17.) precati sint, quos tamen binis per annum mensibus varia vitæ negotia secularia curasse idem perhibet. Consule quoque *Olearium* de Stylo N. T. p. 98. & Cl. *Wolfburgium* in Obss. Scr p. 181. & intelliges, cui quantæque superstitioni in negotio precum occasionem fecerit interpretatio horum verborum prava & strictior. Ipse tradit τὸ πάντοτε hic moraliter de precibus dici, eo sensu, quo avarus opibus semper inhiare dicatur.

καὶ μὴ ἐκκακεῖν) De voce hac præter *Leighium* in Critica Sacra & *Hammondum* ad h. l. lege *Wolfburgium* l. c. p. 181. sq. & *Olearium* l. c. p. 99. qui speciatim monet, τὸ ἐκκακεῖν i. e. *segnescere* dici quasi ὑπὸ τῆς κακῆς νικᾶσθαι, *a malo vinci*, & κακὸν Græcis adhiberi de *ignavo* homine & *meticuloso*, qui pedem referat in certamine. Adde *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 1047.

Vers. 2. καὶ ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος) *nec hominem reverebatur*; pro quo alii malunt: *nec quenquam reverebatur*: minus accommodate, quia majoris improbitatis specimen est, ne homines quidem revereri, quod multi faciunt ex iis, qui Deum haud timent. Vide huc *Boisii* Collationem p. 247. ex Theophylacto.

Καὶ οὐκ ἠθέλησεν ἐπὶ χρόνον) scil. πολὺν, *per multum tempus*, ut Vulg. recte expressit. Supplevit vocem hanc *Thucydides* lib. VI. p. 432. ἐπιτεύξετο ἐπὶ πολὺν χρόνον & *Polyb.* lib. V. 521. διαπορήσας ἐπὶ πολὺν χρόνον. Hæc & similia veterum loca afferunt *Lamb. Bos* de Ellipsi p 164. *Elsnerus* p. 264. & *Schwarzius* ad Olearium de Stylo N. T. p. 220.

εἰ καὶ τὸν Θεὸν οὐ φοβοῦμαι, καὶ ἄνθρωπον οὐκ ἐντρέπομαι) ita etiam profani Scriptores homines profligatæ impietatis describere solent. v. c. *Antoninus Liberalis* Fab. 21. ἤτοι ἐτίμων ἔτε θεὸν ἔτε ἄνθρωπον. *Lysias* Orat. II. p. 147. & alii apud Cl. *Elsnerum* l. c. & Cl. *Trillerum* in Notis MSS. qui affert *Theognid.* v. 747. *Lysiæ* Orat. IX. contra Eratosthen. p. 147. *Homeri* Odyss. IX. v. 275. & *Æschyli* Prometheum Vinctum v. 937.

Vers. 5. ἵνα μὴ εἰς τέλος ἐρχομένη ὑπωπιάζῃ με) Phrasin εἰς τέλος pro Hebraismo habet *Gatackerus* c. 40. contra *Pfochenium* §. 108. de Stylo N. T. sed pure Græcam esse, ostenderunt permulti, allatis idoneis veterum exemplis, qui

qui tamen in significatu ejus dissentiunt. *Vorstius* in Philolog. Sacr. Part. II. p. 256. & lib. III. Dissertatt. Sacr. c. XII. verti vult *perpetuo*. Idem statuit *le Cene* in Projet p. 765. & *Rich. Simon* in notis ad vers. Gall. N. T. & ante eos *Boisius* in Collat. p. 248. Rev. *Raphelius* vertit per: *omnino, prorsus, in totum.* Hanc enim illi notionem semper tribuit *Polybius*, quotiescunque ea utitur, ut p. 28. l. 11. & 24. item p. 29. &c. Ubi tamen voces hæ non cum participio ἐρχομένη, sed cum ὑπωπιάζῃ conjungendæ erunt, hoc sensu: *ne veniens prorsus*, & summa cum molestia *me obtundat.* Vide ejus Notas Polybian. p. 225. *Beza* interpretatur per *tandem*, quod & in versione sua Gallica expressit *Rich. Simon. Knatchbullus* forte idem voluit, sed certe obscurius & minus latine expressit, reddens, *in fine.* *Hombergius* in Parergis noviſſime eandem, quam ex *Polybio* adstruxit *Raphelius*, interpretationem tutatus est, &, ad verbum ὑπωπιάζῃ referens, convertit: *ne illa veniens me plane obtundat.* Affert ille loca huc pertinentia ex *Theocrito* Idyll. 25. *Theognide* v. 1079. *Phocylide* v. 46. *Luciano* in Somnio p. 7. Eadem notio occurrit 1 *Thess.* II. 16. & forte *Joh.* XIII. 1. Et videtur omnino sententia hæc phraseos cum argumento ipso probe convenire. Quod si tamen τὸ εἰς τέλος ad ἐρχομένη pertinere putes, non minus commode per *semper* vel *assidue* verti potest. Atque id quidem placet etiam *Oleario* l. c. p. 99. sq. ubi compara *Schwarzii* notas.

ὑπωπιάζῃ με) De hoc verbo dicemus cum Deo alias ad 1 *Cor.* IX. 27. Vide interim *Lamb. Bos* Exercitatt. ad N. T. p. 240. & *Olearium* l. c. p. 102. item *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 1400. qui vertit: *ne obtundat me.* De Deo, precibus quasi fatigando, differit ex hoc verbo *Vitringa* in Commentar. ad Jesaiam Tom. II. p. 843. ibique illustrem *Tertulliani* locum affert ex Apologetico ejus cap. XI. 1. 2. *Coimus*, inquit ille, *in cœtum & aggregationem, ut ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* *Boisius* in Collatione p. 249. affert hic exemplum anus, quæ *Philippum* Regem ad cognoscendam causam suam precibus & clamoribus suis adegit: quale quid & *Adriano* accidisse narratur.

Vers. 6. ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας) Posterius Substantivum ponitur hic pro adjectivo sine Hebraismo, cum & Auctores Græci ita loquantur. Vide *Horatii Vitringæ* Animadversiones ad Vorstium p. 225.

Vers. 7. Ὁ δὲ Θεὸς οὐ μὴ ποιήσει τὴν ἐκδίκησιν τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ τῶν βοώντων αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτός; καὶ μακροθυμῶν ἐπ' αὐτοῖς;) Comma hoc nonnihil difficultatis habet, inprimis ratione ultimorum verborum, quæ propterea a variis varie interpolata sunt, quod *Millius* inprimis & *Grotius* ostendunt, qui posterior & ipse cum Codd. nonnullis & versionibus pro μακροθυμῶν legere mavult μακροθυμεῖ, quod & in Vulgati gratiam probat *Rich. Simon.* Cum vero communis lectio plurium Codd. auctoritate fulciatur, & præterea sensu commodo indui possit, non est, cur ab ea recedamus; ut taceam τὸ μακροθυμεῖ in præsenti positum ad antecedens ποιήσει tanquam futurum, cum quo per καὶ connectitur, minime omnium

quadrare. Sensus autem talis plerisque videtur, qualem expressit quoque *Olearius* de Stylo N. T. p. 103. *Deus autem an non vindicabit electos suos, clamantes ad ipsum die ac nocte, etiamsi differat animadversionem?* Scilicet τὸ καὶ hic idem est quod *quamvis*, ut *Act.* VII. 5. & Hebr. III. 9. Verbum μακροθυμεῖν vero hic simpliciter moram & dilationem infert, quæ in pœna impiis infligenda nectitur. Hanc autem significationem obtinet *Siracid.* XXXV. 22. καὶ ὁ Κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ κραταιός. *Non faciet moram, nec tardus erit erga illos fortis.* Locum istum ad confirmandam hanc interpretationem inprimis urget *Boisius* in Collatione p. 250. Vide etiam *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 294.

Alii verbum μακροθυμεῖν de *benignitate* & *longanimitate* interpretantur, ex *Matth.* XVIII. 26. 29. & 1 *Cor.* XIII. 4. ubi explicatur per χρηστεύεται. Atque hi voces ἐπ' αὐτοῖς referunt ad electos, de quibus antea locutus erat Servator. Ita noviſſime *Hombergius* in Parergis p. 146. Eadem mens est Anonymi, cujus explicatio legitur in Novis Reipubl. Literar. an. 1688. p. 2071. sq. Is ita vertit: *Et Dieu ne vangera t-il point ſes Elus, qui crient a luy jour & nuit? & lui, qui uſe de patience envers eux, lors qu' ils crient;* vel: *& luy, qui uſe de patience envers eux pour les entendre?* h. e. *Et Deus vindicaturus eſt electos ſuos ad ipſum clamantes die & nocte, is, qui patiens eſt & benignus adverſus illos, dum precantur,* vel, *ut ipſos audiat?* Patientia igitur Dei hic refertur ad auditionem precum Electorum, quod oppositum Judicis injusti exemplum probabile reddit, qui non patienter audiebat viduæ querelas. Huc pertinet similis phrasis *Actor.* XXVI. 3. ubi Paulus ita: διὸ δέομαί σε μακροθύμως ἀκοῦσαί μου. i. e. *Precor, ut patienter me audias:* ubi satis manifestum est, τὸ μακροθύμως de patientia in percipiendis aliorum sermonibus adhiberi. Confer 2 *Tim.* III. 20. & IV. 2. Nec omitte hic, quod Christus non dicat, Deum esse μακρόθυμον generatim, sed μακροθυμοῦντα, h. e. *actu benignum* & *patientem* adversus precantes.

In alia omnia abit Cl. *Elsnerus* p. 265. Is enim, mutato accentu, ex participio μακροθυμῶν fieri vult genitivum pluralem μακροθύμων, eumque cum præcedente βοώντων conjungit hoc sensu: *Deus vero non vindicabit electos ſuos, die noctesque clamantes ad ipſum, & propterea* (scilicet quod ἐκδίκησιν Θεῷ certo sperent) *patienter* (omnia) *ferentes?* Μακρόθυμον itaque credit h. l. esse ἀνεξίκακον, i. e. hominem mala patiente animo ferentem. Conf. *Coloss.* I. 11. *Hebr.* VI. 12. & *Jac.* V. 10. Particulas ἐπ' αὐτοῖς non ad *personas*, sed ad *res* refert, etiamsi non antecesserit pluralis, ad exemplum particularum ἐξ ὧν, ἐφ' οἷς &c. Vide *Joseph.* Antiquitt. XVIII. 6. p. 625. & *Dionem Cassium* lib. XLIV. p. 263. Sed huic quidem interpretationi id primum obstat, quod inter omnes illas lectionum varietates, quæ verba ultima occuparunt, illius, quam V. C. primus ex ingenio affert, nullum vel in Codd. vel in versionibus vestigium exstat. Deinde τὸ ἐπ' αὐτοῖς non potest *de rebus*, nempe *malis*, & adfli-

adfligentibus hic intelligi, cum talium in antecedentibus nulla mentio fiat, quam ibi ſemper vel in ſpecie vel in genere factam videbis, ubi ab externis Scriptoribus τὸ ἐπ' αὐτοῖς vel ἐπὶ τούτοις iſta quidem notione uſurpatur.

Mihi itaque illorum ſe probat ſententia, qui τὸ ἐπ' αὐτοῖς referunt ad electos, τοὺς βοῶντας, & μακροθυμεῖν interpretantur vel de *benignitate* Dei, qua generatim eos proſequitur, vel de *patientia Dei*, quam in audiendis ipſorum precibus exercet. Ita ut ſentiam, eo inprimis adducor, quia impiorum, de quibus ultio ſit ſumenda, non meminit Chriſtus, ut τὸ ἐπ' αὐτοῖς eo poſſit referri. Quemadmodum itaque v. 8. ἡ ἐκδίκησις αὐτῶν itidem ad electos pertinet, præſtiterit eosdem in hoc quoque commate intelligi. Confer de hujus phraſeos ſenſu eos, quos ex *Novis Literariis Bernardinis* mox ad v. 8. afferemus.

Verſ. 8. ἐν τάχει) Eadem phraſi utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. VI. p. 119.

πλὴν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς) Diſputatum noſtra ætate eſt inter Theologos noſtratis Eccleſiæ, nominatim *Aug. Pfeiferum*, & *Philip. Jac. Spenerum* de *adventu* illo Chriſti, & *fide*, quam in hominibus deſideratum iri, dicitur. Prior adventum illum de *adventu Chriſti extremo* ad judicium univerſale, atque adeo fidem, de *ſalvifica* in Dominum, ut Redemtorem, inter homines nimis tunc deficiente, interpretatur; poſterior vero de eo adventu, qui ad vindicandos electos ſuos pertineat, fidem vero de aſſenſu & fiducia in eum adventum non collocata, accipit. Atque hanc ſententiam is tueri inprimis conatus eſt in libello vernaculo, quem inſcripſit Behauptung der Hoffnung künfftiger beſſerer Zeiten, in Rettung des insgemein gegen dieſelbe unrecht angeführten Spruchs Luc. XVIII. 8. *Francof. ad Mæn.* 1693. 12. Huic ſe oppoſuit *Pfeiferus* in præfatione ad librum: Klugheit der Gerechten, *Lubec.* 1693. 8. item in der gerechten Sache wider D. Spenern, *Ratzeburgi* 1695. 8. (quod ſcriptum repoſitum erat der gründlichen Beantwortung Speneri,) & in Scepticiſmo Speneriano p. 33-94. Spenerianas partes amplexus eſt *Jo. Henrici* in Vindiciis dicti hujus cum præfatione Speneri, *Francof. ad Mæn* 1697. 12. ed. & *Wahrmundus* Pſeudonymus in Phariſaiſmo in Scepticiſmo Pfeiferiano ib. 1697. 12. Pfeiferianas viciſſim defenſitavit L. *Simonis* im Ungrund der Hoffnung beſſerer Zeiten, & M. *Chriſtoph Boldig* in tract. ſchlechte Hoffnung beſſerer Zeiten, *Hafn.* 1696. 12. ut alios magno numero, vel obiter, vel data opera, in hoc argumento verſantes, omittam. Non prorſus nova eſt illa Speneriana interpretatio (de qua etiam conferri poſſunt Conſilia ejus Theologica Germanica Part. III. pag. 928.) ſed jam ex parte *Jac. Fabro* Stapulenſi in Comment. in 4. Evangeliſtas in mentem venit, quam in rem legatur Rev. *Jo. Melch. Kraft* in Emendandis & Corrigendis in Hiſtor. Verſ. Germ. B. Lutheri pag. 41. ſq. qui præterea *Sandhagenium* & *Lutkenium* tanquam ὁμοψήφους affert. Eadem placuit *Joſ. Mede* in Fragmentis Sacris, quæ recuſa ſunt in Opuſculis ad Hiſtor. & Philolog. Sacr. ſpectantibus Tom. X. pag. 236. ita παραφράζοντι·

ubi veniet filius hominis (ultum eos) *num quis credet prius, quam venerit?* In eandem ſententiam exſtat *Anonymi* Londinenſis epiſtola gallice ſcripta in Novis Reip. Literar. Bernardinis an. 1688. Februar. p. 109. Is inter cetera ita commentatur: *Si adventus filii hominis de liberatione fidelium in genere vel in ſpecie accipitur, quam hic puto innui, vox fides de fide Chriſtiana ſeu ſalvifica intelligi non poteſt. Chriſtus enim non veniet ad liberandum eos, qui fide ſunt deſtituti.* Urget idem in hanc ſententiam verborum ſeriem, eamque pronius & facilius fluere arbitratur, ſi πίστις de *fiducia, aſſenſu* & *perſuaſione* explicetur, hoc ſenſu: *Putatisne, filium hominis, ubi in terram venturus eſt, inventurum eſſe eos, qui ipſum exſpectent, & tale quid imminere credant.* Sed fuit Anonymus alius, qui & hanc & alteram illam communiorem explicationem deſerendam judicavit in iisdem Novis Literariis p. 245. ſq. hanc quidem ideo, quod in ea a communi & perpetua notione vocis πίστεως, quæ alias in Scriptura S. obtineat, recedatur. Eum proinde horum verborum ſenſum eſſe affirmat. Adventum ipſum de adventu ad extremum judicium accipit. Hunc vero ait differri damnandorum cauſa, ut habeant pœnitentiæ agendæ occaſionem. Ea vero ſi vel ſic differatur, fore omnino, ut judex juſtus liberet electos ſuos, quando ſcilicet ſuo tempore eos ad ſe ſit collecturus in nubibus. Tunc enim non amplius futurum aliquid, quod moram exercendo judicio inferat, quia hoc modo fides nusquam in terra conſpiciendam ſe, abſentibus electis, præbitura ſit. Interceſſit paulo poſt Anonymus tertius ibidem pag. 461. ſqq. qui, repudiata utraque hac ſententia, variisque contra poſteriorem illam difficultatibus allatis, tandem p. 467. ſuam ita ediſſerit, quod Dominus hic precum neceſſitatem, omni tempore a piis attendendam, urgeat, earumque exauditionem tanquam certiſſimam polliceatur, addita ſimul ratione, cur illa non ſtatim ex voto petentium ſe exſerat, quia ſcilicet ipſorum electorum fides infirma ſit. His præſtructis verſus 7. & 8. ita convertit: *Num vero Deus ultionem electorum ſuorum non ſuſcipiet, ad ipſum die noctuque clamantium? quamvis patientia adverſus ipſos utatur? Dico vobis, cum ultione iſta cito defuncturum eſſe. Sed, num filius hominis veniens fidem in terra inveniet?* Ex quibus apparet, quod idem diſerte addit pag. 476. auctorem verba hæc non ad extremi Judicii tempus, nec ad hos vel illos electos, ſed ad tempora quæcunque in his terris, & ad fideles quoscunque, referre. Omitto hic, quæ primus ille Anonymus ad ſententiam ſuam amplius ornandam attulit ibidem pag. 616. ſqq. & breviter repeto, quæ Anonymus quartus ibidem p. 1061. ſqq. poſt ceteros illos ad h. l. monuit. Is inprimis ex verbis, quibus Chriſtus *mox* & *confeſtim* ulturus dicitur ſuos, colligit, de ejusmodi adventu ſermonem eſſe, qui immineat, & cum electorum ſuorum liberatione & ultione ſit conjunctus. Hos vero electos eſſe Apoſtolos & fideles naſcentis Eccleſiæ, quos ulturus ſit adverſus Judæos, everſa per Romanos Judæorum Republica. Hinc putat conſequi, phraſin adjunctam, ἆρα εὑρήσει πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; idem eſſe ac ſi dicas: *talia ibi eventura eſſe, quæ*

omnem

omnem fidem superent, & quæ vix præ stupore crediturí sint, ubi ipsi inspiciant. Paraphrasin itaque hanc illius commatis instituit: *Filius autem hominis ubi venerit ad vindictam sumendam, exscindendos Judæos, & Ecclesiam suam liberandam, vosque ipsos & reliquos fideles, num quis crediturus est, ubi viderit, quæ is perficiet. Vos non poteritis nunc credere, sat scio: Sed prænuncio ea vobis ante quam eveniant, ut credatis, ubi evenerint.* Non multum ab his cogitatis abit Anonymus quintus in iisdem Novis anni 1689. pag. 113. sq. Illius judicio adventus Christi ad judicium particulare super Judæos exercendum hic indicatur, inprimis quia cap. XVII. antecedente de eo Dominus locutus sit, & quod idem diserte dicat, *confestim* id perficiendum esse. Deinde p. 116. observat, verba illa πλὴν ὁ υἱὸς τ῀ ἀνθρώπ῀ ἐλθὼν ἆρα εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; dupliciter posse converti; nempe vel sic: *sed quando Filius hominis venerit, putatisne eum fidem in terra inventurum?* vel ita: *sed quando Filius hominis venerit, nonne fidem in terra inveniet?* Utramque ait sententiam a verbis ipsis admitti, quam vero indicatam voluerit Dominus, non nisi ex pronunciandi ratione cognosci posse, quæ cum hodie nos lateat, nihil esse reliquum, quam ut sensus maxime probabilis, & argumento ipsi accommodatus, præferatur. Talem vero posteriorem esse ideo existimat, quod Dominus omnino eo tempore, quo Judæos, eversis Hierosolymis, delevit, permultos habuerit tam ex Judæis, quam ex Gentilibus, ad fidem salutarem conversos.

Ex his, quæ hactenus allata sunt, apparet, in quam diversa diversorum Interpretum animi abierint, qui nunc propius, nunc longius ad Spenerianam, quam diximus, interpretationem accedunt. Atque hanc novissime suam fecerunt Auctores des Heb-Opffers Tom. II. p. 386. sqq. & Cl. *Starckius* in Notis Selectis ad Loca Dubia N. T. pag. 93. quo judice iste est hujus commatis sensus: *Verum Filius hominis veniens* (εἰς ἐκδίκησιν αὐτῶν ad vindicationem eorum) *num inveniet* (τὴν πίστιν,) *hanc fidem* (ἐκδίκησιν nempe Domini jam instare) *super terra?*

Si meam requiras sententiam, fateor, utriusque Interpretationis, *Pfeiferianæ* scilicet, quæ communior est, & *Spenerianæ*, non contemnenda esse argumenta, quorum momenta nunc quidem pro argumenti dignitate, ex instituti nostri ratione, curate satis librare & expendere non licet. Interim in Pfeferianam illam me propendere non diffiteor, certissime præterea persuasus, illam, quam sibi nonnulli fecerunt, *meliorum temporum spem*, aliis iisque luculentissimis Scripturæ locis & vaticiniis adeo adversari, ut, si vel maxime præsens hoc oraculum ad eam deprimendam & evertendam adhiberi non posse censeas, nullum inde oppositæ dissentientium persuasioni præsidium sit accessurum.

Omiseram pene monere Lectorem de *Jo. Cocceji* sententia, quam in Tom. VI. Opp. in calce inter epistolas pag. 42. propositam invenio. *Si omnino*, inquit, *placet retinere Præsens* (in verbo nempe *veniens*, ἐλθὼν) *distinguenda*

censeo illa duo 1) ἐκδικήσει ἐν τάχει 2) ἆρα ἐλθὼν τὴν πίστιν εὑρήσει *q. d. postquam* ἐκδίκησις *facta erit,* (nempe sublata Judæorum politia & Sacerdotio) *putas ne futurum, ut, quoties Filius hominis visitaturus est mundum, fidem in eo reperturus sit? Hoc scilicet sensu: ex illo tempore ita invaliturum* ἀποστασίαν, *ut pii homines dubitare cogantur, an supersint præter se alii fideles, ut est Ps.* XII. 2. *aut Christus etiam in die novissimo reperturus sit fidem in mundo.* Hac ratione verbis Christi latissimus ambitus vindicatur, ita quidem, ut eorum implementum ab excidio Hierosolymorum incipere, ac dehinc usque ad finem mundi continuari existimetur.

Vers. 10. ἀνέβησαν εἰς τὸ ἱερὸν προσεύξασθαι) Templum enim Hierosolymitanum nonnullis sacrorum partibus perficiendis, v. c. sacrificiis offerendis &c. privative, ut ita loquar, aliis vero cultus divini momentis, v. c. precibus &c. eminenter dicatum erat. Hinc *Chrysostomus* Homil. II. adv. Judæos p. 463. urbem Hierosolymit. καθάπερ τινα σύνδεσμον λατρείας i. e. *veluti vinculum totius religionis* considerari vult. Id vero a Deo coërcendæ idololatriæ causa ita constitutum fuisse, variis argumentis probare conatur *Spencerus* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 190.

Vers. 11. σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν ταῦτα προσήυχετο) Voces πρὸς ἑαυτὸν alii referunt ad participium σταθεὶς, alii ad verbum προσήυχετο. Atque illi quidem vertunt: *apud se*, h. e. ut interpretantur, *loco suo*, præcipuo scilicet aliquo, ubi conspiceretur, procul a publicano. Ita B. *Olearius* de Stylo N. T. p. 106. Alii autem, alioquin eandem structuram sequentes, interpretantur *seorsim*, & conferunt cum Hebræo לבדו. Ita post *Bezam Camero* in Myrothecio, & *Heinsius* in Exercitatt. Sed his se opposuit *Arndius* in Miscellan. Sacris pag. 97. sq. & *Hombergius* pag. 147. *Arndii* verba ex libro ejus rarius obvio subjiciemus. *Beza*, & *Camero*, inquit is, *confundunt duo illa* πρὸς ἑαυτὸν & καθ' ἑαυτόν. *Hoc retinent* LXX. *in vertendo vocem* לבדו. *Et rectissime. Nam* πρὸς ἑαυτὸν *apud auctores semper hactenus usurpatum reperio pro* secum *in tali loquendi genere. Achilles Tatius* lib. I. ταῦτα πρὸς ἐμαυτὸν ἔλεγον. *Vetus Interp.* Hisce verbis memet alloquebar. *Et ibidem:* κατ' ἐμαυτὸν ἡ ψυχὴ μένει: *anima apud se existens*, lib VIII. ταῦτα πρὸς ἐμαυτὸν λαλοῦντος. *Hæc dum mecum loquerer.* lib. II. ἐγὼ δὲ κατ' ἐμαυτὸν γενόμενος. Ipse autem solus relictus. Aristænet. lib. I. epist. 6. πρὸς ἐμαυτὸν ἔφην. Tum ego mecum. *Pro quo &* κατ' ἐμαυτὸν *dixit lib.* II. 2. Τὴν ἱκετείαν κατ' ἐμαυτὸν λαλῶν. Tacitus i. e. mecum orans. *Nam veteres taciti vota concipiebant:* lib. I. ep. 28. πολλὰ κατ' ἐμαυτὸν ἀποροῦν in animo dubitans. *Ergo* κατ' ἐμαυτὸν & πρὸς ἐμαυτὸν *idem nonnunquam Græcis. Tamen* πρὸς ἐμαυτὸν *pro seorsim vel solus nondum observo. Et* Lud. de Dieu in N. T. *vidit ante me.* Ita ille. Ex quo apparet, eum voces πρὸς ἑαυτὸν jungere verbo προσεύχεσθαι, & vertere cum *Vulgato: apud se orabat.* Idem adstruit *Hombergius* p. 147. multis probans, τὸ

πρὸς

πρὸς ἑαυτὸν omnino pertinere ad προσεύχεσθαι, ſicut alias eædem voces jungi ſolent verbis διελογίζοντο, συνελογίζοντο, ἐλογίζοντο, εἶπον πρὸς ἑαυτούς. Vid. *Luc.* XII. 17. & III. 15. tum *Marc.* XI. 31. XII. 7. X. 26. & XVI. 3. Affert præterea veterum quorundam loca huc ſpectantia & denique obſervat, participium ϛαθεὶς redundare hoc loco, ut *Act.* II. 14. V. 20. XI. 13. & XXII. 25. Atque eodem ſenſu acceperunt has voces verſiones pleræque, nominatim Germanica B. Lutheri &c. Conſentit *Boiſius* in Collatione p. 258. *Vitringa* in Obſervatt. Sacr. lib. III. p. 149. & *Clericus* in verſ. Gall. neque puto ad confirmationem rei præſidiis pluribus opus eſſe.

Fuerunt, qui πρὸς ἑαυτὸν idem eſſe dicerent, quod *in ſe ipſum* vel *propter ſe ipſum*, eo, quod Phariſæus multa de ſe protulerit. Hanc in rem provocant ad *Matth.* XIX. 8. *Marc.* X. 5. *Luc.* XX. 19. ubi dicitur: ἔγνωσαν ὅτι πρὸς αὐτοὺς εἶπε. Sed ſubtilius illa, quam verius dici videntur.

Rich. Simon vertit: *ſe recueillant en luy-meme*, ut ſenſus ſit, Phariſæum ſumſiſſe habitum hominis devote precantis.

εὐχαριϛῶ σοι) Scilicet Phariſæi quædam ſibi adſcribebant, quædam Deo: ſibi quidem inclinationem voluntatis, Deo vero concurſum providentiæ, quo ipſos in bono adjuvaret. Lege huc *Vitringæ* Obſervatt. Sacr. lib. III. p. 149. *Radulfus Ardens* l. p. 719. ſcite hic monet, Phariſæum gratias egiſſe Deo non tam de ſuo bono, quam de alieno malo.

Verſ. 12 νηϛεύω δὶς τοῦ σαββάτου) Σάββατον hoc loco omnes ſeptem dies ſeu *totam ſeptimanam* ſignificat, quæ a Sabbato incipiens, & in Sabbatum deſinens, a præcipuo die hic vocatur σάββατον. Ita *Olearius* l. c. p. 107. Obſervat vero ibi Cl. *Schwarzius* in notis, interdum ſatius eſſe, ut Sabbati ſignificatio vetuſtiſſima & pervulgata retineatur, ſubintellecta præpoſitione ἐκ vel ſimili. Sic v. c. μία σαββάτου vel σαββάτων idem erit, quod primus dies a Sabbato, ſeu poſt Sabbatum. Dies illi bini, qui hic jejunio leguntur deſtinati, ſunt *Lunæ* & *Jovis*, hic in memoriam Moſis, montem, ad petendas inde Legis tabulas, eo die adſcendentis, ille in recordationem ejusdem, eo die de monte, cum venia fuſi vituli aurei a Deo impetrata, deſcendentis, quamvis & alii alias reddant rationes. Vide huc *Druſium* ad h. l. item Quæſita per epiſtolas, ep. 35. tum de Sectis p. 257. & 261. & Miſcellan. Centur. I. c. 76. *Montacut.* Appar. p. 252. *Saldenum* in Otiis Divinis p. 669. & *Petavium* ad *Epiphanii* Hæreſin XVI p. 33.

πάντα ὅσα κτῶμαι) Plerique Interpretes vertunt per *Poſſideo*; ſed Rev. *Raphelius* in Notis Xenophont. p. 109. *acquirendi* notionem verbo huic tribuere mavult, eo, quod iſta illi in tempore præſenti communiter tribui ſoleat ab Auctoribus.

Verſ. 13. μακρόθεν ἑστὼς) Locum hunc in primo templi ſepto fuiſſe, in

in quo promiſcue viris & feminis conſiſtere licitum fuerit, exiſtimat *Joſ. Arndius* in Miſcellan. Sacris p. 98. cum *Camerone* in Myrothecio. *Salmaſius* vero de Fœnore Trapezitico p. 111. non in extima templi porticu eum oraſſe contendit, ſed Phariſæum, in eodem loco cum illo ſtantem, putat ſeſe a publicano longule removiſſe, ne ejus contactu polluëretur. Neque enim procul ab ipſo fuiſſe publicanum ex verbis ejus liquere putat, καὶ ἐχ ὡς ἕτος ὁ τελώνης. Plerique hic humilitatis indicium in publicano invenire ſibi videntur cum *Lightfooto*, ſed *Coccejus* in Theſibus de Synedrio n. 27. Tom. II. Anecdotorum f. 515. ex neceſſitate & more recepto hunc locum a publicano occupatum eſſe exiſtimat: *quomodo is*, inquiens, *qui non permittebatur intra quatuor cubitos accedere, admiſſus eſſet in atrium Iſraelis inter confertam hominum multitudinem?* Idem viſum eſt & *Grotio*. Confer Rev. C. M. *Pſaffium* in Originibus Juris Eccleſ. p. 13.

ἐδὲ τὲς ὀφθαλμὲς εἰς τὸν ἐρανὸν ἐπᾶραι) Scilicet oculorum elatio fiduciæ & lætitiæ ſignum eſt: vide *Keuchenium* ad h. l. Conf. *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 532.

ἀλλ' ἔτυπλεν εἰς τὸ ςῆθος αὐτῦ) Pertinent huc *Maimonidis* verba in Hilchoth *Tephilla* c. V. §. 4. *Qui orat, neceſſe habet aptare pedes ſuos, unum juxta alterum, & demittere oculos ſuos deorſum, ut qui aſpicit terram, cor autem convertere ſurſum, quaſi conſiſtat in cœlo: deinde manus ſuas reponere ſuper cor, ut dextram ſiniſtræ imprimat. Stabit ita veluti ſervus coram domino ſuo, cum terrore, trepidatione & timore: neque manus ſuas relinquet in lumbis.* Confer *Sauberti* Palæſtram p. 109. Ex Gentilibus nonnulla huc affert *Arndius* in Miſcellan. Sacris p. 84. his verbis: *Cicero:* Pectoris, femoris percuſſio capitis. *Habes illud τύπλειν εἰς τὸ ςῆθος. Ancillæ Achillis audita morte Patrocli apud Homerum:* ςήθεα πεπλήγοντο. Pectus ſarrere *appellat Plautus Mercator.* Act. III. & *triſtium facit eſſe. Pectus* pultare *Milit. Glorioſ.* Act. II. 2.

Ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ) Verba hæc illuſtrat Rev. G. H. *Gœtzius* in Obſervationibus ad h. l. *Lubecæ* editis. Conf. B. *Jo. Jac. Schudtii* Delicias Hebr. Philolog. p. 138. ſq. Gentiles quoque in ſimili cauſa verbo ἱλάσθητι uſos eſſe, oſtendit *Ezech. Spanhemius* in Obſervatt. ad Callimachum p. 751. Hymno in Cererem v. ultimo, ubi is ita: ἵλαθί μοι τρίλικε, μέγα κρείσσα θεάων.

Propitia ſis mihi ter optata magna regina Dearum.

Ὁ Θεὸς hic poni pro ὦ Θεὲ, Atticorum more, pervulgatum eſt. Vide *Ariſtophan.* Avib. p 502. & 615. Conf. *Lamb. Bos* Exercitatt. p. 46. ſq.

Verſ. 14. κατέβη ἕτος δεδικαιωμένος εἰς τὸν ὶκον αὐτῦ) Cauſa hujus diverſitatis in eo poſita eſt, quod publicanus veram pœnitentiam & fidem probavit, Phariſæus autem animum attulit hypocriticum & de ſe præclare ſentientem. Ediſſerit hoc ex contextus circumſtantiis diligenter B. *Franzius* de

Inter-

Interpretat. Scripturæ Sacr. p. 886. De verbo δικαιῶσθαι ejusque significatu apud Sacros & profanos Scriptores, non sine discrimine aliquo, obvio lege B. *Olearium* de Stylo N. T. p. 209. & ibi *Schwarzium*.

ἢ ἐκεῖνος) Codd. nonnulli & versiones legunt ἢ γὰρ ἐκεῖνος, quod & præfert cum *Millio Pfaffius* de Variant. Lect. N. T. p 207. Sed vide *Whitbii* Examen p. 47. Alii quidam Codd. habent παρ' ἐκεῖνον, quod hic amplectitur *Grotius*: sed lege contra eum *Olearium* l. c. p. 111. Rectius illi agunt, qui hic subintelligunt ante ἢ ἐκεῖνος particulam μᾶλλον, quæ sæpe alias, ubi comparationes fiunt, deest. Vide *Marc.* IX. 43. Adde *Glassii* Philolog. Sacr. Lib III. Tr. 3. can 21. *Hackspanium* in Notis p. 351. & *Whitbium* in Comment. ad h. l. Eandem particulam omitti quoque in simili constructione *Arrianus* Epictet. lib. III. c. 1. apud *Raphelium* in Notis Polybianis p. 225. Ubi tamen simul observandum est, phrasin istam, ex more potissimum Hebræorum, qui negationem per comparationem exprimere solent, ut *Genes.* XXXVIII. 26. & 1 *Sam.* XXIV. 18. idem hic velle, ac si diceretur, Pharisæum prorsus non esse justificatum. Vide *Hackspanium* l. c. & *Franzium* l. c. p. 890. Atque idem omnino B. *Lutherus* in versione sua sibi voluit, quam non habuisse cur castigaret *Trillerus* in der Untersuchung etlicher Oerter Heiliger Schrift p 2. sq. ostendit *Schönlandius* in opposita Apologia p. 5. & *Pfeiferus* in Observatis suis p. 17. *Keuchenius* in Annotatis ad h. l. id hac phrasi indicatum putat, publicanum non solum justum a Deo reputatum esse, sed & revera Pharisæo, qui larvam tantum pietatis ferebat, justiorem fuisse. Quod ut rei ipsi & argumento satis convenit; ita verbis ipsis indicari non putem. Dilutum nimis est, quod *Rich. Simon* in notis ad Versionem Gallic. indicari hic tantum putat, nempe, publicani preces Deo magis, quam illas Pharisæi, placuisse.

Vers. 15. Προσέφερον δὲ αὐτῷ καὶ τὰ βρέφη) Βρέφη hic sunt infantes tenelli, sicut 1 *Maccab* I. 61. βρέφη dicuntur infantes de collo suspensi & brevi ante circumcisi. Conf. 2 *Maccab.* VI. 10. & inprimis *Act.* VII. 19. Nec obstat, quod hic obvertit *Piscator*, locus 2 *Tim.* III. 15. ubi dicitur ἀπὸ βρέφους nosti *sacras literas*. Hoc enim commode ita vertetur: *ex quo infans esse desiisti*: ut *Luc.* II. 36. ἀπὸ τῆς παρθενίας i. e. *post virginitatem*. Conf. *Hackspanii* Notas p. 353.

Vers. 19. Τί με λέγεις ἀγαθόν) Vide scripta ad *Matth.* XIX. 16. Confer hic *Picinellum* in Luminibus Refl. p. 656. ubi de eo, quod solus Deus dignus sit, qui vocetur bonus. Adde J. C. *Dieterici* Antiquitt. N. T. Tom. I. p. 13.

Vers. 20 μὴ μοιχεύσῃς, μὴ φονεύσῃς) De ordine præceptorum hic immutato lege *Colomesii* Observatt. Sacr. p. 98.

Vers. 24. οἱ τὰ χρήματα ἔχοντες) Eadem periphrasi divites indicat *Thucydides*

cydides lib. VI. p. 438. Alias absolute ἔχοντες vocantur *divites*, ut *Aristophan.* Pluto v. 596. οἱ ἔχοντες καὶ πλουτοῦντες, ubi confer *Kusterum.* Similiter Latini *habere* dicunt pro divitem esse, *Phædrus* Prologo lib. III. v. 21. & lib. V. Fab. 4. v. 9. Confer *Elsnerum* p. 266. & *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. voce χρήματα.

εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ) Impie alludit ad h. l. *Julianus* ep. XLIII. p. 424.

Vers. 25. διὰ τριμαλιᾶς ῥαφίδος) Vocem ῥαφὶς pro idiotica i. e. minus Græca habet *Olearius* de Stylo N. T. p. 286. Sed *Pollux* VII. 12. & X. 31. mitius de ea judicat. Conf. *Schwarzii* notas ad *Olearium* l. c.

Vers. 31. καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διὰ τῶν προφητῶν, τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου) *Beza* hic cum Cod. Cantabrig. *Vulgato* item & *Syro* Interprete legere mavult περὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Conf. *Mareschallum* ad Vers. Gothic. p. 460. & *Morinum* in Exercitatt. p. 44. b. Sed recte monet *Erasmus Schmidius* in Notis ad h. l. nihil hic mutandum esse, cum lectiones hæ quod ad sensum facile secum conciliari possint. Scilicet voces τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου commode etiam referuntur ad verbum τελεσθήσεται, hoc sensu: quod omnia in Prophetis scripta, *a* vel *in* Filio hominis perficienda sint.

Vers. 33. καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν) Moris erat Romanis, nocentes prius flagellare, post interficere. Vide huc *Polybium* lib. I. c. 7. p. 10. *Lydius* in Florum Sparsione ad Passionem J. C. p. 144. ita hæc verba accipit, ac si Salvator voluerit innuere, homines maleferiatos se flagellis usque ad mortem cæsuros esse, quam in rem verbum ἀποκτενοῦσιν de conatu & voluntate occidendi Christum interpretatur. Cum vero constet, Christum ex flagellatione non obiisse, constet etiam ex *Matth.* XX. 19. ubi τὸ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι conjungitur, Christum crucifixionem, ut mortis suæ genus, prædixisse; præstat, ut occisionem ipsam a flagellatione distinguamus, inprimis, quia vox μαστιγώσαντες, in aoristo posita, proprie verti debet: *ubi flagellis ceciderint.*

καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστήσεται) Vide ad hæc verba Cl. *Franc. Wokenii* Meditationes Privatas Tom. II. p. 73. sqq. ubi data opera examinat computum tridui illius *Trillerianum*, qui exstat in ejus Untersuchung etlicher Oerter Neuen Testaments. Is scilicet Antipodes huc advocat, rationibus ita subductis, ut primæ nocti, quæ Hierosolymis exstitit, Christo die Veneris in sepulchrum demisso, respondeat dies, qui tunc illuxit Antipodibus, Sabbatum vero Judaicum sequens conficiat diem secundum, qui apud Antipodes secum tulit noctem secundam; quemadmodum nox Sabbatica Judæorum apud ipsos quidem noctem tertiam, apud Antipodes vero diem tertium effecerit. Sed recte observat *Wokenius*, hanc numerandi rationem nullo omnino Scripturæ Sacræ exemplo, nec usu, vel Judæorum, vel aliorum populo-

pulorum, comprobari posse, ut reliqua taceam, ab eodem allata. Mihi id inprimis obstare videtur, quod istius computi fundamentum, nempe vicissitudo Solis, Antipodibus lucentis, discipulis Christi, imo Judæis omnibus procul dubio ignota fuit, qui proinde, nisi alia ratio in promtu sit, non poterant certi esse, aut convinci de prædictione Christi, etiam hac in parte penitus impleta. Alia diximus ad Matthæum.

Vers. 34. καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα) i. e. *non adsequebantur intelligendo*, aut cum judicio discernebant ea, quæ a Christo dicta erant. Hæc enim est vis vocis γινώσκειν apud Sacros & profanos Scriptores. Lege *Luc.* XXI. 32. Ita sæpe *Xenophon* in Cyropædia, & alii Auctores, quorum loca suggerit *Jensius* in Fasciculo Literario p. 46. Causa hujus rei posita erat in falsa discipulorum de regno Messiæ seculari opinione, quam ad h. l. edisserit B. *Dannhauerus* singulari Disputat. quæ in Disputatt. ejus Theologicis p. 1213. sqq. recusa exstat.

Vers. 35. ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἰεριχώ) Pugnare hæc videntur cum *Matth.* XX. 29. & *Marc.* X. 46. ubi Christus dicitur egressus esse Jerichunte, cui hic traditur appropinquasse, quemadmodum Lucas XIX. 1. eundem ait, post cœcorum sanationem, per Jerichuntem transiisse. Sed facile tollitur ista qualiscunque ἐναντιοφάνεια, si præstruamus, Christum pro ratione muneris sui, Hierosolymam proficiscentem, sæpius ex urbe *Jericho* egressum esse, eandemque iterum repetiisse. Itaque prima vice egressus, cum non longe ab urbe abesset, cœcum istum obviam factum sanavit, deinde vero in urbem reversus Zachæi domum hospitii loco intravit.

Vers. 37. ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος παρέρχεται) De varia scriptione vocis Ναζωραῖος in N. T. & Scriptoribus Ecclesiasticis differit ad h. l. *Olearius* de Stylo N. T. p. 119.

Vers. 39. ἐπετίμων αὐτῷ ἵνα σιωπήσῃ) i. e. objurgantes mandabant ei, ut taceret. Vide *Boissii* Collationem p. 254.

Vers. 41. Τί σοι θέλεις ποιήσω;) Est purus putus versus Anacreonticus fortuitus, ex Od. XII. Τί σοι θέλεις ποιήσω, Τί κωτίλη χελιδών; observante Cl. *Trillero.*

Vers. 43. ἵνα ἀναβλέψω) *ut viderem.* Sic v. 44. & 45.

CAP. XIX.

Vers. 2. ὀνόματι Ζακχαῖος) Nomen hoc respondet Hebræo זכאי, quo in Mischna appellari videmus eum, qui vocatur Pater R. *Jochanan.* Vide Biblioth. meam Hebræam Tomo II. p. 844. & confer *Lightfootum*

ad h. l. in Horis Talmudic. ubi oſtendit, temporum rationes permittere, ut iſte *Saccai* cum publicano hoc idem eſſe ſtatuatur. Origo nominis זך i. e. *purus*, hominem *innocentem* & *integrum* infert. Conf. *Olearium* de Stylo N. T. p. 122. Quid veteres de eo tradant, ex *Voſſii* Harmonia Evangeliſtarum de Paſſione Chriſti p. 14. conſtabit. Vide etiam *Tillemontii* Memorias Hiſt. Eccleſ. Tom I. p. 48. & 222. ſq. Non Gentilem, ſed Judæum eum fuiſſe, ex ipſo nomine contra Patres nonnullos colligit recte *Caſaubonus* Exercitatt. Anti-Baronianis p. 269. Idem evincit contra Tertullianum *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 386.

καὶ αὐτὸς ἦν ἀρχιτελώνης) Fuit ex numero publicanorum vere ſic dictorum, h. e. eorum, qui vectigalia & portoria a publico redimere ſolebant, ac deinde alere miniſtros, qui portoria exigerent, proprie *portitores* appellati. Confer, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* V. 46. Inprimis autem lege *Salmaſium*, cujus hæc eſt ſententia de Fœnore Trapezitico p. 245. ſq. qui tamen ibidem monet, ἀρχιτελώνην eum etiam h. l. eſſe poſſe, qui portitoribus ſive exactoribus fuerit præfectus, vel eorum primas.

Verſ. 3. καὶ ἐζήτει ἰδεῖν τὸν Ἰησοῦν τίς ἐστι) Eodem modo loquitur Sophocles in Ajace, apud *Homberg.* p. 149.

ἀπὸ ἠδύνατο ἀπὸ τοῦ ὄχλου) i. e. *propter populum*, frequentia ſcilicet ejus acceſſum propiorem prohibente. Hæc notio paſſim eſt præpoſitionis ἀπό. Vide *Rom.* IX. 3. & *Hebr.* V. 7. Confer *Rich. Simonis* Biblioth. Critic. Tom. IV. ep. 45. & *Hackſpanium* in Notis p. 353. qui confert cum particula Hebræorum מ & præterea ad *Matth.* XVIII. 7. provocat. Conf. *Olearium* l. c. p. 122.

τῇ ἡλικίᾳ μικρὸς ἦν) *ſtatura exilis erat.* Vide, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* VI. 27. & *Luc.* II. 56. ubi de ſignificatu vocis ἡλικία.

Verſ. 4. καὶ προδραμὼν ἔμπροσθεν) *cum aliquantum præcurriſſet.* *Boiſius* in Collat. p. 254.

ἐπὶ συκομωραίαν) Vide huc *Salmaſium* ad Solinum p. 326. a. & adde, quæ ſcripſimus ad *Luc.* XVII. 6. Junge M. *Gottlob. Andr. Meyeri* Diſput. Philol. de Sycomoro hac, Lipſ. 1694.

Verſ. 6. ὑπεδέξατο αὐτὸν) excepit eum hoſpitio & convivio. Eodem verbo *Polybius* utitur in ſimili argumento, p. 533.

Verſ. 7. Ὅτι παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρὶ εἰσῆλθε καταλῦσαι) Voces παρὰ ἁμαρτωλῷ ἀνδρὶ conſtruendæ ſunt cum καταλῦσαι, non vero cum voce εἰσῆλθε. Alioquin enim dicendum erat πρὸς αὐτὸν, ut *Luc.* I. 28. Viciſſim καταλῦσαι & ſynonymum ξενίζεσθαι cum præpoſitione παρὰ conſtruitur, ut *Actor.* X. 6. & apud *Lucianum* in Aſino pag. 79. Lege *Lamb. Bos* pag. 47. Exercitatt. & *Boiſium* in Collatione pag. 255. Cl. *Schwarzius* ad Olearium l. c. pag. 122. obſervat, τὸ κατα-

καταλῦσαι proprie de iis dici, qui peregrinantes vel onera ponunt, vel jumenta diſſolvunt alicubi.

Quod Zachæus hic ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς dicitur, non inde repetendum nonnullis videtur, quod is non fuerit ſpectatæ inter ſuos fidei, ſed quod cunctis popularibus inſtituti novitate & indignitate fuerit exoſus, quia Judæa, nondum aſſueta frenis ſervitutis, tumida elataque cervice impoſitum nuper jugum Romanorum recuſaret. Ita ſtatuit *Zach. Huberus* in Diſſertationibus Juridicis & Philolog. Diſſert. IV. c. 2. qui ibidem monet ex *Suetonio*, ſtatuas fuiſſe poſitas *Sabino*, tanquam καλῶς τελωνήσαντι, in rei ſcilicet inſolitæ memoriam.

Verſ. 8. δίδωμι τοῖς πτωχοῖς) Nonnulli poſt *Grotium* verbum δίδωμι per enallagen pro Futuro poni arbitrantur, hoc ſenſu, quod Zachæus ſancte polliceatur, ſe inpoſterum ita acturum eſſe: quo ipſo oſtenderit indignantibus, ſe non eſſe indignum, apud quem Chriſtus hoſpitaretur.

καὶ εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα) Συκοφαντία ſæpe in publicanum cadit, qui per fraudes & malas artes, aut etiam vi adhibita, extorquere poteſt, quod ipſi non debetur. Ita *Salmaſius* de Fœnore Trapezitico p. 491. ubi eadem opera oſtendit, συκοφαντίαν olim cum infamia fuiſſe conjunctam. De verbo ipſo lege, quæ ſcripſimus ad *Luc.* III. 14. Adde *Olearium* de Stylo N. T. p. 123. *Perizon.* ad Ælian. Var. Hiſtor. III. 36. & XII. 52. Vox εἴτις hic non dubitationem infert, ſed exceptionem omnem præſcindit, ut apud *Ariſtotel.* II. 24. Rhetoricorum.

ἀποδίδωμι τετραπλοῦν) Vide huc omnino *Huberi* Diſſertationem modo laudatam c. III. ubi inquirit in cauſas quadrupli ab ipſo redditi. Nonnulli eum putant reſpexiſſe ad legem Moſis, quadrupli pœnam furibus imponentem, quam imitari Zachæus voluiſſe videtur *Grotio*. *Huberus* vero eum reſpectu muneris ſui ait obnoxium fuiſſe legibus Romanis, atque adeo edicto Prætoris, contra publicanos propoſito, in lib. 1. ff. de Public. & Vectigal. pœnamque ei adeo non diſcendam ex Moſe, cujus ſanctio proprie non pertineat ad maleficium, ab ipſa qualitate officii publici admiſſum. Nec furem ſe deſignaſſe Zachæum, ſed ſycophantam, qui prætextu publicæ auctoritatis, partim vi aperta, partim ſine vi, ſycophantiis & malis artibus vexarit alios. Gloriam denique ejus & virtutem in hoc conſiſtere, quod, præter neceſſitatem juris, dimidiam patrimonii partem donaret pauperibus, ac præterea citra litis conteſtationem, nullaque judicis ſententia damnatus, quadruplum redderet, cum ſufficeret hoc caſu duplum ex Edicto, vel etiam ſimplex reſtitutio. Hæc ille. *Salmaſius*, de hoc argumento differens, p. 242. de Fœnore Trapezitico ſcribit, hanc pœnam, ſcilicet quadruplum ſolvendi, olim fuiſſe Romæ, ſtante Republica, fœneratorum, qui amplius, quam ipſis conſtitutum eſſet, uſurarum nomine

a debitoribus ſuis exegiſſent. Verba hæc publicani ſingulari commentatione, Gallice edita, ſub titulo: *Eclairciſſement ſur le diſcours de Zacchee a Jeſus Chriſt*, Pariſ. 1682. 8. illuſtrantur. Conf. B. *Godofr. Wegneri* Diſſert. de reſtitutione ablati, *Regiom.* 1707. 4.

Verſ. 9. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν) Plerique vertunt: *dixit ei*, vel *ad eum*; ſed Cl. *Elsnerus* p. 267. poſt *Grotium* mavult interpretari: *dixit de eo* i. e. quod pertinebat ad eum. Neque enim ipſum Zachæum allocutus, ſed ad alios forte converſus, iſta de Zachæo protuliſſe Chriſtus videtur ex iis, quæ ſequuntur. Hæc vero notio interdum eſt præpoſitionis πρὸς, ut *Hebr.* I. 7. & IV. 13. Similiter apud *Ælianum* Var. Hiſt. XII. 44. ubi confer *Perizonium*. Admitti hæc interpretatio poterat, niſi contextus Evangeliſtæ repugnaret. Ille enim v. 8. ſcripſerat: σταθεὶς δὲ Ζακχαῖος εἶπε πρὸς τὸν Κύριον, hic vero v. 9. ait: εἶπε δὲ πρὸς αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς· atque adeo manifeſtum facit indicium dialogi, inter Chriſtum & publicanum habiti. Neque veri omnino eſt ſimile, Chriſtum ad illa Zachæi verba tacuiſſe, quod dici debebat, ſi quidem hæc verba ad alios potius, quam ad ipſum Zachæum pronunciata eſſe credantur. Taceo communem phraſeos εἶπε πρὸς αὐτὸν acceptionem, quam deſerendam non puto, niſi neceſſitas id omnino flagitet. Mihi quidem hæc Chriſti reſponſio ita comparata videtur, ut ad Zachæum directa ſit eo modo, ut reliqui etiam intelligere poſſent, eam ad ſe pertinere. Id quod v. 10. inprimis manifeſtum facit.

τῷ οἴκῳ τούτῳ) De Zachæo tantum, tanquam patrefamilias, accipi has voces vult *Grotius*, & poſt eum *Rich. Simon* in notis ad Verſ. Gall. notatus ideo a *Boſſueto*, contra quem ſe idem tueri conatur Tom. IV. Bibliothecæ Criticæ ep. XXXVI. Vide tu, quæ contra Grotium recte hic monuit B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis.

καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστι) Hæc Chriſtus, intento in Zachæum digito, pronunciaſſe videtur Cl. *Elsnero* p. 267. qui ita vertit: *quoniam & ipſe ille filius Abrahami eſt.* Sententiæ noſtræ de verbis Chriſti, ad Zachæum pronunciatis, obſtare hæc locutio videtur, ſecundum quam dici debebat non: αὐτός ἐστι, ſed σὺ εἶ. Sed notandum hic eſt, Lucam non referre hæc penitus ita, ut a Chriſto prolata ſunt, ſed inſtar Hiſtorici eo modo recenſere, ut ſermone Domini, procul dubio prolixiore, in compendium contracto, intelligi poſſet, Chriſtum nonnulla quidem, nominatim iſta: ὅτι σήμερον τῷ οἴκῳ τούτῳ σωτηρία ἐγένετο, Zachæo ipſi reſpondiſſe, reliqua vero: καθὼς καὶ αὐτὸς &c. regeſſiſſe illis, qui ægre & impatienter ingreſſum Chriſti in ædes ejus ferebant. Confer *Hombergium* p. 149. Parergorum. Obvia ſunt hujusmodi exempla in Sacris æque ac profanis Hiſtoricis.

Verſ. 11. προσθεὶς εἶπε) In Hebraiſmis hanc phraſin non præter rem numerat *Vorſtius* Philolog. Sacr. Part. II. p. 139. & 142. Ita enim paſſim in

V. T.

V. T. legitur : ויוסף ויאמר. Ita LXX. Intt. *Job.* XXIX. 1. προσθεὶς Ἰὼβ εἶπε. Confer *Olearium* de Stylo N. T. p. 125. ubi, qui a Cl. *Schwarzio* affertur locus ex *Aristotelis* Rhetoric. III. c. 5. extremo, non efficit, ut credamus, Lucam non imitatum esse hic Scriptorum Sacrorum V. T. exemplum. Quamvis enim ibi phrasis ista totidem fere verbis legatur : ἂν μὴ προσθεὶς εἴπῃς, apparet tamen, participium προσθεὶς ibi de immediata additione unius alteriusve vocis, ad intelligendum sermonem necessariæ, non vero, quod hic fit, de continuatione sermonis, ejusque ad aliud argumentum conversione, adhiberi.

Vers. 12. Ἄνθρωπός τις εὐγενὴς ἐπορεύθη εἰς χώραν μακρὰν λαβεῖν ἑαυτῷ βασιλείαν, καὶ ὑποστρέψαι) Interpretes fere omnes ista verba ita acceperunt, ut de homine non solum gente nobili, sed jam actu Rege, sermonem hic esse existimarent, qui pristino suo regno aliud in diffitis provinciis situm adjungere, ejusque possessionem sibi vindicare instituerit. Hoc vero non solum cum verbis parabolæ ipsius, sed & cum aliis ejus circumstantiis, a Christo commemoratis, conciliari non posse visum est *Mallemanfio*, Canonico Ecclesiæ Regiæ ad S. Opportunam, in singulari epistola ad P. *Tourneminium* de hoc loco scripta, quæ exstat in *Memoriis Trivultinis* an. 1708. Julio p. 1239. sqq. Inconveniens scilicet ipsi videtur, hominem genere nobilem (εὐγενῆ) sed privatæ tamen sortis, in peregrinas abire provincias ad regnum capessendum, eo animo, ut paulo post ad suos, inter quos vivebat, rediret, ibique privata conditione contentus viveret. Nec ferri posse existimat, quod cives v. 14. dicantur, eo quidem profecto, misisse homines, qui dicerent, nolle se, ut is sibi cum Regia auctoritate præesset. Neque enim apparere, cur non ferre potuerint eum, qui aliis dominari in locis a se remotis vellet, & qui, ubi reverteretur, non magis Rex futurus esset, quam fuerat antea. Porro absurdum ipsi videtur, si Cives hic cogitentur deputati ad alium Regem, (qualem hic cogitare circumstantiæ jubent,) qui scilicet prohibere posset, quo minus sibi is, quem odio prosequebantur, imperaret. Non esse credibile, hominem nobilem eo in loco, in quo Rex jam constitutus esset, de vindicando sibi regno cogitare potuisse. Ita igitur p. 1235. rationes putat instituendas: Nobilis iste profectus erat ad Regem alium se majorem, ut ab eo impetraret facultatem imperandi iis, inter quos hactenus, ut inter concives, versatus erat. Hoc consilio abiit, ut paulo post, ampliore scilicet dignitate auctus, reverteretur. Hinc fiebat, ut cives, ipsi alioquin infensi, in turbas conjicerentur, & per deputatos consilium ejus intervertere conarentur. Hic idem Nobilis reversus, & dignitatem, quam quærebat, consecutus, ea valebat auctoritate, ut rebelles ad promeritum supplicium rapere posset. Huic interpretationi idem p. 1236. sq. lucem accendit ex iis, quæ eo tempore gesta erant, & ad quæ Dominum nostrum forte respexisse

ſpexiſſe opinatur. *Archelaus* enim heres regni ab Herode conſtitutus erat, *hominis nobilis* nomine ideo recte inſigniendus. Is autem, Herode mortuo, Regia dignitate frui non poterat ante, quam poteſtas ipſi ab Imperatore Auguſto fieret. Propterea proficiſcitur ad eum *in remotam regionem.* Sed intercedebant deſtinatis ejus *cives ejus*, qui, miſſis quinquaginta Deputatis, (quos octies mille Judæi, Romæ tunc verſantes, adjuvabant,) ab Auguſto contendebant, ne Archelaus ſibi præficeretur. Sed vel ſic tamen idem voti ſui ita compos fiebat, ut maximam regni paterni partem, Judæam, puta, Idumæam & Samariam obtineret. *Regno* itaque ſic *accepto*, revertebatur ad ſuos, iisque non ſine poteſtatis ſuæ abuſu imperitabat.

Invenit in his, quæ deſideraret P. *Athanaſius de Paris*, cujus exſtat in iisdem Memoriis in hanc rem epiſtola p. 2067. Ille quidem momenta omnia, quæ *Mallemanſius* ex circumſtantiis textus pro ſua interpretatione urſerat, eidem facilis largitur, eadem vero opera contendit, vel ſic non obſtare, quo minus interpretatio eorum locum habeat, qui ita ſtatuant, quod Nobilis ille abierit ad capeſſendum regnum in provincia peregrina, ibi inpoſterum imperaturus, adeoque Regiis inſignibus inſtruendus, ſed paulo poſt in patriam, tanquam locum, a novo, quod nactus ſit, Regno dependentem, reverſurus, ut ibi rationem exigeret bonorum ſuorum diſpenſatorum, & ad ſupplicium vocaret rebelles. Negat idem, reſpectum hic habitum fuiſſe ad Archelaum, & quæ de ipſo acta ſint, cum circumſtantiæ illius negotii minus quadrent ad perſonam Chriſti, cuius cauſa parabola hæc propoſita fuerit.

Compara cum his, quæ *Mallemanſius* reſpondit *Athanaſio* ibidem p. 2081. uſque ad p. 2087. qui ante commemoratis inſiſtit amplius, verſionemque ſuam & vocibus ipſis, & circumſtantiis contextus magis, quam communiorem illam alteram, reſpondere contendit.

Mihi quidem optime cogitata videntur, quæ *Mallemanſius* attulit, quamvis non exiſtimem, tuto ſatis dici, quod Dominus noſter ſpeciatim ad Archelaum, & res cum eo geſtas, reſpexerit. Requiro enim adhuc exemplum parabolæ (cujusmodi pluribus uſum eſſe Dominum noſtrum conſtat,) in qua Chriſtus rem vere ab hominibus ſeculi geſtam fundamentum eſſe juſſerit commentationis parabolicæ. Contrarium hoc mihi videtur perpetuo & ſapientiſſimo Chriſti inſtituto, qui ſcilicet rerum ſecularium prorſus ſe incurioſum præſtabat, & non poterat non præſtare, niſi poteſtatem mundanam affectare, ſuſcepto de actis hujusmodi judicio, videri voluiſſet.

Notandum hic inſuper eſt, ſimile quid jam ante in mentem veniſſe *Jo. Clerico* in Notis ad Verſionem Gallicam N. T. in hunc locum. Is enim obſervat, parabolæ hujus rationem repetendam eſſe ex moribus, poſt Herodis tempora in Judæa receptis. Reges enim Judæorum, non ſine impetrato

trato Romani Imperatoris consensu, imperium in suos capessere potuisse, quemadmodum Herodes ipse Romam eo consilio abierit, ut impetraret ejusmodi potestatem, non sibi, sed Principi cuidam ex familia Hasmonæorum, quæ tamen illi ipsi deinde concessa fuerit, teste *Josepho* Antt. Judaic. XIV. 25. Successores Herodis idem fecisse constat ex eodem *Josepho* XVII. 11.

Vers. 13. πραγματεύσασθε ἕως ἔρχομαι) Vide, quæ huc diximus ad *Matth.* XXV. 27. & adde *Sauerbreyi* Programma ad hæc verba relatum, quod recusum est in *Gabr. Ternii* Sylloge I. Programmatum Exegetic. p. 485. sqq. Verbum πραγματεύσασθαι proprie denotare: *res & negotia gerere*, vel *rebus & negotiis gerendis occupari*, ex *Xenophont.* lib. II. Cyropæd. observaverat *Camerarius*, quem adstruit *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 110. *Salmasius* lib. de Usuris p. 564. idem hic esse vult, quod: *pecuniam fœnore agere.*

Vers. 14. Οἱ δὲ πολῖται αὐτῦ ἐμίσουν αὐτὸν, καὶ ἀπέστειλαν) *Illi hic intelliguntur, a quibus profectus erat, non vero, ad quos proficiscebatur. Neque enim hi, puto, recte cives ipsius vocarentur, neque reverso pœnas dedissent.* Ita recte Rev. *Raphelius* in Annotatt. Xenophont. p. 110. qui idem in Annotatt. Polybian. p. 226. addit, intelligenda hæc esse de aliquo priscorum Regum, ex eorum numero, qui singulas urbes, aut certe non adeo multas exiguamque regionis partem sub ditione habebant, quibus tutum non erat, ex sua urbe proficisci, ne forte cives, quibus plerumque inviti imperabant, ab ipsis deficerent. Talem fuisse Hieronem patet ex *Xenophonte* in Hierone p. 712.

Vers. 15. καὶ εἶπε) *& jussit.* Istam hujus verbi significationem ex Hebraismo quidam repetere conati sunt, contra quos vide recte differentem *Pfochenium* §. LXXIX. Confer tamen *Gatackerum* p. 226. qui & ipse variis veterum locis probat, hanc notionem *Græcis*, & Atticis quoque Scriptoribus, non ignotam fuisse, Lucam tamen ab Hebræis accepisse existimat. Confer, quæ scripsimus ad *Marc.* V. 43.

Vers. 16. προσηργάσατο) B. *Lutherus* hat erworben: de qua voce lege *Stadenii* Explicationem vocum difficiliorum Germanicæ versionis p. 187. edit. secundæ. Profanos quoque Scriptores verbo ἐργάζεσθαι in *negotiandi* sensu uti, ostendit *Fesselius* Adversar. Sacr. Tom. I. p. 326. *Gravius* in Lectionibus Hesiodeis p. 9. & *Olearius* de Stylo N. T. p. 127.

Vers. 17. ὅτι ἐν ἐλαχίστῳ πιστὸς ἐγένου &c.) Vide ad *Luc.* XVI. 10.

Vers. 18. ἡ μνᾶ σου ἐποίησε πέντε μνᾶς) De hoc monetæ genere lege *Barthol. Mayerum* Philolog. Sacr. Part. I. p. 283 sq. *Waserum* II. 17. de Numis Hebr. & *le Cene* in Projet p. 301. Vox ποιεῖν de *negotiatione* & *lucro* usurpatur

quoque profanis Scriptoribus, *Græcis*, ut *Demoſtheni* adverſus Apatur. p. 579. C. & *Latinis*, de quibus lege *Vorſtium* de Latinitate falſo ſuſpecta c. IX.

Verſ. 20. ἐν σουδαρίῳ) Vocem hanc origine *Latinam* eſſe, plerique contendunt, iidemque ad *Pollucem* VII. 16. Onomaſtici provocant, ubi tamen nihil hujusmodi diſerte tradi video. Obſervat enim tantum, ſua ætate σουδάριον appellari, quod olim aliter fuerit appellatum. Neque tamen de origine vocis Latina puto dubitandum, quamvis eam penitus inficietur *Barthol. Mayerus* in Philolog. Sacr. Part. I. c. 6. p. 283-293. eo inprimis argumento uſus, quod apud *Hebræos* & *Syros*, unde acceperint Scriptores N. T. סודר vel סודרא non *ſudarium*, i. e. *linteum*, quo ſudor abſtergatur, ſed linteum quodvis denotet. Novus enim & latior vocis ſignificatus ut primitivum & genuinum non tollit, ita nec origini ejus fraudi eſſe poteſt, inprimis cum voces peregrinæ facile in aliam notionem transferri poſſint ab iis, quibus ipſa originis ratio utplurimum ignota eſt. Hinc & in libro מוסף ארוך origo Latina voci סודר vindicatur. Lege de ea plura apud B. *Pfeiferum* n Opp. Criticis p 489. *Olearium* de Stylo N T. p. 129 *Nanſium* ad Nonni Paraphraſ. Johann. c. 1. v. 181. *Dilherrum* Tom. I. Diſſert. Academ. p. 131. & *Vitringam* in Archiſynagogo p. 87. Quod ad ſignificationem hoc in loco attinet, non dubito ipſi adſcribere propriam illam & ſtrictiorem, quamvis de puriſſimo quodam linteo, quo ſumma pecuniæ non exigua condita fuerit, intelligere malit *Olearius* l. c. Cum enim illam ſudarium quoque capere potuerit, negligentiam ſervi ſatis incurioſi & ignavi hoc ipſo indicari putem, quod ad pecuniam ſervandam eo uſus fuerit linteo, quo illam primum involvit, & quod alias aliis uſibus accommodetur. Accedit, quod in Novo Fœdere nunquam alio ſenſu uſurpetur.

Verſ. 21. ἄιρεις, ὃ οὐκ ἔθηκας) Stagiritæ & Biblii olim hanc habebant legem: *Quod non poſuiſti, ne tollas.* Vide *Æliani* Var. Hiſt. III. 46. & IV. 1. Confer *Hombergii* Parerga p. 150. & *Schwarzii* notas ad Olearium de Stylo N. T. p. 130.

Καὶ θερίζεις ὃ οὐκ ἔσπειρας) Vide ſcripta ad Matth. XXV. 24.

Verſ. 22. ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε) Vide *Schottii* Adagialia N. T. p. 83.

Verſ. 23. σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα) *cum uſuris exegiſſem.* Ita *Polybius* p. 1356. ait, πράττειν τὰς ὀφειλέτας i. e. *nomina exigere.* Confer Rev. *Raphelii* Notas Polybian. p. 227. De reliquis, quæ ad hoc comma pertinent, lege, quæ ſcripſi ad *Matth.* XXV. 27. δοῦναί ἐπὶ τράπεζαν eſt idem, quod *Matthæus* l. c. ait βαλεῖν τοῖς τραπεζίταις.

Verſ. 24. καὶ τοῖς παρεστῶσι) i. e. *miniſtris*, ut poſt Grotium bene hic monet Cl. *Trillerus.* Eodem ſenſu *Sophocles* uſus eſt hac voce in Oedipode Tyran-

Tyranno, & *Theogn.* Gnome 473. *Hippocrat.* dixit ἐφεσῶσι in lib. de decenti ornatu.

Verſ. 25. Καὶ ἔπον αὐτῷ &c.) Totum hoc comma pro addititio habet *Millius:* ſed vide *Whitbium* in Examine p. 47.

Verſ. 26. ἀπὸ δὲ τοῦ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ) Pleonaſmum hebraizantem in vocibus ἀπ' αὐτοῦ poſt *Camerarium* ad h. l. agnoſcit *Olearius* de Stylo N. T. p. 131. ſq. refragante in Notis Cl. *Schwarzio*, qui & Latinos & Græcos Scriptores eadem loquendi ratione uſos eſſe oſtendit.

Verſ. 29. ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν) Ad h. l. ex Evangelio Marcionis omiſſum *Epiphanius* lib. adv. hæreſes p. 340. obſervat, veterem viam publicam duxiſſe Jerichunte per Bethaniam & Bethphage, perque montem oliviferum Hieroſolymam. Conf. *Relandi* Palæſtinam p. 630.

Verſ. 30. πῶλον δεδεμένον) Ita eleganter dici obſervat *Lamb. Bos* ad Thomam Magiſtrum p. 14.

Verſ. 31. χρείαν ἔχει) Vide huc *Mareſchalli* Notas ad Verſionem Gothic. pag. 460.

Verſ. 39. ἀπὸ τοῦ ὄχλου) *e turba* i. e. qui turbæ immixti erat. Ita *Arrianus* quoque loquitur aliquoties. Vide *Raphelii* Annotatt. Polybianas p. 227.

Verſ. 40. εἱ λίθοι κεκράξονται) *mox lapides clamabunt*, ut *Eraſmus* & *Beza* vertunt, approbante *Feſſelio* in Adverſariis Sacris Tom. II. p. 59. qui ibidem obſervat, hoc Chriſti oraculum paulo poſt triplici ratione impletum eſſe, nempe primo in hiſtoria paſſionis, quando, diſcipulis præ timore tacentibus, petræ poſt mortem Chriſti ſciſſæ ſunt: deinde cum, Judæis obmuteſcentibus, Gentiles, qui cum ſaxis conferuntur *Matth.* III. 9. & 1 *Pet.* II. 5. converſi gloriam Dei prædicarunt: denique, cum in excidio Hieroſolymitano lapides murorum disjicerentur. Conferatur idem p. 85. Ceterum lapides, honoris cauſa, Muhamedi acclamaſſe: *Salve Propheta*, nugantur Turcæ apud *Maraccium* Prodromo II. ad Refutat. Alcorani p. 34. Adde Bibliothecam Bremenſem Claſſ. IV. p. 189. & quæ ex profanis de lapidibus & muris clamantibus affert *Druſius* in Proverb Claſſ. II. lib. III. n. 58. & *Picinellus* in Luminibus Refl. p. 656. Idem verbum in hac forma, alias in N. T. non exſtans, occurrit in LXX. Int. Pſ. LXV. 13. obſervante *Trillero*. Ceterum per λίθους nonnulli hic intelligunt gentes extraneas: vide *Suicerum* Tom. I. p. 9.

Verſ. 41. ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ) Verba hæc, tanquam perſona Chriſti indigna, temere nonnulli expunxerunt, adeo ut *Epiphanius* Ancorat. 31. te-

ſtetur, ea ſuo tempore in exemplaribus publice receptis non exſtitiſſe. Id obſervaverat *Grotius* & ex eo *Millius* in Notis ad h. l. at poſterior horum in Prolegomenis ad ſuam Novi Teſtamenti editionem, mutata ſententia, Epiphanium non de hoc Lucæ loco, ſed de alio, nempe XXII. 44. locutum eſſe, contendit, non ſine errore, quem oſtenderunt *Jo. Clericus* & *Jac. Lenfant* in Bibliotheca Selecta Tom. XVI. pag. 283. & 285. evincentes, Epiphanii verba omnino ad hunc locum referenda eſſe. Confer de eodem argumento *Whitbii* Examen p. 92. & *Clericum* in Arte Critica Part. III. Sect. I. c. XV. §. 15. item *le Cene* in Projet p. 772. Nihil hic Chriſto indignum narrari recte affirmat *Scherzerus* in Programmate ſingulari ad h. l. quod exſtat in Programmatibus & Orationibus ejus p. 391. ſq. Adde *Gabriel Ternii* Syllogen I. Programmatum Exegetic. p. 488. ſqq. Conſulenda quoque eſt B. *Jo. Frid. Mayeri* Ecloga Evangelica ad Dom. X. poſt Trinitat. *Witteb.* 1686. edita, in qua exponit de Lacrymis Dei & Meſſiæ Judaici ex ſententia Judæorum (adde *Eiſenmengeri* Judaiſmum detectum Part. I. p. 15. ſqq.) item de hiſtoria Excidii Hieroſolymitani de die Judæorum fatali & de irrito Hieroſolymas reparandi ſtudio. Confer quoque B. *Jo. Olearii* diſſert. de Lacrymis Chriſti *Lipſ.* 1683. ed. & in Theſauro Diſpp. ſuper N. T. f. 330. recuſam, nec non aliam *Siricii* Gieſſ. 1666. & *Joach. Hildebrandi* Helmſtad. 1695. & 1704. item *Chriſt. Warlitzii* Scrutinium Medico-Sacrum *Vitemb.* 1705. 8.

Ceterum Gentiles Scriptores non ſolum magnis virtute Viris, ſed & Diis ſuis lacrymas olim tribuiſſe, commonſtrat Cl. *Elsnerus* in Notis ad h. l. p. 268. De lacrymis, commiſerationis indicio, lege & *Picinellum* in Luminibus Reflexis p. 657.

Verſ. 42. Ὅτι εἰ ἔγνως καὶ σύ) Τὸ *non noſſe*, &, quod ſequitur proxime, *abſconditum eſſe*, idem hic eſt, quod *ſpernere*, *non curare* aut *ad animum revocare* aliquid. Vide hæc ex aliis Scripturæ locis commonſtrantem B. *Franzium* de Interpretat. Script. Sacr. p. 398. Ceterum poſt verba hæc ſubintelligendum eſſe: *O quam bene tecum ageretur!* poſt *Budæum* in Pandectas f. 41. a. exiſtimat *Boiſius* in Collatione p. 257.

Verſ. 43. περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι) Quid χάραξ proprie ſit, ex *Arriano* & *Polybio*, nec non Latinis quibusdam Scriptoribus diligenter ediſſerit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 227. ſqq. idemque p. 232. obſervat, h. l. phraſin iſtam totam ita accipiendam eſſe, quod Romani Hieroſolymam undique palis ligneis circumdederint, ut neque aditus cuiquam pateret, nec exitus. Phraſi eadem utitur *Arrianus* Diſſert. Epictet. lib. III. c. 24. ἐ χάρακα περιβαλεῖ & *Polybius* p. 355. χάρακα περιβάλλοντες. Oraculum hoc Chriſti omni ex parte impletum eſſe, oſtendit *Raphelius* l. c. pag. 233. usque ad pag. 241. ex *Joſepho*.

περι-

περικυκλώσουσί σε) v. *Luc.* XXI. 20. & adde de hoc verbo *Vitringæ* commentar. in Jesaiam Tom. II. p. 140. Eadem fere phrasi utitur *Æschylus* in Septem ad Thebas: Αργεῖοι γὰρ πόλισμα Κάδμου κυκλοῦνται.

Vers. 44. Καὶ ἐδαφιοῦσί σε) Vulgatus: *ad terram prosternent te*, quod approbat post *Lud. de Dieu*, B. *Olearius* de Stylo N. T. p. 135. Id enim & *urbi* & *incolis* ejus convenit. Conf. *Boisii* Collationem p. 257. & noviſſime Cl. *Starckii* Notas Select. ad Loca dubia N. T. p. 94. Inſpice quoque τὰς LXX. *Ezech.* XXXI. 12. *Hoſ.* X. 24. & XIV. 1.

ἐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ) Pro phrasi proverbiali & hyperbolica habet *Olearius* l. c. Confer, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XXIV. 2. & adde *Jo. Buxtorffii* Catalecta p. 202.

Vers. 48. ἐξεκρέματο αὐτοῦ ἀκουόν) Ita *Eunapius* de Ædeſio: ἐξεκρέματο τῶν λόγων. Similibus phrasibus utuntur Latini, quorum loca jam attulerunt *Pricæus*, *Olearius* l. c. p. 136. & *Suicerus* Tom. I. Theſauri p. 1065. ſq.

CAP. XX.

VErſ. 1. ἐν τῷ ἱερῷ) pro irreptitio habet *Millius*: ſed vide *Whitbii* Examen p. 47.

Vers. 3. Καὶ εἰπατέ μοι) Τὸ καὶ hic ſignificat *age*, vel *agite*. Conf. ſupra VI. 31. IX. 33. & *Matth.* XXIII. 32. Similiter profani Scriptores, ut *Demoſthen.* pro Corona p. 336. *Philoſtratus* lib. VII. de Vita Apollonii c. 15. p. 296. & alii apud *Elsnerum* p. 269.

Vers. 10. καὶ ἐν καιρῷ) i. e. tempore, fructibus colligendis opportuno. Ita *Xenophon.* lib. I. Cyropæd. p. 12. Conf. *Matth.* XXI. 34. καιρὸς καρπῶν.

οἱ δὲ γεωργοὶ δείραντες αὐτὸν) Sunt, qui hic legere malint δήραντες ex δαίρω, quam lectionem etiam pauci quidam Codd. MSS. præferunt. Sed vide *Pfochenium* in Addit. 1. ad Diſſert. de Stylo N. T. p. 97. qui oſtendit, τὸ δέρω non ſolum, quod illi putant, *excoriationem*, ſed & *percuſſionem* ex Scriptorum uſu inferre.

Vers. 13. ἴσως -- ἐντραπήσονται) Communiter vertitur per *forte*, ſed Cl. *Elsnerus* p. 269. idem h. l. eſſe putat τὸ ἴσως, quod: *certe, ſine dubio*. Hinc in loco parallelo *Matth.* XXI. 37. ſimpliciter legitur: ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. Sic LXX. Intt. Hebræum אך *ſane*, *profecto*, 1 *Regg.* XXV. 21. reddunt per ἴσως. Eadem ſignificatio occurrit quoque apud externos Scriptores, ut *Demoſthenem* de falſa Legat. p. 226. *Æſchinem* in Timarch. p. 177. & alios ab Elsnero citatos.

Vers. 14. διελογίζοντο πρὸς ἑαυτὰς) *Vulg.* cogitaverunt intra se; quod probat *Boisius* in Collatione p. 259. ut de cogitatis animæ sermo sit.

Vers. 19. ἐφοβήθησαν τὸν λαὸν) Vocem τὸν λαὸν ex aliis Evangelistis huc translatam credit *Millius*: sed vide *Whitbii* Examen p. 47.

πρὸς αὐτὰς) i. e. *adversus se.* Vide *Scaligeri* notas ad Bezæ N. T. apud *Schurzfleischium* in Actis Literariis p. 26. Verti quoque commode potest per: *de se.* Confer, quæ scripsi ad cap. XIX. 9.

Vers. 20. καὶ παρατηρήσαντες ἀπέστειλαν ἐγκαθέτους &c.) i. e. *observato eo, subornarunt, qui se justos simularent.* Ita *Jos. Scaliger* non inconcinne hæc reddenda censuit. Vide B. *Schurzfleischii* Acta Literaria p. 26. Nempe verbum παρατηρεῖν Græcorum & *observare* Latinorum hanc habet notionem, ut denotet, *aliquem ex insidiis observare.* Ita *Cebes* in Tabula p. 16. παρατηρῆσι τὰς εὐηφόρους τὶ παρὰ τῆς τύχης & *Terentius* Andr. Act. II. Sc. V. v. 1. Vide *Elsnerum* p. 270. & adde, quæ scripta sunt ad *Marc.* III. 2. Pro ἐγκαθέτοις *Menander* in Fragmentis ἐφέδροις dicit p. 238. observante Cl. *Trillero.* De voce hac lege *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 987.

ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου) *ut carperent* seu reprehenderent *ejus sermonem*, h. e. aliquid in ipsius sermone arriperent, cujus occasione calumniam ipsi struerent. Eam verbo huic notionem tribuit *Xenophon* Histor. Græc. lib. II. p. 357. & alii apud *Raphelium* in Notis Xenophonteis p. 112. & *Elsnerum* p. 271.

Vers. 21. ὅτι ὀρθῶς λέγεις) Eadem phrasi utitur *Polybius* p. 1117. & 1034. οὐκ ἔφησεν αὐτὸν ὀρθῶς λέγειν.

Vers. 25. ἀπόδοτε οὖν) *Reddite igitur*, scilicet ex debito. Id enim proprie significare τὸ ἀπόδοτε, observat *Eustath.* in Il. γ. in fine, & ex eo *Boisius* in Collat. p. 259.

Vers. 27. οἱ ἀντιλέγοντες, ἀνάστασιν μὴ εἶναι) Phrasi hac in eadem constructione utitur *Xenophon* Cyropæd. lib. I. p. 11. & lib. II. p. 39. Lege *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 112.

Vers. 29. λαβὼν γυναῖκα) ita *Xenophon* Cyropæd. lib. VIII. pag. 175. ἢν τὴν θυγατέρα μου γυναῖκα λαμβάνῃς.

Vers. 34. οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου) i. e. homines, qui in hoc seculo vitam agunt animalem & naturalem, in quo vicissitudo nascentium ac morientium perpetua est: ut interpretatur B. *Fesselius* in Adversar. Sacris Tom. I. pag. 377. Conf. *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. II. pag. 60. ubi recte monet, ampliorem hoc loco esse phraseos hujus notionem, quam *Luc.* XVI. 8. Ibi enim eos tantum indicari, qui res mundanas solum curent cœlestium incu-

incurioſi; hic vero omnes illos promiſcue, qui in hoc mundo verſantur, ſive boni ſint, ſive mali.

Verſ. 35. *οἱ δὲ καταξιωθέντες τυχεῖν*) *Pricæus* deleri hic volebat verbum *τυχεῖν*, tanquam ſuperfluum, præter rationem, ac contra perpetuum Codicum conſenſum, Scriptorumque profanorum uſum. Ita enim & *Lyſias* Orat. contra Phil. p. 473. *συγγνώμης τινὸς ἄξιοί ἐισι τυχεῖν*, & alii apud *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 48. qui recte elegantiæ cauſa ita dici monet. Sermo hic eſt non de iis, qui adhuc ſunt in terris, ſed, qui olim mortui & ad vitam reſuſcitati, in beatorum ſocietatem cooptati ſunt. Vide huc *Hackſpanium* in Notis p. 354. qui ibidem Pontificios, cœlibatui meritum quoddam ex h. l. vindicare conantes, confutat. In eandem ſententiam *Hombergius* p. 150. obſervat, *τὴν ἀναςασιν τῶν νεκρῶν*, quæ ſtatim ſequitur, hic non ipſum actum reſurrectionis, ſed ea potius, quæ reſurrectionem conſequuntur, denotare, atque adeo hic idem eſſe, ac ſi, inverſo ordine, legeretur, *οἱ καταξιωθέντες τῆς ἀναςάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν καὶ τὸ αἰῶνος ἐκείνε τυχεῖν.*

Verſ. 36. *ἰσάγγελοι γάρ ἐισι*) Homines virtute valentes poſt hanc vitam *ἰσαγγέλες καὶ ἰσοδαίμονας* eſſe & a Pythagora *καταχθονίες δαίμονας* vocari, oſtendit *Hierocles* ad Aurea Carmina p. 40. Confer *Elsnerum* p. 272. *Th. Gale*, ad Jamblichum de Myſteriis p. 48. De voce *ἰσάγγελος* lege *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 1458.

καὶ υἱοὶ ἐισι τῦ Θεῦ) Quam diverſimode hæc phraſis in Scriptura uſurpetur, oſtendit *Petavius* in Dogmatibus Theolog. Tom. II. p. 104.

υἱοὶ τῆς ἀναςάσεως) Hebraiſmus eſt, quem ita nonnulli interpretantur, ut idem ſit, quod *οἱ ἀναςάντες* i. e. *qui reſurrexerunt*, ſicut alii dicuntur *υἱοὶ ἀπειθείας*. Vide *Vorſtium* Philolog. Sacr. Part. II. p. 43. Alii ſignificari volunt tales, qui *digni ſunt reſurrectione*. Inter hos eſt *Hackſpanius* in Notis p. 357. & *le Cene* in Projet p. 740. Ita 2 *Sam.* XII. 5. *filius mortis* dicitur, qui morte dignus eſt. Alii denique beatos hic *filios reſurrectionis* eminentiori ſenſu appellari exiſtimant, quippe qui ſpecialem quandam relationem ad reſurrectionem habeant, & proprio reſpectu quodam eam ſibi vindicent. Ita ſentit *Lempereur* ad Bava Kamma IV. §. 6. p. 90. ſimilibus V. T. phraſibus adductus. Idem phraſin Hebraicam in Codice *Bava Kamma* l. c. occurrentem בן קיימא i. e. *filius fœderis* cum noſtra hac comparat, quod & facit *Alex. Morus* in Notis ad h. l. cetera cum *Lempereurio*, quem tamen non citat, conſentiens. Adſtipulatur illis *Amelius* Part. II. p. 548. Quamcunque ex hic interpretationem amplectaris, non habebis, cur timeas tibi ab eorum inſultibus, qui reſurrectionem mortuorum impiis ex h. l. abjudicari poſſe opinantur.

Verſ. 37. *καὶ Μωσῆς ἐμήνυσεν ἐπὶ τῆς βάτε, ὡς λέγει*) Vulgatus vertit: *Moſes oſtendit ſecus rubum, ſicut dicit, Dominum Deum. Beza* vero: *Moſes indicavit*

in

in rubo, cum dicit Dominum &c. Et ἐπὶ τῆς βάτου explicant vulgo: *ubi illam de rubo narrat historiam*, ut Grotius. Difficulter sane. Distinguendus potius est locus, ut jam Heinsius monuit, commate, quod est post ἐπὶ τῆς βάτου, ante ea verba posito, & vertendus: *Et Moses ostendit, in rubo cum memorat Dominum, Deum Abrahami:* aut, *cum loquitur de Deo in rubo* &c. Sic supra IX. 31. ἔλεγον τὴν ἔξοδον αὐτοῦ, *loquebantur de exitu ejus.* Sic *Joh.* VI. 71. & VIII. 27. Ita quoque *Ælianus* Var. Hist. XII. 1. Ὡς autem h. l. transpositum est pro ὡς ἐπὶ τῆς βάτου λέγει, ut & *Act.* X. 38. *Rom.* XII. 3. Hæc ad h. l. affert Cl. *Elsnerus* p. 273. Mihi quidem ista interpunctionis mutatione violentiore, & transpositione vocum opus non videtur, cum ex ordinaria sensus satis commodus & luculentus nascatur. Verba ἐπὶ τῆς βάτου idem hic volunt, quod latine dixeris, *cum apud rubum esset*, sicut *Act.* XXIV. 20. Paulus de se ait, στάντος μου ἐπὶ τοῦ συνεδρίου. Particula vero ὡς tempus indicat, quæ notio ipsi frequentissima est. Nec mirum videri debet, Mosi ea hic adscribi, quæ Deus ipse apud Mosen loquitur. Scriptoribus enim ea passim in allegationibus tribuuntur, quæ recitant illi tanquam ab aliis pronunciata. Vide *Matth.* II. 18. coll. cum *Jerem.* XXXI. 15. & *Matth.* XXVII. 9. coll. *Zachar.* XI. 12.

Vers. 38. Θεὸς δὲ οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων· πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν) Vide huc *Alex. Mori* notas p. 72. qui inter cetera observat ex Paraphrasi *Onkelosi*, Judæorum opinionem fuisse, Deum se non dicere Deum esse alicujus in hac vita, sed in altera. Hinc ita verba Christi παραφράζει. *Non igitur illi mortui sunt, ita, ut nunquam resurgant. Quid ergo? Dormiunt. Sed ubi eorum vita? Latet apud Deum abscondita, & corporibus reddenda.* Toti enim vivunt Deo, *ut Lucas ait. Deus igitur est Deus viventium, contra quam vos Judæi dicitis; sed viventium Deo. Non est enim vita, quam hic vivitis. Nec est mortuorum Deus, ut vos dicere soletis: non enim sunt mortui, quos putatis, aut mortis filii.* Conf. omnino ex nostratibus B. *Mich. Fœrtschii* Dissert. ad hæc *verba fœderalia*, Jen. 1707.

Vers. 46. τῶν θελόντων περιπατεῖν ἐν στολαῖς) i. e. qui amant obambulare stolis sive togis i. e. vestibus ad talos demissis induti. Vide huc *Gatackerum* ad Antonini I. 7. p. 10. ubi ex Græcis & Romanis Scriptoribus observat, veteres aliis vestibus domi, aliis in publico uti solitos. Addit idem, Salvatorem amictus istiusmodi usum, tanquam fastus gravitatisque affectatæ indicium, in Pharisæis notare. Confer, quæ de voce στολὴ scripsimus ad *Luc.* XV. 22.

Vers. 47. καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται) Sensus est, Pharisæos longis precibus uti, ut scilicet videantur pii & honesti, nec tantorum scelerum rei. Alii minus recte de simulatis longis precibus interpretantur. Vide *Heinsii* Exercitatt. Sacr. p. 68. & *le Cene* in Projet p. 558.

CAP.

CAP. XXI.

Vers. 1. εἶδε τὲς βάλλοντας - πλουσίους) Manifesta hic est trajectio vocis πλουσίους, quæ, in extremo commate posita, proxime pertinet ad participium βάλλοντας. Vide *Hackspanii* Notas p. 357.

Vers. 2 δύο λεπτὰ) Conf. ad *Marc.* XII. 42. *Schottus* in Adagialibus N. N. p. 85. ad h. l. de iis commentatur, qui parvum quid offerunt, sed animo ingenti & liberali.

Vers. 3. ὅτι ἡ χήρα ἡ πτωχὴ πλεῖον πάντων &c.) Simile fere de divite quodam Megarensi & paupere Methydrionensi refert *Porphyr.* lib. II. de Abstinent. p. 146. observante Cl. *Trillero.*

Vers. 4. ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα τῦ Θεῦ) i. e. in *gazophylacium.* Vide *Matth.* XXVII. 6. & confer *Keuchenii* Annotata. Contentum scilicet ponitur pro Continente. Confer *Boissii* Collationem p. 261.

ἐκ τῦ ὑστερήματος αὐτῆς) Per ὑστέρημα hic intelligitur illud, quod adhuc ei reliquum erat ex demensa portione bonorum, quæ possidebat. Vide *Biblioth. Bremens.* Class. III. 227.

Vers. 5. ἀναθήμασι κεκόσμηται) Ἀνάθημα *Græcis non dicitur de omni re, quæ diis consecrabatur, sed de illo tantum genere donorum, quæ suspendi poterant, aut in excelso & conspicuo loco statui, ut essent templis ornamento: qualia ea sunt, quæ supra diximus. Pollux:* τὰ δὲ ἀναθήματα ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ στέφανοι, φιάλαι, ἐκπώματα, θυμιατήρια, χρύσιδες, ἀργύριδες, οἰνόχοαι, ἀμφορίσκοι. *Et hic Lucæ locus clare ac diserte testatur,* ἀναθήματα *ea tantum dici, quibus templum ornaretur.* Ita *Salmasius* ad Solinum p. 767. a. Conf. in eandem sententiam *Suicerum* T. I. Thesauri p. 272. sq. Quæ uti recte dicuntur, si de communiori & crebrius obvio vocis significatu quæratur; ita negari tamen non potest, ἀναθήματα, templis dicata, etiam de iis donis interdum dici, quæ ad certum usum adhibentur. Ita *Polybius* lib. IV. c. 62. fani cujusdam donaria corrupta esse ait, ὅσα πρὸς κόσμον ἢ χρείαν ὑπῆρχε, i. e. *quæ vel ad ornatum vel ad usum comparata erant.* Conf. *Raphelii* Annotatt. Polybian. p. 242. & Xenophonteas p. 113.

Vers. 6. Ταῦτα, ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι, ἐν αἷς &c.) *Beza* interrogative vertit: *Hæccine spectatis?* sed eum recte judicant deserendum *Hombergius* in Parergis p. 151. & *Raphelius* in Annotatt. Polybianis p. 242. & Xenophonteis p. 113. Nominativus hic absolute ponitur, latine ita exprimendus: *Quod ad ea attinet, quæ videtis* &c. Ita sæpe Scriptores N. T. de quibus lege B. *Glassii* Philolog. Sacr. p. 97. & *Vorstii* Philol. Sac. Part. I. c. XI. Non minus autem Græci & Latini externi, quorum loca diligenter attulerunt *Stolbergius* in Exercitatt. Gr. L. p. 6. sqq. *Jac. Perizonius* ad Ælian. Var. Histor. II. 13. *Jo. Clericus* in Arte Critica Part. II. Sect. I. c. 10. & Rev. *Raphelius* ll. cc. At-

que ita quidem & hunc locum accipere malim, quam verba pro defectivis habere cum *Boiſio* in Collatione p. 261. & *Hombergio* l. c. qui poſterior ita ſupplet: *Illa, quæ videtis, nunc quidem ſtant, ſed venient dies* &c. Ἀνακόλεθα, his ſimilia, ex profanis Græciæ ſcriptoribus affert Cl. *Trillerus* in Notis MSS. ad h. l. v. c. ex *Lesbonacte*: ἐι θέλεις ἀναχάντα κλεῖσαι τὴν θύραν pro ἀναχὰς, *Hippocrate* lib. III. Epidem. πυθίων ἤρχετο τρόμος ἀπὸ χειρῶν, pro πυθίωνι. Conferri idem jubet *Voſſium* ad Catullum p. 296. & *Th. Munckerum* in Diſſert. Hygino præmiſſa, additque, apud Ælianum talia occurrere, negante quamvis *Jenſio* in epiſtola ad Grævium, Lectionibus Lucianeis annexa, qui tamen in ipſis Lection. lib. II. c. 4. p. 154. quædam ejusmodi agnovit.

Verſ. 9. ἀκαταςασίας) Apud *Matthæum* XXIV. 6. & *Marcum* XIII. 7. pro ἀκαταςασίας dicitur ἀκοὰς πολέμων, per metonymiam antecedentis pro conſequente, vel cauſæ pro cauſato. Nam ex ἀκοαῖς πολέμων oriuntur ἀκαταςασίαι, quæ fiunt, cum metus belli ſubito ingruit, aut hoſtis appropinquare dicitur. Eo ſenſu utitur *Polybius* lib. XIV. c. 9. p. 955. Ita *Raphelius* in Notis Polybian. p. 243.

Verſ. 12. ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ὑμᾶς τὰς χεῖρας) Ita loquitur & *Matth.* XXVI. 50. & *Ariſtophan.* Lyſiſtrat. v. 440. item *Homerus* Iliad. α. v. 89. Vide *Elsnerum* p. 274.

παραδιδόντες εἰς συναγωγὰς καὶ φυλακὰς) παραδιδόναι φυλακὴν i. e. *in carcerem conjicere* dicunt etiam profani, ut *Diodor. Sic.* lib. II. p. 31. & *Polybius* lib. I. p. 100. Quid h. l. per συναγωγὰς intelligendum ſit, diſquirit *Vitringa* in Archiſynagogo p. 352. & 370. & de Synagoga Vetere p. 770. Confer, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* X. 17. Synagogam proprie dictam indicari putat *Boiſius* in Collat. p. 263.

ἀγομένους ἐπὶ βασιλεῖς) Ita *Plutarchus* Parallel. p. 305. ἀχθεὶς ἐπὶ βασιλέα, & *Ælianus* Var. Hiſt. lib. I. c. 34. alii, apud *Elsnerum* p. 275.

Verſ. 13. Ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν εἰς μαρτύριον) *Cedent hæc vobis teſtimonio*, ut *Beza* vertit, approbante *Hombergio* p. 151. qui ſimiles profanorum Scriptorum phraſes affert.

Verſ. 14. Θέσθε ἓν εἰς τὰς καρδίας ὑμῶν) Variorum interpretationes lege apud *Boiſium* in Collat. p. 264.

Verſ. 18. καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται) De formula hac lege *Vorſtium* de Adagiis N. T. c. VI. & *Hackſpanium* in Miſcellan. p. 62.

Verſ. 19. Ἐν τῇ ὑπομονῇ κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν) Non Hebraiſinum cum aliis, ſed Græciſimum, eumque elegantiſſimum, hic agnoſcit Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 243. ſq. cum & *Polybius* p. 294. & 330. eadem phraſi utatur, *Galenus* vero Therap. 10. dicat τὴν δύναμιν τοῦ σώματος ἀνακλώμενος, &

Arrianus

Arrianus Epictet. p. 393. ἀναλήσασθαι ἑαυτόν. Ex his vero locis idem colligit, ἀναλῆσθαι τὰς ψυχὰς idem esse, quod *recipere animum*, & *se colligere*. Cum vero hic ἀνὰ omittatur, videtur id præcipi, ut ne de statu mentis depellantur. Sensus itaque est: *capite* sive *sumite animos, retinete animas vestras*, in vestra possessione & potestate, ne vi malorum vobis eripiantur, aut dejiciantur. Idem itaque hic præcipitur, quod *Hebr.* X. 35. 36. Ita Rev. *Raphelius* p. 145. Atque id quidem malim, quam cum aliis legere κτήσεσθε. Ita vero *Vulgatus* & *Syrus* legisse videtur. Quam lectionem probat Millius in Prolegom. & amplexus est *Hombergius*, qui p. 151. ita vertenda hæc putat: *patientia acquiretis animas vestras*. Quo ipso non *possidendi*, aut *retinendi*, sed *acquirendi* significatum verbo κτᾶσθαι tribuit. Atque is quidem verbo huic passim a Scriptoribus vindicatur, v. c. *Matth.* X. 9. *Theognid.* v. 199. & apud alios, quos laudat *Hombergius*. Applausit *Hombergio* novissime Cl. *Starckius* in Notis Selectis ad Loca dubia N. T. p. 95. circa lectionem κτήσεσθε. Verti autem vult: *in perseverantia vestra possidebitis animas vestras*, atque hanc phrasin confert cum *Matth.* X. 22. & *Marc.* XIII. 13. Pro B. Luthero, qui lectionem κτήσασθε expressit, vide B. *Raithium* in Vindiciis p. 404.

Vers. 20. Ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην) i. e. ὅταν δὲ ἴδητε κυκλοῦσθαι, *quando videritis urbem cingi* vel *circumdari*. Christus enim hic loquitur non de re jam *facta*, sed quæ fieri *incipit*, & continuatur, quia fugæ, ad quam cohortatur Christus v. 21. non amplius locus fuisset, obsidione jam consummata & perfecta. Ita vero & alias participium adhibetur pro præsenti infinitivi, ut *Luc.* XXIV. 39. *Marc.* II. 16. nec minus apud *Demosthenem* de falsa legat. p. 218. Conf. *Biblioth. Bremens.* Class. III. p. 651.

ὑπὸ στρατοπέδων) *Grotius* pluralem numerum hic ideo ait adhiberi, quod *Josephus* VI. 3. p. 908. scribat, τὸς Ρωμαίους στρατοπεδευομένους τριχῆ i. e. *Romanos castra trifariam habuisse*. Vide, quæ contra hanc sententiam disputat erudite Rev. *Raphelius* in Notis Polybian. p. 246. Copiis enim militum adeoque castris cingi & includi urbs per magnitudinem suam non poterat, quod Titus ipse fatetur lib. VI. cap. 13. Itaque laudatus *Raphelius* contendit, vocem στρατόπεδα hic non *castra* denotare, sed *legiones*, quam notionem voci huic frequenter tribuit *Polybius*, v. c. p. 21. 156. & 269. Sensus itaque erit, urbem a pluribus legionibus primo quidem circumdandam ex parte, deinde vero totam operibus h. e. vallo, tredecim castellis exterius munito, ut Josephus tradit VI. 13. cingendam esse. Confer quæ scripta sunt supra ad XIX. 43.

τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις ὑμῶν) Verba hæc cum *Jesaiæ* XVIII. 3. confert *Vitringa* in Commentar. Tom. I. p. 521.

Vers. 21. οἱ ἐν ταῖς χώραις) οἱ ἐν τῷ ἀγρῷ *Matth.* XXIV. 18. Villæ itaque & prædia intelliguntur. Nam χώρα opponitur τῇ πόλει apud *Polybium* p. 791. & 744. Conf. *Raphelii* Notas Polyb. p. 251.

Verſ. 24. στόματι μαχαίρας) Hebraiſmum hic recte agnoverunt plerique omnes, quia phraſis eſt in V. T. creberrime obvia, ut *Deuter.* XIII. 16. Sed vel ſic *Pfochenius* Græci ita dici contendit §. CXV. ex eo quidem, quod Scriptores gladium δίστομον dicere ſoleant. Sed vide, quæ recte regeſſit *Gatackerus* p. 253. inprimis autem *Vorſtius* Philol. S. Part. I. p. 284. qui appoſite monet, στόμα quidem per metaphoram gladio eleganter tribui; hic vero τὸ στόμα more Hebræorum abundare, quod apud profanos non inveneris, qui dicere ſoleant, πίπλειν τῷ ξίφει, τῇ μαχαίρᾳ. Inter adagialia numerat *Schottus* in Adagialibus V. T. pag. 84.

ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν) Poſtremas duas voces pro gloſſemate, explicationis cauſa primum in margine ſcripto, & deinde in contextum relato, habet *Millius* in Prolegomenis §. 1280. uno ſcilicet Codice *Cantabrig.* in quo illæ deſiderantur, nixus. Sed quæcunque hic affert, precaria eſſe & ἀμάρτυρα, recte obſervat *Whitbius* in Examine p. 47. a. Interim multum diſputatum eſt a Viris doctis, quando facta aut futura ſit *impletio* illa *temporis gentium?* Et alii quidem eam contigiſſe ajunt tempore Conſtantini M. ſub quo Gentiles deſierint eſſe ſupremi Domini Judææ & urbis Hieroſolymitanæ, quam nempe tunc occuparint Chriſtiani, teſte *Euſebio* lib. III. c. 26. de Vita Conſtantini. Ita *Jo. Clericus* & *Beauſobrius* ac *Lenfantius* in Notis ad nuperas verſiones Gallicas N. T. Alii per tempora illa pleniſſimam *gratiæ* in Gentiles effuſionem reſpici volunt, quæ ſe exſerere debeat tunc, ubi ſingularis Gentium ad Chriſtum converſio ultimis temporibus eventura ſit, quæ ipſam quoque Judæorum converſionem ſecum ferat. Atque illi locum hunc comparant cum *Rom.* XI. 26. Ita ex *Belgis* permulti v. c. *Gurtlerus* in Syſtem. Theol. Prophet. p. 507. & 722. & *Grœnewegius* in Redemtione Iſraelis ex Sione p. 11. ſq. quorum ſententiam exponit *Amelius* Part. II. p. 155. ex *Anglis Whitbius* in comment. ad h. l. *Joſ. Mede* in Opp. p. 709. & 753. ex noſtratibus denique Auctores des Freywilligen Heb. Opffers, Tom. II. pag. 325. ſqq. Nonnulli eorum, qui ita ſentiunt, cum iſta Judæorum converſione conjunctam eſſe volunt recuperationem & inhabitationem terræ Canaan. Id *Jac. Altingius* Oratione ſingulari adſtruere conatus eſt variis V. T. locis hanc in rem allatis. Sed vide in contrarium *Grœnewegium* & ex eo *Amelium* l. c.

Alii denique cum *Chryſoſtomo* tempora illa Gentium uſque ad finem mundi extendunt, eorumque finem in conſummatione mundi collocant. Legatur hic inprimis B. *Calovius* in Bibliis Illuſtratis. Atque hanc ſententiam potiſſimum commendant ea, quæ v. 25. ſequuntur. Cum enim illa ex plerorumque Interpretum ſententia de fine mundi exponant, & cum implendis gentium temporibus proxime jungantur, argumenti ſatis eſſe puto, cur implementum illud temporum ibi demum quæramus. Confer, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* XXIV. 29. ſq.

Verſ.

Verſ. 25. ſqq. illuſtratos vide a B. *Jo. Frid. Mayero* in Ecloga ad Evangel. Dominic. II. Advent. *Witteb.* 1684. & alia *Gryphiswald.* 1701. edita. Contra eos, qui, ut ad Matthæum l. c. admonitum eſt, allegorias hic ſectantur, lege *Wilh. Rittneri* Diſquiſitionem placidam de ſignis extremi judicii, *Helmſtad.* 1718. 4.

Verſ. 25. καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ) Phraſin hanc totam ex *Jeſ.* VIII. 21. 22. expreſſam eſſe putat *Vitringa* in Comment. in Jeſaiam Tom. I. p. 231. Vocem συνοχὴ per Bagen convertit B. *Lutherus.* Confer B. *Stadenii* Expoſitionem vocum difficiliorum Germanic. p. 743. edit. ſecundæ.

Verſ. 26. ἀποψυχόντων) i. e. *morientium, animam fere efflantium;* Ita hoc verbo utitur *Arrianus* Epictet. lib. III. c. 26. & *Appian.* de Bello Civili lib. IV. p. 973. *Sophocles* plene dixit ἀπέψυξεν βίον, in Ajace Flagellif. v. 1656. Conf. *Elsnerum* p. 275. & *Suicerum* T. I. Theſauri p. 490.

ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας) προσδοκία hic eſt *metus*, ut apud *Thucydid.* lib. V. p. 352. Conjunxit cum φόβῳ etiam *Plutarchus* Antonio p. 949. τῆς πόλεως ἐν κατηφείᾳ διὰ τὸν φόβον καὶ προσδοκίαν τοῦ μέλλοντος ἔσης. *Cum tota urbs in luctu eſſet ob metum ſpem futuri.* Ita ad h. l. *Elsnerus* l. c.

τῇ οἰκουμένῃ) Qui h. l. non niſi excidium Hieroſolymæ & populi Judaici indicari putant, vocem οἰκουμένη de Judæa tantum accipiunt, ut *Grotius, Hammondus, Joſ. Mede, Lightfootus, Rich. Simon,* & *le Cene* in Projet p. 320.

αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν) Per hypallagen ita dici putat *Hackſpanius* in Notis p. 358. ut *cœlum virtutis* i. e. cœlum firmiſſimum indicetur.

Verſ. 27. Καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου &c.) Ad hoc comma lege, quæ ſcripta ſunt ad *Matth.* XXIV. 29.

Verſ. 28. ἀνακύψατε) Ἀνακύπτειν proprie eſt *ſuſpicere, oculos & caput attollere,* opponiturque τῷ συγκύπτειν, *Luc.* XIII. 11. & τῷ κάτω κύπτειν *Joh.* VIII. 8. reſpondet vero τῷ ἀνορθοῦσθαι *Luc.* XIII. 13. Hic autem translate notat *animum ex triſtitia reſumere, ſpe erigi, lætari.* Qui enim in magno mœrore ſunt, animum abjectum vultu produnt in terram defixo; iidem, cum ſpes aliqua affulget, erecto capite oculisque ſublatis lætitiæ ſpeciem præ ſe ferunt Ita vim vocis hujus curate ediſſerit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis p. 115. eamque firmat illuſtri loco *Xenophontis* in Oeconom. p. 670. ubi ἀθυμία i. e. *triſtitia, ægritudo animi* opponitur verbo ἀνακύπτειν. Adde ejusdem Notas Polybianas p. 251. ubi ſimilia loca ex *Polybio* lib. I. cap. 55. & aliis afferuntur.

καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν) Similiter *Epictetus* lib. II. cap. 16. de eo, qui

qui ex servitute liberatus est: ἀνάτεινόν ποτε τὸν τράχηλον, ὡς ἀπηλλαγμένος δουλείας. Τόλμησον ἀναβλέψας πρὸς τὸν θεὸν εἰπεῖν &c. Conf. c. 17. p. 208. & adde *Raphelium* in Notis Polyb. p. 252.

Totum hoc comma cum *Rom.* VIII. 19. sq. ubi de ἀποκαραδοκία fidelium agitur, confert Cl. *Frider. Adolphus Lampe* in Exercitatt. ad Pf. XLV. p. 574. qui inter cetera contendit, potissimas revolutiones Ecclesiæ inde a πανολεθρία Solymorum, usque ad consummationem seculi in præcedentibus per compendium a Domino præscribi, quando memorentur καιροὶ & πληρώματα singula eorum v. 24.

Vers. 30. Ὅταν προβάλωσιν ἤδη) Vulg. supplet ellipsin hic obviam per *fructus*, quam vocem etiam habet Cod. *Cantabrig.* Suppleri etiam poterat per *folia*, quæ vox est apud *Matthæum* & *Marcum* in locis huic parallelis. Confer *Lamb. Bos* de Ellipsi p. 93. ubi de voce καρπὸς & p. 216. ubi de voce φύλλα. Lege etiam, quæ scripta sunt ad *Matth.* XXIV. 32.

Vers. 34. μήποτε βαρυνθῶσιν) Similiter dixit ὑπὸ πλησμονῆς βαρύνεσθαι Lycurgus apud *Xenophont.* de Republ. Lacedæm. p. 535. Conf. *Raphelii* Notas p. 116. Sic *Antoninus Liberal.* Metamorphos. c. XI. dixit τὴν γαστέρα βαρυνθῆναι ὑπὸ σιτίων, & *Horatius* lib. II. Sat. II. 78. *Quin corpus onustum Hesternis vitiis animum quoque prægravat una.* Ex Notis MSS. Cl. *Trilleri.*

μερίμναις βιωτικαῖς) i. e. curis de victu & cultu sollicitis. Ita *Polybius* p. 468. τῶν πρὸς βιωτικὰς χρείας μηδὲν ἐλλείπῃ,

Vers. 35. Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται) Confert cum hoc locum *Xenophontis* lib. I. Cyropæd. p. 29. *Raphelius* in Notis p. 116.

τοὺς καθημένους) i. e. *habitantes* per Hebraismum ad imitationem Hebraici יושבי, quæ vox & de *sedentibus*, & de *habitantibus* usurpatur. Vide *Hackspanii* Notas ad h. l. p. 358.

ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς) pro ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, per Hebraismum: Vide *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 281.

Vers. 36. ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν) i. e. *ut effugiatis*, vel, *ut possitis effugere.* Vide supra XX. 25. Non intelligendum hoc est de merito, sed est Græcismus valde usitatus. Id post *Melanchthonem* recte observat *Boistius* in Collat. p. 266.

Vers. 38. ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν) ὀρθρίζειν verbum novum esse & ad Hebraici verbi השכים exemplum formatum a LXX. Interpretibus, & sic quoque a Luca adhibitum, statuunt eruditorum nonnulli v. c. *Scaliger* in Epistolis p. 384. ubi monet, *Vulgatum* itidem verbum *manicare*, quo hic utitur, primum excogitasse. Adde ex nostratibus *Hackspanium* in Notis p. 359. Vicissim tamen *Salmasius* Comm. de Lingua Hellenist. pag. 101. ex *Mœride* osten-

ostendit, verbum ὀρθρίζειν in communi Græcorum Lingua receptum fuisse, pro quo Attici dixerint ὀρθρεύειν. Adde in eandem sententiam *Tobiæ Eckhardi* Technicam Sacram p. 122. & *Vorstii* Philolog. Sacr. Part. I. p. 9. Occurrit verbum hoc non solum apud τὸς LXX, sed & 1 *Maccab.* VI. 33. & XI. 67. item *Siracid.* XXXIX. 6.

CAP. XXII.

VErs. 4. καὶ τοῖς στρατηγοῖς τῦ ἱερῦ) *Hammondus* per Præfectos illos Templi intelligit Præfectos cohortis vel plurium cohortium Romanarum, quæ in porticibus Templi excubias agebant, ne ibi Judæorum concursu seditio oriretur. *Erasm. Schmidius* in Notis ad Act. IV. 1. opinatur, Judæos eo tempore habuisse præsidium quoddam militare, pro custodia Templi Hierosolymitani a Romanis impetratum, ne vis Templo & sacris, ac sacra facientibus a ceteris militibus Romanis inferretur, atque illius præfectum Act. IV. dici στρατηγὸν. Utramque sententiam examinat & missam facit Rev. *Salom. Deylingius* in Obss. Sacr. Part III. p. 237. sqq. ipse vero per στρατηγὸν τῦ ἱερῦ intelligit non Romanum quendam, sed Judæum excubiatorum Templi Præfectum Summum, quem Doctores Talmudici ראש המשמר aut איש הר הבית i. e. *caput custodiæ* appellent. Tali munere functum putat *Passum*, filium *Immer*, Jer. XX. 1. qui dicitur ibi פקיד נגיד בבית יהוה. Isti addit alios subjectos fuisse Præfectos minores, qui singulis hujus illiusve loci excubiis, manipulis ac præsidiis Templo præfuerint. Eos Lucas perpetuo conjungit cum Sacerdotibus ac Principibus Judæorum, qui tamen cum hominibus Romanis, qua erant superstitione, nunquam tam familiariter egissent. Idem statuunt *Lightfootus* in Horis Hebr. ad h. l. *Anton. Bynæus* lib. I. de Morte Jesu Christi p. 345. & *Jo. Clericus* in Notis tum ad Hammondi observationes, tum ad Vers. Gallicam N. T. Nec mirum videri debet, Præfectos ejusmodi στρατηγὸς appellari, qui tamen a militia longissime aberant. Nam vox στρατηγὸς eo tempore Græcis non Ducem bellicum & Imperatorem, sed quemvis magistratum, & hominem aliis præfectum denotabat. Ostendit id laudatus *Deylingius* l. c. ex marmoribus inprimis, & aliis antiquitatis monimentis. Scilicet alii erant στρατηγοὶ ἐπὶ τῆς εἰρήνης, alii στρατηγοὶ ἐπὶ τῶν ὅπλων. Vide B. *Olearium* ad Philostratum I. 23. § 1. de Vitis Sophistarum. De στρατηγῷ seu *prætore urbano* lege *Ezech. Spanhemium* ad Julianum p. 76. b. sqq. nec non *Valesios* ad Eusebium p. 46. b. & 148. & ad *Ammianum Marcellin.* lib. XXXI. c. 6. p. 629. Inspicere quoque juverit *Anton. van Dale* Antiquitat. Diss. V. c. 3. p. 413. sqq. & Cl. *Pauli Frid. Opitii* Commentarium Historico-Philolog. de nocturna Templi custodia, *Kilon.* 1710. 4.

Vers. 6. καὶ ἐξωμολόγησε) i. e. *juramento confirmavit*, vel *obstrinxit se*; quod probat *Keuchenius* ad h. l.

ἦλθε δὲ ἡμέρα τῶν ἀζύμων &c.) Vide huc *Scaligerum* de Emendat. Temporum p. 531 ſq. *Cloppenburg.* Tom. I. Opp. p. 104. & Rev. *Deylingium* in Miſcellan. Lipſienſ. Tom II. p. 536. ſq.

Verſ. 14. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, ἀνέπεσε &c.) Vide *Mart. Lydii* Cœnam Dominic. Literatorum p. 4. ſq. Ὥρα hic juſtum & opportunum tempus infert: vide *Boiſii* Collationem p. 266.

Verſ. 15. Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα &c.) Hæretici nonnulli, interrogative hæc efferenda eſſe cenſentes, verba hæc in alienum prorſus ſenſum depravata ita temere conformarunt: μὴ ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα κρέας. τοῦτο Πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν; Vide *Barthol. Germonii* Commentationem de veteribus Hæreticis, Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus c. VII. p. 76. Phraſis ipſa ἐπεθυμίᾳ ἐπεθυμήσα Hebræis frequentiſſima eſt, a quibus ad Græcos tamen & Latinos quoque pervenit. Sic *Homerus* Il. β. v. 788. ἀγορὰς ἀγορεύειν, quod Euſtathius ibi pro Attico dicendi genere habet. Plura ejusmodi veterum Scriptorum loca attulit *Jenſius* in Lectionibus Lucianeis lib. III. c. 5. Sunt vero omnes illæ phraſes ἐπιτατικαὶ & ἐπαυξητικαὶ h. e. in majus tollunt orationis vim, ut proinde hinc de flagrantiſſimo deſiderio Salvatoris noſtri, mortem pro nobis ſubeundi, judicare poſſimus. Hæc Cl. *Trillerus.* Vocem πάσχα *Coptus* hic reddidit, per: *paſcha meum.* Vide Cl. *Wilkinſii* Novum Teſtamentum Copticum.

Verſ. 16. ἕως ὅτε πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ) Per verbum πληρωθῇ hic reſpici Paſcha Spirituale & figurativum, i. e. uſum S. Cœnæ, exiſtimat *Martianæus* in Eſſais p. 262. *Rich. Simoni* in notis ad h. l. videtur innuere Chriſtus, ſe iturum in cœlum, ubi omnia longe perfectius implenda ſint, quæ hic per Paſcha indicentur, & præfigurentur. Vide tu, quæ ſcripſimus ad *Matth.* XXVI. 29.

Verſ. 17. Καὶ δεξάμενος ποτήριον) Poculum hoc diſtinctum eſt ab eo, de quo v. 20. Qua occaſione *Bartoloccius* in Biblioth. Rabbin. Tom. II. p. 745. ſq. differit de poculis pluribus, apud Judæos in edendo agno Paſchali receptis, eademque opera diſquirit, quos ritus Judaicos in hac ſolennitate ſervarit Salvator. Vide, quæ ſcripſimus ad *Matthæum.* De poculis, a Gentilibus in conviviis ſuis diis libatis, commentatur hic *Dougthæus* in Analectis N. T. p. 55. Sed iſta quidem ab h. l. nimis aliena ſunt.

Verſ. 18. Λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γενήματος &c.) Ex his verbis nonnulli probare conati ſunt, Chriſtum ipſum una cum diſcipulis ſuis tunc Sacra Cœna usum eſſe. Quam ſententiam nec ex hoc loco, nec aliis, quæ afferri ſolent, argumentis, firmari poſſe, oſtendit B. *Jo. Faës* in Chriſto Incœnato, *Brem.* 1693. 8. Conf. Acta Erudit. 1693. p. 529. ſq. Hic ſane manifeſtum eſt, ſermonem eſſe de poculo paſchali & legali, de quo v. 17.

Cete-

Ceterum v. 17. & 18. a Syro Interprete temere omissos & omnino genuinos esse, recte post Grotium contendit *Millius*.

Vers. 19. 20. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον &c.) Hæc verba usque ad finem v. 20. non legi in Codice *Cantabrig.* Beza monet. Confer *Morini* Exercitatt. Bibl. lib. I. p. 42. & 45. Mirum omnino est, post *Bezam*, *Simplicium Verinum*, i. e. *Salmasium* de Transsubstantiat. statuere potuisse, quod v. 20. a Christiano aliquo eo consilio additus sit, ut Lucam cum reliquis Evangelistis conciliaret, qui panis consecrationem primo loco memorant, cum Lucas v. 17. vini mentionem primo loco fecerit. Putat idem, *Paulum* 1 *Cor.* X. 16. & 22. *Lucam* h. l. *Clementem Romanum* epist. I. ad Corinth. c. XLIX. & alios, qui calici vel sanguini eucharistico priorem locum dederunt, non respexisse ordinem, quo hæc Sacramenta a Christo tradita sint, sed majorem calicis nobilitatem, cum panis carnem Christi, calix autem sanguinem inferat, & sanguis tanto carne sit præstantior, quanto anima est nobilior corpore, quia in sanguine anima esse dicatur. Sed respondit ad hæc pridem B. *Dorscheus* in Exercitat. ad Concilii Niceni Diatyposin de Cœna Sect. III. p. 195. & ex eo B. *Ittigius* in Histor. Eccles. Sæc. I. p. 200. Eorundem verborum γνησιότητα contra *Bezam* vindicat *Alex. Morus* in Causa Dei p. 111. *Heinsius* item Exercit. Sacr. c. 19. *Stolbergius* in Exercitatt. Gr. L. p. 27. sqq. & novissime *Homberg.* in Parergis p. 152.

τοῦτο ποιεῖτε) Non posse verti per: *sacrificate*, ostendit *Schurmannia* in Opusculis p. 149. Conf. *Schulzii* Florum Sparsionem p. 128. sq. Nudum hic fuisse convivium, & Christum verbis his frequentiorem S. Cœnæ usum non injunxisse contendit *Grotius* in Dissertat. de eo, *an semper communicandum sit per Symbola*, quæ *Londini* recusa additas habet oppositas ipsi *Petavii*, *Cloppenburgii* & *Henr. Dodwelli* responsiones, quas suo loco leges. Conf. Acta Erudit. an. 1687. p. 447. Ex nostratibus contra *Grotium* disputat *Josua Arndius* in Miscellaneis Sacris p. 15. sq.

τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον) Solœcismum hic vel saltem σολοικοφανὲς invenire sibi visi sunt diversi, eo quod antecedens ἐν τῷ αἵματί μου longe aliam structuram postulet. Vide eos appellatos & confutatos a *Stolbergio* in Exercitatt. Græc. L. p. 22. sqq. Is scilicet ostendit, p. 30. participium ἐκχυνόμενον non referendum esse ad vocem αἵματι, sed ad ποτήριον, nec magis mirum videri posse, quod poculum dicatur effundi propter sanguinem, quam quod dicitur Novum Fœdus in sanguine. Eadem est sententia *Hombergii* in Parergis p. 153. Vide etiam similis locutionis exempla apud *Gatackerum* ad Antonin. III. 4.

Quæ aliæ in hoc commate interpretando vel sententiæ vel difficultates occurrunt, eas a Theologis repetere fas est. Confer tamen ex Philologis præter *Stolbergium* l. c. *Hackspanium* in Notis p. 359.

Vers. 21. πλὴν ἰδὲ, ἡ χεὶρ τὸ παραδιδόντος με μετ' ἐμοῦ ἐπὶ τῆς τραπέζης) Ex his verbis recte collegerunt nostrates inprimis doctores, Judam in S. Cœna præsentem adeoque eadem cum ceteris discipulis usum fuisse. Id enim, ut affirmetur, requirit partim ordo ipsius narrationis, quia Lucas Christum introducit hæc loquentem, postquam S. Cœnam ut jam peractam memoraverat, partim ipsorum verborum πλὴν ἰδὲ conditio. Illa enim produnt admirationem Christi de eo, qui fieri possit, ut homo, convivio amoris plenissimo, & beneficio præterea maximo usus, facinus omnium sceleratissimum moliatur. Priori argumento, quod ab ordine narrationis petitur, minus solide opponitur ὑστερολογία, quæ ut alias, ita hoc quoque loco admittenda sit. Ad eam enim non, nisi manifesta necessitate urgente, confugiendum esse, idonei Interpretes dudum monuerunt. Sententiam hanc ex ipsis Reformatis, quorum tamen plerique contrariam alias tuentur, amplexi sunt *Calvinus*, *Whitackerus*, *Zach. Ursinus*, *Thom. Erastus*, *Coccejus*, *Pet. Martyr*, *Sam. Basnage* in Annalibus Polit. Eccles. Tom. I. p. 363. & alii a B. *Gerhardo Mejero* in Disputat. mox citanda p. 31. allegati. Ex nostratibus vero potissimum huc pertinent post antiquiores permultos *Mart. Wielandus* in Schediasmate Sacro, quo Judas Iscariotes Cœnæ Domini conviva sistitur, *Tubing.* 1710. 4. & B. *Gerhardus Mejerus* in Dissertat. de Juda Iscariote S. Eucharistiæ Conviva, *Bremæ* 1716. 4. qua diligenter argumenta pro veriori sententia afferuntur & ad opposita dissentientium respondetur. Confer pro eadem causa propugnantem *Jo. Gottfrid. Elsnerum* in der kurtzen Antwort auf die einfältigen Gedancken Welmeri, Magdeburg 1692. 4. item *Schönlandium* in Defensione versionis Lutheri contra Auctorem der Untersuchung etlicher Oerter Neuen Testaments, p. 250. sqq. *Pitschmannum* in Dubiis Vexatis Histor. Eccles. Fascic. II. p. 133. sq. & Rev. *Christoph. Henr. Zeibichii* Paßions-Stunden p. 119. sqq.

Contrariam sententiam, nempe absentiam Judæ a S. Cœna, defendendam sumserunt ex recentioribus Reformatis *Wilh. Klebitius* Diss. de Buccella intincta, quam Judas comedit, quæ exstat Tom. VI. Criticorum Sacrorum, *Guil. Saldenus* in Otiis divinis p. 377. *Jo. Marckius* in Exercitatt. Scripturar. num. XIV. & novissime *Philadelphus Photius* in den Vorrechten Judä Ischarioths, quorum argumenta examinavit B. *Mejerus* l. c. Ita quoque *Jo. Welmer* istorum partibus se junxit in den einfältigen Gedancken von des Apostels Judä Ischarioth Abwesenheit an. 1692. cujus cogitatis cum *Elsnerus* modo laudatus se opponeret, lucem vidit ejusdem *Welmeri* gründliche Vertheidigung seines Tractätleins von der Abwesenheit des Apostels Judä, Servest. 1692. 4. Ex *Anglis* huc pertinet *Jo. Edward.* in Exercitatt. ad N. Test. de quibus lege Acta Erud. 1704. p. 138.

Vers. 22. πορεύεται) *abit*, nempe *moriturus*; Confer *le Cene* in Projet p. 759. Ita vero profanos quoque Scriptores Græcos & Latinos de morte per

per euphemiſmum loqui, multis exemplis oſtendit *Dougtæus* in Analect. Part. I. Exc. 97. & ad h. l. Cl. *Trillerus* in Notis MSS. qui & conferri vult *Barthii* Adverſar. XIII. c. 14. & XLIII. c. 3.

Verſ. 25. ἐυεργέται καλῶνται) Voce ἐυεργέται alluditur ad Hebraicum נריבים, quo & *Principes* & liberales homines indicantur. Vide *Poſſini* Spicilegium p. 30. & *Carpzovii* notas ad Schickardum de Jure Regio Hebr. p. 205. Ex profanis monimentis de hoc Principum cognomine commentatur *Gatakerus* in Cinno lib. I. c. IV. & *Dilherrus* in Diſput. de Uſu Scriptorum Secularium plagula M.

Verſ. 26. ὁ μείζον ἐν ὑμῖν) h. e. *qui conatur, vel præſumit inter vos eſſe major*, ut *Gal.* V. 4. *qui juſtificamini in lege*, i. e. qui conamini juſtificari. Conf. *Hackſpanii* Not. p. 367.

ὡς ὁ νεώτερος) i. e. *junior*: vide *Jo. Andr. Boiſii* Exercitat. ad 2 *Timoth.* II. 22. p. 16. Alii vertunt per *minimum* vel *infimum*.

Verſ. 27. ἐγὼ δέ εἰμι ἐν μέσῳ ὑμῶν ὡς διακονῶν) De Chriſto, omnibus ſervicente, lege huc *Picinellum* in Luminibus Refl. p. 657. qui & ibidem ad v. 29. de communione menſæ, ut indicio amoris, commentatur.

Verſ. 31. & 32. illuſtrantur a B. *Jo. Georg. Neumanno* in Diſſert. de Petro a Petro alieno, *Witteb.* 1697. & *Bernh. von Sanden, Regiom.* 1697.

Verſ. 31. ἐξητήσατο ὑμᾶς) ἐξαιτεῖν & ἐξαιτεῖσθαι eſt *poſtulare, ut ſibi quis dedatur*, ſeu depoſcere aliquem ad pœnam. Vide *Arrian.* de Expedit. I. 107. & confer *Raphelii* Notas *Polybian.* p. 252. item *Boiſii* Collation. p. 267.

Verſ. 32. τῷ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον) Appoſita eſt *Jo. Boiſii* ad h. l. obſervatio in Collatione p. 267. Σινιάσαι, teſtibus Heſychio & Suida, eſt σεῖσαι, κοσκινεῦσαι, h. e. agitare & cribrare. Addit præterea Heſychius, σινιατήριον & σινίον eſſe κόσκινον i. e. cribrum. Quod ſi ita ſit, minime ego rejecerim quidem veterem Interpretationem, tanquam parum appoſitam, ſed defenderim potius, cum plane perſuaſum habeam, aptiorem, quam illa ſit, & commodiorem afferri non poſſe. Nec eſt, quod quisquam objiciat, cribri officium eſſe purgare, non perdere. Nam etſi Satanæ conſilium ſit perdere, tamen, Deo ordinante, fit, ut, cum maxime ſævit nocereque cupit Satanas, incerniculi munere duntaxat fungatur. Ille vehementiſſime concutit triticum, ut, ſi fieri poſſit, diſſipet, & in nihilum redigat: ſed Chriſtus ſervat triticum, & poſt miſeram concuſſionem illam, ut purius & nobilius ſit, efficit. Ita *Boiſius*. Conf. *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 691. ſq.

Verſ. 32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περί σε &c.) Diverſas Patrum explicationes hujus loci diligenter affert *Launojus* in epiſtolis pag. 402-418. eademque opera confutat *Bellarminum*, his verbis Chriſti eo abutentem, ut oſtendat, Ro-

manum Pontificem, quando totam Ecclesiam docet, in iis, quæ ad fidem pertinent, errare non posse.

καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας) i. e. *tu vero, ubi conversus fueris.* Maldonatus, ut, lapsum Petri imminentem hic respici, negare posset, ipsum Vulgatum Interpretem deserit, & verti hanc vocem vult per *rursus* ex Hebraismo, secundum quem eam verbo huic significationem a LXX. Intt. tribui ostendit ex Ps. LXXI. 20. & 21. item LXXXI. 6. Sed vide contra eum erudite disputantes *Casaubonum* in Exercitatt. Anti-Baronianis p. 640. & *Hackspanium* in Notis p. 370. Scilicet novam istam interpretationem non patitur cum series sermonis, in quo de lapsu futuro diserte agitur, tum vero eventus rei, quandoquidem Petrus paulo post & lapsus est, & efficaci Domini adspectu ad pœnitentiam perductus, & communior notio verbi ἐπιστρέφειν, quippe quod alias cum μετανοεῖν conjungitur a Luca, *Act.* III. 13. & sæpe eundem significatum apud τὸς LXX. obtinet, ut *Jes.* VI. 10. & 1 *Regg.* VIII. 33. Ex his simul intelligitur, *Knatchbullum* quoque deserendum esse, qui, transitivam verbo huic significationem tribuens, verti vult: *tu vero convertens* scilicet alios, *confirma* i. e. *converte & confirma.* Hujus interpretationis eam affert rationem, quod Petrus jam conversus tum fuerit. Non cogitabat scilicet Vir doctus, sermonem hic non esse de statu eo, in quo tunc erat Petrus, sed isto potius, qui ipsi imminebat, & a quo erat revocandus. Ceterum τὸ ἐπιστρέφειν in se verbi activi vim habet, atque adeo subintelligendum est ἑαυτὸν vel σεαυτὸν, sicut Lucas *Act.* XIV. 15. ait: εὐαγγελιζόμενοι, ὑμᾶς ἀπὸ τέτων τῶν ματαίων ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα. Conf. *Act.* III. 26. & IX. 35. itemque profanorum quorundam Scriptorum loca apud *Hombergium* in Parergis p. 154. His observatis, responderi facile potest exceptionibus *Caroli le Cene* in Projet pag. 644. qui itidem τὸ ἐπιστρέψας non ad Petrum, sed ad alios, ejus opera convertendos, referri vult. Quod enim ait, si nostra interpretatio locum tueri debeat, pro ἐπιστρέψας scribendum fuisse ἐπιστρεψάμενος, id vel uno Actuum loco III. 26. quem attulimus, convellitur.

Vers. 34. ἀλέκτωρ) B. *Lutherus* vertit Hahn, de qua voce lege B. *Stadenii* Explicationem vocum difficiliorum p. 288. ed. secundæ.

Vers. 36. καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν) Hic MSS. quædam habent πωλήσει & ἀγοράσει, quæ mutatio temeraria *Grotio* inde profecta recte videtur, quod nonnulli, præcepti, sibi non intellecti, novitate perculsi consultum putarunt, Imperativum in Futurum convertere. Conf. *Whitbii* Examen p. 47. Quod ad sententiam ipsius præcepti attinet, nonnullis visum est, Christum cohortari Apostolos voluisse, ut inposterum, ipso scilicet ex terris sublato, sibi prospicerent de omnibus ad iter faciendum, quod prædicandi Evangelii causa ingrediendum erat, necessa-

neceſſariis. Ita poſt *Grotium Jo. Clericus* & alii. Alii vero Chriſtum hæc præcepiſſe ideo putant, ut exploraret corda diſcipulorum, & perſpiceret, num falſæ perſuaſioni de regno Chriſti ſeculari, armis aliquando vindicando, adhuc inſiſterent? Ita ſtatuit *Anonymus* in Unſchuldigen Nachrichten an. 1720. p. 1114. Quæ ut commodum ſenſum ſuggerunt, ita dubitandum tamen videtur, num ſatis conveniant cum ſcopo Chriſti, qui præteritam & præſentem Apoſtolorum conditionem, in qua neceſſaria omnia ipſis ſine ulla ſua cura affluebant, cum imminente ſatis clare comparans, curam rebus ſuis impoſterum conſulendi in ipſos ex parte devolvit. Taceo, Salvatorem optimum omnino animos eorum eo ipſo tempore, quo loquebatur, cogitationibus priſtinis de regno mundano imbutos, cognitos habuiſſe, adeoque facile prævidiſſe, eos verba ſua ad hypotheſin ſuam interpretaturos eſſe. Cui pſeudhermeniæ occaſionem non videtur facturus fuiſſe præcepto hoc, niſi eo opus eſſe ideo cenſuiſſet, ut diſcipuli iterum iterumque de mutatione conditionis rerum ſuarum admonerentur. Ceterum ibidem l. c. p. 1115. phraſes hic obviæ recte conferuntur cum *Maimonide* in חנוכה cap. IV. *Qui non habet, quod comedat, niſi ex eleemoſyna* או מוכר כתנתו *aut vendat veſtimentum ſuum, ut comparet ſibi oleum & lucernas pro Feſto Encæniorum.*

Verſ. 37. τέλος ἔχει) i. e. *implentur.* Ita hac phraſi utitur *Euſebius* Hiſt. Eccleſ. X. 1. Confer *Raphelii* Semicentur. Annotatt. Philolog. p. 7.

Verſ. 38. Ἰδὲ, μάχαιραι ὧδε δύο) Vide huc B. *Sandenii* diſſert. ſingular. Regiom. 1697. & B. *Jo. Fechtii* aliam de Petro gladio accincto, *Roſtoch.* 1706. habitas.

ἱκανόν ἐϛι) Verba hæc non ad gladios, (ſic enim dicendum erat ἱκαναί εἰσι,) ſed ad totam illud argumentum, de quo locutus adhuc erat Salvator, referri debent, ac ſi diceret: *Sed ſatis de his dictum.* Videbat ſcilicet, diſcipulos mentem ſuam non adſequi, nec facile adſecuturos; itaque rem totam eventui imminenti relinquendam eſſe. Ita olim *Theophylactus*, ex noſtratibus vero poſt alios B. *Calovius* ad h. l. Adſtipulatur quoque *Rich. Simon* in Notis ad Verſionem ſuam Gallic.

Verſ. 41. ἀπεσπάσθη ἀπ' αὐτῶν) Sunt, qui ex verbo hoc colligi poſſe putant, Jeſum invitum a diſcipulis ad orandum ſeceſſiſſe. Sed recte intercedit Rev. *Raphelius* in Notis Xenophonteis pag. 117. obſervans, verbum ἀποσπᾶσθαι 2 *Maccab.* XII. 10. & a *Xenophonte* de Expedit. Cyri lib. II. p. 11. uſurpari de actione ſumma cum voluntate vel cupiditate & contentione ſuſcepta. Confer *Act.* XXI. 1. & varia *Polybii* loca ex p. 334. 811. & 913. in eandem ſententiam ab eodem in Notis Polybian. p. 253. allata. Rectius itaque ingens & flagrans Chriſti deſiderium preces ad Patrem faciendi, animumque ſuum per eas excitandi & firmandi innui hic exiſtimabitur. *Boiſius* in Collatione p. 268. vertit ſimpliciter per *abiit.*

Vers. 42. εἰβέλει, παρενεγκεῖν) Verba hæc *Camerario* in Notis ita comparata videntur, ut vel παρένεγκαι cum vetere quodam Codice (hujusmodi plures affert *Millius*, qui vel παρένεγκαι vel παρένεγκε in forma Imperativi Medii aut Activi, exhibent pro παρενεγκεῖν) legendum sit, vel Infinitivus pro Imperativo accipiatur: ubi tamen dubitat, an in petitionibus usitata sit apud profanos Scriptores ejusmodi Modorum enallage. Enimvero Infinitivum pro Imperativo Græcis externis receptum esse etiam in petitionibus, tot & tam luculentis *Arriani* locis de Expedit. Alex. 5. 2. 5. & 4. 20. 6. tum 5. 23. 12. & 13. &c. evicit Rev. *Raphelius* in Notis Polybianis p. 254. sq. ut dubitationi nullus amplius sit locus. Verba loci primi ita habent: Καὶ πῶς ἂν, ὦ βασιλεῦ, μία πόλις ἑκατὸν ἀνδρῶν ἀγαθῶν ἐρημωθεῖσα, ἔτι καλῶς πολιτεύοιτο· ἀλλὰ σὺ, εἰ σοι μέλει Νυσσαίων, τοὺς ἱππέας μὲν ΑΓΕΣΘΑΙ τοὺς τριακοσίους, καὶ ΕΙ ΒΟΥΛΕΙ ἔτι τούτων πλείονας· ἀντὶ δ' ἑκατὸν, οὕς τινας τοὺς ἀρίστους ἐπιλέξαι σὺ κελεύεις, διπλασίους τῶν ἄλλων τῶν κακῶν ΑΓΕΣΘΑΙ. i. e. *Quonam pacto, o Rex, civitas centum bonis viris privata, recte deinceps gubernari queat. At tu, si Nyssæorum salus tibi cordi est, equites quidem* 300, *& si velis, plures accipe. Sed pro centum, quos ex optimis deligi tibi jubes, ducentos ex deterioribus dari patiare.* Plura hujus enallages exempla lege apud *Gronovium* in notis ad *Arriani* V. II. 7. & 8. Sensus itaque erit simpliciter: *si vis, transfer.* Ita nec mutatione ulla in verbo ipso opus est, nec cum *Grotio* τὸ εἰ per *utinam* exponi debet. Deprecationem Christi ipsam hic edisserit *Quenstedius* in dissert. singulari, quæ recusa est in Thesauro Disputatt. super N. T. fol. 204.

Vers. 43. Ὤφθη δὲ αὐτῷ Ἄγγελος ἀπ' οὐρανοῦ ἐνισχύων αὐτόν) Comma hoc una cum sequente 44. a Patribus nonnullis omissum est, veritis scilicet, ne hæretici utroque eorum ad palliandos errores suos abuterentur. Vide huc post *Millium Whitbii* Examen p. 8. & *Clerici* Artem Criticam Part. III. Sect. I. c. XV. §. 15. De confortatione illa Angelica commentatus est singulari dissertat. B. *Jo. Frid. Mayerus* Witteb. 1674. ibid. 1715. recus.

Vers. 44. Καὶ γενόμενος ἐν ἀγωνίᾳ) De agonia hac Christi lege *Wedelii* Exercitatt. Medico-Philolog. Cent. II. Dec. I. n. 6. p. 32. sq. De voce ipsa, ex Stoicorum inprimis mente, differit *Ægid. Menagius* ad Laertii VII. 113. p. 293.

ἐκτενέστερον προσήυχετο) De voce priore lege *Suicerum* Tom. I. Thesauri pag. 1072.

Ἐγένετο δὲ ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος) De sudore hoc lege præter B. *Steph. Clotzii* Exercitatt. de Sudore Christi sanguineo, *Hamb.* 1670. & 1710. B. *Varenii* & B. *Mayeri* Dissertationes, *Rostoch.* 1666. & *Gryphiswald.* 1706. habitas, ut de aliis *Casp. Posneri* & *Valent. Velthemii* non dicam. Adde *Wedelium* l. c. Centur. I. Decad. III. Exercit. II. qui illum miraculi plenum esse evincit, quia primo quidem accidit in corpore sanissimo, nullius morbi

morbi capaci, ſanguine etiam poſt mortem deprehenſo integerrimo: tum vero in corpore ab externa cauſa non triſtato: porro in agone ſummo, idque ſine prævio malo chronico, & quidem cum θρόμβοις deciduis. Contraria hic omnia feruntur, hominibus illis eveniſſe, qui ex naturalibus cauſis ſimile quid in ſe deprehenderunt. Exempla ſudoris ſanguinei affert *Bartholinus* de Cruce p. 184. ſq. & p. 193. ſqq. ubi contra *Grotium* diſputat, ſtatuentem, nihil hic eſſe, unde certo colligas, ſudori huic ſanginem fuiſſe permixtum, nihilque aliud hic dici, quam ſudorem verum fuiſſe, non tenuem, ſed craſſum, quales ſoleant eſſe grumi ſanguinis. Τὸ ὡσεὶ enim ſæpe rei identitatem ſignificare, & vocem θρόμβοι apud *Hippocrat.* IV. Aphor. 80. ſimpliciter notare ſanguinis guttas. Tandem p. 196. ita ſtatuit, ſanguinem Chriſti fluidiorem confertim fluxiſſe ex corpore, in ſudores ſoluto, moxque ab aëre frigido in grumos concretum terram tinxiſſe. *Marckius* in Sylloge Diſſertationum ſuper loca quædam N. T. Exerc. VIII. particulam ὡσεὶ ſimilitudinem hic inferre ſtatuit, atque adeo exiſtimat, Chriſtum quidem revera ſanguinem ſudaſſe, ſed ita, ut particulis aqueis conſuetis miſtus, neque tamen ſudor ipſe in ſanguinem mutatus fuerit, ſed ſanguis potius, qui cum aqua emanarit, maſſam ſanguineam ita tinxerit, ut ſudor guttarum ſanguinis habitum præ ſe tulerit. Ad hanc ſententiam accedit Cl. *Trillerus*, cui quippe ſudor Chriſti patientis & colore ſanguinem retuliſſe, tanquam ſubrubicundulus, & conſiſtentia ac qualitate congrumati cruoris offulas aut glebulas æquaſſe videtur, tanquam viſcidus & gelatinoſus. Eum *Cælius Aurelianus tractuoſum* vocat lib. II. c. 32. de morbis acutis p. 148. ubi talem Cardiacis h. e. cor dolentibus, qualis Salvator Sanctiſſimus erat, *περίλυπος* ſcilicet τὴν ψυχὴν ἕως θανάτου, tribuit. Verba ejus l. c. hæc ſunt: *Quibusdam vero* (Cardiacis) *primum cervice tenus, & vultum, parvus, tenuis, aquatus, dehinc per totum corpus plurimus ſudor, ac tunc* craſſus, *&* tractuoſus *atque* viſcoſus, *vel male redolens.* Hæc Cl. *Trillerus* in Notis MSS. Abſit interim a nobis, ut id omne proverbialiter tantum dictum putemus, quæ ſententia eſt Photii & Pricæi. Vide *Suicerum* Tom. I. Theſauri p. 115. recte contra eos diſputantem. Addantur M. *Jo. Frid. Kœberi* Diſſertatiunculæ XXIV. de Sanguine Jeſu Chriſti, *Pirnæ* 1698. 8. ubi de ſanguine in variis locis a Chriſto, in his terris agente, effuſo diſſerit, ac præterea de reliquiis Sanguinis Chriſti, paſſim temere inter Pontificios venditatis, commentatur. Lege quoque *Calmeti* Diſſert. ſingularem, quæ exſtat Tom. III. Diſſertationum ejus p. 612. & *Fayenii* Diſſertatt. de eo, an fluxus ſanguinis affectus ſit robuſti an debilis temperamenti, quam citat *Calmetus* in Bibliotheca Sacra p. 73.

Verſ. 45. εὗρεν αὐτοὺς κοιμωμένους) Ita *Polybius* p. 669. ἐὰν δ' εὑρῇ κοιμωμένον.

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς λύπης) Scilicet mœstitia somnum affert. Vide *Heliodori* Æthiopica II. 5. & *Picinelli* Lumina p. 658.

Vers. 47. φιλῆσαι αὐτὸν) Osculum hoc Judæ tacet Johannes, qua de re ad *Joh.* XVIII. 3. dicemus.

Vers. 50. καὶ ἀφεῖλεν αὐτῷ τὸ ὠς τὸ δεξιὸν) Aurem illam non integram amputatam fuisse, ita ut in terram ceciderit, sed quadam duntaxat parte discissam, alia vero parte capiti hæsisse, ex eo conficit *Jo. Buxtorfius* in Catalectis p. 225. quod Lucas hic testetur, Dominum *contrectata*, non autem *sublata*, Malchi auricula, hominem sanasse. Non putem audiendum hic esse *Buxtorfium*, quia verbum ἀφαιρεῖν, ubicunque in N. T. occurrit, plenam & perfectam rei sublationem infert, sive physica illa res sit, sive moralis. Vid. *Luc.* I. 25. X. 42. XVI. 3. *Rom.* XI. 27. *Hebr.* X. 4. & *Apocal.* XXII. 19. Conf. *Judith.* XIII. 1. ubi de amputato Holofernis capite. Præterea *Johannes* id, quod ceteri Evangelistæ per ἀφεῖλεν exprimunt, per ἀπέκοψε reddit. Vox ἀψάμενος, quam urget *Buxtorfius*, vel ad partem auris abscissam & humi jacentem referri debet, quam Christus loco suo restituerit, vel, si ad residuam in capite particulam pertinere existimetur, ita capienda est, ut Christus, sine assumta parte abscissa, non sine amplificato hoc miraculo, jacturam factam resarsisse credatur.

Vers. 52. στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ) Vide, quæ scripsimus supra ad XXII. 4.

Vers. 56. ἀτενίσασα αὐτῷ) i. e. *defigens in eum oculos accurate.* Affert huc epigramma Praxitelis Cl. *Trillerus* ex Athenæi Dipnosophist. lib. XIII. pag. 591.

Vers. 58. Ἄνθρωπε) Exprobrantis hic vox est, ut in *Anacreontis* Ode IX. observante *Trillero.*

Vers. 63. οἱ συνέχοντες) i. e. οἱ κρατοῦντες *tenentes* Jesum. *Boisius* p. 269. Collat.

ἐνέπαιζον αὐτῷ δέροντες) *illudebant ipsi, cædentes.* Ludibrio itaque Jesum habuerunt non tam verbis, quam manibus ipsum impetendo. Inter ludibria autem, quæ in ipso facto consistunt, non minimum est barbam vellere, pilosque detrahere. Quapropter Evangelista δέρειν, voce aptissima, usus est, utpote quæ cutem ipsam nedum pilos avellere significat. Ita *Lempereur* ad Bava Kamma p. 218. De barba, ignominiæ causa Christo vulsa, confer Observationes Miscellan. Tom. III. p. 814.

Vers. 64. Καὶ περικαλύψαντες αὐτὸν) Ultimo supplicio damnati obnupto capite rapi solebant. Vide de hoc more *Dougtæum* in Analectis V. T. Exc. CXXII. *Saldenum* in Otiis Theolog. lib. I. p. 95. *Jac. Lydium* in Florum Sparsione p. 104. & *Corn. Adami* in Observatt. p. 59. sq.

Vers.

Vers. 67. ἐὰν μὴ πιστεύσητε) i. e. ἐὰν μὴ πιστεύσετε, non credetis. Sic versu 68. ἐὰν μὴ ἀποκριθῆτέ μοι ἢ ἀπολύσητε. Vide *Boissii* Collation. p. 269.

CAP. XXIII.

VErs. 2. διαστρέφοντα τὸ ἔθνος) Seditiosi crucis supplicio affici a Romanis solebant, id quod *Theophylactus* testatur his verbis: οἱ Ῥωμαῖοι σταυρῷ τὸς ἀνθάρτας δικάζουσι. Confer *Bynæum* de Morte Christi p. 32. & *Deylingium* in Observatt. Part. II. p. 321. Codices quidam voci ἔθνος addunt ἡμῶν, atque id rectum putat *Boissius* in Collatione p. 269. eo quod de Judæis sermo sit. Atque ita quidem Lucas passim in *Actis*. Sed *Joh.* XI. 50. 51. 52. vox ἔθνος, sine addito, simpliciter de Judaica gente adhibetur, quam indicari ut ibi, ita quoque hoc loco, ex circumstantiis est manifestum. Sic infra v. 14. ἀποστρέφοντα τὸν λαόν.

καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι) Quæritur hic, cur Judæi Christum coram Pilato accusarint, non solum ut perduellionis reum, sed etiam ut talem, qui prohiberet Cæsari censum dare? Cl. *Herm. de Wall* in Biblioth. Bremensi Class. III. p. 192. factum id putat ob duplicem personam, quam Pilatus sustinuerit. Ut Procurator enim, quem *Tacitus* vocat, fiscum Cæsaris curare debebat. Erat vero Procurator cum potestate, (quales in Lapidibus veteribus Procuratores & Præsides dicebantur,) cui cura commissa erat Provinciæ, quam pacatam conservare debebat. At utrumque hoc munus Judæi attendere voluerunt Pilatum, idque ut efficerent, duplex Christo crimen per calumniam impegerunt.

Vers. 7. καὶ ἐπιγνὸς, ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρῴδε ἐστὶν) Pilatus ex argumento habitationis in Galilæa, ejusque nonnisi ex voce præsentium obiter auditæ, opinatus esse videtur, Herodi subditum esse Jesum. Talis autem non erat Jesus: & ne quidem Galilæus, sed Judæus natus, in urbe Bethlehem, ubi inscripti fuerunt Parentes albo subditorum. Hinc & factum est, ut Jesus non Herodi, sed soli Pilato, tanquam Judici competenti, de impactis criminibus responderet. Ita statuit *Gussetus* in Appendice ad Lexicon Hebraic. p. 927.

Vers. 11. ἐξουθενήσας δὲ καὶ ἐμπαίξας) i. e. μάλα ὑβριστικῶς ἐμπαίξας, *cum per contemtum illi illusisset*. Conf. *Luc.* VI. 48. *Marc.* X. 22. & *Matth.* XXV. 29. observante *Boisio* p. 271.

περιβαλὼν αὐτὸν ἐσθῆτα λαμπρὰν) Vocem λαμπρὰν alii vertunt cum *Vulg.* per *albam*, alii per *splendidam*, alii per *candidam*, quod ex usu Latine loquentium rectissimum esse, ostendit *Casaubonus* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 532. Conf. in eandem sententiam B. *Gerhardum* in Harmonia Evangelica p. 1882. *Raphelium* in Notis Polybian. p. 258. *Grotium* item ad h. l. &

Rappoltum ac *Trillerum* in Notis ad *Grotii* Christum Patientem, illum quidem p. 428. hunc autem p. 354. Alii, cum viderent, reliquos Evangelistas Christo, ab adversariis illuso, tribuere χλαμύδα κοκκίνην, ut *Matth.* XXVII. 28. aut ἱμάτιον πορφυρᾶν, ut *Marc.* XV. 17. vocem λαμπρὸς in generaliori significatu hic accipi voluerunt, ut cujuscunque coloris atque adeo etiam purpuream aut coccineam vestem denotet. Ita statuit *Anton. Borremansius* in Vesperis Gorinchemensibus c. IV. existimans, Christum tempore passionis suæ una eademque veste ludibrii causa indutum fuisse, nempe purpurea, quam acceperit ab Herode in principatus regii argumentum. Eam deinde coram Pilato Christo, virgis cædendo, ademtam, sed paulo post, ad supplicium ducendo, restitutam fuisse, & κοκκίνην appellari ob colorem coccineum, λαμπρὰν vero ob claritatem. Id certum est, vocem λαμπρὸς de quocunque colore usurpari, atque adeo etiam de coccineo. Hinc *Salmasius* in Notis ad Tertullian. de Pallio p. 182. Λαμπρὸν χρῶμα *de coccineo dixit* ***Plutarchus*** *in Nuptialibus Præceptis. Inde* λαμπρὰ ἐσθὴς coccinea *apud Evangelistam. Latinis* clara vestis & clara purpura. *Nam purpuræ maxime claræ* τὸ λαμπρὸν *habent, quod in cocco inest.* Vide etiam Rev. *Raphelii* Annotatt. Xenophonteas ad *Jac.* II. 2. Vicissim *purpureum* dici solet omne, quod splendet ac fulget. Vide *Borremansium* l. c. p. 80. sq. & Histor. Critic. Reipubl. Liter. Tom. III. p. 16. sq. Nolim tamen propterea h. l. τὸ λαμπρὸν ad coccineum vel purpureum colorem restringere, sed proprium ei significatum malim relinquere, secundum quem *album* vel candidum colorem infert. Ita *Thomas* in Eclogis λαμπρὸν per λευκὸν i. e. *album* interpretatur. Confer *Kuhnium* ad Diogen. Laert. p. 514. b. & *de Roa* in Singular. Part. II. lib. II. c. 1. p. 137. qui ad constantem Patrum, vestem candidam hic innui existimantium, consensum provocat. Pugna inter Evangelistas nulla est. *Matthæus* enim, *Marcus* & *Johannes* de militibus loquuntur, coram Pilato vestem purpuream Christo circumjicientibus, Lucas autem de Herodianis, quibus candida potius veste uti placuit. *Eodem tamen*, quod recte monet *Casaubonus* l. c. p. 531. *spectarunt & Pilati satellites & Herodiani. Christum enim tanquam falsum Principem & falsum Regem irridere & ludibrio exponere voluerunt scelesti: uterque enim color Imperatori convenit & Regi.* Atque id quidem idoneis veterum locis & *Casaubonus* probat, & *Dougtæus* in Analectis N. T. p. 56. qui eodem, quo diximus, modo Evangelistas conciliat. Confer in eandem sententiam *de Prado* in Pentecontarcho p. 12. sq. & quem is citat, *Delrium* in Gloss. ad Thren. c. IV. v. 7. & in *Speculo Patientiæ*, sive de Passione Domini Lect. VIII. Addi quoque meretur epistola, quam *la Grange* (ita enim puto exprimendum fuisse scribentis nomen) scripsit ad Casaubonum de veste hac λαμπρᾷ, quæque hodie exstat in Epistolis Casaubonianis p. 657. b. sq. Obiter hic notare fas sit, in eadem epistola pro *de Liva* non legendum esse, ut in margine mendose corrigitur, *de Siva*, sed *de Lira*, i. e. *Nicol. Lyranum.* Exstant præterea de hac Christi veste dissertatt. *Casp. Sagittarii*, Jen. 1663. & *Christoph. Franckii*, Lipsi. 1672.

Vers.

Vers. 12. Ἐγένοντο δὲ Φίλοί τε Πιλάτος καὶ ὁ Ἡρῴδης) De Syncretismo hoc legatur *Jo. Gabr. Drechsleri* dissert. *Lipsi.* 1672. habita.

Vers. 14. ἀνακρίνας) Verbo hoc in sensu judiciali utitur *Arrianus* Epictet. lib. I. cap. I. p. 6. & de Expedit. Alex. I. 25. 7. Vide etiam *Actor.* IV. 9. & XXVIII. 18. Confer *Raphelii* Notas Polybian. p. 259.

Vers. 15. Ἀλλ' οὐδὲ) i. e. *nec*, sine auxesi. Vide *Raphelii* Notas Xenophont. pag. 118.

πεπραγμένον αὐτῷ) Dupliciter hæc exponuntur. Alii τὸ πεπραγμένον referunt ad Herodem, quasi is nihil gravius in Jesum consuluerit, quo declarasset, eum sibi mortem videri commeritum: alii vero ad Jesum, quod is nihil morte dignum commiserit. Posterioribus se jungit *Raphelius* in Notis Polybian. p. 259. ob innumera fere Polybii exempla, in quibus πεπραγμένον τινὶ est id, *quod ab aliquo factum est*, non vero, quod alicui ab altero accidit. Vide v. c. p. 394. l. 17. 476. l. 18. 498. l. 5. &c. Non dubito, hæc rectissime dici. Itaque nec ellipsi opus est, quam Vir doctus ad *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 350. statuit, supplendam per παρὰ, ac si scriberetur παρ' αὐτῷ.

Vers. 16. παιδεύσας) i. e. *flagellatum* dimittam. Vide *Suicerum* Tom. II. Thesauri p. 546.

Vers. 17. ἀνάγκην δὲ εἶχεν) Ἀνάγκην hic vocat *Lucas*, quam *Johannes* XVIII. 39. συνήθειαν i. e. *consuetudinem* appellat: Judæi scilicet rerum suarum & privilegiorum erant tenaciissimi.

Vers. 18. Αἶρε τοῦτον) De funesta hac & infausta acclamatione lege *Ferrarium* de Acclamationibus Veterum lib VII. c. 19. qui idem hoc ait esse, ac si dixissent: *tolle istum in crucem.* Ita enim *Matthæus* & *Marcus* in locis parallelis explicant, qui populum inducunt clamantem: *crucifige.* Conf. hic v. 21. Adde *Suiceri* Thesaurum Tom. I. p. 133.

Vers. 22. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησε) Ita 1. *Sam.* XXIX. 8. dicitur מה עשיתי *quid tandem fecit?* Conf. *Gussetii* Lexic. Hebr. p. 378. a.

Vers. 28. ἐπὶ τὰ τέκνα ὑμῶν) Pœnas divinas ipsos quoque peccantium posteros ferire solere, Gentiles quoque monuerunt. Delphicum in hanc rem oraculum affert *Ælianus* Var. Hist. lib. III. c. 43. de quo confer *Grotium* de Jure B. & P. II. c. 21. §. 14. Similiter vide apud *Pausaniam* in Corinthiacis & *Plutarchum* in lib. περὶ τῶν ὑπὸ Θεοῦ βραδέως τιμωρουμένων. Hæc Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Vers. 31. Ὅτι εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ &c.) παροιμιώδες aliquid hic obser-

vat *Vorſtius* de Adagiis N. T. c. XI. Conf. *Schotti* Adagialia p. 85. *Adriani Cocquii* Phytologiam Sacr. p. 59. ſqq. & *Suiceri* Tom. II. Theſauri p. 446.

Verſ. 34. Πάτερ ἄφες αὐτοῖς) Lege huc B. *Dannhaueri* Diſputt. Theolog. num. VII. ubi de verbis Chriſti noviſſimis exponit. Cavillantur hic Judæi, & nominatim Auctor libri *Chiſſuk Emuna* Part. II. c. XL. dicentes, Chriſtum apud Patrem pro Judæis interceſſiſſe, & vel ſic tamen hos, Chriſtianis ipſis profitentibus, ob eædem Chriſti graviſſime adfligi, certo argumento: Chriſtum apud Patrem nihil effeciſſe, adeoque nec talem eſſe, qualem Chriſtiani ſibi perſuadeant. Non uno modo ad hæc reſponderi poſſe, oſtenderunt *Rich. Kidderus* in Demonſtrat. Meſſiæ Part. II. p. 105. ſqq. & *Jac. Guſſetus* in Confutat. libri illius p. 399. ſq. Scilicet Chriſti preces omnino exauditæ fuerunt in tantum, in quantum Pater Filii ſui mortem non ſtatim ultus eſt in ſceleſtiſſimis nequitiæ inſtrumentis, ſed pœnitentiæ potius locum fecit: in quantum etiam illorum nonnulli, qui ignorantes ſceleri huic manus admovebant, poſtea procul dubio ad Chriſtum converſi ſunt. Porro Chriſtus precatur pro iis, qui vere in ignoratione rei, quam agebant, verſabantur, hæc vero non cadit in hodiernos illorum poſteros, qui ipſis illis, quibus vexantur, calamitatibus perduci eo poterant, ut aliam mentem induerent. Denique, quæ *Kidderi* ſententia eſt, Chriſtus non pro Judæis in univerſum, ſed pro militibus, Pilati juſſu necem ejus maturantibus, ad Patrem deprecatus videtur. Id veri ſimile ipſi factum eſt ex Evangeliſtarum *Matth.* XXVII. 27. ſqq. & *Marc.* XV. 16. ſqq. narrationibus, qui tradunt, milites Jeſum arripuiſſe, virgis cecidiſſe, &c. tandemque crucifixiſſe. Quod ſi itaque illi ſpeciatim ſunt, in quorum gratiam Chriſtus precatus eſt, non habent, quod Judæi verba ad ſe trahant. Nec irritas pro illis Chriſti preces fuiſſe, patet ex *Matth.* XXVII. 54. ubi centurio, &, qui cum eo erant, dicuntur agnoviſſe Jeſum filium Dei. Precationem hanc *Marckius*, ſed paſſim τῇ ὑποθέσει δελεύων, illuſtrat in Sylloge Diſſertatt. ſuper loca N. T. Exerc. XI. Ceterum ſimile, ſi quid cum hoc facto comparari unquam poteſt, exemplum animi, injuriarum oblivioſcentis, exſtat apud *Xenophontem*, Cyropæd. lib. I. p. 56. ubi *Tigranes* refert, præceptorem ſuum, quem Pater, ob filium corruptum, neci adjudicaverat, ſibi præcepiſſe, ne Patri propterea ſuccenſeret, quia id quidem non ex malevolentia ſed ex errore faciat. Conf. *Raphelii* Notas Xenophonteas p. 118.

Verſ. 38. Ἦν δὲ καὶ ἐπιγραφὴ γεγραμμένη) Inſcriptiones pluribus linguis exprimi ſolebant. Vide *Picinelli* Lumina p. 658.

Verſ. 40. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ ἕτερος) De altero hoc cruciario legendus inprimis eſt *Jo Georg. Dorſcheus* in *Latrone Theologo* Roſtoch. 1669. 12. & *Jo. Otto Henckelius* in Diſſ. de Latrone converſo, *Rinthel.* 1679. Nos id ſpeciatim h. l. commemorabimus, fuiſſe noſtra ætate nonnullos, qui contende-

rent,

rent, hominem hunc nec tam malum fuisse, quam plerique sibi persuadeant, nec tam sero ad Christum conversum, ut in cruce demum veritatem agnovisse dici debeat. Multa in hanc causam affert *Jac. Bernardus* in libro singulari *de Pœnitentia Sera* lib. II. cap. IV. p. 304. sq. versionis German. tum vero *Joncourtius* in Epistolis Criticis de præcipuis nonnullis S. Scripturæ locis Gall. *Amstelod.* 1715. 8. editis epist. I. ac denique Anonymus Germanus im kurtzen und klaren Beweiß &c. h. e. in Demonstratione luculenta, quod alter cruciariorum longe ante mortem conversus sit. Sed, quas illi afferunt rationes, vel nullæ, vel saltem incertæ sunt. Sic observant, recentiores omnes Interpretes agnoscere, unum duntaxat latronum Christum conviciis proscidisse, quibus accedit *Joncourtius*, pluralem numerum ex affectu graviori ab Evangelistis ceteris in hoc negotio adhiberi existimans. Enimvero sunt Interpretes, qui hanc rem non definiunt; veteres tantum non omnes de utroque latrone verba accipiunt, ita quidem, ut alter eorum tandem mentem mutarit. Qua de re diximus ad *Matth.* XXVII. 44. Quicquid vero hujus erit, non sequitur, latronem alterum, quem Christo non maledixisse tantisper largiemur, ideo bonum fuisse in universum, quod tanta malitia, quanta alter, usus non est. Poterat Christum pro nudo homine, & quidem supplicio isto digno, habere, etiamsi crimen illud ipsi non exprobraret, quippe quo & ipse teneretur. Addunt, Evangelistas id diserte annotaturos fuisse, si homo adeo improbus tam subito fuisset mutatus. Enimvero Evangelistæ rarissime solent ejusmodi observationes instituere, in sola narratione rerum a Christo gestarum, acquiescentes. Ita nec de Centurione, de quo v. 47. cujus testimonium præclarum omnino est, ejusmodi quid legitur. Nec plus valet, quod cruciarius ille veniam blasphemiæ suæ petiturus fuisse videatur. Pœnitentiæ enim argumentum illustre erat castigatio alterius, quem criminis hujus socium habuerat. Urgent etiam inprimis id, quod cruciarius iste non pro latrone h. e. homine latrociniis adsueto, habendus sit, sed pro eo, qui, excitato tumultu, nescio quo, comprehensus, & in vincula instar malefici & cædis rei sit conjectus, ac voce publica in *latronum* numerum relatus. Sed in promtu est, quod regeratur. Communior vocis λῃστὴς notio ea est, quæ *latronem* infert: nec video ullum afferri vel ex Sacris vel ex profanis Scriptoribus exemplum, quo mitior significatus comprobetur. Lucas κακοῦργος ideo appellat, ut nomine generali non solum cædem ab iis factam, sed alia quoque crimina indicet. Nec ex eo, quod in seditione & tumultu comprehensus sit, conficitur, quod seditionis tantum fuerit reus. Illæ enim turbæ occasionem ipsi fecisse videntur, ut mala, quibus alias adsueverat, eo securius moliretur. Præterea precario dicitur, quod duo illi in seditione capti & abducti sint. Id enim nullus Evangelistarum tradit, neque ex eo colligi tuto potest, quia de Barabba id narratur. Nam ipse Barabbas non vocatur λῃστὴς, sed δέσμιος *Matth.* XXVII. 15. Dubium itaque

eſt, utrum hi duo ejusdem criminis ſocietate cum eo comprehenſi fuerint, nec potius ab eo ipſa quoque appellatione τῶν λῃστῶν diſtinguantur. Præcipua hæc ſunt, quæ pro illa ſententia afferuntur, nominatim a *Joncourtio*. Ad ea, quibus *Anonymus* Germanus uſus eſt, reſpondit Cl. *Wokenius* in Meditatt. Privatis Tom. II. p. 108. ſqq. Præcipuum illis quidem, qui ita ſentiunt, conſilium hoc fuit, ut efficerent, ne homines, peccatis indulgentes, exemplo hoc ita abutantur, ut pœnitentiam in ſeros annos differant. Sed non puto, factum ſingulare, quo doctrina in ſe, Scriptura præeunte, veriſſima, (nempe, homini cuique uſque ad extremum vitæ halitum aditum ad pœnitentiam patere,) confirmari egregie poteſt, in ſecurorum hominum gratiam deteri & diminui debere, præcipue cum vel oppoſitum alterius latronis, qui ad frugem non redibat, etiam a ſocio monitus, exemptum animum, non prorſus præfractum, a ſecuris ejusmodi cogitationibus avocare poſſit.

Verſ. 41. οὐδὲν ἄτοπον) Ἄτοπον dicitur de iniquitate magni aut parvi momenti. Vide *Keuchenium* ad h. l. Eadem phraſi utitur *Polybius* lib. V. c. 11. *Heſychius*: ἄτοπον, πονηρὸν καὶ αἰσχρόν. Conf. omnino *Boiſii* Collationem ad h. l. p. 271. Prometheus apud Lucianum p. 174. cruci affixus ait, ſe οὐδὲν δεινὸν εἰργασμένον. *Laertius* in Vita Ariſtippi: ὁ μέντοι σπερδαῖος οὐδὲν ἄτοπον πράξει. Cl. *Trillerus* in Notis MSS.

Verſ. 42. Μνήθητί μου, Κύριε &c.) Ex hoc commate *Theologiam latronis* ediſſerit Vener. G. H. *Gœtze* ſingulari Diſſertat. Lubec. 1712. 4. edita. Verbum μνήθητι *Maldonatus* accipit de remiſſione peccatorum: ſed vide *Hackſpanii* Notas p. 371.

ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου) pro εἰς τὴν βασιλείαν σου, quæ harum præpoſitionum in N. T. & alibi frequens eſt permutatio. *Arrianus* dixit εἰς τὴν βασιλείαν παρελθεῖν. Vide *Raphelii* Notas Polyb. p. 262. Itaque concidit interpretatio *Smalcii* & aſſeclarum ejus in Verſione N. T. Germanica, qui vertunt *in regno tuo*, atque hoc regnum de exercendo judicio extremo accipiunt. Lege contra eos *Hackſpanium* l. c.

Verſ. 43. Ἀμὴν, λέγω σοι &c.) Comma hoc ſuſtulit *Marcion*, teſte *Epiphanio*. Et *Origenes* Comment. in Joannem auctor eſt, quosdam ſuæ ætatis idem feciſſe, ideo, quod non viderent, quomodo Chriſtus, qui per triduum in ſepulchro manſurus erat, fidem facere poſſit, ſe cum altero eodem, quo hæc loquebatur, die in paradiſo futurum eſſe. Sed non recogitabant illi, Chriſtum animam ſuam, quæ vere a corpore ſeceſſura erat, manibus Patris commendaſſe.

Σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ) Veterum nonnulli, teſtante *Heſychio* in *Conſonantia Evangelica*, cujus epitomen exhibet *Cotelerius* Tom. III. Monumentorum Eccleſ.

Eccleſ. Græcæ, vocem σήμερον retulerunt ad præcedentia Chriſti verba: λέγω σοι, & per comma a ſequentibus diſtinxerunt. Sed perperam id quidem fieri, nec ſine vi quadam, ſenſui verborum illata, *Theophylactus* monuit, & recentiorum permulti, nominatim *Millius* in Prolegomenis ad N. T. §. 1019. & *Rich. Simon* in Hiſtoria Critica N. T. lib. I. c. XXXIII. & lib. III. p. 398. item in Notis ad h. l. Conf. B. J. H. *Majum* in Examine Hiſtor. Criticæ Simonianæ p. 481. & *Amelium* Part. II. p. 464. Nihilominus tamen hanc interpretationem avide amplexi ſunt *Photiniani* in Verſione ſua Germanica: ich ſage dir heute: Du wirſt mit mir im Paradieſe ſeyn. *Smalcius* præterea contra *Franzium* contendit, τὸ *hodie* hic non eſſe notam temporis, ſed potius particulam aſſeverandi, atque idem inferre, quod Latine dixeris: *certo*. Sed lege contra utramque ψευδερμηνείαν *Hackſpanium* in Notis ad h. l. p. 373. qui inter cetera obſervat, hoc modo Chriſto, hæc loquenti, ταυτολογίαν impingi, cum aſſeveratio iſta jam in voce ἀμὴν comprehendatur. Ceterum rectè hæc verba ad exſtinguendum purgatorium adhiberi, oſtendit B. *Raithius* in Vindiciis Verſionis B. Lutheri p. 409.

μετ' ἐμοῦ ἔσῃ) Phraſi hac Græci utuntur, ubi aliquem ad convivium vocant: ut *Ariſtophanes* in Avibus p. 547. ὅπου παρέσει μοι καὶ σὺ καὶ τὰ παιδία. Ita quoque LXX. *Judic.* XIV. 11. ἔλαβον τριάκοντα κλητοὺς, καὶ ἦσαν μετ' αὐτοῦ h. e. *Aſſumſerunt triginta vocatos, & erant cum eo.* Ibi vero de nuptiis Simſonis agitur. Vide huc *Lamb. Bos* in Exercitatt. p. 49. ſq. qui præterea oſtendit, Philoſophos Græcorum beatum poſt hanc vitam ſtatum ſub convivii habitu repræſentaſſe. Adde Cl. *Clerici* notas ad ſcholia in Luciani Ver. Hiſtor. II. p. 671. *Raphelii* Notas Xenoph. p. 119. *Arndii* Miſcellan. Sacra p. 81. & *Amelium* Part. II. p. 465.

ἐν τῷ παραδείσῳ) Vocem hanc pro Perſica plerique omnes habent. Vide huc *Briſſonium* de Regno Perſarum p. 208. *Cheitomæum* de Vocibus Græco-barbaris N. T. & *Olearium* de Stylo N. T. p. 333. & 368. At Cl. *Schröderus* in Diſſert. prævia ad Theſaurum Armenicum p. 56. ex Armenica Lingua mavult repetere, in qua inferat hortum domui ſemper proximum, graminibusque herbis & floribus conſitum. Aliorum etymologias recenſet doctiſſimus *Joh. Henr. a Seelen* in Notis ad Burtonii λείψανα Linguæ Perſic. p. 68. Confer & Cl. *Trilleri* Notas ad H. Grotii Chriſtum Patientem p. 292. Solet alias uſurpari de horto eleganti quocunque. Vide *Æliani* Var. Hiſtor. lib. I. c. XXXIII. *Gellium* II. 22. Confer *Almeloveenii* Specimen Antiquitatum p. 13. quod in opuſculis ejus exſtat. Hebræi quoque voce פרדס in ſenſu vitæ beatioris utuntur. Vide *Lightfootum* ad h. l. & *Grellotum* in Prodromo p. 30. Ceterum de ſignificationibus & originibus vocis παράδεισος lege Obſervatt. Selectas Halenſes Tomo VIII. Obſerv. IV. p. 87. ſqq. Auctoris illius ſententia hæc eſt, paradiſum denotare lætum ſtatum animarum poſt mortem, a cœlo tamen beatorum diſtinctum: eum vero eſſe infernum, ſeu ſtatum quietis & refrigerii: infernum enim eſſe duplicem, alterum quietis, in quem animæ juſtorum deferantur, alterum cruciatuum, in quem impiorum a-

nimæ

nimæ migrent. Priorem esse illum, quem Christus cum latrone per triduum mortis occuparit, quemque Patriarchæ & Sancti V. T. usque ad resurrectionem Christi tenuerint. Non est, cur in confutanda hac interpretatione non omnino nova, sed a *Grabio* jam in Appendice Apologetica pro *Urbano Rhegio*, hujus Formulis caute loquendi subjuncta, jam olim allata, desudemus, inprimis cum ista opera diligenter perfunctus sit *Balthas. Henr. de Platen* in Disputat. singulari de his Christi verbis Observatori Halensi opposita, & *Gryphiswald.* auspiciis B. J. F. *Mayeri* an. 1707. defensa. Quam diversæ Patrum sint sententiæ de paradiso, in quem recipiendus hic dicitur conversus latro, intelligetur ex *Petavii* Dogmat. Theolog. Tom. I. p. 311. sqq. Confer præterea ad h. l. B. *Danhaueri* Disputatt. Theolog. num. VII. ubi de verbis Christi novissimis, Biblioth. Bremens. Class. III. p. 192. & *Alethæum* Tom. I. der Erörterung p. 264. sqq.

Vers. 45. Καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος) Quæ in hac eclipsi singularia & præter naturæ ordinem contigerint, exponit *Alethæus* Tom. I. p. 58. sqq.

Vers. 46. Πάτερ, εἰς χεῖράς σου &c.) Vide huc B. *Danhaueri* Disputatt. Theolog. n. VII. ubi de verbis Christi novissimis.

παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου) De phrasi hac lege *Cappelli* Opera p. 256.

Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἐξέπνευσεν) Verba hæc a paucis quibusdam Codd. absunt, unde & *Millio* suspecta videntur in Prolegomenis §. 1461. tum quod nemo librarius tam insignia prætermissurus fuisse videatur, tum quod in verbis illis varietates quædam a diversis Codd. exhibeantur. Mihi quidem facilius videtur, ut unus alterque librarius negligentiæ vitio verba etiam insignia omittat, quam ut D. Lucas mortem Jesu, a reliquis Evangelistis omnibus diserte narratam, & in qua præcipuum salutaris perpessionis momentum situm erat, prætermisisse existimari possit. Et quid si antecedens τὸ πνεῦμά μου negligentiæ huic occasionem dedisse dicatur, cui scilicet verbum ἐξέπνευσε affine est. Varietates, quæ hic in voce una alterave occurrunt, tantæ non sunt, ut sententiam ipsam loco moveant, nisi idem de singulis fere Sacri textus commatibus largiri velis. De verbo ἐξέπνευσε lege *Pearson.* ad Symbol. Apostol. p. 378. Ἐναποπνεῦσαι hoc sensu adhibet *Antoninus* V. 4. ubi confer *Gatakeri* notas p. 186. & p. 228. ubi ait: ἀποπνευστικὴν δύναμιν ἀποδῦναι.

Vers. 47. δίκαιος ἦν) Cl. *Jos. Wase* in Disquisitione Anglic. de loco *Matth.* XXVII. 54. cui conjecturas aliquot in alia quædam loca N. T. addidit, suspicatur hic legendum esse, ὁ δίκαιος ἦν. Lucam enim Messiam passim appellare τὸ δίκαιον, quo sensu eadem vox capienda sit *Jac.* V. 6. Non crediderim, articulum ὁ, non præeunte Codice ullo, temere in textum inferendum esse. Et quamvis *Lucas* alibi v. c. *Act.* VII &c. Christum τῷ δικαίῳ nomi-

nomine appellet, idem tamen, ceu Vir doctus ipse monet, *Actor.* III. 14. articulum omittit. Præterea Centurio ille, ut Gentilis & miles Romanus, per vocem δίκαιος nihil aliud intellexit, quam quod Pilati uxor *Matth.* XXVII. 19. marito significabat, nempe hominem esse innocentem & a crimine liberum. Neque enim utrinque cogitari potest, eminenti sensu nomen illud usurpatum de Christo esse, ut allusio quasi fieret ad appellationem צדיק, qua in V. T. Messias passim indicatur. Id enim omne gentilibus procul dubio ignotum erat.

Vers. 48. τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη) De pectoris percussione præ dolore & luctu lege *Picinelli* Lumina Refl. p. 659.

Vers. 49. οἱ γνωστοὶ αὐτῷ μακρόθεν) Vide *Cappelli* Opera p. 661.

Vers. 51. συγκατατεθειμένος) Subintellige ψῆφον, i. e. *suffragium.* Vide *Lamb. Bos* de Ellipsi Gr. L. p. 244. & ad *Thomam Magistrum* in Τίθεμαι. Ita *Sophocl.* in Philoctet. v. 1443.

Κἀγὼ γνώμῃ ταύτῃ τίθεμαι.

Vers. 53. ἐν μνήματι λαξευτῷ) i. e. in monumento, ex lapide polito & quadrato exstructo. Vide *Salmasii* Exercitatt. ad Solinum p. 851. a.

Vers. 54. καὶ σάββατον ἐπέφωσκε) Verbum hoc ἐπιφώσκειν de die artificiali solum dici, quando Sol lucet, plerisque persuasum fuit, aliter sentiente *Casaubono* in Exercitatt. Anti-Baronian. p. 416. b. cujus hæc habe verba: Proprie ἐπιφώσκειν, sive ἐπιφαύσκειν & ἐπιφαίνειν de sideribus dicuntur, præsertim Sole & Luna, quæ, ut loquitur Scriptura, præsunt diei & nocti. Lucas *Actor.* XXVII. 20. μήτε δὲ ἥλιος, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας. At quoties non de sideribus, sed de tempore ea vocabula dicuntur, compendium id est sermonis, quod ut redigatur ad orationem plenam, necessario quædam supplenda sunt. Nam e. g. si dicas, ἡμέρα ἐπιφώσκει, & de artificiali die intelligas, supplendum erit sic, quod deest: ὁ ἥλιος ἐπιφώσκει, ᾧ ἐπιφώσκοντος γίνεται ἡμέρα, *dies illucescit*, i. e. *Sol illucescit, quo illucescente est dies.* Sin autem dicas, ἡ τρίτη ἡμέρα ἐπιφώσκει, tertia dies, vel tertia feria aut quarta illucescit, sive exoritur, & de naturali die intelligas, qui ex Hebræorum consuetudine incipit a vespera; tunc verbo ἐπιφώσκειν intelligitur ortus & splendor Lunæ aliorumque siderum, quo noctem illustrant, & inchoant sua apparitione. Cum ergo dicit Lucas XXIII. 54. καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευή, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε, sic accipiendum, ac si dixisset, καὶ ἐπέφωσκεν ἡ σελήνη, ἡ ἄγουσα τὸ σάββατον, quomodo apud Aristophanem ait Strepsiades, τὴν σελήνην ἄγειν τὰς εἰκάδας, h. e. illuxit Luna, qua exoriente, simul exoritur dies naturalis Sabbati. Non enim necesse est, ut de die accipiantur verba Lucæ a Solis ortu ad occasum,

quod facit Baronius. Hactenus *Casaubonus*. Lege enim, quæ huc afferunt *Scaliger* de Emendat. Tempor. p. 533. & *Cloppenburgius* Tom. I. Opp. p. 102. 128. & 152.

Vers. 56. καὶ τὸ μὲν σάββατον ἡσύχασαν κατὰ τὴν ἐντολήν) Verba hæc illustrat *Jo. Wandalinus* in Diatribe de Feria Passionis & triduo mortis Christi, eaque inprimis contra *Wilh. Langii* sententiam urget, cap. VI. p. 319. Syntagmatis Disputatt. Græviani.

CAP. XXIV.

Vers. 1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων) Respondet hæc phrasis Hebræa אחד בשבת quâ primum diem, proxime Sabbatum sequentem, indicari testantur *Maimonides* in Sanhedrin c. XI. §. 2. & *Obadias de Bartenora* in *Chagiga* c. II. §. 4. Conf. B. *Dassovii* Differt. de Modis seminandi diversa semina Hebræorum Corollar. I. Vide etiam *Hackspanii* Notas p. 374.

ὄρθρου βαθέος) Phrasin hanc diligenter illustrat *Ezech. Spanhemius* in Observatt. ad Callimachum p. 85. Allatis enim variis vocibus ex βαρὺς & aliis compositis v. c. βαθυλήϊος, βαθύπλουτος, βαθύζωνος &c. monet, ibi τὸ βαθὺ *copiosum* & *multum* aut *valde* significare, additque, *Theocritum* non solum βαθὺν ὕπνον *Idyll.* VIII. 65. sed παίσδειν εἰς βαθὺν ὄρθρον i. e. *ludere usque ad altum diluculum* seu *summum mane* dicere Idyll. XVIII. 404. sicut eadem locutione usus sit *Polyæn:* Strategem. lib. II. c. 28. de Maga, Cyrenarum Rege, qui speculatoribus præscripserit, facem sub vesperam tollere, καὶ πάλιν βαθέος ὄρθρου τὸν αὐτὸν, *atque iterum summo mane eandem.* Alia loca veterum huc pertinentia affert Cl. *Majus* Part. II. Obss. Sacrar. p. 50. nempe, *Platonis* in limine *Critonis*, & *Phlegontis Tralliani* c. I. Mirabilium ὄρθρου δὲ βαθέος πλῆρες ἦν τὸ θέατρον, i. e. *summo mane hominibus refertum fuit theatrum.* Eandem phrasi huic notionem tribuit *Vulgatus*, vertens: *valde diluculo venerunt.*

καί τινες σὺν αὐταῖς) pro glossemate hæc habet *Millius:* sed vide *Whitbii* Examen p. 47.

Vers. 4. ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις) i. e. *in vestibus fulgentibus;* ut *Vulg.* Vide *Boissii* Collationem p. 272. qui præterea observat, ἐσθήσεσιν non ab ἑσθὴς sed ab ἔσθησις derivandum esse.

Vers. 5. τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν;) Communiter hæc ita vertunt: *quid quæritis vivum inter mortuos?* Sed Cl. *Trillerus* mavult: *quid quæritis vivum cum mortuariis aut mortualibus?* Per *Mortuaria* vero intelligit aromata & unguenta, cum quibus ad pollingendum Dominum piæ mulierculæ exierant. Talia *Ulpianus* vocat *res mortuas* i. e. τὰ νεκρά lib. VII. §. 1. ff. de Donatt. viri & uxoris, ad quem locum confer *Dionys. Gothofredum*, & *Cujacium* Obser-

Obſervatt. c. XXX. 9. Adde, quæ viri docti notarunt ad *Gellii* Noctes Attic. XVIII. 7. p. 817. Hæc Cl. *Trillerus* non ſine veri ſpecie hic commentatur. Malim tamen in communiori vocis ſignificatu, pace Viri docti, hic acquieſcere, quia iſta vocis νεκροὶ notio in Novi Inſtrumenti tabulis, & forte apud Græcos Scriptores externos, nusquam occurrit; præterea vero oppoſitio vocis ζῶν & νεκροὶ, ſi poſterior de mortuis ſumatur, clarior eſt & ad inſtitutum magis accommodata. Nec inſolens eſt phraſis, ut videri poterat, qua τὸ μετὰ pro *inter* ponitur. Ita enim Dominus ad diſcipulos *Joh.* XVI. 19. περὶ τούτου ζητεῖτε μετ' ἀλλήλων h. e. *de eo diſputatis inter vos invicem.*

Verſ. 10. ἡ Μαρία Ἰακώβου) ſc. μήτηρ, *mater*, ut plene dicitur *Marc.* XV. 40. Conf. *Bocharti* Hierozoic. l. 2. 43. & *Lamb. Bos* de Ellipſi p. 123.

Verſ. 12. παρακύψας) Vox παρακύπτειν de attenta & ſolicita inſpectione adhibetur ab *Arriano* Epictet. lib. I. c. I. p. 6. καὶ παρακύπτομεν συνεχῶς, τίς ἄνεμος πνεῖ h. e. *ſine intermiſſione proſpicimus, quinam ventus ſpiret.* Conf. *Raphelii* Notas Polyb. p. 263.

καὶ ἀπῆλθε, πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων τὸ γεγονὸς) *Hammondus* ad *Joh.* XX. 20. mavult h. l. voces πρὸς ἑαυτὸν referre ad præcedens verbum ἀπῆλθε, quam ad ſequentia, a quibus potius per comma diſtinguit. Idem amplexi ſunt *Hombergius* pag. 155. Parergorum, & noviſſime Cl. *Chriſtoph. Aug. Heumannus* in Pœcile Tom. I. lib. I. pag. 86. Atque illi quidem ita phraſin vertunt: *rediit domum.* Quæ in tantum recte ſe habent, cum, ut *Heumannus* oſtendit, *Ælianus* Var. Hiſtor. III. 19. eodem modo dicat, Ariſtotelem abiiſſe καθ' ἑαυτὸν h. e. *domum ſuam:* & *Plautus* in Menæchmis V. 2. 11. *Filia expetit, ad ſeſe a me ut irem.* Cur vero ita interpungant textum, hanc inprimis afferunt rationem, quod *Joh.* XX. 10. ubi de eadem re ſermo eſt, de *Petro* & *Johanne* dicatur, quod, viſo Chriſti ſepulchro vacuo, domum reverſi ſint. Ἀπῆλθεν ἔν πάλιν πρὸς ἑαυτὸς οἱ μαθηταί. Itaque dubium non eſt, eum phraſeos hujus ſenſum eſſe poſſe, &, ſi quidem mutata hæc interpunctio locum habeat, eſſe debere. Atque ita quoque accepit Interpres *Coptus.* Sed is unus eſt, quem ſciam ex veteribus, qui in hanc verſionem deſcendit. Propterea malim equidem in communiori interpunctione acquieſcere, ut τὸ πρὸς ἑαυτὸν ad θαυμάζειν referatur, Petrusque præ admiratione in ſe penitus converſus dicatur. Æque enim commode dici poteſt θαυμάζειν καθ' ἑαυτὸν, quam προσεύχεσθαι πρὸς ἑαυτὸν, quod exſtat *Luc.* XI. 11. Cui phraſi ſimilis eſt, quæ legitur *Act.* X. 17. ὡς δὲ διηπόρει ἐν ἑαυτῷ. Neque obſtat locus parallelus *Jo.* XX. 10. in quo præcipuum alterius interpretationis præſidium quæritur. In recenſendis enim circumſtantiis rerum ita frequenter agunt Evangeliſtæ, ut aliam alter omittat, quam alter curate recenſet, atque ita mutuam ſibi operam præſtent. Itaque *Lucas* tacitam Petri admirationem commemorat, qua neglecta Johannes reditum ejus ad ſua refe-

rendum esse putavit. Neutrum igitur vel negandum vel tollendum est, sicut nemo temere negaverit, Johannem una cum Petro ad spectandum Christi sepulchrum profectum esse, teste Johanne ipso, quamvis Lucas solius Petri in hoc negotio mentionem fecerit.

Vers. 13. δύο ἐξ αὐτῶν) Alter scilicet *Cleopas*, de quo v. 18. alter incertus, quem alii de *Luca*, de *Simeone* alii, alii de *Nathanaele* interpretantur. Lege Cl. *Fabricii* Notas ad Cod. Apocr. N. T. p. 322. *

ᾗ ὄνομα Ἐμμαοὺς) De vico hoc lege inprimis *Relandum* in Palæstina p. 426. sq. ubi diligenter ostendit, vicum istum a Luca memoratum distinctissimum esse ab illa Emmaunte, quæ alias Nicopolis dicta est: eademque opera alia tradit, ad hujus loci illustrationem apprime facientia. Conferatur idem p. 760. & *Scaliger* ad Eusebium p. 231. item *Montacutius* Origin. II. p. 453. sq.

Vers. 14. Lege huc *Amelium* Part. I. p. 145. ex cujus tamen commentatione, operarum puto vitio, quædam excidisse inspectio ipsa docebit. Pro versione enim verborum Græcorum, cujus ibi spes fit, occurrit porisma ex verbis illis deductum.

Vers. 16. οἱ ὀφθαλμοὶ ἐκρατοῦντο) Ita Minerva in Ajace Flagell. Sophoclis v. 85. Ἐγὼ σκοτώσω βλέφαρα καὶ δεδορκότα. Similia leguntur apud *Homerum* & *Callimachum*, observante Cl. *Trillero* in Notis MSS.

Vers. 18. Σὺ μόνος παροικεῖς) Vid. *Schotti* Adagial. N. T. p. 85. Sunt, qui hic distinguendum putent inter παροικεῖν & κατοικεῖν, ut prius illud *commorationem* instar peregrini, posterius vero *habitationem* instar civis inferat. Sed subtilius hæc dici videntur *Hombergio* in Parergis pag. 155. Recte vero ita statui satis dextre probatum dedit *Boissius* in Collatione p. 273. sq. contra *Bezam*. Propterea & *Vulg.* vertit: *tu solus peregrinus es;* & sic quoque B. *Lutherus*. Sensus erit: *tune solus, tanquam peregrinus, hæc ignoras?* Solebant vero tempore Paschali permulti, aliunde adventantes, Hierosolymis commorari. Lege etiam *Suicerum* Tom. II. p. 597.

Vers. 19. τὰ περὶ Ἰησοῦ) Similiter *Xenophon* Hist. Græc. lib. I. p. 349. ἔφρασε τὰ περὶ τοῦ Ἑτεονίκου.

δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ) Ita *Polybius* XII. 15. p. 931. τοῦτον δὲ δυνατώτατον ἐν λόγῳ. Mosen δυνατὸν ἐν λόγῳ h. e. disertum vocat Stephanus *Actor.* VII. 22. Idem *Polybius* p. 538. Epigenem appellat virum καὶ λέγειν καὶ πράττειν δυνάμενον. Conf. *Raphelii* Notas Polybian. p. 263.

Vers. 21. τρίτην ταύτην τὴν ἡμέραν) Vide huc *Wandalini* Diatribam de Tempore Passionis J. C. & triduo mortis pag. 322. Syntagmatis Grævian. Ordo

Ordo verborum hic eſt: σήμερον ἄγει ταύτην τὴν ἡμέραν τρίτην, ut imperſonaliter phraſis hæc cum *Grotio* capi non debeat. Sic *Theocritus* Idyll. XVI. 71. Ὕυπο μῆνας ἄγων ἕκαμ' ἐρανὸς ἐδ' ἐνιαυτός. Similiter *Statius* Thebaid. III. 440. *Trillerus* in Notis MSS.

ἀφ' ἧ ταῦτα ἐγένετο) Eadem phraſi in re ſimili utitur *Theocritus* Idyll. II. 157. Νῦν δέ τε δωδεκατᾶιος, ἀφ' ὧ τε (Dorice pro ἀφ' ἧ) νὶν ἐδέ ποκ' εἶδον. Cl. *Trillerus*.

ἄγει) ſcilicet χρόνος, judice *Lamb. Bos* p. 231. de Ellipſi.

Verſ. 22. ἐξέπληξαν ἡμᾶς) Eadem phraſi utitur *Polybius* lib. II. cap. 25. αὐτὸς δὲ προπορευθεὶς ἐξέπληξε ταῖς διανοίαις πάντας εὐθέως κατὰ τὴν πρώτην φαντασίαν, h. e. *Ipſe progreſſus in medium ut primum apparuit, de ſtatu mentis circumſtantes dejecit.* *Keuchenius* in Notis ad h. l. vertere mavult: *perculerunt, & in admirationem pertraxerunt nos;* provocans ad τὲς LXX. qui illa voce non ſolum de terrore & perturbatione, animo allata, ſed & de gaudio intimiori utantur. Vide v. c. *Exod.* XVIII. 9. & *Levit.* IX. 24. Mihi quidem animi, inter ſpem & metum hærentis, motus vehementior indicari hic videtur. Ita *Actor.* II. 12. τὸ ἐξίστασθαι & διαπορεῖν i. e. *dubitare*, conjungitur. Confer *Amelium* Part. II. p. 856.

Verſ. 25. καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ τὲ πιστεύειν) In verſione Germanica B. Lutheri voces βραδεῖς τῇ καρδίᾳ communiter per comma diſtinguuntur a verbo πιστεύειν. Id vero præter intentionem τὲ μακαρίτε fieri, & ſenſum obſcurum reddere, quia ſic non conſtet, de qua tarditate ſermo ſit, judicat Anonymus im Heb-Opfer Tom. III. p. 227.

Verſ. 27. καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως) Diſputant hic Interpretes, quomodo dici poſſit Chriſtus incepiſſe *a Moſe & ab omnibus Prophetis*, cum, initio a Moſe facto, idem non potuerit fieri a Prophetis, & quidem omnibus, quia ſic nullibi terminum invenire liceret. Vide *Jo. Marckii* Exercit. Textual. XXXIII. p. 349. ſqq. qui, relatis aliorum ſententiis, ſtatuit, Moſen & Prophetas omnes hic notare ipſa eorundem dicta de Chriſto, atque illa quoque, quæ in Pſalmis ſive Hagiographis exſtant: ab iis autem Chriſtum loquendo ita exorſum dici, ut in ἑρμηνείᾳ ſive genuina eorum interpretatione ſermones ſuos finiverit. Conf. *Luc.* IV. 20. 21. & *Actor.* VIII. 35. ubi Philippus dicitur, a Scriptura Jeſaiæ exorſus, annunciaſſe Jeſum. Ibi vero textus Jeſaiæ non aliis vaticiniis V. T. ſed exegeſi ejus opponi *Marckio* videtur. Præcipua V. T. loca, quibus uti Chriſtus in hac demonſtratione ſua potuerit, affert *Jac. Cappellus* in Obſervatt. ad h. l. p. 40. ſq. Adde *Joſ. Mede* in Opp. p. 49. ſq.

Verſ. 29. καὶ παρεβιάσαντο) Coactio non phyſica aut violenta, ſed

moralis, quæ verbis & argumentis fit, hic cogitanda est, de quali sermo quoque est *Luc.* XIV. 23. & *Gal.* II. 14. Conf. *Hackspanii* Notas p. 374. & *le Cene* in Projet p. 95.

Vers. 29. κέκλικεν ἡ ἡμέρα) Sic supra IX. 12. *Seneca* in Agamemn. dixit: *præceps dies*; & *Juvenalis*: *Sol inclinat*; Jul. Cæsar: *die inclinato in vesperam*; Curtius: *in vesperam inclinat dies*; Tacitus vero: *flexo in vesperam die*. Debes hæc Cl. *Trillero*.

Vers. 30. λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε) De S. Cœna Patrum nonnulli hæc verba præter rem acceperunt, quos communiter sequuntur Pontificii, nominatim *Lacerda* in Adversariis p. 380. Iidem loco hoc ad probandam communiorem sub una abutuntur, contra quos lege B. *Sam. Bened. Carpzovii* Examen Masenianum p. 928.

καὶ κλάσας) Phrasin hanc ex moribus gentium Orientis interpretatur D. *Jo. Covel* in *Narratione de præsenti statu Græciæ* Anglice edita. Vide *la Roche* Memorias Literar. M. Britanniæ Tom. IX. p. 148. sq. Orientales scilicet, ut hodienum, ita & olim eam pani formam induerunt, ut frangi commode possit, nec sciscione opus sit.

Vers. 31. Αὐτῶν δὲ διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ) Similis phrasis *Gen.* III. 7. Duplici sensu oculi dicuntur aperiri, nempe primum, ubi antea, ut in cœcis, clausi fuerunt; deinde cum facultate donantur, aliquid perspiciendi, quod antea ignotum erat, ut h. l. Conf. *Hackspanii* Notas p. 375.

καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν) Vide huc *Suicerum* Tom. I. Thesauri p. 592. Hinc colligitur, dari posse corpus, quod actu non videatur. Lege huc *Hackspanium* l. c. disputantem contra eos, qui omnia alia hic comminiscuntur, quibus disparitionem illam diminuant. Idem τὸ καὶ adversative hic accipi vult. Malim vero idem esse, quod *tunc*, quam notionem in narrationibus frequenter sustinere constat.

Vers. 32. Οὐχὶ ἡ καρδία ἡμῶν καιομένη ἦν &c.) Vide *Ursini* Analecta Tom. I. p. 287.

ὡς διήνοιγεν) forte ad imitationem verbi Hebr. פתח, quod *docere* & *implicare* infert. Vide *Steph. le Moyne* ad Varia Sacra p. 927.

Vers. 34. Ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως) Vide ad hæc verba duo Programmata, alterum in Academia Lipsiensi an. 1680. propositum, alterum a *Sauerbreyo* exaratum. Utrumque recusum est in *Gabr. Terne* Sylloge Programmatum I. p. 499. & 508.

Vers. 35. ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου) Nonnulli, ut *Lyranus*, de singulari artificio & modo panem frangendi hæc accipiunt; alii vero tempus tantum

innui

innui cenſent, quo Chriſtus ab ipſis agnitus ſit, iique rectius. Vide *Hackſpanium* in Notis p. 377. Contra eos, qui S. Cœnæ uſum hic inferri exiſtimant, lege *Suicerum* Tom. II. Theſauri p. 106. Alias eum hac phraſi innui patet ex Act. II. 42. Confer *Pearſonii* Opp. Poſthuma p. 34.

Verſ. 37. Ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν) De errore hoc diſcipulorum eique oppoſita Chriſti demonſtratione commentatur B. *Dannhauerus* in Polemoſophia p. 190. Confer etiam *Pearſonium* ad Symbolum Apoſtolicum p. 452.

Verſ. 38. Τί τεταραγμένοι ἐστὲ) Perturbatio hic innuitur, quæ vultu etiam ſe prodit. Vide huc Annotatt. *Keuchenii*.

Verſ. 39. ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε) Nonnihil aliter hæc Chriſti verba recitat *Ignatius* in epiſt. ad Smyrnæos cap. III. nempe ita: λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε, ὅτι οὐκ εἰμὶ δαιμόνιον ἀσώματον. Atque ibi diſputant eruditi, unde Ignatius iſta hauſerit, utrum ex Evangelio quodam Apocrypho, an ex traditione & narratione aliorum, qui hæc a Chriſto pronunciata eſſe audiverint, an denique ex ipſo hoc Lucæ Evangelio, additis ſcilicet ex memoria iis, quæ hic alioquin non leguntur. Vide huc *Vedelii* Exercit. in epiſtolam ad Smyrn. cap. II. *Jo. Pearſon.* Vindic. Ignat. Part. II. p. 102. ſq. & inprimis Cl. *Jo. Alb. Fabricium* ad Codicem Apocr. N. T. Tom. I. p. 358. ſq. quo judice non tam ad hunc Lucæ locum, quam ad aliud Chriſti, quamvis affine dictum, ipſi ex hiſtoria cognitum, Ignatius reſpexit. Eadem ſententia eſt *Pearſonii* in Notis ad Ignatii Epp. p. 13.

πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει) Videntur diſcipuli, tanquam Judæi, exiſtimaſſe, Spiritus exſucca adeo & tenuia eſſe corpora, ut videri quidem poſſint, carnem vero & os non habeant, tactui obnoxia. Vide Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 479.

Verſ. 44. πάντα τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ νόμῳ Μωσέως, καὶ προφήταις καὶ ψαλμοῖς) De τειχοτομίᾳ hac Codicis V. T. vide, quæ differui in Biblioth. Hebr. Part. II. p. 41. ſqq. Adde locum ſimilem Scriptoris Karæi, ubi ea, quæ ad cognitionem termini redemptionis pertinent, ait hauriri debere ex Prophetis omnibus, Videntibus, & Canticis, apud *Triglandium* in Diatriba de Karæis p. 121.

Verſ. 45. Τότε διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν) De phraſi hac lege *Jo. Clerici* Artem Criticam Part. II. Sect. I. cap. IV. §. 11. In argumento precum eam inprimis adhiberi ſolere ab Hebræis, oſtendit *Lud. Cappellus* in Spicilegio Notarum ad h. l.

Verſ. 46. καὶ ὅτως ἔδει) Verba iſta ex v. 26. huc translata putat *Millius*; ſed vide *Whitbii* Examen p. 47.

Verſ.

Verſ. 47. ἀρξάμενον) Codices nonnulli hic legunt ἀρξαμένων, quam lectionem *Vulg.* quoque exprimit, & pro genuina habet *Eraſmus* ac *Millius* in Prolegom. §. 422. cujus hæc ſunt verba: *Accuſativus ſingularis Scribarum fuit, de Syntaxi Grammaticali ſolicitorum. Neque enim ad Chriſtum iſta referri poſſunt ob antecedentia κηρυχθῆναι &c. ſed ad Apoſtolos, ſeu etiam in genere ad Evangelii prædicatores.* Subintelligi itaque vult vocem Ἀποστόλων, vel κηρύκων. Sed non erat, cur violentam iſtam ellipſin inveheret Vir doctus, & lectionem, tot Codicum conſenſu receptam, deſereret. Rectius cum *Eraſmo Schmidio* participium imperſonale hic ſtatues, quod Græcæ Linguæ rationibus æque convenienter uſurpatur, atque ἐξὸν, ἐνὸν, δόξαν &c. Senſus eſt ſimpliciter: *initio facto. Boiſius* in Collatione p. 276. idem eſſe ſtatuit, quod ἀρξαμένῳ τῷ λέγειν.

Verſ. 49. ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους) Phraſin hanc Hebr. linguæ genium referre oſtendunt *Gatackerus* de Stylo N. T. p. 254. & *Vorſtius* in Philolog. Sacr. Part. I. p. 126. Atque hos tutius ſequeris, quam *Pfochenium* §. 118. Diſſert. ſuæ alia tradentem.

Verſ. 50. Ἐξήγαγε δὲ αὐτοὺς ἔξω ἕως εἰς Βηθανίαν) Multi, hæc conferentes cum *Actor.* I. 12. ubi dicuntur diſcipuli poſt Chriſti adſcenſum reverſi a monte olivifero, diſtant ab urbe iter Sabbati, hinc collegere, duplicem fuiſſe Bethaniam. Sed id neceſſe non eſſe, oſtendit *Relandus* in Palæſtina p. 630. Conf. quæ dicentur ad *Actor.* I. 12.

Verſ. 52. προσκυνήσαντες αὐτὸν) Verba iſta ex Matth. XXVIII. 17. huc relata putat *Millius*, contra quem lege *Whitbii* Examen p. 47. b.

Verſ. 53. καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ) Quomodo id accipiendum ſit, patebit ex iis, quæ commentati ſumus ad *Luc.* II. 37. Conf. *Vitringa* de Decem Otioſis. p. 91.

Ἀμήν) Voculam hanc plerique Codices & verſiones habent: nonnulli tamen, quos & B. *Lutherus* ſecutus eſt, omittunt. *Grotius* ab Eccleſia additam putat, quæ lectionem Evangelii hac acclamatione excipere conſueverit. Quod ut probet, ad 1 *Cor.* XIV. 6. πῶς ἐρεῖ τὸ ἀμὴν ἐπὶ τῇ σῇ εὐχαριστίᾳ. Sed ibi de precatione potius, in laudem Dei ſuſcepta, ſermo eſt. Sequitur Grotium *Amelius* Part. II. p. 438. eundemque morem Chriſtianis ad exemplum Judæorum in lectione ſacrorum librorum receptum fuiſſe, evictum ait a *Vitringa* de vetere Synagoga & *Spencero* de Legibus Hebræorum ritualibus p. 792. Sed uterque eorum de precibus tantum, vocula *Amen* finitis, exponit. Vide *Vitringam* p. 1094. & 1109. Itaque malim cum B. *Calovio* in Bibliis Illuſtrat. ad h. l. rem in medio relinquere, quamvis, quod idem ait, res veriſimilitudine non deſtituatur, quia fortaſſe verbis textus antecedentibus non ita congruat.

❁ ❁ ❁ ❁